CURSUS
SCRIPTURÆ SACRÆ

Dilecto filio F.-X SCHOUPPE, presbytero Societatis Jesu, Leodium.

Pius PP. IX.

Dilecte fili, salutem et Apostolicam Benedictionem. Quo sanior et accuratior institutio cleri adolescentis postulatur ætate hac nostra, ubi scientiæ subtilitas et eruditionis apparatus passim adhibentur ad obscurandum pervertendumque divinarum Litterarum sensum ; eo libentius excepimus *Cursum* tuum *Sacræ Scripturæ seminariorum usui accommodatum*. Tibi vero gratulamur, quod præcipuarum difficultatum solutioni copiosam adjeceris plurimorum textuum e variis sacri voluminis libris excerptorum expositionem, unde non modo rectam levitæ doctrinam possint haurire, sed et sinceræ pietatis sensus, et normam ejus ministerii, quod serius erunt obituri. Ominamur itaque labori tuo fructus amplissimos ; et interim Divini favoris auspicem et paternæ Nostræ benevolentiæ pignus Apostolicam Benedictionem, tibi peramanter impertimus.

Datum Romæ apud S. Petrum die 18 Augusti, anno 1870.

Pontificatus Nostri, anno vicesimo quinto.

PIUS PP. IX.

PRÆFATIO.

Quemadmodum antehac Theologiæ dogmaticæ enchiridium edidimus in gratiam discipulorum; ita postmodum, cum ad sacram Scripturam docendum deputati essemus, tentandum existimavimus, ut similiter enchiridium sacræ Scripturæ adornaremus.

Experientia enim constat utilissimum esse, ne dicamus necessarium, ut discipuli præ manibus habeant eorum quæ viva voce a magistris tradenda sunt compendium : quo melius lectionem præparare possint, ac deinde repetere, imo quæcumque didicerint in posterum per totam vitam conservare.

Hujusmodi autem sacræ Scripturæ compendium tale sit oportet, ut res omnes quæ ad hanc disciplinam pertinent, summatim contineat ; utque eas exhibeat cum ordine et claritate ; imo nec sine jucunditate, qua inter aridiora eruditionis præcepta, saltem aliquid de sacrarum Litterarum suavitate atque unctione sentiatur. Non enim minimus ille fructus est, ut corda discipulorum divini eloquii amore capiantur.

Jam vero, cum ex una parte videremus cursum hujusmodi sacræ Scripturæ desiderari ; ex altera vero plurima existere opera, partes varias biblicæ disciplinæ optime pertractantia, ex quibus res ac materia universa colligi possent : manum operi admovere Deo freti non dubitavimus.

Accessit autem in arduo labore stimulus et calcar, quod eo ipso tempore Christi Vicarius Pius IX SS. Scripturarum studium perfectius excolendum commendaret (1).

Susceptus igitur Deo auspice *sacræ Scripturæ cursus*, tandem ad exitum deductus est.

Complectitur autem quæ ex rei natura et fine videntur requiri : nimirum, præter hermeneuticam

(1) In *Quæstionibus quas Apost. Sedes Episcopis proponebat*, anno 1867 quæst. 5 et 8.

sacram et solutionem difficultatum in sacris Libris occurrentium, varia novi et antiqui Testamenti loca, juxta sensum tum litteralem tum mysticum exposita. Porro præ cæteris loca illa selecta sunt, quæ frequentius in sacra liturgia recitantur.

In singulis partibus probatissimos Auctores secuti sumus : in hermeneutica Bonfrerium, Glaire, Patrizi, etc. ; in exegesi, præter SS. Patres, a Lapide, Bellarminum, Berthier, Jansenium, Maldonatum, Estium, etc. In exponendo *sensu liturgico* Psalmorum, quem parcius indicant interpretes, præcipue innixi sumus in ipsa Liturgia et Psalmorum antiphonis.

Ad difficultates quod attinet, eas præcipua cura tractare visum est, quæ ad Pentateuchum pertinent, quæque a scientia moderna, Geologia, Historia et Archæologia orientali, contra Scripturarum veracitatem moventur. Hic autem non libros duntaxat, ut Veith, Desdouits, Reusch, etc., sed viros quoque eruditos et in hac parte specialiter versatos viva voce consulendos existimavimus.

Scilicet ad opus tanti momenti diligentia summa adhibenda fuit. Quæ tamen diligentissima cura et opera non obstabit, quominus multa in hoc nostro *Cursu* desiderentur; at vero dummodo insit

utilitas quamvis exigua, sufficiens nobis operæ pretium erit : eo magis quod sperare liceat, fore ut manus peritior huic tentamini nostro afferat perfectionem.

Hoc demum addendum : si quid in ea quæ scripsimus irrepserit quod cum sana doctrina minus consonet, id omnino delendum volumus, et juxta Ecclesiæ mentem, quæ norma est omnis veritatis, emendandum.

CURSUS
SCRIPTURÆ SACRÆ

INTRODUCTIO

§ 1. *Excellentia et objectum hujus cursus.* — § 2. *Liber Scripturarum.* — § 3. *Ejus proprietates.* — § 4. *Reverentia S. Scripturæ debita.*— § 5. *Studii Scripturarum præstantia.* — § 6. *Ejusdem necessitas.*— § 7. *Dispositiones ad illud requisitæ.* — § 8. *Hujus operis scopus, œconomia et divisio.*

§ 1. Excellentia et objectum hujus cursus.

Quicumque sacræ Scripturæ cursum rite vult exordiri, necesse est ut imprimis ejusdem excellentiam consideret, nec non dispositiones animi ad bonum successum requisitas.

Excellentia hujus cursus intelligitur ex ejusdem objecto, quod aliud non est quam sacra Scriptura ejusque studium. Ipse Scripturæ liber objectum est materiale ; Scripturæ studium, objectum formale. In hunc enim finem præcipue cursus dirigitur, ut ad studium Scripturarum discipulus informetur : seu, ut studium Scripturæ sacræ rite et cum fructu instituere discat.

§ 2. Liber Scripturarum.

Ad librum Scripturarum seu *sacra Biblia* quod attinet, hic merito liber sacerdotis primarius vocatur.

Q. *Cur autem Scriptura sacra est liber sacerdotis primarius ?* — R. Quia hunc præ cæteris libris magni facere, magnoque cordis affectu amare, et assiduo studio frequentare debet sacerdos. Est enim 1° thesaurus, ex quo bona omnia sanctitatis et doctrinæ fidelibus dispensanda sacerdos hauriat oportet, secundum illud : *Omnis scriba doctus in regno cœlorum, similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo nova et vetera* (Matth. XIII, 52). — 2° Est liber, si in se spectetur, omnium præstantissimus, sive auctorem, sive materiam, sive elocutionis rationem et modum respicias ; ita ut merito antono-

mastice *Biblia*, id est, *Liber* per excellentiam nominetur. Quod quidem clarius patebit, si ejus proprietates distinctius considerentur.

§ 3. Libri Scripturarum proprietates.

Q. *Quænam sunt Scripturæ sacræ proprietates ac dotes?* — R. Ad quatuor possunt reduci, quæ sunt : dignitas, profunditas, utilitas et jucunditas.

1° Dignitas Scripturæ summa est, ratione Auctoris, qui non est alius quam Deus, ipsa Veritas et Sapientia æterna. *Quid est Scriptura sacra*, ait S. Gregorius Magnus, *nisi quædam epistola omnipotentis Dei ad creaturam suam* (1). — Antea dixerat S. Augustinus : *De illa civitate unde peregrinamur*, *litteræ nobis venerunt : ipsæ sunt Scripturæ, quæ nos hortantur ut bene vivamus* (2).

2° Profunditas Scripturæ propria est ratione sententiarum, quæ tales sunt, quales ab ipsa Sapientia loquente exspectari possunt : nempe velut abyssi veritatis ac luminis, quas intelligentia humana usque ad finem sæculorum, altius semper atque altius perscrutari poterit, exhaurire nunquam. — Ad profunditatem referenda est obscuritas quædam in sacris Litteris summæ claritati admixta : hæc velut nubes est, qua Dei majestas et lux oculis nostris infirmioribus obtegitur.

3° Utilitas Scripturarum quamlibet alterius libri utilitatem transcendit ratione materiæ, quæ tota ad hominis bonum et perfectionem pertinet, sive pro hac vita, sive pro vita futura.

4° Singularis jucunditas in Scripturis invenitur, ratione veritatis et unctionis, imo ratione ipsius formæ litterariæ. — Veritatem enim continet hic Liber purissimam, absque ulla erroris admixtione ; veritatem pretiosam, qua homo ad veram felicitatem ducitur ; veritatem delectabilem, quæ nempe res maxime reconditas, mundi hominisque historiam antiquissimam, imo mundi hominisque fata futura reserat. Quæ quidem veritas eo magis mentem delectat, quod cum unctione quadam suavissima sit conjuncta.

Insuper ipsa litteraria forma jucunditatem habet maximam, non tantum ob eloquentiæ magnificentiam ; sed etiam ob antiquitatem ac varietatem mirabilem. Continet enim Scripturarum volumen libros septuaginta duos, scriptos ab auctoribus quadraginta, spatio mille sexcentorum annorum invicem succedentibus : qui sic scribunt, ut homines populosque antiquissimi temporis agentes et loquentes nobis exhibeant, nosque præteritis sæculis velut coævos faciant ; atque ita Scri-

(1) Lib. 4 *epist.* 84.
(2) Serm. 2 in Psalm. 90

plurarum opus per decursum sæculorum continuant, ut unus manifeste appareat esse Auctor principalis, Spiritus sanctus, qui per tot homines, ad dissita diversissimaque tempora pertinentes, eamdem veritatem loquitur, idem divino prorsus modo persequitur consilium.

Merito itaque Cornelius A Lapide (1) eam esse affirmat Scripturæ dignitatem, utilitatem, majestatem, ut omnes Philosophorum et Theologorum, tam hebræorum quam græcorum et latinorum libros tantum superet, quantum divina sapientia omnem humanam transcendit. Sacra Scriptura enim est, inquit, verbum Dei, ipsa Dei loquela et vox : qua scilicet Deus suam sapientiam nobis enuntiat, viamque ad virtutem, salutem et felicitatem æternam demonstrat... est ergo ars artium, scientia scientiarum ; ipsa est pandora et encyclopædia sapientiæ.

§ 4. Reverentia S. Scripturæ debita.

Hinc honor et reverentia illa, qua omni tempore Scripturæ codices in Ecclesia sunt habiti. Veteres Episcopi sacra Biblia in sanctuario servabant, a sinistro latere altaris, cum a dextro servarent S. Eucharistiam, ut S. Paulinus de se ipso tradit (2). — Synodi Nicænæ ambæ, nec non Chalcedonensis et Ephesina, Evangeliorum librum in medio concilio statuebant, ut ad illum Patres, quasi ad personam Christi aspicerent ; quem usum Ecclesia deinceps in suis conciliis servavit. — Cum Evangelium legitur, inquit S. Clemens (3), omnes presbyteri, diaconi et laici assurgant cum magno silentio. — S. Carolus Borromæus quotidie sacram Scripturam flexis genibus legebat et nudo capite. — Constantinus Magnus dono misit S. Nicolao, Myræensi Episcopo, Evangeliorum codicem, auro gemmisque ornatum. Similiter Romanus Pontifex Nicolaus I, ad regem Bulgarorum Bocchorin munera pretiosa mittens, primo loco ut omnium pretiosissimum obtulit codicem Scripturarum.

§ 5. Studii Scripturarum præstantia.

Q. 1. *Quare studium sacræ Scripturæ omnibus sacerdotibus quam maxime cordi esse debet ?* — Resp. 1° Quia præstantissimum illud studium est, ratione objecti præstantissimi, quod est verbum Dei, sacris Litteris exaratum. — 2° Quia sacra Scriptura præcipuum est Theologiæ fundamentum. — 3° Quia fons est uberrimus eloquentiæ sacræ. — 4° Quia maxime ab Ecclesia commendatur. — 5° Quia demum ministris sacris est prorsus necessarium.

(1) *Procem. in Evangelia.*
(2) Epist. 32 *ad Severum*, apud Corn. A Lapide, tom. I. *Procemium, encom. S. Scripturæ.*
(3) *Constitut. apostol.* l. 2, c. 61.

Q. 2. *Quanti semper sacræ Scripturæ studium fecerunt Apostoli, SS. Patres, adeoque ipsa Ecclesia?* — R. Maximi, ut exemplis patet et verbis.

Etenim 1° S. Paulus ad Timotheum scribit : *Ab infantia sacras litteras nosti, quæ te possunt instruere ad salutem, per fidem quæ est in Christo Jesu. Omnis scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum ad erudiendum in justitia : ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus.* II. Tim. III, 15 seq.

2° Ideo SS. Patres, inde ab Apostolorum ævo, sacras Scripturas assidue et unice pervolvebant ac meditabantur ; ut ex eorum scriptis manifestum est.

3° Ideo iidem Patres Scripturarum studium tantopere commendant. *Scripturam sacram*, inquit Hieronymus, *diu noctuque sic mente revolvas, ut tenenti codicem somnus obrepat, et cadentem faciem pagina sancta suscipiat* (1). Et Nepotiano (2) scribens : *Divinas*, ait, *Scripturas sæpius lege, imo nunquam de manibus tuis sacra lectio deponatur. Disce quod doceas : obtine eum qui secundum doctrinam est fidelem sermonem.* — *Sint castæ deliciæ meæ Scripturæ tuæ, Domine*, exclamat S. Augustinus ; *nec fallar in eis, nec fallam ex eis.... Largire spatium meditationibus nostris in abdita legis tuæ, nec adversus pulsantes claudas eam. Nec enim frustra scribi voluisti tot paginarum opaca secreta* (3).

Similiter S. Joannes Chrysostomus, in Scripturarum laudibus exultans (4) : *Velut in prato*, ait, *multos et varios video lectionis flores, amplum rosarium, multas violas, nec pauciora lilia ; sed et varium ubique ac copiosum spiritus fructum et multam odoris suavitatem. Imo non tantummodo pratum, sed paradisus est divinarum lectio Scripturarum ; non enim nudam solum fragrantiam habent ejus flores, sed et fructum qui animam nutrire possit.*

4° Ideo Concilium Tridentinum monet, cavendum esse, *ne cœlestis ille sacrorum librorum thesaurus, quem Spiritus sanctus summa liberalitate hominibus tradidit, neglectus jaceat* (5).

5° Ideo demum Scripturæ sacræ studium ac lectionem præscribunt passim statuta diœcesana. In Leodiensibus, ex. gr. dicitur : *Quotidianam lectionem unius capitis, tum ex vetere, tum ex novo Testamento, omnibus clericis, et iis maxime qui sacro ministerio funguntur, impensius commendamus* (6).

(1) *Epist. ad Eustoch.*
(2) *Epist.* 34.
(3) *Confess.* lib. 11, cap. 2.
(4) *Ad popul. Antioch.* homil. I. — Cf. item S. Chrysost. homilia *De utilitate lectionis Scripturarum.* Opp. tom. 3.
(5) Sess. 5, cap. I, *de reform.*
(6) *Statuta Leod.* cap. 2, art. 2, n. 11.

§ 6. Studii Scripturarum necessitas.

Hinc consequenter intelligitur ejusdem studii Scripturarum necessitas, præsertim respectu sacri ministerii. S. Augustinus totam fere oratoris sacri vim Scripturarum scientiæ tribuit. In opere enim *De doctrina christiana* hæc scribit : *Sapienter dicit homo tanto magis vel minus, quanto in Scripturis sanctis magis minusve profecit* (1). — *Qui ad veræ prædicationis verba se præparat,* inquit S. Gregorius (2), *necesse est, ut eorum origines a sacris paginis sumat ; ut omne quod loquitur ad divinæ auctoritatis fundamentum revocet, atque in eo ædificium locutionis suæ firmet.*

Idem S. Gregorius, de vectibus loquens quibus Arca fœderis portabatur, iis figurari ait Evangelii præcones. Erant autem vectes confecti ex ligno setim, auroque vestiti, et inserti in annulis aureis quatuor, ad quatuor Arcæ angulos adjunctis. Id autem, juxta S. Doctorem, sacræ prædicationis munus mystice declarat. *Quid per Arcam,* inquit, *nisi sancta Ecclesia figuratur? Cui quatuor circuli aurei per quatuor angulos jubentur adjungi : quia in eo quod per quatuor mundi partes dilatata tenditur, procul dubio quatuor sancti Evangelii libris accincta prædicatur. Vectesque de lignis setim fiunt, qui eisdem ad portandum circulis inseruntur : quia fortes perseverantesque doctores, velut imputribilia ligna quærendi sunt, qu instructioni sacrorum voluminum semper inhærentes, sanctæ Ecclesiæ unitatem denuntient , et quasi intromissam circulis Arcam portent. Vectibus quippe Arcam portare, est bonis doctoribus sanctam Ecclesiam, ac rudes fidelium mentes prædicando deducere. Qui auro quoque jubentur operiri, ut dum sermone aliis insonant, ipsi etiam vitæ splendore fulgescant. De quibus apte subjungitur : Qui semper erunt in circulis, nec unquam extrahentur ab eis : quia nimirum necesse est, ut qui ad officium prædicationis excubant, a sacræ lectionis studio non recedant* (3).

Sancti Dominici, ordinis Prædicatorum fundatoris, hoc erat axioma : *Sine sacra Scriptura perfectus prædicator esse non potest* (4).

Sancta Teresia a Christo didicit, omnem Ecclesiæ noxam, omnia mundi damna ex hoc fonte manare, quod mortales clara solidaque cognitione, et seria consideratione non penetrent veritates Scripturarum (5).

(1) *De doctr. christ.* lib. 4, cap. 5.
(2) *In Job*, XXVIII, 1.
(3) *Lib. pastoralis curæ*, part. 2, cap. XI, in Exod. XXV, 26 seq.
(4) Conferre juvabit, *Adjumenta oratoris sacri*, ab initio, *De principiis prædicationis Evangelicæ*, quæst. 2, § 2.
(5) Ejus vita, cap. 40.

§ 7. Dispositiones requisitæ.

Q. *Quænam animi dispositiones requiruntur ad cursus hujus, omnisque generatim studii Scripturæ sacræ successum ?* — R. (1) Quatuor præcipuæ : Vivida fides, humilitas, pietas et bona vita.

1° Fides : hæc enim lux est quæ mentem illuminat, et, si vivida fuerit, ad divina eloquia intelligenda mire adjuvat. Recte dicebat S. Anselmus : *Credo ut intelligam* (2).

2° Humilitas. Scriptum est enim : *Declaratio sermonum tuorum illuminat, et intellectum dat parvulis*, id est, humilibus (Ps. CXVIII). — *Non aliam*, inquit Augustinus, *ad capessendam et obtinendam veritatem, et sacram sapientiam, viam munias, quam quæ munita est ab eo, qui gressuum nostrorum, tanquam Deus, videt infirmitatem. Ea est autem prima humilitas, secunda humilitas, tertia humilitas ; et quoties interrogares, hoc idem dicerem.* Epist. 56 ad Diosc.

3° Pietas, ad quam tria spectant : animi puritas, intentio recta, et oratio. *Omne enim datum optimum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum.* Jac. I, 17.

4° Bona vita, in hoc consistens, ut quæ sacra Scriptura docet, diligenter in praxim deducere conemur. *Qui vult plene et sapide Christi verba intelligere, oportet ut totam vitam suam illi studeat conformare ; et qui spiritum Christi haberet, absconditum ibi manna inveniret* (3).

§ 8. Hujus operis scopus, œconomia et divisio.

Finis harum institutionum, supra jam indicatus, non tantum est, ut candidati Sanctuarii essentialem quamdam sacræ Scripturæ notitiam acquirant ; verum etiam, ut idonei fiant ad studium sacrarum Litterarum deinceps, reliquo vitæ tempore, rite, cum fructu et cum jucunditate per semetipsos prosequendum : *Habentes solatio sanctos libros* (I Machab. XII, 9). — Quapropter opus istud ita comparatum est, ut pleniori ac solidæ Scripturarum scientiæ postmodum superstruendæ, fundamentum ponat, adeoque fundamentalem Scripturæ sacræ cursum constituat.

Cursus autem hujusmodi duas complectitur partes : quarum una *theoretica*, notiones varias et præcepta continet, quæ *prolegomena* vocantur ; altera *practica* explicationes exhibet, quibus vel Scripturarum difficultates polemice solvuntur, vel quædam selecta loca exegetice exponuntur. Hinc :

Pars I. *Prolegomena.*
Pars II. *Explicationes.*

(1) Cf. infra, cap. 2, art. 4, *De lectione Scripturarum.*
(2) *Cur Deus homo*, cap. 2.
(3) *De imit. Christi*, lib. I, c. 1.

CURSUS SCRIPTURÆ SACRÆ

PARS PRIMA

PROLEGOMENA

IN SACRAM SCRIPTURAM

Prolegomena (1) quæ ad sacræ Scripturæ studium viam sternunt, ad duo referuntur : ad genuinam sacrorum librorum notitiam, et ad eorumdem intelligentiam consequendam. Posterior hæc pars, quæ de regulis agit interpretandi textus sacri, *Hermeneutica* vocari solet. Hinc duo capita :

Caput I. *De sacræ Scripturæ libris.*

Caput II. *De sacræ Scripturæ interpretatione.*

CAPUT PRIMUM.

De sacræ Scripturæ libris.

Ad sacrorum librorum notitiam pertinent generatim quæstiones duæ : nimirum 1° *quinam* dicantur Scripturæ libri, et 2° *quales* illi sint. — Quæstio prior volumina respicit quæ nomine Scripturarum possidemus, eaque considerat in se, materialiter ac mere bibliographice, præscindendo ab eorum auctoritate aut excellentia. — Quæstio altera eosdem libros veluti formaliter spectat, deque eorum authenticitate atque omnimoda auctoritate, sive humana sive divina, inquirit. — Hinc articuli duo :

Articulus I. *De libris biblicis in se spectatis.*
Articulus II. *De librorum biblicorum auctoritate.*

(1) Cfr. Bonfrerius, *Præloquia in S. Scripturam* ; — Menochius, *Prolegomena* ; — Illustr. Bracq, item *Prolegomena in S. Script.* ; — Rannolder, *Hermeneuticæ biblicæ principia* ; — Wilke, *Biblische Hermeneutik* ; — Janssens, *Hermeneutica sacra* ;—Clar. Lamy, Lovan. Profess., *Intro-*

ARTICULUS I.

DE LIBRIS BIBLICIS IN SE SPECTATIS.

§ 1. Notiones generales.

QUÆSTIONES.

1° *Quot sunt libri biblici et quonam ordine recensentur?* — 2° *Quomodo libri biblici varie dividuntur?* — 3° *Quot et quinam libri sunt protocanonici, et quinam deuterocanonici?* — 4° *A quibusnam auctoribus et quo tempore libri biblici editi sunt?* — 5° *Quo idiomate?* — 6° *Quo genere sermonis, metrico an prosaico?*

QUÆSTIO 1.

Quot sunt libri biblici, et quonam ordine recensentur.

Resp. Libri biblici, quorum collectio *Biblia*, ut aiunt, seu *Scripturam* constituit, recensentur a Concilio Tridentino septuaginta duo. Indicem enim canonicum sancta Synodus, Sessione IV, decreto de canonicis Scripturis subjunxit, his verbis : *Sacrosancta œcumenica et generalis Tridentina Synodus in Spiritu sancto legitime congregata... sacrorum librorum indicem huic decreto adscribendum censuit ; ne cui dubitatio suboriri possit, quinam sint qui ab ipsa Synodo suscipiuntur. Sunt vero infra scripti :*

TESTAMENTI VETERIS,

Quinque Moysis (Pentateuchus), *id est* : { *Genesis*, *Exodus*, *Leviticus*, *Numeri*, *Deuteronomium* ;

Josue,
Judicum,
Ruth,
Quatuor Regum,
Duo Paralipemenon,
Esdræ primus, — *et secundus*, *qui dicitur Nehemias* ;
Tobias,
Judith,
Esther,
Job,
Psalterium Davidicum centum quinquaginta psalmorum,
Parabolæ (id est Proverbia),

ductio in S. Script. ; — Glaire, *Introduction historique et critique aux livres de l'ancien et du nouveau Testament* ; — Bern. Lamy, Congregat. Orat., *Apparatus biblicus*, sive manuductio ad S. Scripturam ; — Patrizi, S. J., *De interpretatione Scripturarum sacrarum* ; etc.

Ecclesiastes,
Canticum Canticorum,
Sapientia,
Ecclesiasticus ;
(Quatuor prophetæ majores).
Isaias,
Jeremias cum Baruch,
Ezechiel,
Daniel ;
Duodecim prophetæ minores, id est :

Osea,	*Jonas,*	*Sophonias,*
Joel,	*Michæas,*	*Aggæus,*
Amos,	*Nahum,*	*Zacharias,*
Abdias,	*Habacuc,*	*Malachias ;*

Duo Machabæorum, primus et secundus.

TESTAMENTI NOVI,

Quatuor Evangelia, secundum { *Matthæum, Marcum, Lucam, et Joannem ;*
Actus Apostolorum, a Luca Evangelista conscripti ;
Quatuordecim Epistolæ Pauli Apostoli :

ad Romanos,	*duæ ad Thessalonicenses,*
duæ ad Corinthios,	*duæ ad Timotheum,*
ad Galatas,	*ad Titum,*
ad Ephesios,	*ad Philemonem,*
ad Philippenses,	*ad Hebræos ;*
ad Colossenses,	

Petri Apostoli duæ,
Joannis Apostoli tres,
Jacobi Apostoli una,
Judæ Apostoli una,
et Apocalypsis Joannis Apostoli.

QUÆSTIO 2.

Quomodo libri biblici varie dividuntur ?

Resp. (1) Dividuntur 1° ratione temporis, 2° ratione materiæ, 3° ratione auctoritatis.

1° Ratione temporis dividuntur in libros veteris, et in libros novi Testamenti.

2° Ratione materiæ, Judæi olim sacra volumina distinguebant in *legem* seu libros Moysis, *prophetas* et *psalmos* ; vel

(1) Cfr. *Elementa Theol. dogm.* tract. 2, *de Religione christ.* n. 191, seqq.

etiam in *legem*, *prophetas* et *hagiographa* (1). — Nos autem distinguimus libros *legales*, *historicos*, *morales* seu *sapientiales* et *propheticos*.

Hac ratione spectati Scripturæ libri, sequenti ordine distribuuntur :

VETERIS TESTAMENTI, -1) libri *legales* : Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium.

-2) Libri *historici* : Josue, Judicum, Ruth, — quatuor libri Regum, duo Paralipomenon, duo Esdræ, — Tobias, Judith, Esther, Job, — et duo Machabæorum libri, qui velut appendix sunt ad libros historicos.

-3) Libri *morales* : Psalmi. — Proverbia, Ecclesiastes, Canticum Canticorum, liber Sapientiæ, Ecclesiasticus.

-4) Libri *prophetici* : Isaias, Jeremias, Baruch, Ezechiel, Daniel ;— Osee, Joel, Amos, Abdias, Jonas, Michæas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias.

NOVI TESTAMENTI, -1) libri *legales* : Evangelia quatuor.

-2) Liber *historicus*, Actus Apostolorum.

-3) Libri *morales* : Epistolæ quatuordecim B. Pauli, nimirum : Epistola ad Romanos, prima et secunda ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses, prima et secunda ad Thessalonicenses, prima et secunda ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebræos ; — deinde Epistola B. Jacobi, duæ B. Petri, tres B. Joannis, una B. Judæ.

-4) Liber *propheticus*, Apocalypsis B Joannis.

3° Ratione auctoritatis, libri biblici dividuntur in canonicos et apocryphos. — Libri *canonici*, qui soli proprie Scripturam constituunt, dicuntur illi, qui non tantum in se divini sunt, seu Deo inspirante conscripti ; verum etiam quoad nos ut tales innotescunt, ideoque in divinarum Scripturarum *canone* ab Ecclesia recensentur. — Libri *apocryphi* hic (2) intelliguntur illi, qui non positive quidem ab Ecclesia sunt reprobati ; sed qui saltem auctoritatis sunt dubiæ vel obscuræ, et negative e canone exclusi : ideoque licet in Bibliorum volumine nonnunquam permissi, tamen a reliquis libris distincti, vel ad calcem rejecti conspiciuntur. Hujusmodi sunt : *Oratio Manassæ*, *liber III et IV Esdræ*, *prologus Ecclesiastici*, *præfatiuncula Threnorum*, *liber III et IV Machabæorum*. His addi possunt *Epistola S. Barnabæ* adscripta, nec non *Pastor* Hermæ, quæ a nonnullis olim habita tanquam hagiographa, nunquam tamen in Ecclesiæ canonem fuerunt relata.

(1) S. Hieron. in *Prologo galeato*.

(2) Altera datur classis *apocryphorum*, eos continens libros, qui vel a rabbinis, vel ab hæreticis conscripti, et pro inspiratis evulgati, erroribus abundant : cujusmodi sunt *Psalmi Adami et Evæ*, *Evangelium Matthiæ*, *Petri*, *duodecim Apostolorum*, etc.

Libri *canonici*, de quibus solis agendum erit, subdividuntur in *protocanonicos* et *deuterocanonicos*; seu in canonicos primi et secundi ordinis : non quod auctoritate differant, quæ utrisque prorsus inest eadem ; sed quia priores semper recepti fuerunt ut canonici, posteriores vero aliquando controversiæ subjecti, et non nisi lapsu temporis manifeste sunt in canonem relati (1).

QUÆSTIO 3.

Quot et quinam sunt libri deuterocanonici, tum veteris, tum novi Testamenti?

Resp. In utroque Testamento numerantur libri deuterocanonici septem, cum quibusdam fragmentis. Nimirum, in vetere Testamento : *Tobias*, *Judith*, *Sapientia*, *Ecclesiasticus*, *Baruch*, *Machabæorum I et II*. Deinde liber *Esther quoad septem postrema capita*, id est, X, 4 — XVI, 24 ; item *Danielis* III, 24-90, nec non XIII et XIV : nempe *hymnus trium puerorum*, *historia Susannæ et historiæ draconis*. In novo Testamento : *Apocalypsis* cum Epistolis sex, nempe, *ad Hebræos*, *Jacobi*, *II Petri*, *II et III Joannis*, *Judæ*. Deinde hæc fragmenta : *finis Evangelii Marci*, cap. XVI, 9-20 ; *Lucæ* XXII, 43 et 44, id est, *historia sudoris sanguinei, et angeli Christo apparentis in horto* ; *Joannis* VIII, 2-12, seu *historia de muliere adultera*.

QUÆSTIO 4.

A quibusnam auctoribus, et quo tempore libri biblici conscripti sunt?

Resp. Quæstio hæc non est de Auctore primario Scripturarum, quem constat (2) esse Deum, seu Spiritum sanctum, *qui locutus est per prophetas*; sed de auctoribus secundariis, Dei instrumentis, hominibus nempe, quos scriptores sacros, hagiographos vel prophetas vocare consuevimus. Porro auctores hujusmodi enumerantur circiter quadraginta , qui a Moyse usque ad Apostolos Christi, spatio sexdecim sæculorum, certis intervallis succedentes, librorum sacrorum seriem conscripserunt.

Ex illis autem auctoribus plerique certi sunt, quidam vero probabiles tantum, aut etiam plane incerti.

Certi dicuntur, et quidem certitudine fidei, 1° illi scriptores, qui ab ipsa Scriptura, sive initio sive in decursu libri, indicantur. Exempli gratia : *Visio Isaiæ, filii Amos*... (Isai. I, 1). — *In diebus illis, ego Daniel lugebam trium hebdomradarum diebus*... (Dan. X , 2). — 2° Eadem certitudine certi sunt, quos indubia Ecclesiæ traditio tanquam auctores certorum

(1) Vid. infra, Art. 2, § 3, *de auctoritate divina Scripturæ*, quæst. 6.
(2) Demonstrationem vid. infra, ibid. quæst. 3.

librorum designat. Hujusmodi sunt quatuor Evangelistæ, Matthæus, Marcus, Lucas et Joannes, quibus Evangelia singula certissima traditione adscribuntur. Item, auctor Actuum Apostolorum, quem Lucam esse nemo in Ecclesia dubitat. Tales quoque alii multi scriptores utriusque Testamenti, ut ex sequentibus patebit.

Auctores certos habent, 1° omnes libri novi Testamenti ; 2° ex vetere similiter, libri legales, omnesque prophetici ; item sapientiales, excepto libro Sapientiæ ; ex historicis vero, tantum duo libri Esdræ.

Auctores probabiles habent : liber Josue, primus Regum (si excipiantur septem ultima capita), Tobias, Judith, Esther et liber Job.

Auctores incertos habent : liber Judicum, Ruth, libri Regum (dempto primo, maxima ex parte), libri Paralipomenon, libri Machabæorum , et liber Sapientiæ.

Quæ ut clarius pateant , tabulam synopticam subjicimus auctorum omnium, tum V. tum N. Testamenti, addito aliquatenus loco et tempore scriptionis. — Qui non omnino certi sunt scriptores, sed tantum probabiles, litteris *italicis* notantur ; incerti vero, quique tantum exiguo fundamento statuuntur, afficiuntur insuper signo (?).

Tabula chronologica

SCRIPTORUM VETERIS ET NOVI TESTAMENTI.

LIBRI.	SCRIPTORES.	LOCUS ET TEMPUS (1).
Pentateuchus (2) .	Moyses	in deserto, ab anno circiter 1490 usque ad annum 1450 ante Christ.
Josue (3)	*Josue*.	in terra Chanaan, ubi mortuus est anno circiter . . . . 1442 A. C.
Judicum	*Samuel (?)* . . .	 1100
Ruth	*Samuel (?)* . . .	 1100
I Regum (4) . . .	*Samuel*	in Ramatha 1060
II Regum (5) . . .	*Nathan et Gad videntes (?)*. . .	 1030
III et IV Regum. .	*Jeremias vel Esdras (?)* . . .	. . . . 590 vel 460
I et II Paralip . .	*Esdras (?)* . . .	 460
I Esdræ	Esdras	 460
II Esdræ	Nehemias . . .	 440
Tobias.	*uterque Tobias* .	 630
Judith	*Joachim pontifex*.	 650
Esther	*Mardochæus* . .	in Susan, tempore Darii Hystaspis 480
Job (6).	*Job*	in terra Hus. 1600
Psalterium . . .	David, saltem quoad maximam partem.	. . . . 1060—1010
Proverbia	Salomon. . . .	. . . . . . 1010—980
Ecclesiastes . . .	Salomon. . . .	
Canticum Canticor.	Salomon. . . .	
Sapientia	*unus ex LXX interpretibus (?)* . .	 270
Ecclesiasticus . .	Jesus, filius Sirach senioris (7) . .	 280
Isaias	Isaias	. . . . 770—710
Jeremias	Jeremias . . .	. . . . 625—584
Baruch.	Baruch	in Judæa, tempore quo ceperunt Chaldæi Jerusalem . . . 584
Ezechiel	Ezechiel . . .	Babylone, tempore captivitatis 590—570
Daniel	Daniel	Babylone . . . . . 580—540

(1) Respectu librorum V. T., ubi major est obscuritas chronologica, annorum numerus in hoc indice admissus, non tam definitum tempus, quam probabilem quamdam epocham ut plurimum repræsentat.

(2) Excipe caput ultimum Deuteronomii, quod Moyse mortuo, ad totius Peutatenchi complementum, a Josue additum fuisse, eruditi passim existimant.

(3) Exceptis ultimi capitis versibus quinque postremis, qui manu alterius hagiographi, forte Samuelis, suppleti sunt.

(4) Capita I-XXIV.

(5) Cui jungenda capp. XXV-XXXI libri primi.

(6) Excepto ultimo versiculo.

(7) Avus alterius Jesu, filii Sirach, seu Siracidis.

LIBRI.	SCRIPTORES.	LOCUS ET TEMPUS.		
Osee	Osee			
Joel	Joel			
Amos	Amos	eodem tempore cum Isaia (1) .		770—710
Abdias.	Abdias			
Jonas	*Jonas* (2). . . .			
Michæas	Michæas. . . .	paulo posterior		750—600
Nahum.	Nahum	tempore Josiæ regis		630
Habacuc	Habacuc. . . .	tempore Manassis		690
Sophonias. . . .	Sophonias . . .	tempore Josiæ		630
Aggæus	Aggæus	Jerosolymæ, post captivitatem . .		516
Zacharias	Zacharias . . .	ibidem, eodem tempore . . .		516
Malachias. . . .	Malachias . . .	ibidem, reædificato jam templo. .		470
I Machabæor. . .	*hagiographus ignotus* . . .	tempore pontificatus Joan. Hircani .		120
II Machabæor . .	*item ignotus, sed diversus a præcedente* . . .	vel Alexandri Jannæi		100
Evang. sec. Matth .	Matthæus . . .	in Judæa, anno circ.	8 ab Ascens. Christi,	42 æræ vulg.
Ev. sec. Marc . .	Marcus	Romæ . .	12 . .	46
Ev. sec. Luc. . .	Lucas.	in Achaia .	20 . .	54
Ev. sec. Joann . .	Joannes	in Asia . .	65 . .	99
Actus Apost . . .	Lucas	*Romæ* . .	27 . .	61
Epist. ad. Rom . .	Paulus	Corinthi. .	24 . .	58
I ad Corinth . . .	Paulus	Ephesi . .	22 . .	56
II ad Cor	Paulus	*Nicopoli in Epiro*	23 . .	57
ad Gal.	Paulus	*Ephesi* . .	21 . .	55
ad Ephes	Paulus	Romæ in vinculis (3)	28 . .	62
ad Philipp . . .	Paulus	Romæ in vinculis	27 . .	61
ad Coloss. . . .	Paulus	Romæ in vinculis	27 . .	61
I ad Thess . . .	Paulus	*Corinthi* .	19 . .	53
II ad Thess . . .	Paulus	Corinthi. .	20 . .	54
I ad Tim	Paulus	*in Macedonia*.	23 . .	57
II ad Tim. . . .	Paulus	Romæ in vinculis	33 . .	67
ad Titum	Paulus	*in Illyrico* .	23 . .	57
ad Philem. . . .	Paulus	Romæ in vinculis	27 . .	61
ad Hebræos . . .	Paulus	Romæ in vinculus	28 . .	62
Epist B. Jacobi . .	Jacobus (4). . .	Jerosolymæ .	27 . .	61
I Petri	Petrus	Romæ . .	29 . .	63
II Petri	Petrus	Romæ . .	33 . .	67
I Joannis	Joannes. . . .	Ephesi . .	65 . .	99
II Joannis. . . .	Joannes	Ephesi . .	66 . .	100
III Joannis . . .	Joannes. . . .	Ephesi . .	66 . .	100
Epist. B. Judæ . .	Judas (Thaddæus)	. . . .	36 . .	70
Apocalypsis . . .	Joannes	in insula Pathmos	65 . .	97

(1) S. Hieronymus, initio commentariorum in Osee prophetam, hos omnes, Osee, Isaiam, Joelem, Amos, Abdiam, Jonam, coævos facit.

(2) Licet non omnino constet, longe tamen probabilius est, Jonam prophetam esse libri hujus nominis auctorem, ut ostendit Glaire, *Introduction*.

(3) Paulus primum mansit Romæ in vinculis biennio, annis æræ vulg. 61, 62. Postea iterum Romam captivus delatus est, ex qua captivitate exiit ad martyrium, una cum B. Petro, anno quarto decimo Neronis, æræ vulg. 67. — (4) Qui dicitur *Minor*, Jerosolymæ Episcopus.

QUÆSTIO 5.

Quo idiomate libri sacri primum fuere conscripti?

Resp. (1) Id in universum dici potest, totam fere Scripturam sacram duabus linguis primum conscriptam fuisse, hebræa et græca. — Vetus scilicet Testamentum, quod fuit datum soli Hebræorum populo, fere ad integrum hebraice scriptum est; novum vero, quod omnibus gentibus est concessum, græca lingua prodiit, cujus, Apostolorum temporibus, tum apud Judæos, tum apud Romanos aliosque populos, magnus erat usus. — Erat scilicet lingua græca velut lingua *Gentium*, hebræa vero lingua *Judæorum* (2).

Ut autem de singulis partibus in particulari dicamus,

1° *Libri veteris Testamenti* conscripti sunt *hebraice* omnes (3), si excipiantur sequentes: libri Tobiæ et Judith, pars libri I Esdræ (4), et pars magna Danielis (5), quæ *chaldaice*; — liber II Machabæorum, et liber Sapientiæ, qui exarati sunt *græce*.

Liber Baruch, etsi non amplius exstat hebraice, non tamen dubitandum est, quin fuerit hebraice vel saltem chaldaice editus. — Similiter liber Ecclesiastici et liber I Machabæorum, hebraice primum prodierunt, textumque hebraicum Hieronymus se vidisse testatur; hodie tamen non exstat nisi eorumdem versio græca.

2° *Libri novi Testamenti* conscripti sunt *græce* omnes, si excipiatur Evangelium S. Matthæi, quod exaratum est *hebraice* (6). — Evangelium Marci et Epistolam ad Romanos

(1) Cf. Bonfrerius, *Præloq.* cap. XII.

(2) Hanc Judæi ab Abrahamo patriarcha receptam, usque ad Christi tempora, si minus in usu vulgari, saltem in Scripturarum lectione conservarunt. — Utrum hebræa lingua fuerit primæva, quæ ex confusione Babelica emerserit integra, incerta res est et disputata. — Utrum *hebræi* nomen originem ducat ab *Heber*, Habrahami sextæ generationis progenitore, similiter controvertitur; probabilius autem negatur. Derivatum potius videtur a voce hebraica HEBER, id est, *regio transmarina* vel *transfluvialis*; unde HEBRA dicitur *homo trajiciens fretum* vel flumen: quod convenit ut patet Abrahamo, qui venit de Ur Chaldæorum in terram Chanaan, trajecto flumine Euphrate.

(3) Liber Esther exstat hebraice, exceptis additamentis, seu fragmentis deuterocanonicis, X, 4—XVI, quæ tantum in versione græca, alliisque inde derivatis versionibus inveniuntur.

(4) Nimirum I Esdræ IV, 8 — VI, 18; et VII, 12-26.

(5) Liber Danielis partim chaldaice, partim hebraice scriptus est: chaldaica sunt II, 4-49; III, 1-23, 91-100: IV-VII. — Hebraica sunt I — II, 3; VIII-XII. — Fragmenta autem deuterocanonica, *Oratio* scilicet *trium puerorum* (III, 24-90), *Historia Suzannæ*, nec non *Beli et draconis* (XIII-XIV), græce solummodo ad nos pervenerunt.

(6) Intellige, ut proprie dici solet, *aramaice*, id est, lingua *aramaica-palæstinensi*, quæ etiam *syro chaldaica* vocatur, eratque lingua vernacula Judæorum tempore Christi. — Textus primævus Matthæi intercidit: textus hebraicus qui modo exstat, non est nisi versio translationis græcæ, sicut textus nostræ Vulgatæ.

scripta fuisse latine quidam existimant, sed immerito; — Epistolam ad Hebræos primum prodiisse hebraice, opinio est, probabilitate quidem non carens, minus communiter tamen recepta.

QUÆSTIO 6.

Quo genere sermonis libri sacri compositi sunt, metrico an prosaico?

Resp. Omnes libri novi Testamenti, et plerique ex vetere, soluta oratione scripti sunt; — metrice ac poetice duntaxat sequentes: Job (1), Psalterium, Proverbia, Ecclesiastes et Canticum Canticorum; item Prophetæ omnes, si excipiantur Jonas, Daniel, Ezechielis pars, et aliorum quædam fragmenta historica (2).

§ 2. Notiones particulares.

QUÆSTIONES.

1° *Quænam particularius circa libros singulos, tum V. tum N. Testamenti, animadvertenda sunt et tenenda?* — 2° *Quo sensu inter se distinguuntur S. Scripturæ textus, versiones, codices et editiones?* — 3° *Quid dicendum de textu hebræo, ejusque codicibus et editionibus?* — 4° *Quid cognoscendum de textu græco, ejusque codicibus, lectionibus et editionibus?* — 5° *Quænam sunt præcipuæ SS. Bibliorum versiones hodie exstantes?* — 6° *Quænam est et quanti pretii versio LXX Interpretum?* — 7° *Quid dicendum de versionibus orientalibus reliquis, Samaritana, Chaldaica, etc.?* — 8° *Quid intelligitur nomine versionis* ITALÆ? — 9° *Quænam dicitur versio* HIERONYMIANA? — 10° *Quid tenendum de versione* VULGATA, *deque ejus correctoriis et editionibus?*

Resp. ad quæstionem primam. Par est ut teneantur sequentia, quæ notionem quamdam propriam continent de libris singulis (3).

De libro Genesis.

Primus Pentateuchi liber, hebraice BERESCHITH, seu *In principio* nuncupatur, nomine desumpto ex libri exordio, prout cæteris quoque libris Mosaicis contigit; græce vero Γένεσις, id est *Origo*, dicitur: eo quod originem seu creationem mundi, ac præsertim hominis enarret. Nam a cap. I usque ad VII, mundi hominisque creationem, primorum parentum lapsum et pœnam, propagationem hominum, eorumque multiplicia scelera exhibet; a cap. VII usque ad XII, fabricationem arcæ, diluvium, confusionem linguarum Babelicam, ac genealogiam

(1) Excepto Jobi prologo et epilogo.
(2) Cf. Lowth, *De sacra poesi Hebræorum.*
(3) Cf. Veith, *Scriptura sacra contra incredulos propugnata.*

filiorum Noe, a quibus gentes post diluvium ortæ sunt, recenset; a cap. XII usque ad L, seu ultimum, gesta primorum patriarcharum commemorat usque ad mortem Joseph. Unde Genesis spatium 2369 annorum complectitur : totidem enim a creatione hominis usque ad mortem patriarchæ Joseph, juxta computum textus Vulgatæ, effluxerunt.

Juxta communiorem et veriorem sententiam, Moyses tam Genesim quam cæteros pentateuchi libros scripsit post exitum Israelis ex Ægypto, et post acceptam Dei legem in monte Sinai; ita tamen, ut non omnia eodem tempore, imo ultimam partem ipso quadragesimo anno peregrinationis in deserto conscripserit.

Ad scopum quod spectat, Moyses nequaquam universalem mundi historiam scribere voluit; sed potius historiam veræ religionis et populi electi. Scilicet primo, et quasi priore parte, intendit historice exponere mundi, humani generis, veræque religionis a Deo Creatore originem; deinde, et velut altera parte, ejusdem religionis conservationem; seu, quomodo Deus per diluvium, posteaque per vocationem Abrahæ, religionis periclitantis conservationi providerit.

De libro Exodi. — Ἐξ ὁδος ex via

Liber *Exodi* capitibus XL narrat Hebræorum ab Ægyptiis oppressionem, duramque impositam servitutem; Moysis nativitatem et gesta, decemque plagas Ægypti; exitum populi Israel ex Ægypto et transitum per mare rubrum; continuationem itineris per desertum, legem datam in monte Sinai; denique fabricam Tabernaculi, et variam ejus supellectilem. *Exodus* itaque gesta complectitur annorum 145 (1), puta a morte patriarchæ Joseph, usque ad alterum annum ab egressu Hebræorum ex Ægypto.

De libro Levitico.

Leviticus nominatur tertius Moysis liber, quia pro tribu Levi scriptus est, et leges ad sacerdotes atque levitas pertinentes continet. Capitibus enim XXVII tractat de offerendis sacrificiis et hostiis, de sacerdotibus et levitis, de eorum ordine et ministerio, deque diebus festis celebrandis. — Porro generatim observandum, prout SS. Patres et doctores orthodoxi unanimiter tenent et docent, omnia illa sacrificia legis Mosaicæ figuram fuisse sanctissimi Sacrificii, quod Christus in cruce cruento modo obtulit, et quotidie in Missa offert incruente.

(1) Computum sequimur probabilius, quo censetur commoratio filiorum Israel in Ægypto fuisse 215 annorum. Cfr. infra, part. 2, sectio 1, *Difficultates libri Exodi.*

De libro Numerorum.

Quartus Moysis liber vocatur *Numeri*, propterea quod multus sit in variis dinumerationibus faciendis : exempli gratia, bellatorum Israel, primogenitorum, levitarum, etc. Continet tamen etiam multa alia, partim historica, partim præcepta cæremonialia, ac judicialia nonnulla. Complectitur capitibus XXXVI gesta annorum fere 39 : nempe a mense secundo anni secundi egressus Hebræorum ex Ægypto, usque ad finem pene vitæ Moysis, sive peregrinationis quadraginta annorum in deserto ; prout ex Num. I, 1, et Deut. I, 3, liquet.

De libro Deuteronomii.

Quintus Pentateuchi liber dicitur *Deuteronomium*, id est, *secunda lex*, quia est repetitio legis, in Exodo, Levitico et Numeris contentæ, et ejusdem inculcatio facta a Moyse, additis etiam aut explicatis legibus nonnullis. Promulgavit autem hanc secundam legem, seu Deuteronomium Moyses Israelitis, sub finem anni quadragesimi commorationis in deserto : paulo ante mortem suam, priusquam Jordane transmisso Chananæam terram Israelitæ sibi vindicarent. — Continet liber Deuteronomii capita XXXIV.

De libro Josue.

Narrantur in hoc libro, capitibus XXIV, transitus Jordanis, expugnatio civitatum Jericho et Hai, prodigiosa solis statio, Chananæi ab Israelitis debellati, illorumque terra occupata et inter duodecim tribus Israelitarum distributa. Itaque hic liber gesta complectitur ipsius Josue per annos septemdecim, quibus principatum gessit.

De libro Judicum.

Nomine *Judicum* liber iste inscribitur, quia gesta principum, qui *Judices* vocabantur, aliosque ejusdem temporis eventus continet. — Porro nomine *Judicum* intelliguntur duces a Deo tempore opportuno suscitati, ut Israeliticas tribus, non tam regerent quam ab hostibus liberarent ; quique numero tredecim, post mortem Josue usque ad Heli et Samuelem, spatio circiter 290 annorum, invicem successerunt.

Quæcumque autem narrantur, illud ostendunt, Israelis felicitatem ab ejus erga Deum fidelitate pendere. Quoties enim a Deo recedit, incidit in servitutem ; ubi vero ad Deum revertitur, recipit liberatorem.

Sunt qui non unum auctorem hujus libri esse putent, sed plures ; singulos enim judices, vel eorum scribas, ea quæ suis temporibus accidissent, in commentarios retulisse existimant.

Sed verisimilius est, Esdram, vel potius Samuelem, aut alium scriptorem sacrum, prædicta Judicum diaria et annales collegisse, et in hunc librum scribendo redegisse. — Continet liber Judicum capita XXI.

De libro Ruth.

Libellus iste, IV capita duntaxat continens, velut appendix est libri Judicum, et manuductio ad libros Regum. Signatur autem titulo *Ruth*, quia mulieris vocatæ nomine Ruth adversam primum, deinde prosperam fortunam exponit. Et licet etiam Booz et Noemi, ac aliorum gesta contineat ; quæ tamen refert de Ruth, plura sunt, mirabiliora, et mysteriorum plena.

Quidam hujus libri auctorem faciunt Ezechiam regem, alii Esdram, alii Samuelem ; quæ ultima opinio plures habet patronos, et verior videtur : tum quia Samuel sub hoc tempus vixit, tum quia ipse librum primum Regum conscripsit, ad quem, ut dictum est, liber Ruth viam sternit.

Scopus auctoris fuisse videtur ut ostenderet, quomodo David per Booz et Ruth ortum duceret de tribu Juda ; et quomodo divina Providentia proborum curam gerat.

De quatuor libris Regum.

Ex quatuor his libris priores duo ab Hebræis vocantur *liber primus et secundus Samuelis* : haud dubie, quia Samuel est libri primi auctor ; posteriores vero duo libri, qui a nobis nominantur *liber tertius et quartus Regum*, ab Hebræis vocantur *liber primus et secundus Regum.*

Tres posteriores ex his libris auctores habent incertos. Quod enim tribuuntur quandoque auctoribus certis, ut Nathan, Jeremiæ, etc., levi admodum nititur conjectura ; et alii multi fuerunt prophetæ vel sacerdotes sancti, a quibus gesta regum, eodem ordine quo sibi successerunt, conscribi potuerint.

Continent autem hi Regum libri historiam 554 annorum, ab Heli principatu usque ad captivitatem Babylonicam ; seu ab anno circiter 1160 usque ad annum 606 ante Christum. Cæterum synopsis horum quatuor librorum est sequens :

Liber primus, capitibus XXXI, describit vitam Heli Pontificis, virtutes et gesta Samuelis, electionem Saulis regis, gesta Davidis et Jonathæ.

Liber secundus, capitibus XXIV, recenset acta Davidis jam regnum adepti.

Liber tertius et quartus prosequuntur historias regum usque ad captivitatem Babylonicam : nimirum, a Salomone usque ad Sedeciam et Osee, illum Juda, hunc Israelis reges ultimos. Complectitur autem liber tertius capita XXII ; quartus vero, capita XXV.

Libri Regum exemplum exhibent continuum contumaciæ atque indocilitatis humanæ ex una parte, et longanimitatis Dei ex altera ; præcipue vero demonstrant, omne regnum, quod religione et justitia tanquam fundamento non innititur, labile esse et certam vergere in ruinam.

De duobus libris Paralipomenon.

Geminos *Paralipomenon* libros, quos olim conjungebant in unum, Hebræi inscribunt Dibre haiamim, id est, *Verba dierum* : quasi dicas, chronica, sive diarium, res gestas per singulos dies, id est, per singula tempora et sæcula breviter enarrans. Spectari enim hi duo libri possunt velut brevis quædam epitome universalis historiæ, ab Adam usque ad finem captivitatis Babylonicæ ; et quidem videntur compendium esse annalium, qui frequenter in libris Regum citantur hoc modo : *In libro verborum dierum regum Juda* , vel *regum Israel.* — Nos ambos illos libros græco vocabulo, a LXX Interpretibus accepto , Παραλειπόμενα appellamus, hoc est, *prætermissa* : quia quædam in iis supplentur , quæ in præcedentibus Scripturæ libris, præsertim Regum, prætermissa sunt, vel non nisi leviter attacta.

Præcipuus tamen auctoris horum librorum scopus non eo spectasse videtur, ut supplementum cæterorum S. Scripturæ librorum traderet ; sed potius ut declararet, quis olim ante captivitatem familiarum status fuisset, quæ hæreditas , quæ munera, quæ genealogiæ, familiæ , atque ordines sacerdotum et levitarum. Res enim maximi post captivitatem momenti erat, ut singulis vetus ordo, pristina munera, et avita hæreditas, juxta veterum tabularum normam constarent.

De auctore librorum Paralipomenon disputatur : verosimilior sententia est, quod Esdras ex publicis annalibus, sive diariis, eos divino afflante Spiritu conscripserit ; ita tamen, ut ejus operi posteriores prophetæ aliqua addiderint. Sic genealogia Zorobabelis ad duodecimam usque generationem deducta (I Paralip. III, 19), ab Esdra, prius mortuo, scripta esse non potuit ; cum duodecim generationes spatium, ut minus, annorum 500 exigant.

Liber primus Paralip. continet capita XXIX ; secundus, capita XXXVI.

De duobus libris Esdræ.

Exstant sub *Esdræ* nomine quatuor libri, quorum duo posteriores apocryphi sunt, et merito ab Ecclesia rejecti ; duo vero priores sunt canonici. Hi apud Hebræos non separantur, sed unum librum constituunt, *Esdræ* titulo inscriptum. Esdras

tamen auctor non est totius voluminis hujusmodi, sed solum prioris partis ; altera enim Nehemiam habet auctorem. Hæ duæ partes apud nos separatæ duos libros constituunt, quibus nomen Esdræ conservatum est, licet tantum primus sit *Esdræ*, et secundus *Nehemiæ*.

Porro libro priore, capitibus X, Esdras narrat reditum Judæorum ex captivitate Babylonica Jerosolymam, quam una cum templo cœperunt restaurare ; sed præpediti adversariorum calumniis, coacti sunt supersedere.

Libro secundo, capitibus XIII, Nehemias sacerdos, et Artaxerxis Longimani pincerna, narrat quo pacto Jerosolymæ restauratio, vel invitis et repugnantibus hostibus a se procurata, et respublica Judaica optimis legibus constituta fuerit.

De libro Tobiæ.

Hic liber, in cujus priore parte Tobiæ senioris vita, posteriore vero peculiaris Dei circa ejus filium providentia commemoratur, verosimiliter auctorem habet utrumque Tobiam, scilicet patrem et filium. Hi enim ut historiam hanc litteris mandarent, ab angelo jussi sunt his verbis : *Vos autem benedicite Deum, et narrate omnia mirabilia ejus* (Tob. XII, 20) ; seu, ut græcus textus habet : *Scribite omnia quæ consummata sunt, in libro.* Itaque, ut probabiliter existimari licet, Tobias senior, adjuvante filio suo, hunc librum usque ad caput ultimum seu XIV, in quo ejus obitus recensetur, conscripsit ; filius vero solus illud caput XIV, usque ad versum 16, in quo refertur mors ejusdem Tobiæ junioris. Quod reliquum est capitis, ab alio auctore theopneusto, quem ignoramus, suppletum. « Liber hic, » inquit Calmet (1), « utrumque Tobiam habuit « auctorem ; vel saltem ipsi monumenta reliquerunt, quibus « inspectis recentior quidam auctor librum hunc digessit, « omnibus fere phrasibus priorum scriptorum servatis. »

De libro Judith.

Auctor hujus libri, juxta communiorem sententiam, fuit Eliachim, qui nonnunquam vocatur Joachim (Judith IV, 5 ; XV, 9), quique tanquam sacerdos summus, rebus hoc libro narratis non modo interfuit, sed pene præfuit. Adde, quod hoc publicarum scriptionum munus, teste Josepho (2), sacerdotum principibus demandari solitum fuerit.

Porro liber iste, constans capitibus XVI, tres in partes dividitur. Prima occasionem belli contra Palæstinam ab Assyriis suscepti ; — altera, obsidionem Bethuliæ, ab exercitu Ho-

(1) *Præfat. in Lib. Tobiæ.*
(2) *Lib. I in Appionem.*

ofernis circumdatæ, — tertia, urbis hujus obsessæ et Palestinæ iberationem, per cædem Holofernis ab Juditha illatam, exponit.

De libro Esther.

Liber *Esther*, capitibus etiam XVI, regis Assueri magnificentiam, Amanis contra Judæos consilium ab Esthere feliciter depulsum ; Judæorum exinde gaudium et Mardochæi exaltationem enarrat.

Hujus libri auctor, juxta plerosque interpretes, fuit Mardochæus, prout indicatur his verbis : *Scripsit itaque Mardochæus omnia hæc, et litteris comprehensa misit ad Judæos, qui in omnibus regis provinciis morabantur* (Esther IX, 20). — Probabile tamen est, fuisse volumen in ultimam formam redactum, vel ab Esdra, scriba doctissimo, vel ab alio hagiographo.

De libro Job.

Liber *Job*, capita continens XLII, in eo potissimum argumento versatur, ut inquirat, utrum Deus afflictionibus hujus vitæ solos impios puniat, ut Jobi amici arbitrabantur ; an vero pios quoque ac justos iisdem afflictionibus probet, ut ipse Job propria experientia edoctus contendebat. — Hinc totius disputationis conclusio, totiusque libri doctrina hæc est : ex peccato omnes hominum miseriæ oriuntur, quæ tum impiis infliguntur, tum justis : illis ut pœna, his ut probatio. Quandonam autem in particulari sint pœna, et quando probatio, homini absconditum est, nec temere inquirendum.

Constat liber Job exordio historico, — colloquiis, — clausula.

In colloquiis, versa oratione conscriptis, exhibetur sermocinatio triplex : 1° disceptatio Jobum inter et tres amicos, Eliphaz, Baldad, Sophar (cap. III — XXXI). — 2° Eliu, viri quarti, judicium de illa disceptatione (XXXII — XXXVII). — 3° Dei oratio, qua omnem hanc litem dirimit (XXXVIII — XLI). — Sequitur clausula historica prosa oratione, cap. XLII.

Quo tempore Job vixerit (1), certo nequit definiri. Sunt qui tenent, eum Moysi fuisse coævum ; alii, anteriorem. Multi auctores censent, Jobum circa finem ætatis patriarchalis floruisse. Cujus sententiæ fundamenta sunt : 1° ea quæ addita leguntur ad finem versionis LXX (2) ; 2° argumenta ex ipso libro petita : longævitas Jobi, ritus sacrificia offerendi juxta morem patriarcharum, divinarumque revelationum tum fre-

(1) De charactere vere historico Jobi ejusque libro dicetur infra, Parte II, sectione 1, *Difficultates libri Job.*

(2) Vid. Corderus, *præfat. in lib. Job.*

quentia tum modus. — Improbabilis non est opinio eorum, qui suspicantur, *Job* eumdem esse cum *Jobab*, cujus mentio est in Gen. XXXVI, 31, 33.

Scriptus est liber Job hebraice (1); cuinam autem auctori debeatur, incertum. Tribuitur a multis ipsi Jobo; ab aliis, Moysi, vel Salomoni, vel denique Isaiæ, aut etiam Danieli.

De libro Psalmorum.

Psalmus (hebraice MIZMOR), vox græca est, significans *cantum* vel *sonum*; derivatur enim a voce ψάλλω (hebraice ZIMMER, *citharam pulso, ad citharam cano*). — Liber *Psalmorum* idem ergo est ac liber cantuum, qui consonante cithara decantari solerent.

Hinc etiam liber Psalmorum dicitur quandoque *Psalterium*, nempe per metaphoram. Nam proprie *psalterium* est musicum instrumentum, alio nomine *nablum* (hebraice NEBEL) appellatum, vel *decachordum*, quia passim decem chordis seu fidibus instructum erat.

Liber Psalmorum apud Hebræos appellatur *liber Hymnorum*, quia hymnos plurimos continet.

Attamen præter hymnos proprie dictos, id est, laudationes Dei, seu præter psalmos 1° *hymnicos*, Psalterium etiam habet 2° psalmos *precatorios*, inter quos distinguuntur *pœnitentiales*; 3° *propheticos*, 4° *morales* et hortatorios 5° demum *historicos*.

Præcipuum objectum Psalmorum est Christus et Ecclesia : id Patres unanimiter docent, imo ipsa Scriptura indicat, sic loquens : *Dixit David, filius Isai : dixit vir, cui constitutum est de Christo Dei Jacob, egregius psaltes Israel : Spiritus Domini locutus est per me, et sermo ejus per linguam meam.* II Reg. XXIII, 1, 2.

An vero David sit auctor *omnium* psalmorum, dubium est et controversum. Nam aliqui Patres, ut Athanasius, Hilarius, Hieronymus, Isidorus, et recentiores interpretes non pauci, psalmos iis auctoribus tribuunt, qui in titulis psalmorum prænotantur : *Davidi*, *Moysi*, *Salomoni*, *Asaph*, *Idithum*, etc.; at multo plures antiqui, ut *Chrysostomus*, *Theodoretus*, *Ambrosius*, *Augustinus*, et post eos S. Thomas, Bellarminus, et alii, uni Davidi psalmos omnes 150 adscribunt. — De cætero quæstio hæc exigui momenti censenda, cum de primario psalmorum

(1) Spanhemius tamen, aliique, cum Origine existimarunt, a Jobo res quæ sibi contigerant conscriptas fuisse lingua patria, nempe arabica vel idumæa; postea vero in linguam hebraicam, retentis non paucis arabismis, translatas. Verum non tam ad arabici, quam ad aramaici, seu chaldaici sermonis naturam et indolem propius accedere libri Jobæi linguam, hodierni eruditi consentiunt. Cf. *Prolegomena in Job*, A Lap. edit. Vives, *Supplem.* tom. 2.

auctore, qui Spiritus sanctus est, inter omnes constet. « Ego « autem, inquit Theodoretus (1), de his non multum conten- « derim. Quid enim refert, sive Davidis omnes, sive aliorum « aliqui psalmi sint, cum constet divini Spiritus afflatu uni- « versos esse conscriptos? »

Psalmi originaliter compositi sunt metrice. Quale autem carmen seu metri genus contineant, hodie nescitur; illud solummodo, juxta Flavium Josephum dici potest, psalmos non eodem, sed vario metri genere constare.

Quod spectat ad ordinem quo psalmi disponuntur, dicendum est, ordinem non esse materiæ; neque temporis, quo psalmi primitus editi sunt. Non tamen ideo dici potest, ordinem esse nullum, et dispositionem haberi mere casualem, ad quam specialis Providentia non concurrerit: licet ejusdem ordinis rationem non sit facile divinare. Unde S. Augustinus ait: *Ordo psalmorum mihi magni sacramenti videtur continere secretum* (2). Bellarminus non contemnendam censet illorum opinionem qui volunt, primos 50 psalmos, quorum ultimus incipit, *Miserere mei, Deus*, pertinere ad pœnitentes, sive incipientes in via Dei; — alteros 50, qui desinunt in psalmum: *Misericordiam et judicium cantabo tibi, Domine*, pertinere ad justos proficientes; — postremos 50, quos concludit psalmus: *Laudate Dominum in sanctis ejus*, pertinere ad viros consummatos et perfectos.

Quæstio. *An tituli psalmorum, perinde ac ipsi psalmi, sunt canonici, et divinitus inspirati?* — R. Probabilius statuunt Doctores, titulos hujusmodi multos, non tamen omnes, esse divinitus inspiratos; ita ut dicendum sit: 1° Psalmorum titulos omnes retineri et servari oportet, cum ex iis non pauci divinam habeant auctoritatem. 2° Illi tituli qui a primis auctoribus, hoc est, a scriptoribus textus originalis, vel ab Esdra originem ducunt, divinæ auctoritatis esse censendi sunt. 3° Tandem, illi, qui sive ante, sive post Esdram profana manu adjecti sunt (3), præfata auctoritate carent.

Librum Psalmorum præ cæteris esse obscurum omnes fatentur, et probat aliunde immensa commentariorum multitudo, quæ in Psalmos sunt edita, quæque supra sexcenta, imo teste Calmeto, ad mille censentur. — Causa tantæ obscuritatis est multiplex: 1° styli textusque hebraici difficultas, quæ sane in psalmis, utpote metrice scriptis, major esse quam in aliis prosa exaratis libris, intelligitur. — 2° Apparentes antilogiæ seu

(1) *Præfat. in Psalmos.*
(2) *Enarr. in Psalm.* 50.
(3) Sunt enim ex his titulis, qui nec in hebræo textu, imo nec in versione græca LXX Interpretum exstant.

contradictiones ; quamvis reapse tales non sint. — 3° Prædictio rerum futurarum. Quamvis enim sciamus, sub litteræ ac figurarum velamine latere plerumque futurorum oracula ; tamen quæ determinate vaticinia in hoc aut illo psalmo contineantur, non semper nobis constat.

Remanet ut de Psalmorum præstantia verbulum adjiciamus. Psalmorum enim excellentiam Patres omnes copiosis laudibus efferunt (1) ; et librum hunc tanquam totius sacræ Scripturæ compendium, divinarum laudum ac precationum summam, omnisque bonæ et christianæ doctrinæ thesaurum, cuivis hominum conditioni aptissimum, deprædicant.

S. Athanasius ad Marcellinum scribens, Psalmos esse dicit ad omnem pietatis usum accommodatos, tribus maxime de causis. Primo, quod reliqui libri singulare quoddam argumentum habeant, cum Psalmi complectantur omnia : historiam, mores, legem universam ; Christum præcipue, ejusque gesta ac mysteria. — Secundo, quod in Psalmis omnem humanam vitam, omnes casus adversos prosperosque videamus, imo etiam varias ipsius animæ vicissitudines : unde verissimam ac pretiosam rerum humanarum divinarumque notitiam haurire possimus. — Tertio, quod in Psalmis hisce divinis omnes spirent affectus sancti, cuicumque fortunæ aut animæ statui accommodati. — Hinc fieri intelligimus, ut qui Psalmos pie recitaverit, Psalmorum spiritu penetretur : imo ut animi diversis affectibus veluti chordis intensis, et in perfectum concentum temperatis, homo ipse sub Dei manu sit organum musicum, in quo nihil inveniatur dissonum ac discordans ; utque omnibus intelligentiæ ac voluntatis viribus recte ordinatis, inveniatur sicut David, *vir secundum cor Dei qui faciat omnes voluntates ejus.* Act. XIII, 22.

Eadem S. Augustinus docet his verbis : *Psalmorum liber quæcumque utilia sint ex omnibus continet : futura prædicit, veterum gesta commemorat, legem viventium tribuit, gerendorum statuit modum. Et, ut breviter dicam, communis quidam bonæ doctrinæ thesaurus est, apte singulis necessaria subministrans* (1).

Merito igitur tot encomia uno verbo complectens, Glossa ordinaria de Psalterio ait : *Consummatio est totius theologicæ paginæ.*

De cætero tales debuerunt esse singulares illi hymni, quos eo præcipue consilio Spiritus sanctus dictavit, ut Ecclesiæ Christi digna ac propria essent cantica, et sanctum publico cultui conferrent splendorem.

(1) S. Basil. *Homil.* 1 *in Psalm.* ; Athanas. *Epist. ad Marcell.* ; Greg. Nyss. *lib. 1 in Psalm.* ; Chrysost. *in exposit. Psalm.* ; Euthym. *Præfat. in Psalm.* ; præcipue vero Augustin. *Prolog. in Psalm.*

(2) *Prolog. comment. in Psalm.*

De libro Proverbiorum.

Juxta unanimem tam Hebræorum quam Catholicorum sententiam, Salomon tres edidit libros sapientiales : scilicet *Proverbia* seu *Parabolas*, *Ecclesiasten* et *Canticum canticorum ;* et quidem verisimiliter primum et tertium ante suum lapsum, Ecclesiasten vero post lapsum pœnitens.

Porro juxta opinionem S. Hieronymi (1) Salomon, a Spiritu sancto illustratus, librum Proverbiorum composuit pro juvenibus, librum Ecclesiastis pro viris, et Canticum canticorum pro senibus ; vel, ut Salmeron (2) cum aliis existimat, librum Proverbiorum fecit pro incipientibus, Ecclesiasten pro proficientibus, Canticum canticorum pro perfectis. — Nam in primo præcepta tradit ad mores formandos, virtutemque amplectendam ; — in secundo, vanitate omnium rerum terrenarum ostensa, in futurorum et æternorum bonorum spem erigit, atque ita ad progressum in virtute stimulat ; — in postremo perfectam charitatem, castissima imagine sponsi et sponsæ delineatam, exhibet.

Proverbiorum seu *parabolarum* nomen (hebraice MISLE), sententias graves et apprime utiles hic significat ; estque *liber Proverbiorum* hujusmodi sententiarum copiosa series, quæ velut summam constituit absolutissimam totius doctrinæ moralis, ejusque trium partium, videlicet ethicæ, œconomicæ et politices.

Continet liber capita XXXI, constatque 1° ex introductione, et 2° corpore præceptorum ac sententiarum. — Introductio (cap. I — IX) commendationem continet et encomium sapientiæ. — Sententiarum corpus tres exhibet collectiones distinctas, quarum una incipit cap. X, secunda XXV, tertia quæ velut appendix est, capite XXX.

De libro Ecclesiastæ.

Hunc librum esse Salomonis patet ex ejusdem exordio : *Verba Ecclesiastæ, filii David, regis Jerusalem.* Nullus enim filiorum David, præter Salomonem, fuit rex in Jerusalem. Ut autem dictum est supra, videtur Salomon librum istum scripsisse post lapsum, et post agnitam pravarum voluptatum vanitatem : sic enim Hebræi, Hieronymus et commentatores plerique censent.

Idem liber hebraice vocatur COHELETH, quæ vox, forma feminina sed significatione masculina, recte dicitur græce Ἐκκλησιαστής, id est *Concionator.* Ideo sane hoc nomine inscri-

(1) *Præfati librorum Sap.*
(2) *Proleg. X, canon.* 32.

bitur, quia more propemodum concionatorio de rerum vanitate, aliisque argumentis ad mores formandos idoneis disserit. — Continet capita XII.

De Cantico canticorum.

Libellus iste, capita continens VIII, geminato, juxta morem Hebræorum, nomine vocatur *Canticum canticorum*, id est, canticum eximium prorsus et omnium excellentissimum.

Canticum canticorum scriptum est per modum dialogi inter *sponsum* et *sponsam* : qui, modo ut rex et regina, modo ut pastor et puella pastoritia, modo etiam ut vinitor vel hortulanus, et puella hisce laboribus in vineis et hortis occupata, repræsentantur. — Hæc autem omnia allegorice sunt intelligenda : sensus enim allegoricus hic, non secus ac in parabolis, est sensus litteralis.

Ex communi scilicet Patrum sententia, sub his allegoriis canitur epithalamium sive nuptiale carmen Christi et Ecclesiæ : ita ut primario Spiritus sanctus respexerit et exprimere voluerit spirituale connubium, et reciprocum amorem inter Christum sponsum, et Ecclesiam sponsam. — Dicitur *primario*, quia secundario hic etiam celebratur, 1° spirituale dilectionis commercium inter Christum et quamlibet animam sanctam, præsertim B. Virginem ; 2° ineffabilis unio Verbi divini cum natura humana in Incarnatione.

Scilicet Sponsa Christi est præcipue quidem, et sensu adæquato, Ecclesia universa ; sensu tamen partiali, est etiam B. Virgo, et quælibet justi hominis anima, quæ sunt partes Ecclesiæ nobiliores. Istud autem Christi cum Ecclesia commercium quoniam in Incarnatione fundatur et figuratur, ideo quoque mysterium Incarnationis hic celebrari non spernenda sententia est. Etenim idcirco Verbum humanitatem assumpsit, sibique quasi despondit, ut per eam omnes homines, veram fidem amplexos, tanquam membra sibi copularet et adstringeret, utque eorum esset caput, et quidem caput homogeneum, ejusdem scilicet cum hominibus generis et naturæ.

De libro Sapientiæ.

Liber Sapientiæ, capitibus constans XIX, totus est in instituendis regibus, principibus ac judicibus : quos ad zelum et amorem justitiæ informat ; præcipue tamen ad sapientiam, cujus originem, pretium, utilitates copiose exponit. Porro sapientiæ commoda ostendit, tum exemplo suo, tum ex historia biblica ; simulque depingit idololatriæ stultitiam, utpote sapientiæ prorsus oppositam. — Illustria quoque de passione Christi, qui vera Sapientia est, vaticinia continet ; prout pate-

bit conferenti caput II, a versu 17 usque ad finem, cum iis quæ de Judæorum adversus Christum conciliis, dicteriis et machinationibus in Evangeliis recensentur.

A quonam liber Sapientiæ conscriptus sit auctore incertum est. Nam licet a Patribus non raro vocetur *Sapientia Salomonis*, et sententiæ in ea contentæ Salomonis esse credantur; id tamen dicendum est, sententias hujusmodi saltem non esse a Salomone in librum redactas, sed ab alio hagiographo. Hic autem unus ex LXX Interpretibus esse existimatur, vel vir coævus Machabæorum, qui librum hunc opposuit gentilium philosophiæ et idololatriæ, judaicum populum invadenti.

De libro Ecclesiastici.

Hic liber a Latinis inscribitur *Ecclesiasticus*, ad imitationem libri a Salomone scripti, qui dicitur *Ecclesiastes*. Complectitur enim similem philosophiam moralem, tradens 1° encomia sapientiæ et præcepta virtutum; quibus 2° laudes subnectit Patriarcharum et Prophetarum. — Appellatur autem *Ecclesiasticus*, et non *Ecclesiastes*, ut sit aliqualis distinctio ab hoc altero libro: quamvis *Ecclesiasticus* significatu sit idem ac *Ecclesiastes*, nempe *Concionator*.

Ecclesiastici auctor est *Jesus*, filius Sirach, senioris. Qui tamen multa ex Salomone deprompsit, et ob similitudinem argumenti, styli et phrasis, librum effecit libris Salomonis non absimilem; ex quo factum est, ut multi SS. Patres testimonia ex Ecclesiastico desumpta passim citent nomine Salomonis. Alius dein *Jesus*, item filius Sirach, sed junioris, ac nepos auctoris libri Ecclesiastici, hunc librum ex hebræo in græcum sermonem transtulit. — Continet liber Ecclesiastici capita LI.

De Isaia.

Isaias in vaticiniis suis, ex una parte, tum regni Israelis tum præcipue regni Judæ fata respicit; ex altera vero circa res altiores versatur, nempe vocationem Gentium, et Christi Salvatoris adventum, prædicationem, passionem, mortem atque regnum. — Liber Isaiæ capita complectitur LXVI.

Quo tempore prophetaverit Isaias indicat ipse initio libri: *In diebus*, inquit, *Oziæ*, *Joathan*, *Achaz*, *Ezechiæ*, *regum Juda*... Munus autem propheticum implevit per octoginta vel nonaginta circiter annos.

Porro vir fuit Isaias per omnia magnus: 1° splendore generis, utpote regia stirpe ortus; nam juxta traditionem judaicam fuit frater Amaziæ, regis Juda. 2° Splendore sermonis, quo ipsam generis sui nobilitatem manifestare videtur, et propter quem a S. Chrysostomo *propheta magniloquentissimus* vocatur. —

3° Vitæ sanctitate, ut patet ex ejus scriptis, et ex Ecclesiæ sensu, quæ eum inter Sanctos recenset, die 6 Julii. — 4° Constantia in adversis, et glorioso martyrio. Nam serra lignea ab impio rege Manasse dissectum fuisse, quod regem et principes acrius increparet, communis est, Tertulliano et Hieronymo testibus, Hebræorum traditio.

De Jeremia cum Baruch.

Liber *Jeremiæ* duas partes continet : *prophetiam*, capitum LII, et *Threnos* seu *Lamentationes*, capitum V.

Jeremias fuit ex genere sacerdotali, natus in Anathoth, viculo de tribu Benjamin, distante tribus milliaribus Jerosolyma, ut S. Hieronymus testatur. Eodem S. Doctore teste, Jeremias anno ætatis circiter decimo quinto, adhuc puer existens, prophetare cœpit ; et per quadraginta quinque annos continuavit, sub quinque regibus Juda : nempe sub Josia, Joachaz, Joakim, Jechonia, Sedecia : usque ad excidium urbis et templi, quod deplorat in suis Lamentationibus. Tandem in Ægyptum abductus a residuis Judæis, ibidem Taphnis, in urbe regia, ab ipsis Judæis lapidatus est : quare celebratur ut Martyr, inscriptus Martyrologio Romano, die 1 Maii. Eum semper virginem permansisse tradunt Ignatius Martyr, et Hieronymus ; colligiturque ex illis Dei ad ipsum verbis : *Non accipies uxorem*. Jerem. XVI, 2.

Jeremias vaticinia sua communiter dictavit scribæ seu amanuensi, nomine *Baruch ;* qui interrogantibus Judæis, quomodo verba Jeremiæ scripsisset, respondit : *Ex ore suo loquebatur quasi legens ad me omnes sermones istos ; et ego scribebam in volumine atramento*. Jerem. XXXVI, 18, seq.

Baruch et ipse postea proprium quemdam librum propheticum scripsit Babylone, quo, anno quinto ab excisa Jerosolyma, captivos consolandi causa secessit. Prophetia Baruch subsequitur prophetiam Jeremiæ, habetque capita VI.

Ordo capitum in libro Jeremiæ non est ordo temporis, quo singula contigerunt ; sed quæ primo facta sunt, posterius sæpe referuntur ; quod et in aliis prophetis frequenter occurrit. — Postremum caput, nempe LII, non est Jeremiæ, sed ab alio appositum, probabiliter ab Esdra.

Quod spectat ad prophetiæ Jeremiæ argumentum, 1° prædicit excidium Jerosolymæ, ob peccata quæ Judæis exprobrat ; 2° consolatur eosdem, prædicendo post septuaginta annos e captivitate reditum ; 3° prædicit venturum Messiam, cujus in semetipso typum exhibet. — Ad alia quoque objecta se extendit, prout mox in articulo *de Ezechiele* dicetur.

De stylo Jeremiæ dicit Hieronymus : *Quantum in verbis*

simplex videtur et facilis, tantum in magestate sensuum profundissimus (1).

595-573

De Ezechiele.

Prophetia Ezechielis capita complectitur XLVIII.

Ezechiel, ex nobili sacerdotum stirpe, a Chaldæis, una cum Jechonia rege Juda, Babylonem deportatus, prophetare cœpit in Chaldæa, anno quinto deportationis ejusdem; continuavitque usque ad annum vigesimum septimum, id est, per annos viginti duos: quorum priores undecim concurrerunt cum ultimis annis undecim Jeremiæ, prophetantis in Judæa.

Hinc intelligitur, cur idem sit utriusque prophetæ argumentum. Etenim 1° sicut Jeremias primis XXVII capitibus excidium Judæorum et captivitatem Babylonicam prædicit; ita Ezechiel per prima capita XXIV, easdem annuntiat calamitates, earumque causas, puta peccata populi recenset et arguit. — 2° Sicut Jeremias a capite XLVI ad LI, aliis gentibus, nempe Ægypto, Ammon, Moab, Edom, Philistæis excidium minatur; ita Ezechiel a capite XXV ad XXXIII — 3° Denique, sicut Jeremias a capite XXX usque ad XXXIV, et alibi sparsim, ita Ezechiel ultimis capitibus prædicit reditum et liberationem Judæorum e captivitate, Messiæ regnum, vocationem Gentium, etc.

Illud tamen discriminis est inter utrumque hunc prophetam, quod quæ Jeremias clare et aperte Judæis Jerosolymæ, eadem Judæis in Babylonia Ezechiel tecte per figuras et ænigmata proponit. Quod ideo fecisse videtur, quia nolebat sua vaticinia innotescere Babyloniis, ne ansam inde sumerent irridendi et vexandi Judæos; sed intelligi volebat a solis popularibus suis, quibus ipsemet omnia explicabat.

Sermo Ezechielis, juxta S. Hieronymum, nec valde disertus est, nec admodum rudis; sed ex utroque medie temperatus.

Martyrem fuisse prophetam Ezechielem, a duce populi Judaici occisum, quod eum idololatriæ argueret, docet Martyrologium Romanum, die 10 Aprilis.

De Daniele.

Liber Danielis prophetæ habet capita XIV.

Daniel, ex semine regum Juda natus, adhuc adolescens viginti annorum, captivus a Nabuchodonosore ductus est Babylonem, una cum rege et cognato suo Joakim, anno tertio regni ejusdem; ubi quarto post anno (2) Susannam a morte liberavit, et propheticum munus explere cœpit.

Daniel prophetavit circiter undecim annis ante destructionem templi.

(1) *Præfat. in lib. 6. Commentar. in Jerem.*

(2) Dan. XIII, 45, dicitur Daniel *puer junior*, παιδάριον; sed diminutivum istud græcum sumitur pro simplici παῖς puer, h. e. *juvenis*: Hebræi enim carent diminutivis. Cf. *A. Lapide* in h. loc.

Vir fuit Daniel sanctissimus simul et sapientissimus (1), ejusque memoriam Ecclesia in suo Martyrologio celebrat die 21 Julii. Martyrii lauream consecutus est, ob eximiam pietatem et zelum honoris Dei missus in lacum leonum ; sicut tres ipsius socii eamdem ob causam missi sunt in fornacem Babylonicam : etsi omnes insigni miraculo illæsi evaserunt. — Virginitatem autem illibatam ad mortem usque conservasse, tam Danielem, quam dictos tres pueros, omnes Patres consentiunt ; imo ea de causa hos ab igne Babylonico, illum a dentibus leonum intactos mansisse, affirmat Damascenus (2).

Scopus Danielis in prophetia sua est, regnum Christi describere ; quod efficit capite VII, IX, X, et XII. Quæ in reliquis capitibus narrat, tum de historia regum Babylonis, Medorum et Persarum, tum de quatuor monarchiarum vicissitudinibus : eo pertinent ut intelligamus, omnia alia regna et imperia aliquando peritura, solumque regnum Christi æternum futurum.

Scripsit hunc librum Daniel partim hebraice, partim chaldaice. Hebraice quidem ab initio usque ad capitis II versum 4 ; in medio autem hujus versus, nimirum post illa verba : *Responderuntque Chaldæi regi syriace* (3), incipit chaldaice, et hac lingua pergit usque ad finem capitis VII ; reliqua quinque capita scribit hebraice. Atque hucusque, id est, usque ad caput XII, textum hebraicum libri Danielis habemus ; cætera quæ sequuntur usque ad finem libri, id est ultima duo capita, XIII et XIV, de Theodotionis græca editione translata sunt. Hæc duo capita olim quoque lingua hebræa vel chaldaica exarata legebantur, ex qua Theodotion ea in græcum idioma transtulit ; nunc autem sunt deperdita. — Ad versionem græcam libri Danielis quod attinet, eam non habemus a LXX Interpretibus, sed a Theodotione, qui aliquot sæculis post septuaginta Senes vivebat.

De duodecim Prophetis minoribus.

Prophetæ minores, numero sunt duodecim ; et, sicut quatuor Prophetæ majores, ita etiam ipsi invehuntur in idololatriam, aliaque scelera Israelitarum, comminando ipsis captivitatem, vel Assyriacam, vel Babylonicam : inspersis hinc inde lætis vaticiniis, de Christo, de Ecclesia Christi, et ad eam pertinen-

(1) Cfr. Ezech. XIV, 14 ; XXVIII, 3.
(2) *De fide orthod.* liber 4, cap. 25.
(3) *Syriace,* id est *chaldaice,* quæ ipsorum materna lingua erat, quæque olim dicta est syriaca, ad distinctionem linguæ hebrææ. Erat tamen hæc lingua diversa ab ea quam nunc syriacam dicimus, non tam verbis et vocibus, quam dialecto : fere ut græca dialectus attica differt a dorica.

tibus ; deque felicitate omnimoda per Christum mundo obventura.

Non itaque ob vaticiniorum aut dignitatis differentiam *minores* dicuntur prophetæ ; sed ob brevitatem tantum scriptorum, qua passim prophetis *majoribus* cedunt. Etenim Osee habet capita duntaxat XIV ; Joel, III ; Amos, IX ; Abdias, I ; Jonas, IV ; Michæas, VII ; Nahum, III ; Habacuc, II ; Sophonias, III ; Aggæus, II ; Zacharias, XIV ; Malachias, IV.

De Osee.

Osee sive *Osea*, hebraice HOSCEA, *salvator*, non solum oraculis, gestis et vitæ sanctitate, sed et nomine suo Christum annuntiat et præfigurat. Ubique exoptat *salutem*, ubique orat Dominum pro salute populi ; Israelitis peccantibus excidium, aliasque plagas minatur ; pœnitentibus clementiam et gloriam promittit.

Fuit Isaiæ synchronus, et prophetavit sicut illi per octoginta aut nonaginta circiter annos. Colitur ut Sanctus ab Ecclesia, die 4 Julii.

De Joele.

Joel propheta fuit Oseæ synchronus, ita tamen ut non nisi post ruinam regni Israel et deportationem decem tribuum vaticinari cœperit ; ac proinde ad solas tribus Juda et Benjamin in regno Judæ residuas.

Argumentum prophetiæ Joelis, est excidium Jerosolymæ totiusque Judææ per Chaldæos. Deinde regni Christi felicitatem delineat, missionem Spiritus sancti pollicetur, extremum judicii diem et locum prædicit. — Stylo utitur magnifico et figurato ; res vividis coloribus ita pingit, ut non descriptæ, sed ipsis oculis subjectæ videantur. Memoria Joelis ut Sancti in Martyrologio Romano, 13 Julii recensetur.

De Amos.

Amos, alius ab illo qui fuit pater Isaiæ, erat de tribu Juda, et ex pastoribus de Thecue. Prophetavit tempore Jeroboami II, regis Israel, ad decem tribus ; obiter tamen etiam, ad regnum Judæ, et ad alias gentes. Israeli captivitatem prænuntiat Assyriacam, Judæ Babylonicam ; mixtis hinc inde lætis prænuntiis de Messia, qui libertatem, pacem, omnemque prosperitatem, et quasi aureum sæculum adducturus sit. — Cum in Samaria et Bethel idololatras increparet, ab impiis occisus est. — Sanctorum catalogo adscriptus legitur in Martyrologio Romano, 31 Martii.

De Abdia.

Abdias, Sichimita, prædicit 1° Idumæis Judam affligentibus, excidium ; 2° salutem in Sion. — Habet caput unicum : *Propheta parvus*, inquit S. Hieronymus, *supputatione versuum ; non sensuum.* — Porro vitæ sanctitate claruit, et Sanctorum catalogo in Martyrologio Romano adscriptus est, die 19 Novembris.

De Jona.

Jonas, ex Geth oriundus, oppido non Philistinorum, sed tribûs Zabulon, synchronus fuit Oseæ, Joeli, Amos et Abdiæ. — Eodem tempore, paulo ante exordium urbis Romæ, vivebat Sardanapalus, Assyriorum rex ultimus in Ninive ; ad cujus civitatem Jonas missus, incolas ad pœnitentiam ita convertit, ut Deus ruinam eis paratam distulerit. Hanc tamen, ingravescentibus iterum vitiis, tandem inflixit, ut etiam Tobias vaticinatus est his verbis : *Prope est interitus Ninive, non enim excidit verbum Domini.* Tob., XIV, 6.

Fuit quoque Jonas typus Christi, sepulti ac resurgentis ; ut Dominus ipse testatur, Matth. XII, 39, 40 : *Generatio mala et adultera signum quærit : et signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ prophetæ. Sicut enim fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus : sic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus et tribus noctibus.* — Recensetur Jonas ut Sanctus in Martyrologio Romano, 21 Septembris.

De Michæa.

Michæas, e Morasthi, viculo tribus Juda, oriundus, ætate suppar præcedentibus prophetis, ac nominatim Isaiæ, quem subinde ad verbum citat : invehitur in idololatriam, et in alia inde enata scelera, tam duarum quam decem tribuum ; unde utrisque excidium et captivitatem prænuntiat. Lætam autem etiam liberationem e Babylonia per Cyrum promittit ; et lætiorem exitum ex servitute peccati, mortis, et diaboli, per Christum, quem in Bethlehem nasciturum prædicit. Sanctorum Catalogo adscribitur in Martyrologio, 15 Januarii.

De Nahum.

Nahum, patria Elcesæus, ex viculo Galilææ, post Jonam civitati Ninive, in scelera relapsæ, interitum prædicit ; qui tandem, ut Corn. A Lapide ostendit, post annos ab hac prophetia 138, accidit. Prophetæ Nahum memoria inter Sanctos celebratur prima die Decembris.

De Habacuc.

Propheta Habacuc alius esse videtur ab illo, qui Danieli in lacu leonum alimenta portavit. De cætero, quæ ad ejus patriam, ætatem, etc. pertinent, incerta sunt. — Prædixit autem excidium Jerosolymæ et Judææ per Chaldæos, ac deinde Chaldæorum eversionem, et Judæorum liberationem per Cyrum et Persas; præcipue vero redemptionem humani generis totius per Christum: cujus nativitatem, passionem et gloriam insigni carmine pangit ac depingit. — Sanctorum catalogo adscriptus legitur, 15 Januarii.

De Sophonia.

Sophonias prophetavit in diebus Josiæ regis Juda, et convixit Jeremiæ, cui ita similis est, etiam in stylo, ut ejus quasi abbreviator esse videatur. — Alloquitur Ammonitas, Moabitas aliasque gentes; præsertim tamen Judæos, eos ad pœnitentiam exhortans. Nisi ad Dominum convertantur, excidium per Chaldæos ipsis prædicit. Solatur tamen eos spe liberationis e servitute diaboli, sub Christo et per Christum futuræ. Inter Sanctos adscriptus est, et colitur 3 Decembris.

De Aggæo.

Aggæus, e Babylonia, ubi natus est, cum Judæis captivis redux Jerosolymam, primus ibidem post captivitatem prophetavit. In decursu prophetiæ suæ elidit frivolas Judæorum excusationes de fabrica novi templi diutius differenda; promittitque fore, ut Christus Dominus cum venerit, domum illam impleat gloria; majoremque futuram gloriam domus posterioris, seu templi hujus secundi, quam prioris.

Fuit Aggæus eximia morum vitæque innocentia ac puritate; coliturque ut Sanctus, die 4 Julii.

De Zacharia.

Zacharias, synchronus seu coævus Aggæo, in prophetia sua urget instaurationem templi; simulque Judæos monet, ne idola et vitia majorum imitentur. Prædicit varios eventus usque ad Christum, maxime quatuor monarchiarum successiones; Christi autem vitam et passionem, pene instar Evangelistæ recenset, ejusque regiam dignitatem et potentiam insigniter commendat. Adscriptus est Sanctorum catalogo, sub die 6 Septembris.

De Malachia.

Malachias, e tribu Zabulon, post reditum populi e Babylonia natus in Sopha, prophetiam edidit quatuor capitum, cujus

summarium est sequens. 1° Arguit propheta Judæos ingratitudinis erga Deum, tot beneficiorum auctorem. — 2° Sacerdotes taxat negligentiæ, socordiæ et impietatis. — 3° Prædicit abolendum sacerdotium et sacrificium Aaronicum, eique substituendum aliud purissimum et augustissimum, puta Sacrificium corporis et sanguinis Christi sub speciebus panis et vini, in Eucharistia. — 4° Judæos reprehendit, quod repudiatis legitimis uxoribus, inducant alienigenas. — 5° Promittit adventum Christi, ejusque præcursorem Joannem Baptistam. — 6° Culpat Judæos, quod Deum offendant fraudando, sibique arrogando ejus decimas et primitias. — 7° Denuntiat extremi Judicii diem, ejusque prodromum Eliam, qui reliquias Judæorum convertet ad Christum.

Catalogo Sanctorum in Martyrologio Romano adscriptus est Malachias, sub die 14 Januarii.

De duobus libris Machabæorum.

Appellantur hi *libri Machabæorum* a præcipuo religionis ac patriæ Judaicæ vindice, clarissimo Juda, qui primus dictus est *Machabæus*, et ab aliis heroibus, quibus idem cognomen adhæsit (1).

Libri Machabæorum exstant numero quatuor; sed duo priores soli canonici sunt, tertius et quartus adhuc *apocryphi*, id est, occultæ et incertæ auctoritatis. — Explicant autem quis status fuerit populi Judaici sub tertia monarchia, quæ fuit Græcorum, seu, quod idem est, sub regibus Græcis Syriæ et Ægypti; quemadmodum fere libri Esdræ et Estheris varios Synagogæ casus exponunt, tempore monarchiæ secundæ, Persarum nempe et Medorum.

Liber I fata narrat populi Judaici, tempore persecutionum Antiochi-Epiphanis, et deinceps usque ad mortem Simonis Machabæi (134); historiam continens quadraginta annorum. — Liber II, præmissa duplici epistola Judæorum ad fratres Ægypti, refert eventus Judaicæ reipublicæ sub regibus Græcis Syriæ, Seleuco-Philopatore, Antiocho-Epiphane, Antiocho-Eupatore et Demetrio-Sotere; desinitque ad mortem Nicanoris, ducis Syrii, annos complectens omnino quatuordecim (176-162).

Duo libri canonici Machabæorum a duobus scripti sunt hagiographis diversis. Quod patet, 1° ex materia: nam posterior liber eadem quæ prior persequitur, sed prorsus aliter.

(1) Quid autem nomen *Machabæus* significet, aut unde derivetur incertum est. Non improbabiliter quidam id repetunt ab initialibus litteris verborum, quæ Judas pro tessera adhibebat in præliis : MI CAMOCA BE ELIM JEHOVA, *quis ex fortibus similis tibi, Domine?*

2° Ex chronologia, seu annorum supputatione. Quamvis enim uterque liber æram sequatur Seleucidarum, seu regni Græcorum ; prior tamen assumit methodum Judaicam, alter methodum Antiochenam seu Alexandrinam, ita ut integro semestri differant. 3° Ex stylo et phrasi, quæ in primo Machabæorum libro hebræum idioma redolet, in secundo, idioma græcum.

Qui vero fuerint isti duo scriptores, non constat. Verosimilius priorem librum scripsit unus de primariis Jerosolymæ sacerdotibus, et forte, ut Bellarminus, Sanctius et Nierembergius existimant, Joannes Hircanus, filius Simonis Machabæi ; secundum vero, Judas Essenus, virtute et vaticiniis clarus (1).

Continet liber primus Machabæorum capita XVI, secundus XV.

De quatuor Evangeliis generatim.

Jam devenimus ad novum Testamentum, quod ad vetus tanquam complementum accedit. Vetus enim Testamentum vocari potest, respectu novi, magna quædam prophetia et magna figura : *Omnia in figura contingebant illis* (1 Cor. X, 11) ; novum vero est veritas et impletio, respectu veteris, adeoque etiam ejusdem explicatio.

Inter libros novi Testamenti, primum locum obtinent quatuor *Evangelia* : qui libri sunt legales novi Testamenti, correspondentes Pentateucho seu libris legalibus Testamenti veteris.

Vox *Evangelium* ex etymo græco (ab εὐ et ἀγγέλλω) *lætum faustumque nuntium* significat ; accipitur autem vel pro *libro*, vel pro *doctrina*.

Si accipiatur pro *libro*, Evangelium est historia divinitus conscripta de vita, miraculis et salutari doctrina Jesu Christi. — Hoc sensu sunt Evangelia quatuor : quatuor nempe libri Evangelistarum.

Si sumatur pro doctrina, Evangelium est divina doctrina Jesu Christi, hominum Salvatoris, qua discipulos suos ad æternam salutem perducit, et de qua ipse dixit : *Euntes in mundum universum prædicate evangelium omni creaturæ. Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit ; qui vero non crediderit, condemnabitur* (Marc. XVI, 15). — Evangelica doctrina proinde est annuntiatio liberationis a summo malo, et concessionis summi boni sive æternæ felicitatis. Et hæc quidem per summum mediatorem Christum, Deum et Hominem, effecta est ; per summum item reconciliandi modum, quo nul-

(1) Vide hac de re Fullonium, *Prolegom. lib. Machab.*, sectione 2.

lus major ab intelligentia creata excogitari potest. Quapropter Evangelium jure optimo *lætum faustumque nuntium* appellatur. — Hoc sensu, ut patet, non datur nisi Evangelium unicum.

S. Marcus Evangelium suum orditur his verbis : *Initium Evangelii Jesu Christi Filii Dei ;* unde et usus in Ecclesia obtinuit, ut Evangelia non simpliciter dicerentur a Scriptoribus, *Evangelium Matthæi*, *Evangelium Marci*, etc. ; sed communius nominarentur *Evangelium secundum Matthæum, secundum Marcum*... quasi dicatur : Evangelium Jesu Christi secundum descriptionem S. Matthæi, S. Marci, etc.

Q. *De numero quaternario Evangeliorum quænam intelligenda sunt et adnotanda ?*

Resp. 1° Quamvis permulta olim scripta sint, præsertim ab hæreticis, evangelia, quatuor tamen duntaxat sunt canonica : ut talia nimirum ab Apostolis probata, et ab Ecclesia ex Apostolorum traditione suscepta. Evangelium scilicet Marci probavit S. Petrus ; Lucæ, S. Paulus ; Matthæi, collegium Apostolorum, qui Jerosolymis abituri in suas provincias illud secum detulerunt ; Joannis demum, omnes Asiæ Episcopi cæterique fideles.

2° Si quæratur, cur præcise quatuor sint Evangelistæ, nec plures nec pauciores ? hæc merito datur convenientiæ ratio (1). Sicut in aula cœlesti sunt quatuor cherubini, quasi principes et sapientes Dei ; ita in Ecclesia terrestri decuit esse quatuor Evangelistas, quasi principes et cherubinos Christi. Propterea scilicet quatuor cœli cherubinos, mysticam quadrigam seu currum divinæ gloriæ circumagentes, vidit Ezechiel propheta (cap. I), et similiter Joannes in Apocalypsi (cap. IV) ; quibus designari quatuor Evangelistas, SS. Hieronymus, Augustinus, cæterique Patres et interpretes unanimi consensu docent.

Jam vero quatuor illi cherubini quaternas habebant facies et formas : nimirum *leonis*, *vituli*, *hominis*, et *aquilæ volantis*. — Leo denotat *S. Marcum*, cujus facies, puta initium Evangelii, est clamor et rugitus Joannis Baptistæ in deserto : *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum*. — Vitulus denotat *S. Lucam*, qui Evangelium suum orditur a sacerdotio veteri, cujus victima erat vitulus. Loquitur enim ab initio de Zacharia sacerdote, patre Joannis Baptistæ. — Homo denotat *S. Matthæum*, qui incipit ab humana Christi genealogia. — Aquila demum designat *S. Joannem*, altissime in cœlos instar aquilæ volantem, et illud aperientem divinitatis mysterium : *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum.*

(1) Cf. Cornel. A Lap. *Proœm. in Evangelia.*

Præterea, quatuor hæc animalia quatuor Christi attributa primaria, et quasi stemmata significant, quæ quatuor Evangeliis revelantur : nimirum, Leo figurat Christi fortitudinem regiam ; Vitulus, ejus sacerdotium ; Homo, ejus humanitatem ex Virgine assumptam ; Aquila, ejus divinitatem et ascensum in cœlum.

Quatuor Evangelia eo temporis ordine scripta sunt, quo in Scriptura disponuntur : et Evangelista quilibet sequens, præcedentium volumina haud dubie cognovit.

Merito S. Augustinus cum S. Chrysostomo dicit, etsi quatuor exstant Evangelia, non esse tamen nisi Evangelium unicum : hoc nimirum sensu, quod, ut supra dictum est, Evangelia quatuor eamdem rem loquantur ; imo ita loquantur, ut non sint reputanda plura Evangelia ob pluralitatem voluminum, sed unum ob voluminum consonantiam. Quadruplex scilicet et consonum perhibetur ejusdem veritatis testimonium.

Q. *Cur ergo Evangelistæ in modo et ordine narrandi tantopere inter se discrepant, imo sæpe narrat unus quod reliqui tacent?*

Resp. Hæc discrepantia et narrandi varietas, non ex defectu sinceritatis aut veritatis ; sed ex diversitate occasionis vel scopi, quem quisque Evangelista in scribendo respexit, promanarunt. Nam pro suo quisque proposito, et Spiritus sancti impulsu, ea duntaxat commemoravit, quæ ad illud videbantur conducere ; neque de reliquis Christi gestis multum erat sollicitus, cum facta et vita Salvatoris nostri, tunc temporis, palam nota et vulgata essent omnibus, saltem in Judæa et finitimis plagis. Hinc non ex historiæ legibus, ad quas Evangelistæ, si fuissent meri historiographi, adstricti fuissent ; sed, ut dictum est, ex peculiari cujusque scopo, et occasione scribendi suppeditata, judicium de cujusque narratione ferendum est, prout ex sequentibus distincte patebit.

De Evangelio Matthæi.

Matthæus (1), qui et *Levi* vocatur, Apostolus simul et Evangelista, publicanum agebat Capharnaum, quando Christo vocanti se adjunxit. — Primus omnium scripsit Evangelium, anno circiter octavo ab Ascensione Domini.

Scripsit in gratiam Judæorum palæstinensium, et quidem eorum lingua, qualis tunc temporis erat, id est, syro-chaldaica.

Scripsit autem eo fine, ut Judæis Jesum esse Messiam demonstraret, ostendendo eum esse Filium David, et vaticinia implevisse. Ideo Evangelium suum ab humana Christi generatione incipit, ut pateat eum de semine David ducere genus. Ideo quoque narrat adorationem Magorum, fugam in Ægy-

(1) Cfr. Patrizi. *De Evangeliis*, vol. 1, libr. 1, cap. I.

plum, infanticidium Herodis, etc. : ut vaticinia varia hisce eventibus impleta esse palam fiat. Ideo demum ordinem temporis sæpe negligit, cum non tam historiam texere, quam opportunam veritatis declarationem tradere intendat.

De Evangelio Marci.

Marcus Evangelista, discipulus fuit S. Petri (1), et, ut videtur, alius a Marco adjutore Pauli (2) ; utrum fuerit unus e septuaginta duobus Christi discipulis, ut quidam existimant, non constat. Scripsit Evangelium dum esset Romæ cum Petro, anno circiter duodecimo ab Ascensione Domini. Præ oculis habebat exemplar syro-chaldaicum Evangelii Matthæi ; et, ut longe probabilius est, lingua græca scripsit, non latina.

Ejus in scribendo finis non alius fuit, quam ut Romanis ad fidem conversis morem gereret, eisque petentibus prædicationis B. Petri monumentum aliquod scriptum relinqueret. Scripsit itaque juvante, ut videtur, ipso Petro, qui et opus Marci approbavit, Ecclesiæque legendum dedit.

Cum autem Marcus in Evangelio suo colligere voluerit ea, quæ ex Petri prædicantis ore audiverat : accurate quidem scripsit quæcumque memoria tenebat ; non tamen eo ordine quo erant a Christo Domino dicta vel facta, sed potius eo, quo fuerant prædicata a B. Petro ; qui sane eam in prædicando rationem sequebatur, quam ad auditorum animos instituendos opportunam accommodatamque censebat.

De Evangelio Lucæ.

Lucas (3), Antiochenus, medicus, discipulus fuit et socius B. Pauli ; quo adhortante Evangelium edidit græce, dum esset in Achaia, anno circiter ab Ascensione Domini vigesimo.

Scribere se significat Theophilo : quo nomine non quivis generatim Christianus, sed vir quidam singularis designari videtur. Eo tamen intuitu scribit in gratiam sui Theophili, ut simul aliis quibuscumque prosit, præsertim gentilibus, Pauli prædicatione recens ad fidem conversis.

Ab initio significat quo fine seu consilio scribat, et ex quibus ea quæ narrat didicerit. *Sicut tradiderunt*, inquit, *nobis, qui ab initio ipsi viderunt, et ministri fuerunt sermonis : visum est et mihi, assecuto omnia a principio diligenter, ex ordine tibi scribere, optime Theophile, ut cognoscas eorum verborum, de quibus eruditus es, veritatem.*

Hinc intelligimus, 1° eum Lucæ fuisse propositum finem, ut

(1) I Pet. V, 13.
(2) De quo in *Epist. ad Philem. et ad Coloss.* mentio fit.
(3) Patrizi. ibid. cap. 3 .

Christi historiam et plenius et ex ordine narraret ; simulque gentibus recens ad Christum conversis , Domini documenta magis convenientia proponeret. Quæ sane ratio est, cur quædam omiserit quæ in prioribus Evangelistis leguntur ; et e contrario, addiderit non pauca, quæ in prioribus desunt.

Intelligimus, 2° eos a quibus res narrandas didicerit esse, tum Beatos Apostolos, præcipue, ut videtur Petrum ; tum ipsam B. Virginem Mariam. Etenim quæ narrat de Christo puero, sicut reliqua, *se assecutum esse*, ait, *a principio diligenter ;* jam vero illarum rerum nemo tunc jam supererat testis, ex quo eas *a principio* cognosceret, præter ipsam Beatissimam Christi Matrem ; ergo ex ipsa mysteria Incarnationis et infantiæ Christi S. Lucas didicit.

De Evangelio Joannis.

Joannes Evangelium suum in extrema vitæ suæ ætate conscripsit, sive in insula Pathmos, sive, ut alii volunt, Ephesi, circa finem primi sæculi.

Scripsit autem postulantibus Asiæ Episcopis, eo fine, ut magis atque magis divinam humanamque Jesu excellentiam proderet, demonstrando hunc esse *Christum Filium Dei ;* idque ad refellendos oppositos errores, qui grassari in Ecclesia jam cœperant.

Porro errores istos fuisse Docetarum, Gnosticorum, Cerinthianorum, Ebionitarum, et discipulorum Joannis Baptistæ, Patres testantur. Scripsit Joannes Evangelium , inquit , S. Hieronymus, rogatus ab Asiæ Episcopis, adversus Cerinthum, aliosque hæreticos, et maxime tunc Ebionitarum dogma consurgens : qui asserunt Christum ante Mariam non fuisse : unde et compulsus est divinam ejus nativitatem edicere. — Aliunde voces λόγος, ἀλήθεια, ζωή, φῶς, σκοτία, id est , *verbum* , *veritas*, *vita*, *lux*, *tenebræ*, quas longe frequentius aliumque in sensum, quam cæteri Evangelistæ, Joannes usurpat ; satis evincunt, ei rem esse cum hominibus orientali gnosticaque philosophia imbutis : qui voces illas ad placita sua de divinis rebus edicenda male detorquebant.

Videtur autem Evangelista imprimis Christi Jesu præ Joanne Baptista excellentiam declarare voluisse ; quo viam sterneret ad illud confirmandum, quod potissimum intendisse se testatur, dicens : *Hæc scripta sunt, ut credatis quia Jesus est Christus Filius Dei ; et ut credentes vitam habeatis in nomine ejus.* Joan. XX, 31.

Cæterum Joannes non pauca supplet quæ in prioribus Evangeliis desiderantur : 1° ordinem historicum ita sequitur, ut solus ex Evangelistis ab eo nusquam recedat. Tempora

etiam et annos, festaque præsertim paschalia diligenter adnotat : quod tres priores Evangelistæ neglexerunt. — 2° In Evangelio Joannis etiam animadvertere licet, Dominum maxime in festis paschalibus suam divinitatem, et profundissima mysteria proposuisse ; adeo ut tertio paschate, cum mansisset in Galilæa, Capharnai, mysterium Eucharistiæ proposuerit (Joan. VI). — 3° Denique solus Joannes præcipua acta primi anni prædicationis Christi describit : ex. gr. miraculum in nuptiis Cana, Nicodemi accessum de nocte ad Jesum, et alia, quæ Joanne Baptista adhuc baptizante, necdum incarcerato, contigerant ; cum reliqui tres Evangelistæ ea fere sola retulerint, quæ a Christo, post Joannem Baptistam in vincula jam conjectum, gesta sunt.

Hinc causæ intelliguntur, cur discrimine tanto Evangelium quartum a tribus prioribus Evangeliis, quæ *synoptica* dici solent, distinguatur. Intelligitur quoque, cur a tanta rerum altitudine Joannes exordium sumat. Cum enim hæreses circa divinitatem Christi destruere vellet ; et aliunde videret, Evangelistas priores humanam Salvatoris naturam atque ex Virgine generationem sufficienter asseruisse, de divinitate autem ejus attigisse pauca ; statuit divinam ejus generationem edicere, Evangelium ita exorsus : *In principio erat Verbum...*

Continet Evangelium Joannis capita XXI ; Lucæ, XXIV ; Marci, XVI ; Matthæi, XXVIII.

De Actibus Apostolorum.

Librum *Actuum* scripsit post Evangelium suum *S. Lucas ;* in eoque capitibus XXVIII, historiam narrat nascentis Ecclesiæ, spatio triginta circiter annorum. — Duæ distinguuntur narrationis partes : prior continet Christi in cœlos ascensionem, visibilem Spiritus sancti missionem in Apostolos, gesta Apostolorum, nascentis Ecclesiæ Christianæ primordia et persecutiones, usque ad liberationem Petri e carcere Herodis (cap. I-XII) ; — secunda, Pauli Apostolatum, itinera et historiam persequitur, usque ad finem primæ captivitatis ipsius in urbe Roma (cap. XIII-XXVIII).

De Epistolis B. Pauli generatim.

De *Epistolis B. Pauli* id in universum dici potest, in singulis duplex tractari argumentum, et hinc duplicem distingui partem : unam dogmaticam, alteram ethicam seu moralem.

In parte dogmatica explicat Apostolus mysteria fidei ; inter quæ inculcat potissimum hæc tria, tunc temporis præcipue scitu necessaria : 1° Christi œconomiam et gratiam, ipsum-

que unicum esse nostrum Redemptorem, a quo omnis gratia, justitia, et salus exspectanda sit. — 2° Legem cæremonialem Judæorum per Evangelicam legem penitus esse abrogatam. — 3° Hæreses jam tunc suborientes, et alienas a puritate Evangelii doctrinas, esse fugiendas. Has passim perstringit, imprimis Simonis Magi et Gnosticorum placita : ita ut, quæ de cavenda philosophia, de falsa angelorum religione, de superstitioso ciborum delectu, et similibus monet, ad pravas istorum hominum doctrinas referantur.

In altera Epistolarum parte, quæ moralis est, Apostolus virtutes docet Christianas et ethicam sacram ; idque non per methodicum sermonem, sed per breves nervosasque sententias, sæpe promiscue et sine ordine congestas : qui modus epistolæ consentaneus est, et Hebræis erat in usu, ut ex libris Sapientialibus patet.

Epistolæ B. Pauli sunt numero quatuordecim : ad Romanos, habens capita XVI ; — I ad Corinthios, similiter XVI ; — II ad Corinthios, XIII ; — ad Galatas, VI ; — ad Ephesios, VI ; — ad Philippenses, IV ; — ad Colossenses, IV ; — I ad Thessalonicenses, V ; — II ad Thessalonicenses, III ; — I ad Timotheum, VI ; — II ad Timotheum, IV ; — ad Titum, III ; — ad Philemonem, I ; — ad Hebræos, XIII.

De Epistola ad Romanos.

In hac Epistola docet Apostolus, gratuitum esse Dei donum justificationem : hoc est, non ob legis observantiam, aut ex ullo operum merito vel respectu, sed gratis per fidem in Christum justificari tam Gentiles quam Judæos.

Hanc autem doctrinam tradit discutiendo quæstionem operum Mosaicæ legis, et Christi gratiæ : utrum videlicet Judæis solis, propter merita operum suæ legis, data sit justitia et salus ; an vero omnibus omnino nationibus a Deo concessum sit, ut per fidem in Christum et per ejus gratiam justificentur. — Hac enim de re Romæ inter Christianos, partim ex Judæis, partim ex Gentibus ad fidem conversos, contentio erat : Gentibus philosophiam et virtutes morales jactantibus pro sua justitia ; Judæis vero venditantibus opera legis, et quod essent posteri Abrahæ, quibus promissus erat Messias, et salus : ita ut sibi Judæis *pro jure ac merito* Evangelica gratia daretur, Gentibus non item.

Utrosque refellit in hac Epistola Paulus : ostendens, Judæos contra legem Moysis, Gentes contra legem naturæ gravissime peccasse, et utrosque indiguisse Redemptore ; utrisque autem promissum fuisse Messiam, cujus fide et gratia *gratis* justificentur, et sic æternam salutem consequantur (cap. I — XI).

Sequitur deinde (XII-XVI) Epistolæ pars ethica, qua Romanos imprimis a vitiis et corruptelis sæculi revocat ; eosque hortatur ad charitatem, ad parendum ex animo magistratibus, ad fovendos infirmos in fide, Christi Salvatoris exemplo.

De Epistola I et II ad Corinthios.

Apostolus *prima ad Corinthios Epistola*, horum contentiones componit ; concordiam commendat et humilitatem, abusus quosdam eorum arguens et corrigens (I-VI) ; capite VII et sequentibus, varia sibi proposita dubia resolvit : de matrimonio et virginitate, de esu idolothytorum, de mulierum in templis velatione, de cœna Eucharistica, de Spiritus sancti donis, de præcellentia charitatis, de usu donorum Spiritus sancti in Ecclesia, de corporum resurrectione, quam probat et explicat.

Secunda vero *ad eosdem Epistola*, exponit causas cur iterato ad ipsos scribat : quas tres fuisse S. Chrysostomus observat. Prima, quod variis adversitatibus retardatus, ad eos per se ipsum venire non possit, ut constituerat. Secunda, ne solatio destitueret quos prius salutari tristitia perculerat. Tertia, ut se et ministerium suum tueretur contra criminatores pseudo-apostolos, qui Paulum variis dicteriis lacessiverant. — Summa igitur hujus Epistolæ, ut recte Piconius dicit, consolatoria est et apologetica : Corinthiis consolatoria, apologetica Paulo.

De Epistolis ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses et ad Thessalonicenses.

Epistola ad Galatas apologia est, qua Paulus contra pseudo-apostolos, qui ipsius ministerium in invidiam trahebant, eo quod legis Mosaicæ cæremonias repudiaret, ostendit, legalium necessitatem jam nullam esse. — Convenit hæc Epistola cum ea quæ ad Romanos scripta est, quod in utraque doceat Apostolus, non ex lege et cæremoniis, sed ex fide Christi hominem justificari. Verum hoc interest, quod ad Romanos scribens intentionem magis dirigat contra nuda opera legis ; hic vero præcipue contra cæremonias, ad quarum observationem a pseudo-apostolis Galatæ urgebantur.

In fine Epistolæ, Galatas ad curam bonorum operum exstimulat.

In *Epistola ad Ephesios*, Paulus fideles Ecclesiæ Ephesinæ in fide confirmat, et sublimiora mysteria perfectius edocet : de redemptione et justificatione nostra per mortem Christi, de

vocatione Gentium, de prædestinatione gratuita, de glorificatione Christi et corporis ejus quod est Ecclesia. — Præterea varios hominum status sanctissimis morum regulis informat.

In *Epistola ad Philippenses*, Apostolus fideles illos laudat ob perseverantiam in fide, constantiam in persecutionibus, et contemptum pseudo-apostolorum ; adhortans eos ad omnem virtutem, ad mutuam dilectionem Deique timorem.

In *Epistola ad Colossenses*, declarat Paulus gaudium suum ob susceptam a Colossensibus Christi fidem ; eosque monet, ut sibi caveant a superstitionibus circa discrimen ciborum et dierum, ac falsum cultum angelorum : non enim per angelos, ait, sed per Christum, Dei Filium, per quem omnia condita sunt, nos instaurari ac reconciliari cum Deo. — Colossenses itaque hortatur, ut in fide constantes maneant : quem in finem potiores Christianæ vitæ regulas illis suppeditat. — Hæc Epistola, inquit Piconius, quoad materiam et sententias, affinis est Epistolæ ad Ephesios ; hæcque, sicut illa, sublimis est et grandiloqua.

Epistola ad Thessalonicenses prima, duplicem partem exhibet. — In prima parte Apostolus Thessalonicensibus gratulatur de suscepta feliciter fide, et inter plures persecutiones fortiter custodita. — In secunda parte, quorumdam particularium flagitia perstringit, quos ad æmulandum virtutum studia adhortatur.

In *Epistola ad Thessalonicenses secunda*, Apostolus similiter ab ipsorum commendatione incipit ; deinde exponit adventum Christi secundum ; demum Thessalonicenses fideles ad virtutis studium exhortatur.

De Epistolis ad Timotheum, ad Titum et ad Philemonem.

In *Epistola ad Timotheum prima*, Apostolus hunc suum discipulum instituit circa munus Episcopi. 1° Instruit eum de doctrina, quomodo debeat docere ; 2° de cultu, quomodo Deus sit orandus ; 3° de ordinatione ministrorum : quæ in Episcopo et diacono dotes requirantur. — 4° Contra suborituras hæreses Timotheum præmunit. — 5° Docet eum, quomodo erga omnes et singulos fideles, pro varietate statuum se gerere debeat. — 6° Servos docet obedientiam, divites humilitatem et liberalitatem. — 7° Denique Timotheum hortatur ad omnia vitia fugienda, ad omnem justitiam sedulo sectandam : imprimis vero, ut fidei depositum servet, novaque vitet dogmata.

In *Epistola ad Timotheum secunda*, idem fere argumentum prosequitur : docendo scilicet quæ sint Episcopi ac Pastoris officia ; et quo magis Timothei zelum inflammet, de semetipso

loquens, suam prædicit proximam mortem et futurum apostolici laboris præmium.

In *Epistola ad Titum*, similiter de episcopali munere agit. Primum enim de Presbyteris sive Episcopis ordinandis Titum admonet ; deinde docet , quanta cura judaizantes et hæreticos reprimere , quibusque exemplis gregi debeat prælucere. Postremo ad morum præcepta accedens, variarum ætatum ac personarum officia præscribit , imprimis obedientiam ac subjectionem commendans.

In *Epistola ad Philemonem*, Apostolus Philemoni commendat Onesimum, servum fugitivum , furtique forsan reum , ut illum, jam ad fidem conversum, in gratiam rursus recipiat.

De Epistola ad Hebræos.

Hanc Paulus Epistolam *ad Hebræos* omnes, toto orbe dispersos , sed maxime ad Hebræos Palæstinenses scribit : ut ex una parte , eos qui fidem receperunt et propterea persecutionem patiuntur, in Christo confirmet ; ex altera vero , ut eos qui non crediderunt, ad Christum adducat. — Quapropter in tota Epistola illud agit , ut Christi supereminentem dignitatem et officium ostendat : seu , ut Christum majorem Moyse , Evangelium præstantius lege Mosaica , sacerdotium Christi sacerdotio levitico melius esse demonstret. Deinde eos exhortatur ad viriliter perferenda omnia pro Christo, ad permanendum in officio, ad Christi promissa fideliter exspectanda.

De septem Epistolis catholicis.

Epistolas B. Pauli proxime sequuntur septem aliæ Epistolæ diversorum Apostolorum : scilicet Epistola una *B. Jacobi*, geminæ *B. Petri*, tres *B. Joannis* , una *B. Judæ* : quæ passim *catholicæ*, aut etiam quandoque *canonicæ* vocantur.

Catholicæ, sive universales nominantur (1), 1° quia catholicam fidem, legem, Ecclesiam describunt , et commendant fidelibus. — 2° Quia , si excipiantur secunda et tertia Joannis , non ad unam personam , civitatem aut locum : ex. gr. ad Timotheum, ad Romanos, etc., sed ad omnes, ubique variis in provinciis dispersos, Christi fideles scriptæ sunt.

Eædem septem Epistolæ etiam appellantur *canonicæ* : 1° quia fidelibus apostolicum *canonem*, seu regulam, normam et formam recte et christiane vivendi præscribunt ; et 2° quia canonicam sanctæ Scripturæ, veritatisque a Deo revelatæ, auctoritatem ac dignitatem obtinent.

(1) Vel etiam *encyclicæ*, id est, orbiculares sue circulares, ut eos Græci cum Theodoreto et Œcumenio vocant.

Continet Epistola B. Jacobi capita V ; — I Petri similiter V ; — II Petri, III ; — I Joannis, V ; — II et III Joannis, ut et Epistola B. Judæ, caput 1.

De Epistola B. Jacobi Apostoli.

Jacobus hujus Epistolæ auctor, est *Jacobus Minor*, seu *Jacobus Alphæi*, frater Domini, Jerosolymæ Episcopus. Scopus et argumentum hujus Epistolæ est, docere fideles, eosque animare ad constantiam in persecutione, quam a Judæis et Gentibus patiebantur. Ab exordio enim dicitur : *Omne gaudium existimate, fratres mei, quum in tentationes varias incideritis...* et deinceps graphice invictæ patientiæ decus ac majestas depingitur. — Tres distingui possunt Epistolæ partes : prima fideles instruit de probationum utilitate, de efficacia verbi Dei, etc. — Secunda corrigit abusus quosdam et errores ; nominatim vero confutat Simonem Magum ejusque asseclas, qui doctrinam S. Pauli in pravum sensum detorquentes, bona opera esse ad salutem superflua volebant. — Tertia consolatur eos, qui persecutionibus sunt obnoxii, eosque docet quid variis vitæ casibus sit agendum.

De duabus Epistolis B. Petri Apostoli.

Epistola prima Petri, partim gratias exponit Christi fidelibus concessas ; partim monita tradit saluberrima, cuivis conditioni et ætati accomodata : ut innocentiam baptismalem custodiant, atque orationem, dilectionem mutuam, temperantiam, obedientiamque colant.

In *Epistola secunda*, Petrus hortatur fideles, ut secundum accepta a Deo dona ad virtutem nitantur, sicque cœlestis regni participes fiant. Jubet ipsos vitare pseudo-prophetas, quibus graves minas intentat. Agit demum de secundo Christi adventu.

De tribus Epistolis B. Joannis Apostoli.

Epistola prima Joannis versatur partim circa divinitatem Christi, contra Ebionem et Cerinthum ; partim circa ejus humanitatem, contra Basilidem adstruendam. — Præterea doctrinam istam variis exhortationibus, intertexit : et mandatorum Dei observantiam, bonorumque operum, præsertim charitatis necessitatem, contra Simonem Magum fidelibus commendat.

In *Epistola secunda,* Joannes idem fere argumentum, de quo in præcedenti egit, contra Basilidem prosequitur ; simulque Electam adhortatur, ut sibi cum suis filiis ab hæreticis, eorumque perversis dogmatibus sedulo caveat. Porro nomine *Electæ,* alii certam quamdam Ecclesiam, alii nobilem matronam intelligunt.

In *Epistola tertia*, Joannes fidem Caii et charitatem in peregrinos extollit, eumque ad perseverantiam hortatur.

De Epistola B. Judæ Apostoli.

Epistolæ hujus auctor est *B. Judas*, frater Jacobi Minoris, appellatus alio nomine *Thaddæus*. — Commendat S. Judas necessitatem bonorum operum contra quosdam pseudo-apostolos et hæreticos, fidem sine operibus sufficere contendentes. A quibus ut cavere possint fideles, characteres eorum notat : nimirum contemptum cujusvis dominationis, libidinem blasphemandi ea quæ vel improbant, vel non intelligunt ; et demum effrenatam lasciviam.

De Apocalypsi B. Joannis Apostoli.

Hic liber capita complectitur XXII, et tres partes : quarum prima tribus capitibus prioribus, tertia tribus ultimis, secunda vero sexdecim intermediis constat (1).

Pars prima et ultima facilis est intellectu. Nam inter plerosque convenit, quemadmodum tria prima capita ad septem Asiæ Episcopos spectant, quas S. Joannes de suo officio commonet, sic ultimis tribus triumphum Christi, extremumque judicium et sempiternam Beatorum gloriam celebrari.

At reliqua sexdecim capita, quæ inter primam tertiamque partem interjacent, vehementer omnium interpretum sagacitatem et ingenium exercuere. Quamvis enim generatim agnoverint facile, sermonem esse, 1° de calamitatibus ac bellis, Ecclesiæ Christi inferendis ; 2° de victoriis, quas Christus de iis sit relaturus ; 3° denique de ultione, quam ab hostibus propter occisos Martyres Deus exiget : tamen, in particulari ostendere, quando, et per quos hæc evenerint, aut ventura sint, cum certitudine non potuerunt. Hinc duas in classes divisi sunt expositores.

Primæ classis duces fuere SS. Patres et scriptores antiquissimi, qui potissimum de temporibus Antichristi et extremo judicio mysteria hæc exposuere, sensuque allegorico vel tropologico singula ad morum doctrinam accommodarunt.

Secundam classem constituunt viri doctissimi recentioris ævi, Ludovicus Alcaçar, Bossuetus, Calmetus et alii : qui ad eventus historicos jam transactos, omnia revocare aggressi sunt ; quanquam in illis eventibus designandis inter se varie discrepant. Juxta quosdam ex illis, *terra* est Romanum imperium ; *bestia habens capita septem*, significat imperatores sep-

(1) Alias, juxta Bedam, Pererium et Viegam, tota Apocalypsis materia in septem partes dividi potest, ratione septem visionum quas complectitur. Cfr. De Badts, *Analysis Apocalypsis, annotationibus illustrata.*

tem, persecutores Ecclesiæ; *septem phialæ*, calamitates varias, quibus Romanum imperium, præsertim post Diocletiani persecutionem vexatum est, etc.

Utrum verius exponant recentiores quam antiqui, dubium est. Illud forte dici possit: si prophetia Joannis impleta jam esset, id clarius quidem appareret; verumtamen, fata jam præterita umbræ quædam sunt aut imagines atque præambula eorum, quæ in fine mundi contingent, et quibus proprie ac plene apocalyptica vaticinia implebuntur. *Ultima tribulatio*, inquit S. Gregorius, *multis tribulationibus prævenitur; et per crebra mala quæ præveniunt, indicantur mala perpetua quæ subsequentur* (1). Quibus verbis consonare videntur illa ipsius Christi Domini: *Oportet hæc fieri, sed nondum est finis...... hæc omnia initia sunt dolorum.* Matth. XXIV, 6, 8.

QUÆSTIO 2.

Quo sensu inter se distinguuntur S. Scripturæ textus, versiones, codices, et editiones?

Resp. Quatuor hæc: *textus*, *versiones*, *codices*, et *editiones*, ad Scripturarum integritatem spectant et concurrunt; atque interpretem juvant, ut genuinum Scripturarum verbum, ab omni accidentali alteratione purum discernat.

Nomine *Textus* sacri intelligitur peculiaris sermo, quo res in Scripturis contentæ exprimuntur. Hujusmodi autem textus, vel est *originalis*, *primigenius*, quo nimirum libri ab auctoribus scripti sunt; vel est *translatitius*, quo scriptæ sunt versiones. Textus translatitii simpliciter *versiones* vocari solent.

Textus itaque sensu hermeneutico stricte dicuntur textus *primigenii*, seu Scripturarum *archetypa*. — Duo sunt textus: *hebraicus*, spectans ad majorem partem veteris Testamenti; et *græcus*, ad partem veteris, et ad novum Testamentum integrum.

Versiones, hermeneutica auctoritate gaudentes, sunt duntaxat vetustæ; quarum aliæ sunt *immediatæ*, quibus ipse textus expressus est: ut sunt versiones græcæ, et latina Vulgata, maxima ex parte; — aliæ sunt *mediatæ*, ex aliis translationibus deductæ: ut vetus latina veteris Testamenti, syriaca hexaplaris, arabicæ pleræque, coptica, etc.

Codices dicuntur antiqua volumina hactenus conservata, quibus sive textus, sive versiones continentur. Variorum codicum collatio utilis est ut textuum et versionum genuina *lectio* habeatur.

Editiones vocantur textuum, versionum vel codicum typographicæ reproductiones.

(1) Homil. 35 *in Evang.*

QUÆSTIO 3.

Quid sciendum de textu hebræo ejusque codicibus et editionibus?

Resp. Textus *hebræus* seu *hebraicus*, est textus originalis totius fere antiqui Testamenti. Characteribus hebraicis scriptus, prout ab initio prodierat, remansit usque ad Esdram, post captivitatem Babylonicam; ab Esdra autem characteribus chaldaicis descriptus est (1); et postmodum, circa annum Christi 500, Masoretharum opera punctis vocalibus munitus.

Post Esdræ instaurationem, textus *hebraicæ veritatis*, ut ab Hieronymo vocatur, integer et incorruptus, non quidem in ipsius Esdræ autographo, sed in apographis servatus est. — Complectitur autem libros V. T. protocanonicos, qui omnes hebraice scripti sunt, si excipiantur quædam fragmenta chaldaice edita.

Codices manuscripti, hodiedum exstantes, vix sunt sæculo XII antiquiores; cum Judæi, religionis causa, exemplaria vetusta destruere soleant. — Quatuor distinguuntur codicum familiæ: codices *hispani*, *orientales*, *germani* et *itali*; in quibus examinandis et adnotandis magnam curam impenderunt Kennicott, et post eum De Rossi.

Ad codices manuscriptos exactus, textus hebraicus sæpius typis mandatus est. Inter varias editiones præcipue accurata est editio Amstelodamensis 1705, recusa Lipsiæ 1839.

Antiqui Samaritani adhuc hodiedum, ad paucas tamen familias redacti, perdurantes, et habitantes Neapoli Syriæ (*Naplouse*), cum suscipiant tantummodo quinque libros Moysis, conservant Pentateuchum, samaritanis characteribus descriptum. Hunc primus in Europa edidit Morinus ex codice Damasceno, anno 1616. — Samaritanorum porro Pentateuchus, non a sacerdote Manasse post captivitatem; sed probabilius, ut Morinus, Dupinus, aliique probant, a schismate decem tribuum originem habet.

QUÆSTIO 4.

Quid cognoscendum de textu græco, ejusque recensionibus, codicibus, lectionibus et editionibus?

R. *Textus græcus*, qui textus primigenius est novi Testamenti (2), autographus quidem periit; sed integer et incor-

(1) De opera biblica *Esdræ*, deque *punctis masorethicis* dicetur articulo sequenti.

(2) Textus græcus partis V. T., nempe libri *Sapientiæ* et *II Machab.* etiam originalis est, nec cum versione LXX confundendus. Cf. supra, pag. 15.

ruptus servatus est in exemplaribus apographis, quæ ab initio innumera confecta sunt, et per Ecclesiam diffusa.

Recensiones. — Cum autem ex tam multiplici descriptione quædam vocabulorum mutationes, etsi accidentales, in textum irrepsissent ; ne nimium hujusmodi *lectiones* variæ excrescerent, inde a sæculo tertio textus *recensiones* confectæ sunt ad normam codicum optimorum qui in Ecclesiis asservabantur. Hujusmodi recensiones adornarunt Hesychius, Lucianus, Origenes, et præsertim Adamantius et Pierius, quorum exemplaria S. Hieronymus laudat.

Codices. — Textus græci *codices exstantes* , in duas dividuntur classes : alii sunt sæculo X recentiores, iique fere innumeri, qui secundaria tantum auctoritate gaudent ; alii sæculo X antiquiores, numero quinquaginta duo, qui *unciales* vocantur, eo quod litteris uncialibus, seu quadratis et majusculis exarati sunt.

Codices unciales designari solent per litteras majusculas A, B, C, etc. — Celeberrimi autem sunt sequentes.

1° Codex *Alexandrinus* (A), servatus in musæo Britannico : continet utrumque Testamentum fere integrum.

2° Codex *Vaticanus* (B), omnium præstantissimus et fere antiquissimus. Probat Vercellone, codicem hunc scriptum esse sæculo IV, Alexandriæ Ægypti, et quidem unum ex iis codicibus, qui jussu Constantini exarati sunt ad illius Ecclesiæ usum. — Codex Vaticanus utrumque Testamentum continet integrum, excepta parte Genesis et Psalmorum : quas tamen lacunas supplevit ex aliis optimæ notæ codicibus, Card. Maï, in sua celebri editione anni 1857.

3° Codex *Ephræmi rescriptus* (C), in bibliotheca Parisiensi : continet solummodo fragmenta Evangeliorum.

4° Codex *Cantabrigiensis et Claramontanus* (D), quorum prior continet Evangelia et Actus ; posterior, Epistolas Pauli.

5° Codex *Sinaiticus* (E), in monasterio montis Sinai a Tischendorfio nuper repertus, et repositus in bibliotheca Petropolitana : continet novum Testamentum integrum ; in vetere Testamento deficit libris plurimis. Refertur a Tischendorfio ad sæculum IV (1).

Lectiones. — Quoniam autem in tam multis codicibus variæ sunt *lectiones*, seu textus differentiæ accidentales ; quo melius de diversa earum auctoritate judicari posset, codices omnes in quasdam veluti familias redacti sunt. Bengelius duas distinxit codicum familias, Asiaticam et Africanam. — Griesbachius

(1) De codicibus copiose tractant Scholz, *Præfat. ad edit. textus græci* novi Testamenti ; item Tischendorf, *Proleg. ad edit. VII novi Testamenti græci.*

vero, existimans tres antiquitus factas esse recensiones, tres distinxit familias : 1° *Occidentalem ; 2° Orientalem sive Alexandrinam ; 3° Constantinopolitanam* sive *Byzantinam*. — Tischendorf duas duntaxat admittit familias : ad unam refert exemplaria Alexandrina et Occidentalia ; ad alteram vero Asiatica et Byzantina.

Jam vero ex variis hisce classibus, exemplaria Alexandrina potioris esse auctoritatis existimantur.

Editiones. — Typographicæ *editiones* textus græci plurimæ sunt confectæ, quarum prima habetur in *Bibliis polyglottis Complutensibus*, 1514. Hanc deinde secutæ sunt aliæ non paucæ. — Nuper Constantinus Tischendorf, vir acatholicus, multo studio in lucem emisit, præter Sinaiticum, alios codices vetustiores ; nec non septem diversas textus græci editiones. Editioni septimæ adjecit apparatum criticum, continentem variantes lectiones, a Wetstenio, Griesbachio, Scholzio collectas, et plures alias ab ipso repertas. — Laude dignus sane hujusmodi laboris auctor eruditus ; at immerito prorsus a textu expunxit versiculos quosdam : nimirum, Joan. V, 4 ; VIII, 1-11 ; I Joan. V, 7 ; item, arbitraria contra antiquitatis auctoritatem, interpunctione adulteravit sensum quorumdam locorum : ut, verbi gratia. Rom. IX, 5 : *Ex quibus Christus secundum carnem, qui est* (secundum carnem. Qui est) *super omnia Deus benedictus in sæcula.*

Ad normam codicis Vaticani editiones plurimæ dudum prodierunt, quas recenset Lelong (1). Nuper autem idem Vaticanus codex typis excusus est studio et cura eruditissimi Cardinalis Maï, qui laborem hunc insignem anno 1826 inchoatum. anno 1857 demum absolvit. — Iterum nuperrime, ne operi tam pretioso vel iota unum aut unus apex deesset, jussu Pii IX idem codex nova cura editus est a duobus viris peritissimis, PP. Vercellone et Coza. Cœpta hæc editio mense Julio 1868 (2).

QUÆSTIO 5.

Quænam sunt præcipuæ SS. Bibliorum versiones hodie exstantes ?

Resp. De antiquis versionibus quæ auctoritate hermeneutica valent, duntaxat hic agitur. Hujusmodi autem versiones (3) sunt : 1° versio græca LXX Interpretum ; 2° versio samaritana ;

(1) In *Bibliotheca sacra*.

(2) Hanc editionem plus æquo severe judicavit Tischendorf, in opusculo edito Lipsiæ, anno 1869, dum eam incuriæ notavit. Etenim quam immerito, vir cæteroquin eruditus, id fecerit, mox demonstratum est. Vid. *La civiltà cattolica* mense Aug. 1869, serie 7, pag. 269.

(3) Cf. *Valtoni prolegomena*, cap. 1, 2.

3° paraphrasis chaldaica ; 4° versio syriaca ; 5° versio æthiopica ; 6° versio armeniaca ; 7° versio coptica ; 8° versio arabica ; 9° versio *Itala* ; 10° versio *Hieronymiana* ; 11° versio latina *Vulgata*.

QUÆSTIO 6.

Quænam est et quanti pretii versio LXX Interpretum?

Resp. Antiquissima hæc (1) et omnium prima Scripturarum translatio confecta est, anno ante Christum natum 277, jussu Ptolemæi-Philadelphi Ægypti regis, a viris Judæis septuaginta duobus, ut testatur Aristæus, scriptor Ptolemæo coævus. — Utrum autem illi interpretes separatim laboraverint, et omnes Deo inspirante eamdem versionem confecerint (2) ; an vero simul conferentes (3), non satis constat.

Etsi interpretes fuerint LXXII, compendio tamen *versio LXX Interpretum*, vel simpliciter *versio LXX* dici solet. Vocatur etiam *Alexandrina*, quia Alexandriæ effecta est.

Hæc versio non sine speciali Dei providentia prodiit in lingua omnium latissime per orbem propagata : ut ante ortum Solis justitiæ, aliquo prævio lumine mundum illustraret, viamque pararet adventui Salvatoris. Scripturarum enim lectione paratiores reddebantur gentilium animi ad Christi fidem recipiendam, dum viderent sibi ea ab Apostolis nuntiari, quæ jam tanto tempore ante, a prophetis prædicta legerant.

Quosnam libros transtulerint LXX Interpretes, incertum est ; non enim constat utrum omnes libros canonis Hebræorum verterint, an tantum quinque libros Moysis ; at vero circa idem tempus, vel paulo post, omnium librorum versio græca exstabat : ut ex prologo libri Ecclesiastici, sub Ptolemæo Evergete scripto, colligitur.

Hodie versionis LXX codices MS. sæculo IV antiquiores non exstant. Præcipui sunt Vaticanus (B), Alexandrinus (A), et Sinaiticus (E), de quibus supra.

Hæc versio, qua usi sunt ipsi Apostoli, magnam semper auctoritatem habuit et etiamnum obtinet ; quanquam progressu temporis, vel hominum malitia vel incuria, non paucas passa est adulterationes, ut gravissimi Doctores cum Bellarmino opinantur ; integra tamen manente substantia.

Præter versionem LXX Interpretum, aliæ postmodum græca lingua confectæ sunt : ut versiones *Aquilæ*, *Symmachi*, *Theodotionis* Judæorum, quarum fragmenta tantum quædam supersunt. — Origenes plures collegit versiones græcas cum textu hebraico comparatas, variasque editiones confecit, quæ *Tetrapla*, *Hexapla*, etc. a columnarum numero vocabantur.

(1) Cf. Bonfrerii *Præloquia*, cap. XVI. — (2) Augustinus, *De Civit. Dei*, XVIII, 42, 43. — (3) Ut Aristaeuts refert in *Epistola* celeberrima, de cujus tamen documenti auctoritate dispuatur.

QUÆSTIO 7.

Quid dicendum de versionibus Orientalibus reliquis, Samaritana, Chaldaica, etc.?

R. 1° De versione *Samaritana.* — Præter Pentateuchum, hebraica lingua, et samaritanis, sive antiquis Hebræorum litteris descriptum, habent etiam Samaritani Pentateuchum in linguam samaritanam vulgarem conversum. Versio hæc saltem ad prima Christianæ æræ sæcula est referenda.

2° *Paraphrases chaldaicæ,* seu *Targumim,* sunt explicata quædam versio, a variis auctoribus, ut Onkelos, Jonathan Ben-Uziel et Josepho cæco, diversis temporibus concinnata ; ita ut prior pars, quæ continet legem et prophetas, ad tempora Christi ascendat.

3° *Versio Syriaca,* tam veteris quam novi Testamenti, quæ *Peschito* seu *Simplex* vocatur, plerumque in vetere Testamento textum hebræum sequitur, ex quo facta est. Edita creditur non multo post Apostolorum tempora ; imo neque improbabilis est opinio, versionem Peschito V. T. factam fuisse ante Christum (1).

4° *Versio Æthiopica* totius Scripturæ ad sæculum IV vel V ascendere videtur. In vetere Testamento plerumque sequitur græcam ; in novo, multum cum Vulgata latina concordat.

5° *Versio Armeniaca* totius Scripturæ, ad sæculum V probabilius refertur.

6° *Versio Coptica,* sive Ægyptiaca, circa tempora Concilii Nicæni facta est.

7° *Versio Arabica,* quæ exstat varia, non ultra sæculum VIII videtur ascendere.

QUÆSTIO 8.

Quid intelligitur nomine versionis ITALÆ ?

Resp. Hoc nomine vocatur versio latina, versione S. Hieronymi anterior. — Indubium omnino videtur, ab apostolicis temporibus versiones latinas fuisse confectas, easque plurimas ; ex quibus unam communiter receptam fuisse in Africa sub finem sæculi II, indicat Tertullianus (2).

Certe tempore Augustini et Hieronymi, variæ existebant versiones latinæ, inter quas eminebat una, quam Augustinus *Italam,* Hieronymus *Vulgatam,* Gregorius *Veterem* appellant. Hæc autem *Itala* continebat vetus Testamentum, ex versione LXX, et novum ex textu græco translatum (3).

(1) Vid. dissert. Le Hir, *de codice Curetoniano.*
(2) *Adversus prax.* V.
(3) Veteris *Italæ* magna fragmenta collegit Sabatier : *Biblior. sacror. Latinæ versiones antiquæ.*

Versione *Itala* usa est Ecclesia latina usque ad. S. Hieronymum, qui eamdem quoad libros N. T. correxit; in vetere autem Testamento, quoad libros canonis Judæorum nova translatione ex hebræo mutavit. Ab hoc tempore utraque versio, *Itala* et *Hieronymiana*, adhibita est usque ad tempus S. Gregorii Magni (sæc. VII), quo Hieronymi versio, paucis partibus exceptis, sola usurpari et *Vulgata* vocari cœpit, ut infra explicabitur.

QUÆSTIO 9.

Quænam dicitur versio Hieronymiana?

Resp. Accuratissimam S. Hieronymus totius Scripturæ versionem latinam adornavit merito celeberrimam (1).

Quæ quidem in *vetere Testamento* est duplex: prior, qua secundum versionem LXX Interpretum Jobum, Psalterium, Proverbia et Ecclesiasten *e græco* transtulit in latinum, alios autem antiquæ versionis latinæ libros duntaxat emendavit; — posterior, qua libros omnes hebraice vel chaldaice scriptos, *ex hebraico* vel *chaldaico* textu latine convertit.

In *novo Testamento* non tam versionem novam, quam castigationem seu emendationem tantum versionis antiquæ, juxta textum græcum S. Doctor confecit; prout ipse de se testatur, dicens: *Novum testamentum græcæ fidei reddidi, vetus juxta hebraicum transtuli* (2).

QUÆSTIO 10.

Quid tenendum de versione VULGATA, *deque ejus correctoriis et editionibus?*

Resp. Versio Vulgata, cujus nunc usus obtinet in Ecclesia, et quam Tridentinum concilium declaravit *authenticam*, fere tota est Hieronymi, sive versoris, sive emendatoris.

In particulari, *quoad vetus Testamentum*, ex S. Hieronymi versione habemus omnes quotquot in Hebræorum canone libri fuerunt, præter Psalterium: hoc est, *Pentateuchum, Josue, Judices, Ruth, libros Regum, Paralipomenon, Esdræ, Esther* (3), *Job, Proverbia, Ecclesiastes, Canticum canticorum, majores et minores Prophetas* (4); et insuper libros duos, *Judith et Tobiam*, qui in hebræo non erant, et ab Hieronymo ex textu chaldaico translati sunt.

(1) Cf. Migne, *Patrolog. Opera omnia S. Hieron.* tom. 9, 10.

(2) *De viris illustr.* n. 135.

(3) Præter *appendiculas* in fine libri, quæ sunt versionis italæ ab Hieronymo recognitæ.

(4) Excipe *Baruch cum epistola Jeremiæ*; nec non, quædam fragmenta Danielis.

Reliquos libros, *Sapientiam*, *Ecclesiasticum*, *Baruch cum epistola Jeremiæ*, *Machabæos* (1), habet Ecclesia ab auctore incognito antiquæ versionis *italæ* (2), quæ, ut dictum est, ante Hieronymi tempora in usu erat.

Psalterium S. Hieronymi Ecclesia, quæ a Spiritu sancto semper regitur, justas ob causas non admisit; sed antiquum (3) retinuit, aliquatenus tantum ab Hieronymo emendatum. Scilicet Hieronymus præter translationem Psalmorum ex hebræo, adornavit, juxta textum græcum, correctionem seu castigationem Psalterii antiquæ italæ, et quidem duplicem (4): quarum prior vocatur *Psalterium Romanum*, et Romæ in basilica Vaticana adhibetur; altera plenior et accuratior, quæ admissa fuit in Ecclesiis Galliæ, et inde dicitur *Psalterium Gallicanum*, est Psalterium nostræ Vulgatæ (5).

Quoad novum Testamentum, integram habemus emendationem Hieronymi: id est, antiquam *italam*, quæ primitus per Ecclesias erat vulgata, ab Hieronymo juxta græca exemplaria emendatam. Cujus antiquæ versionis latinæ licet ignoretur auctor, dubium tamen non est, eam sub Apostolorum tempora fuisse factam, atque adeo a viro apostolico et Spiritu Dei pleno. Hanc, ut dictum est, Hieronymus emendavit, Ecclesiaque amplexa est, et cum reliquis Vulgatæ editionis libris, in Concilio Tridentino (6) declaravit *authenticam*. — Quo porro sensu Vulgata editio authentica declarata sit, dicetur infra.

De recensionibus et correctoriis Vulgatæ. — Tempore S. Gregorii Magni et S. Isidori Hispalensis, sæculo nempe VII ineunte, versio S. Hieronymi fere sola adhiberi, et vulgaris seu *vulgata* esse cœpit. Mox autem multiplicatis hujusmodi Vulgatæ exemplaribus, cum multiplicata essent librariorum menda, initio sæculi IX Alcuinus, adhortante Carolo Magno, codicibus emendandis allaboravit, et latinam recensionem instituit. — Similes labores deinceps suscepti sunt à Lanfranco, a S. Petro Damiano, præcipue vero a Fratribus Prædicatoribus. Hi sæculo XIII illud eleborarunt opus, quod

(1) His adde appendiculas libri Esther. — Libros hosce deuterocanonicos Hieronymus neque transtulit neque emendavit.

(2) Quæ ex Daniele Hieronymus hebraice non reperiit, habemus ex versione Theodotionis.

(3) Quod quidem antiquum Psalterium translatum erat, non ex LXX textu puro, sed ex editione Lucianea, qua nimirum Lucianus Martyr, hebraici idiomatis peritus, textum LXX ex hebræo emendarat.

(4) Utramque vide apud Migne, *Patrolog.* opp. S. Hieron. tom. 10, col. 119.

(5) Cf. Mabillon, *De liturgia Gallicana.* — Item, Lamy, *Introduct. in S. Script.* tom. 2, cap. 12, *de libro Psalmorum.*

(6) Sess. IV, *Decreto de editione et usu SS. Librorum.*

Correctorium Dominicanum vocatur, et nuperrime a P. Vercellone repertum est. — Postmodum alia correctoria confecta sunt, quæ licet recentiora, utilitate non carent.

De Vulgatæ codicibus. — Inter Vulgatæ codices manuscriptos plurimos, præcipuus et antiquissimus est *codex Amiatinus*, universa complectens Biblia; deinde accedit *codex Gothicus*, Alcuiana recensione anterior; postea *codex Paulinus* et *codex Vallicellianus*, qui duo secundum Alcuini recensionem exarati sunt (1).

De Vulgatæ editionibus. — Editiones typis excusæ, ab exordio fere artis typographicæ prodierunt. Biblia integra primum edita sunt Moguntiis, anno 1462; moxque secutæ sunt editiones aliæ plurimæ, quarum celebrior est Complutensis; nec non Parisiensis: hanc autem Robertus Stephanus erroneis adnotationibus corrupit. — Post Concilium Tridentinum prodierunt editiones Romanæ Sixti V (1590), et Clementis VIII (1592). Hæc *Clementina* editio mox recusa est anno 1593 et 1598; et quia ex typographia Vaticana prodiit, *editio Vaticana* nominari consuevit.

ARTICULUS II.

DE LIBRORUM BIBLICORUM AUCTORITATE.

Tria sunt exponenda: 1° quid sit auctoritas librorum generatim; 2° quæ sit auctoritas humana Scripturæ; 3° quæ auctoritas ejusdem divina.

§ I. De auctoritate librorum generatim.

Auctoritas alicujus libri generatim spectata, est illa libri dos, vel illud meritum, quo liber fide dignus existit: ita ut rebus in eo scriptis assensum præstare prudenter possint legentes, et debeant.

Auctoritas hujusmodi distinguitur duplex: humana et divina. — *Humana* auctoritas inest libro, qui scriptus est ab homine, naturalibus suis viribus relicto; *divina* vero, cum liber scriptus est ab homine divinitus adjuto et inspirato.

Auctoritas humana admittit gradus et species; divina neque gradus habet neque species, cum semper et in omnibus summa sit et infallibilis (2).

Si spectentur gradus, humana auctoritas dicitur levis, gravis vel plena. *Levis*, est ea quæ fidem meretur exiguam; *gravis*,

(1) De codicibus Vulgatæ fusius agit P. Vercellone in opere *De variis Vulgatæ lectionibus*, tom. I, *Apparat. biblic.* Romæ 1860.

(2) Ne confundatur auctoritas divina, cum divina *inspiratione*, quæ perfectionis gradus admittit: Vid. infra § 3, *De auctoritate divina Script.*

quæ fidem meretur prudentem ; *plena*, quæ fidem meretur certam, quia fallere non potest.

Si spectentur species, auctoritas humana, ratione objecti distinguitur duplex : *historica*, in rebus gestis quæ narrantur ; et *philosophica*, in doctrina vel sententiis speculativis aut moralibus.

Jam vero, ad Scripturam quod attinet, ipsa auctoritatem habet utramque, humanam et divinam : humanam quidem, si respiciatur ut liber mere humanus, præscindendo ab inspiratione divina ; divinam, si consideretur ut liber divinitus inspiratus.

§ II. De auctoritate humana Scripturæ.

Auctoritas *humana* Scripturæ, quæ etiam auctoritas seu fides *historica* vocari solet, plena est et perfecta. Etenim ad auctoritatem historicam libri cujuspiam tria pertinent : authenticitas, integritas et veracitas, ex quibus, si perfecta fuerint, plena auctoritas exsurgit ; atqui hæc tria Scripturæ libris insunt perfecta. — Quod ut dilucide ostendatur, quatuor statuemus quæstiones.

QUÆSTIONES.

1° *Quid est genuinitas, integritas, veracitas ?* — 2° *Quomodo hæc tria Scripturæ libris vere inesse demonstrantur ?* — 3° *Quinam fuerunt circa integritatem textus sacri, labores Esdræ ?* — 4° *Quinam labores Masoretharum ?*

QUÆSTIO 1.

Quid est librorum genuinitas, integritas et veracitas ?

Resp. — 1° *Genuinitas*, quæ etiam *authenticitas* dicitur, proprietas est libri in eo sita, ut vere scriptus sit ab auctore cui attribuitur ; aut, si nomen auctoris ignoratur, ut scriptus sit ea circiter ætate, qua scriptus esse perhibetur. Talis liber dicitur *genuinus* seu *germanus* vel *authenticus* ; e contra, liber qui non est auctoris cui adscribitur , *spurius*, *supposititius*, vel etiam *apocryphus* vocatur.

2° *Integritas.* — Dicitur integer vel incorruptus liber ille, cui nihil est detractum et nihil adjectum : seu, qui nulla parte substantiali *mutilus* est aut *interpolatus*. — Dicitur nulla parte *substantiali :* nam duplex integritas distinguenda est : *substantialis* , quæ rerum substantiam, et *accidentalis* quæ circumstantias accidentales, præsertim chronologicas respicit. — Quod si liber partim perierit, non ideo fragmenta quæ supersunt omni carent auctoritate ; dummodo hujusmodi fragmenta incorrupta esse constiterit.

3° *Veracitas* est illa libri vel auctoris proprietas, qua res

gestas ita refert sicut reipsa evenerunt. Hinc *veridicus* seu *verax* censendus est liber, quem non tantum genuinum et incorruptum esse constat ; sed etiam a tali auctore scriptum, qui res certo cognoverit et fideliter narraverit.

QUÆSTIO 2.

Quomodo hæc tria : genuinitas, integritas, veracitas, libris Scripturæ inesse demonstrantur?

Resp. (1) Per partes hic procedi solet, ita ut demonstratio instituatur distincta respectu utriusque Testamenti ; et quidem a novo Testamento opportune incipitur : quia hoc quasi fundamento stabilito, facilius sequitur demonstratio Testamenti veteris.

Genuinitas et *veracitas* Scripturarum intelligenda est prout supra exposita. — *Integritas* vero, ut ad fidem pertinens a Catholicis asseritur hoc sensu, quod 1° nullus in libros sacros irrepserit error circa fidem aut mores ; quod 2° facta historica permanserint prout primitus scripta, quoad substantiam : quanquam accidentalia quædam, ut nomina propria aut numeri chronologici, mutari potuerint.

PROPOSITIO PRIMA.

Libri novi Testamenti, et speciatim evangelici, genuini sunt, integri et veraces.

Pars prima. Genuinos esse libros N. T. probatur ex præscriptione, ex impossibilitate de contrario, ex testimoniis seu indiciis intrinsecis, ex testimoniis extrinsecis.

1° Ex præscriptione, seu argumento legitimæ possessionis : Ecclesia semper hos libros possedit ut authenticos ; et nunquam a tot sæculis acerrimi adversarii ostendere potuerunt, hanc possessionem ac persuasionem in errore fundari ; ergo hæc possessio legitima et in veritate fundata dicenda est.

2° Ex impossibilitate de contrario. Alii enim auctores, aliave epocha, sive ante sive post Apostolorum mortem, libris novi Testamenti attribui non possunt.

3° Ex indiciis intrinsecis, seu authenticitatis caracteribus quos libri præ se ferunt. Ipsi enim libri in se spectati, eorumque intrinseca indoles, characteres authenticitatis præ se ferunt evidentes. Lingua enim qua scripti sunt, stylus, allusiones continuæ ad Scripturas, mores et circumstantias geographicas Judæorum ; res et verba quæ referuntur cum iis adjunctis, quæ nemo nisi oculatus testes scire potuit : hæc

(1) Cfr. *Elementa Theol. dogm.* tom. 1, Tract. 2, n° 119 seqq.

omnia demonstrant, auctores non alios fuisse quam Judæos; eosque simplices Jesu Nazareni discipulos.

4° Ex testimoniis SS. Patrum, qui jam inde ab ipsis temporibus Apostolicis libros novi Testamenti citant, et iisdem ac nos auctoribus tribuunt. Imo ipsi hæretici, atque gentiles philosophi, christianæ religionis inimici, ut Julianus Apostata, illam authenticitatem nedum negarint, asseruerunt aperte.

Secunda pars. Integros esse libros novi Testamenti probatur, 1° *a priori*, ex eo quod corruptio in eis nulla fieri potuit; 2° *ex facto*, quo constat eos integros esse servatos.

1° Corruptio fieri non potuit. Nam ex una parte ratione dispersionis exemplarium; et ex altera, ratione curæ ac studii Episcoporum, nullo tempore, sive viventibus adhuc, sive defunctis jam Apostolis, corruptio hujusmodi in nullius hominis fuit potestate.

2° Constat revera corruptionem non esse factam: ex commentariis Patrum, ex antiquis versionibus, imo ex codicibus manuscriptis, et hodiedum exstantibus, quorum nonnulli ad sæculum IV adscendunt: in quibus omnibus eumdem textum invenimus.

Tertia pars. Libros N. T. seu eorum Auctores esse veraces ac fide dignissimos, probatur 1° ex Auctorum persona, 2° ex rerum quas referunt natura, 3° ex modo narrandi, 4° ex fide quam omni tempore fecerunt: ex his enim quatuor omnia veracitatis indicia oriuntur.

1° Ex persona Scriptorum: quos constat deceptos non fuisse, decipere non voluisse, imo nec decipere potuisse etiam si voluissent. — Sunt enim eventibus quos referunt coævi, eorumque testes oculati; viri prudentes, probissimi, tamque abhorrentes ab omni falsitate, ut omnes mortem subeant pro attestanda eorum quæ narrant veritate.

2° Ex rerum quas scribunt natura. Res enim perscriptæ tales sunt, ut nisi veræ essent a coævis fuissent repulsæ; — tales iterum sunt, sive historica facta spectentur, sive verba, et doctrina mirabilis, ut nisi hæc vera essent, fingi omnino non potuissent.

3° Ex modo narrandi, qui mirum spirat candorem; quique in variis Scriptoribus ita diversus est, ut mirabilem simul consensionem veritatis retineat.

4° Ex fide quam Scriptores fecerunt omni tempore: quæ fides ab initio et ex parte coævorum tanta fuit, ut Judæi et Gentiles innumerabiles, veritate convicti, religionem novam Jesu Christi, omnibus cupiditatibus adversantem, amplecti non dubitaverint.

PROPOSITIO II.

Libri veteris Testamenti, et speciatim Pentateuchus, genuini sunt, integri et veraces (1).

Probatur, *primo generatim*, tum ex auctoritate novi Testamenti, tum ex traditione.

1° Ex auctoritate novi Testamenti. — Novum testamentum plena pollere auctoritate supra ostendimus ; atqui in eo libri veteris Testamenti commendantur ut plena quoque auctoritate instructi, id est, ut genuini, integri et veraces ; ergo ut tales sunt habendi.

2° Ex traditione. — Traditio constans, unanimis, publica gentis Judaicæ et Ecclesiæ catholicæ, Scripturam veteris Testamenti genuinam esse, integram et veracem affirmat ; ergo talis revera est : cum hujusmodi traditioni falsum subesse non possit.

Probatur secundo, per partes. — 1° Quoad *genuinitatem* seu authenticitatem. — Genuinitas veteris Testamenti, non tantum demonstratur ex Testamento novo, et ex traditione ; verum etiam, ex notis indiciisque intrinsecis, qualia sunt ipsa facta quæ narrantur, circumstantiæ temporum et locorum etiam minutissimæ, stylus, librorum inter se dependentia et connexio : quæ omnia testantur, libros esse scriptos ab auctoribus quibus tribuuntur, atque eo circiter tempore quo scripti esse perhibentur.

2° Quoad *integritatem*. — Integritas patet ex eo, quod corruptio fieri non potuerit, quocumque tempore facta supponatur — Non enim potuit fieri ante adventum Christi : tum propter religionem et custodiam sacram Judæorum ; tum propter multitudinem exemplarium, sive lingua primigenia, sive græca descriptorum. — Nec fieri potuit post Christum, cum exemplaria eadem versarentur in manibus tum Judæorum tum Christianorum.

3° Quoad *veracitatem*, hæc sequenti ratiocinio ostenditur. — Veraces sunt ac fide dignissimi auctores omnes veteris Testamenti, quia de omnibus et singulis dici potest, quod in particulari et quasi exempli causa de Moyse asserimus : nimirum, scriptorem hunc non potuisse decipi neque decipere (2),

1) *Decipi* non potuit circa facta quæ narrat : quia hæc sunt magna prorsus, et publica ; eaque vel ipsemet effecit, vel ipse vidit, vel certissima traditione cognovit (3).

(1) Genuinitas, integritas et veracitas eo sensu intelligenda sunt, quo supra declarata, *Quæst. I*, pag. 57.

(2) Cf. infra, Part. 2, sect. 1 *Difficultates libri Genesis*, de auctoritate historica Moysis.

(3) Cf. ibid.

2) *Decipere* non potuit : cuivis enim fictioni vel fallaciæ obstat, tum viri indoles ac probitas, tum rerum quas refert natura, tum populus Israel universus : qui profecto librum hunc, nisi ejus veritatem perspectam omnino habuisset, nunquam tanta fide ac reverentia accepisset.

Argumentum allatum valet etiam, etsi indirecte, respectu illorum auctorum, qui non sunt nobis certo cogniti : nam quoniam libri eorum eadem veneratione a Judæis recepti sunt ac cæteri, auctores habuisse dicendi sunt eadem fide dignos.

Nota. Adversus genuinitatem seu authenticitatem præsertim Pentateuchi, quædam a criticis rationalistis difficultates moventur : quas breviter hic indicasse et confutasse expediet.

DIFFICULTATES
contra authenticitatem Pentateuchi.

Pentateuchum esse genuinum opus Moysis, constans fuit et unanimis omni tempore, tum Judæorum tum Christianorum traditio ; imo huic certæ persuasioni ab ipsis religionis hostibus vix unquam contradictum est ante initium hujus sæculi. Tunc autem Rationalistæ, qui nihil quod supernaturale est admittere volunt, ut supernaturalia facta, adeoque totum supernaturalem ordinem e medio tollerent, Pentateuchum, qui hujusmodi ordinis velut fundamentum est, omni auctoritate spoliare contenderunt. Viri scilicet, in Germania præsertim, exorti sunt plurimi, Vater, De Wette, Kuenen, Ewald, aliique bene multi, statuentes, Pentateuchum opus esse, non unius auctoris, sed plurium, qui longe post Moysis ætatem, variis intervallis, diversas illorum librorum partes composuerunt. — At vero de auctoribus hujusmodi, de tempore quo vixerint, aut de partibus Pentateuchi quas confecerint, præfati critici inter sese nequaquam consentiunt : in hoc unum duntaxat convenientes, ut Pentateuchum auctori Moysi abjudicent.

Quam quidem hypothesim ut probent, quoniam de re historica agitur, imprimis testimonia deberent afferre ; at vero testimonium nullum habentes, rem a priori demonstrandam assumunt : et in ipsis Pentateuchi libris affirmant intrinseca argumenta reperiri.

Argum. 1. Deus ibi duplici nomine vocatur, nunc *Elohim*, nunc *Jehova* ; ergo saltem duo sunt auctores diversi, quorum unus eas composuit partes ubi Deus vocatur *Elohim*, alter illas ubi vocatur *Jehova*. Etenim fragmenta *Elohistica* et *Jehovistica* ita sejungi possunt, ut duo constituant opera distincta et sat completa. — *Resp.* Negatur consequentia : nam in eadem sæpe narratione, v. g. diluvii, utrumque nomen adhibetur ; non secus ac a Prophetis in variis suorum librorum

partibus ; imo a Davide in eodem psalmo, similiter Deus modo *Jehova*, modo *Elohim* dicitur ; aut sicut a scriptore quolibet solet eadem res synonymis vocibus designari.

Quod addunt, *Elohisticas* partes et *Jehovisticas* constituere opera in se completa : prorsus negandum est ; cum nemo non videat totum Pentateuchum prout jacet, *substantialiter sumptum*, opus esse in se integrum, et velut corpus, quod, detracta parte qualibet, mutilum redderetur. Quapropter De Wette et Kuenen, tota re diligentius perpensa, fateri coacti sunt, diversitate nominis Dei non solide probari diversitatem auctorum. Itaque recurrendum esse censuerunt ad diversitatem styli, repetitiones, et alia, ut exponetur in argumento sequenti.

Argum. 2. Sunt in Pentateucho repetitiones, magnæ styli varietates, et inversiones ordinis chronologici ; ergo varii auctores. — R. Negatur iterum consequentia. Nam 1° in aliis operibus, etiam profanis, quæ ejusdem auctoris esse novimus, non raro eadem invenimus : nempe repetitiones, styli differentias, atque inversiones ordinis chronologici. — 2° Respectu Moysis, peculiares notandæ sunt circumstantiæ : -1) probabiliter pro historia Genesis ipse varia consuluit documenta, quæ diverso stylo utique essent conscripta; -2) diversis temporibus suos libros eorumque partes exaravit ; -3) res quoque diversissimas habuit referendas : quæ cuncta si rite considerentur, facile intelligetur ratio inæqualitatum styli, quas objiciunt adversarii.

Argum. 3. Varii, inquiunt, in Pentateucho occurrunt tituli, qui pluralitatem auctorum arguunt ; variæ quoque explicationes ac loquendi modi, qui ætatem Moyse posteriorem denotant ; ergo. — *Resp.* Negatur utrumque antecedens. Si quidam velut tituli leguntur aut conclusiones, ut, ex. gr. Gen. II, 4 : *Istæ sunt generationes cœli et terræ...* Gen. V, 1 : *Hic est liber generationis Adam...* Levit. VII, 37 : *Ista est lex holocausti et sacrificii pro peccato...* hujusmodi quidem formulæ varias sermonis partes distinguunt ; pluralitatem vero scriptorum non magis probant in Pentateucho, quam similes tituli aut formulæ in quocumque alio libro.

Quod si occurrant quædam explicationes, ad mensuras aut geographiam pertinentes : v. g. *gomer* esse decimam partem *ephi*, etc. quæ ætatis posterioris esse videntur, et a Moyse scribi non potuisse, utpote coævis suis inutilia : dicendum, vel hujusmodi Esdræ esse, aut alterius hagiographi additamenta ; vel ab ipso Moyse in gratiam posterorum fuisse adjecta (1).

(1) Cf. Reusch, *Introduct. ad vet. Testamentum.* — Danko, *Hist. revelat. bibl.* — Rationalistarum hypothesim in hac parte succincte quoque exponit et solide confutat Clar. Lamy, *Introd. in S. Script.* part. 2, cap. I, de *Pentateucho.*

De ultimo capite Deuteronomii, in quo Moysis obitus refertur, difficultas esse non potest : illud enim, ut supra (1) diximus, ad totius operis complementum, a Josue additum esse, passim eruditi consentiunt.

QUÆSTIO 3.

Quid operis Esdras circa libros veteris Testamenti effecit?

Resp. Esdram, sacerdotem, hagiographum divinitus inspiratum, a captivitate Babylonica Jerosolymas reducem, quosdam circa sacra volumina labores adhibuisse, traditione constat antiquissima (2), et ipso sacro textu insinuatur. Hæc enim (I Esdræ, VII, 6 seq.) legimus : *Ipse Esdras ascendit de Babylone, et ipse scriba velox in lege Moysi, quam Dominus Deus dedit Israel....... paravit enim cor suum, ut investigaret legem Domini, et faceret et doceret in Israel præceptum et judicium. Hoc est autem exemplar epistolæ edicti, quod dedit rex Artaxerxes Esdræ sacerdoti, scribæ erudito in sermonibus et præceptis Domini, et cæremoniis ejus in Israel : Artaxerxes, rex regum, Esdræ sacerdoti, scribæ legis Dei cœli doctissimo, salutem.... Missus es ut visites Judæam et Jerusalem in lege Dei tui, quæ est in manu tua....*

De ipsa autem operatione scripturistica Esdræ statui possunt sequentia.

1° Esdras nequaquam libros sacros ex integro reparavit, aut ex memoria conscripsit, aut conscribendos dictavit. Hæc enim opinio fundatur duntaxat in libro IV Esdræ, cap. XIV : ubi prodigium narratur quod merum figmentum est, qualia liber ille apocryphus plurima continet.

Constat e contra, libros Moysis tempore captivitatis Babylonicæ exstitisse servatos. Eos profecto secum attulerunt Ezechiel, Daniel, rex Joachim, aliique viri principes legis studiosissimi, undecim annis ante excidium Jerosolymæ Babylonem abducti. — Librum Legis commemorat Daniel IX, 11, 13. — Jeremias fratribus suis in captivitatem abeuntibus *dedit Legem, ne obliviscerentur præcepta Domini* (II Machab. II, 2). — Testatur Josephus (3), in captivitate lectum fuisse et ostensum vaticinium Isaiæ, quo Cyrus proprio nomine designatur. — Demum, antequam Esdras libros sacros instaurasset, eum populus rogavit, non ut amissos libros

(1) Supra, Artic. 1, pag. 13, nota (2).

(2) Cf. Calmet, *de laboribus scripturisticis Esdræ*, dissertatio prævia ad commentar. in libros Esdræ. — Item Veith, *Scriptura sacra contra incredulos propugnata*, part. 3, *sect. de libris Esdræ.*

(3) *Antiquitat, Jud.* XI, 1.

restitueret, sed *ut afferret librum legis Moysi, quam præceperat Deus Israeli.* II Esd. VIII, 1.

2° Esdras libros sacros, tempore captivitatis dissipatos, aut mendis infectos collegit, digessit, et ab erroribus repurgavit.

3° Esdras sacrorum voluminum, quæ sic collegerat et emendando instauraverat, certum numerum determinavit; seu, juxta Hebræorum traditionem, annuente Synagoga magna, sive concilio generali totius nationis Judaicæ, *canonem* Scripturarum, viginti duobus voluminibus constantem, edidit.

4° Esdras mutavit veteres Scripturarum characteres : id est, characteribus hebraicis antiquis substituit characteres hebraicos novos. Ante captivitatem enim litteris utebantur quæ phœniciæ vel samaritanæ vocari solent; has mutavit Esdras in chaldaicas : quibus hodie hebræus textus exstat conscriptus, demptis tamen punctis vocalibus. Esdrinus enim textus sicut mosaicus, solis litteris consonantibus constabat, ita ut vocales a legentibus essent supplendæ. Puncta vocalia tantum decem circiter sæculis post Esdram, a Masorethis invecta sunt.

QUÆSTIO 4.

Quid de Masorethicis punctis, eorumque auctoritate dicendum ?

R. *Masorethæ* (1) vocantur Rabbini ex schola Tiberiadis, qui, sæculo æræ vulgaris sexto et deinceps (VI-X), textui Scripturæ operam impenderunt. Hi Rabbini, cum viderent pronuntiationem ac proinde sensum Scripturæ mutationibus esse obnoxium, ut genuina sacri textus lectio, ex Patrum suorum traditione accepta, perpetuo conservaretur, *puncta vocalia* excogitarunt.

Puncta hæc masorethica, ut patet, cum sint humanum inventum, irrefragabilem non habent auctoritatem. Imo non desunt eruditi, qui cum Calmeto dicant, sacri textus puritatem a Masorethis ex odio Christianæ religionis interdum fuisse corruptam. In hoc tamen omnes consentiunt, quod Masorethæ, exceptis quibusdam hujusmodi locis, diligenter pronuntiationem a Patribus suis acceptam, punctis expresserint. Quapropter textus hebraicus Masoretharum, tum versioni LXX, tum nostræ Vulgatæ, in multis lucem afferre potest : salva tamen dictæ Vulgatæ a Tridentino approbatæ auctoritate (2). — Hoc enim semper præ oculis est habendum, Masorethicæ editioni inesse tantum auctoritatem traditionis Judaicæ; Vulgatæ vero, auctoritatem Ecclesiæ.

(1) *Masorethæ, id est, traditionis studiosi ;* formatum est enim nomen a voce *masora*, id est *traditio.*

(2) Infra, § 3. *Quæst.* 7 pag. 68.

§ 3. De auctoritate divina Scripturæ.

QUÆSTIONES.

1° *Quid est divina Scripturarum auctoritas ?* — 2° *Quid est inspiratio ?* — 3° *An Scriptura sacra est divinitus inspirata ?* — 4° *Qualis est Scripturæ inspiratio ?* — 5° *Quid est canon Scripturarum ?* — 6° *Quis canon est genuinus ?* — 7° *Quis textus, quæve versio et quæ editio est authentica ?*

QUÆSTIO 1.

Quid est divina Scripturarum auctoritas ?

Resp. — *Auctoritas divina*, quæ etiam vocatur *divinitas* Scripturarum, est auctoritas, qua libri sacri pollent eo quod Deum habent auctorem (1).

Porro Deum habent auctorem, non quasi a Deo materialiter scripti sint ; sed quia a Deo inspirati sunt : id est, quia sunt ab hominibus scripti, Deo inspirante. — Hinc duplex distinguitur Scripturæ auctor : unus *principalis*, Deus, seu Spiritus sanctus ; alter, vel potius alteri *secundarii*, instrumentales, qui sunt homines hagiographi.

Auctoritas divina promanat ex auctore principali, Deo nempe inspirante ; quare recte dicitur fundari in inspiratione divina.

QUÆSTIO 2.

Quid est inspiratio ?

Resp. Inspiratio divina definiri potest : Actio Dei circa hominem scriptorem, qua scriptura ejus censetur habere et revera habet Deum pro auctore (2).

Hujusmodi Dei actio efficit duo : 1° hominem movet ad scribendum ; 2° eum in scribendo adjuvat.

Porro Deus hagiographum juvare potest, vel assistentia negativa, procurando ne erret ; vel operatione positiva, hominem illuminando et dirigendo, ut scribat ea quæ Deus scribenda velit. Hæc tamen Dei operatio hominis cooperationem communiter non excludit. — Prior juvandi modus vocari potest, etsi improprie, *inspiratio negativa* ; posterior, *inspiratio positiva*.

Inspiratio quæ data est hagiographis, differt ab *assistentia* Spiritus sancti, quæ data est Ecclesiæ in Scripturis interpretandis, iisque omnibus statuendis quæ ad fidem et mores pertinent.

(1) Cf. *Elementa Theol. dogmat.*, tract. 4 *de Regula fidei*, n. 24 seqq.
(2) Cf. *Element. Theol. dogm.* ibidem.

QUÆSTIO 3.

An Scriptura sacra est divinitus inspirata?

Resp. (1) De fide est, Scripturam sacram esse divinitus inspiratam, ita ut Deum habeat principalem auctorem, sitque proprie *verbum Dei*. Sic enim Concilium Tridentinum loquitur: *Sacrosancta œcumenica et generalis tridentina Synodus... omnes libros tam veteris quam novi Testamenti, cum utriusque unus Deus sit auctor... suscipit et veneratur* (2).

De fide quoque est, Scripturam sacram esse divinitus inspiratam totam, nempe quoad omnes et singulas partes. Sic enim iterum Tridentinum habet: *Si quis libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia catholica legi consueverunt, et in veteri vulgata latina editione habentur, pro sacris et canonicis non susceperit..... anathema sit.*

Nota. Nomine *partium* intelliguntur hic, 1° librorum fragmenta illa, quæ, ut caput ultimum Marci, et Lucæ XVIII, 43, 44, deuterocanonica vocantur; 2° omnia illa loca, quæ ad doctrinam et mores non directe pertinent, sed historicos eventus referunt. Hujusmodi partes a reliquis non sunt secernendæ: omnesque sunt æqualiter a Deo inspiratæ. Itaque non minus infallibilis est Scriptura in rebus historicis, quam in dogmaticis vel moralibus; et numeri chronologici, dummodo constet de genuinitate textus et recto sensu, non minus sunt divinitus certi, quam sententiæ morales.

QUÆSTIO 4.

Qualis est Scripturæ inspiratio? seu, quis inspirationis modus et quæ extensio est admittenda?

Resp. (3) Communior Theologorum sententia tenet, Scripturam sacram totam fuisse inspiratam *positive*: ea scilicet inspiratione, qua Spiritus sanctus non tantum hagiographos movit ad scribendum, iisque adfuit ne errarent; sed etiam positive juvit, suggerendo scribenda, scriptionemque moderando ita, ut reapse scriberent quæ Ipse vellet.

Ad quæstionem, utrum inspiratio usque ad minimas etiam rerum gestarum circumstantias, imo et ad ipsa verba extendatur? distinguendum est. *Inspiratio negativa*, sive assistentia, utique hagiographis adfuit, ne in minimis etiam circumstantiis, neque in delectu verborum vel levissime errarent. — De *inspiratione* vero *positiva*, utrum ad ipsa verba, textus saltem primigenii, sese porrigat, disputatur. Affirmativa tenetur *practice*

(1) Cf. *Elementa Theol. dogm.*, tract. 4, *de Regula fidei*, n. 37 seqq
(2) Sess. 4, *Decret. de canonicis Scripturis*.
(3) Cf. *Theol. dogmat.* ubi supra, n. 49 seqq.

a Patribus et interpretibus : qui sic omnes sacri textus particulas perpendere solent et scrutari, quasi Dei ore prolatas. Quod quidem Patrum exemplum nos sequi debemus, et sacram Scripturam similiter tractare in omnibus, tanquam verbum Dei, quod *Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines.* II Pet. I, 21.

QUÆSTIO 5.

Quid est Canon Scripturarum?

Resp. — *Canon* (1), si proprius sensus vocis spectetur, idem est ac *regula*. — Ubi autem de Libris sacris sermo est, *Canon sacrarum Scripturarum* dicitur collectio et publicus catalogus librorum, qui tanquam sacri et divinitus inspirati habentur.

Duplex distinguitur Canon : unus Judæorum, alter Christianorum.

Canon Judæorum qui tantum continet libros veteris Testamenti, primum ab Esdra constitutus est, et a Synhedrio seu magna Synagoga receptus atque approbatus, quinto sæculo ante Christum ; continebatque libros viginti duos. Cum autem postmodum alii libri divini scripti sint, alius quoque canon fieri debuit. Hinc tradunt eruditi (2), duplicem tempore Apostolorum fuisse canonem, seu Scripturarum collectionem : unam Judæorum Palæstinensium, alteram Alexandrinorum, qui etiam Hellenistæ dicuntur (3). Prior tantum continebat libros hebraice scriptos : quanquam Judæi alios quosdam ut sacros venerabantur ; posterior etiam libros græce scriptos, adeoque totum vetus Testamentum nostrum complectebatur.

Canon Christianorum seu Ecclesiæ, est ille qui a Christianis admittitur, et libros continet utriusque Testamenti.

QUÆSTIO 6.

Quis est genuinus canon Scripturarum?

Resp. Est canon Ecclesiæ catholicæ, qui etiam Tridentinus vocatur, continetque omnes libros proto- ac deuterocanonicos, prout supra enumerati sunt (4).

Hunc canonem Ecclesia ab Apostolis receptum, opportuno tempore omnibus Ecclesiis particularibus promulgavit, atque in Concilio Tridentino contra novas hæreses sancivit.

(1) Cf. *Theol. dogmat.* tract. 4, *de Regula fidei*, n. 56 seqq.

(2) Cf. Tourneminius, in *append. ad Prœloquia Bonfrerii.* — Item, Migne, *Cursus Script.* vol. 1, col. 476. — Et Klée, *Hist. des dogmes.* t. I, chap. 5, n. 3.

(3) Alexandrina collectio non videtur habuisse sicut Esdrina solemnem Synhedrii approbationem. Cf. Lamy. *Introd.* vol. 1, cap. 3, n. 10 seqq.

(4) Supra, pag. 8. — Demonstrationem Canonis Trid. vid. *Elem. Theol. dogmat.* tract. 4, n. 66 seqq.

Apostoli quidem canonem numeratis libris definitum, qualem nunc habemus, non constituerunt ; sed, ut erant a Spiritu sancto illuminati, libros omnes veteris Testamenti divinitus inspiratos a Judæis receperunt : nempe illos qui codicibus Alexandrinis continebantur. Hos libros variis Ecclesiis, vel omnes, vel partim, prout exemplaria suppetebant, reliquerunt.

Ecclesiæ autem Romanæ ipse B. Petrus, præter libros veteris Testamenti omnes, tradidit eas novi Testamenti partes quæ jam suo tempore exstabant (1). Post Petri Apostoli obitum, ejus successores Pontifices Romani, ab Apostolis superstitibus reliquos libros sacros receperunt : ita ut, cum moreretur B. Joannes, sub finem primi sæculi, Ecclesia Romana, integrum tum novi tum veteris Testamenti canonem Apostolicum possideret.

Hunc canonem, qui idem est ac Tridentinus, obtinuerunt Ecclesiæ Africanæ, saltem a sæculo IV, ut patet ex concilio Hipponensi, anno 393 ; et ex concilio Carthaginensi III, anno 397.

Cum autem non in omnibus Ecclesiis omnes essent sacri codices depositi, lapsu temporis dubia orta sunt et controversiæ de vero plenoque catalogo Scripturarum. Quas controversias ubi dirimendas judicarunt Romani Pontifices, opportuno tempore, suum Apostolicum canonem promulgarunt. Sic canonem hunc tradidit Innocentius I, in epistola ad Exuperium, anno 405 ; item Gelasius, in concilio Romano anno 494 ; ac demum Pius IV, in concilio Tridentino, anno 1563.

QUÆSTIO 7.

Quis textus, quæve versio, et quæ editio est authentica?

Authenticam declaravit concilium Tridentinum versionem latinam *Vulgatam*, his verbis : *Insuper eadem sacrosancta Synodus considerans non parum utilitatis accedere posse Ecclesiæ Dei, si ex omnibus latinis editionibus, quæ circumferuntur sacrorum librorum, quænam pro authentica habenda sit, innotescat : statuit et declarat, ut hæc ipsa vetus et vulgata editio, quæ longo tot sæculorum usu in Ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, prædicationibus et expositionibus pro authentica habeatur ; et ut nemo illam rejicere quovis prætextu audeat vel præsumat.* — Deinde, ut laudatæ versionis exemplaria purissima diffundantur, sacra Synodus *decernit et statuit, ut posthac sacra Scriptura, potissimum vero hæc ipsa vetus et vulgata editio, quam emendatissime imprimatur* (2).

Circa hanc Tridentini declarationem sequentia sunt notanda.

(1) Epistola *ad Hebræos*, de qua in Ecclesia latina fuit aliqua dubitatio, jam a S. Clemente Papa, S. Petri discipulo, sacris Scripturis accensetur, I Epist. ad. Cor. capp. 9, 10, 12, etc. — (2) Sess. 4, *Decret. de edit.*

1° Declaratio ista tantum ad versiones latinas refertur, inter quas eminentiam tribuit soli Vulgatæ ; nihil interim de auctoritate textus originalis hebræi aut græci detrahendo. Nunquam enim, ut Pallavicini testatur, mens Concilii fuit, Vulgatam versionem supra textum hebraicum et græcum efferre ; aut impedire quo minus scriptores ad eos textus recurrant, cum opportunum judicaverint, ad pleniorem sensus intelligentiam (1).

2° Juxta communiorem Theologorum cum Bellarmino sententiam (2), authentica declarata est Vulgata hoc sensu, *quod in locis ad fidem moresque pertinentibus, cum Scriptura primitiva conformis sit* : ita ut non modo nihil contineat in materia fidei et morum, quod Scripturæ originali sit contrarium vel dispar ; sed etiam, ut nullum dogma enuntiet, quod in Scriptura primitiva non inveniatur. — In aliis autem, dogmata fidei morumve doctrinam non attingentibus, etsi primariam quamdam auctoritatem habet textus Vulgatæ, ad criticam tamen censuram, debita cum reverentia justisque de causis, exigi potest. At tunc etiam, nisi evidentia quædam aut necessitas cogat, pro alio quovis textu etiam hebraico, Vulgatæ lectio non est facile relinquenda ; sed, cæteris paribus, semper tuenda ac præferenda.

3° Etenim, etsi Tridentinum decretum nullum addit Vulgatæ valorem intrinsecum ; tribuit ei tamen auctoritatem quamdam extrinsecam singularem. « Duo, inquit Bellarminus, Tridentina « Synodus effecit, dum Vulgatam versionem præ reliquis, quæ « circumferuntur latinis editionibus authenticam statuit ac « declaravit : nempe testata est ejus intrinsecam conformitatem « cum textu primitivo, non solum in rebus fidei et morum, « verum etiam in cæteris, saltem quoad substantiam ; eique « contulit præterea extrinsecam quamdam auctoritatem, quam « reliquis non contulit, imo nec contulit alicui textui originali, « sive hebraico sive græco (3). »

Jam remanet ut indicemus quænam Vulgatæ versionis *editio* sit probata, et Ecclesiæ jussu ab omnibus usurpanda. Hæc est *editio Clementina*, quæ etiam *Vaticana* vocatur : illa nimirum quæ, vi decreti Tridentini, tempore Sixti V accuratissime emendata, regnante Clemente VIII, Romæ ex typographia Vaticana, anno 1592 primum in lucem prodiit, et in cujus fronte legitur : *Biblia sacra vulgatæ editionis, Sixti V, et Clementis VIII Pontificis maximi jussu recognita atque edita.*

(1) Pallavicini, *Historia concilii Trid.* lib. 6, c. 17.

(2) Cf. *Elementa Theol. dogm.* tract. 4, *de Regula fidei,* n. 102. — Item Bonfrerius, *Præloquia,* cap. 15 et 16.

(3) Bellarminus *De verbo Dei*, lib. 2, c. 10, 11. — Ultima Bellarmini verba intelligenda videntur de tali vel tali *editione* textus originalis hebraici vel græci : nam alioquin textus originalis per se authenticitatem habet omnimodam.

CAPUT SECUNDUM.

De Scripturæ sacræ interpretatione.

Quæ de Scripturæ sacræ interpretatione dicenda sunt, sacram *Hermeneuticam*, seu recte interpretandæ Scripturæ artem constituunt. Reducuntur autem ad quatuor sequentes articulos.

Articulus I. *De interpretationis necessitate.*
Articulus II. *De apparatu hermeneutico.*
Articulus III. *De sensu vario Scripturarum.*
Articulus IV. *De sensus investigatione.*

ARTICULUS I.

DE INTERPRETATIONIS NECESSITATE.

Interpretationis, seu *exegesis* nomine intelligitur inquisitio, vel expositio genuini sacræ Scripturæ sensus.

Interpretatione hujusmodi sacra Scriptura indiget, quia passim obscura est, prout legenti cuilibet satis patet, et innumeri Patrum ac Doctorum commentarii demonstrant. Imo textus sacri obscuritatem SS. Patres expresse testantur, variisque nominibus declarant. Vocant enim Scripturam, 1° ænigma ; 2° caliginem sacram ; 3° silvam umbrosam ; 4° hortum clausum ; 5° puteum profundum ; 6° fluvium altum ; 7° mare immensum ; 8° abyssum inscrutabilem ; 9° thesaurum occultum ; 10° templum velis ornatum ; 11° mensam egentem lumine ; 12° cibum ore conterendum ; 13° librum signatum (1).

Q. 1. *Causæ cur Deus verbum suum obscuritatibus admixtum esse voluerit, quænam sunt ?*

R. Assignari possunt sequentes : 1° ut fidei præbeatur exercitium et meritum, in iis quæ ratio non intelligit. — 2° Ne Scripturæ vilescant, eo quod verbum Dei verbo humano vix profundius videatur. — 3° Ut eruditorum sancte exerceatur ingenium. — 4° Ut omnes salutariter humiliemur, ignorantiam nostram confitentes, et dicamus cum Augustino : *Mira profunditas eloquiorum tuorum : quorum ecce ante nos superficies blandiens parvulis, sed mira profunditas, Deus meus, mira profunditas ! Horror est intendere : horror honoris et tremor amoris* (2).

(1) Le Blanc, *Comment. in Psalmos,* tom. III, col. 1261 seq.
(2) *Confess.* lib. 12, cap. 14.

Q. 2. *Qualis autem est, et in quibus obscuritas Scripturarum consistit ?*

R. Dupliciter obscura est Scriptura : *externe*, ob modum vel sermonem quo res dicuntur ; et *interne*, propter ipsam rerum quæ dicuntur naturam.

1° Habetur obscuritas externa. — Etenim sermo, quem præsertim spectamus prout exstat in Vulgata, passim est obscurus, variis rationibus : — 1) ratione verborum, quæ subinde incerta sunt, et frequenter æquivoca. — 2) Ratione phrasium, quæ sæpe sunt hebraicæ vel græcæ ; quandoque imperfectæ, redundantes, aut præpostero ordine constructæ. Cujus rei causa est, quod versionis auctores anxie metuunt, ne verbo Dei addant aut detrahant vel minimum apicem, neve sua interserant : atque ideo obscura tradere malunt quam aliena. — Obscurus est sermo — 3) ratione styli, qui orientalis est, sæpe brevissimus, et pro variis scriptoribus ac rebus diversissimus. — 4) Ratione temporum, locorum et antiquorum usuum : quæ vel nominantur, vel tacite duntaxat respiciuntur aut innuuntur (1). — His adde frequentiam troporum, nec non antilogias in speciem occurrentes.

2° Obscuritas interna. — Res, seu veritates quæ sub sermonis cortice continentur, suam quoque obscuritatem habent. Sunt enim — 1) mysteria altissima de Deo ejusque operationibus, de Trinitate, Incarnatione Verbi, gratia, prædestinatione, sacramentis, peccato originali, etc. — 2) Sunt prophetiæ, de rebus etiamnum futuris ; et vaticinia, jam per eventus quidem, sed nobis penitus non perspectos, completa. — 3) Sunt credendorum et agendorum leges ac dictamina, de quorum sensu, extensione, obligatione et usu, tanta adhuc etiam inter eruditos dissensio. — 4) Sunt historiæ, quarum vel materia, vel adjuncta, vel tempus, incerta et dubia manent. — Quibus — 5) accedunt diversitas scopi, figuratorum multiplicitas, et sensuum usurpandorum varietas ac incertitudo (2).

Ergo tot rationibus obscura cum sit, interpretatione Scriptura sacra omnino indiget ; ipsisque interpretibus speciale Dei lumen opus est, ut Scripturarum mysteria innotescant.

Q. 3. *Quotuplex interpretatio distinguitur ?*

R. Duplex : *authentica* et *scientifica* seu *exegetica*. — Prior a S. Matre Ecclesia datur, cujus est judicare de vero sensu Scripturarum ; seu, quod idem est, illa quæ datur, ore Ecclesiæ, ab ipso Spiritu sancto, principali Scripturarum Auctore. — Altera, est expositio quæ, salva Ecclesiæ doctrina, traditur a quolibet privato theologo, juxta regulas hermeneuticæ.

(1) Cf. Bossuet, *Dissertat. de Psalmis.*
(2) Kilber, *Theol. Wirceburg.* tom. 1.

De scientifica interpretatione agimus, qua sensus Scripturæ a catholicis theologis est indagandus.

ARTICULUS II.

DE APPARATU HERMENEUTICO.

Scientifica interpretatio, præter aptum et excultum ex parte subjecti ingenium, multa requirit eruditionis subsidia, quæ *apparatum hermeneuticum* constituunt, et sunt præcipue sequentia : 1° scientia linguarum antiquarum ; 2° ars critica ; 3° grammatica et philologia ; 4° poesis et rhetorica ; 5° historia antiqua, præcipue historia sacra, nempe populi Dei ; 6° geographia ; 7° chronologia ; 8° archæologia, illa præsertim, quæ ad pondera, mensuras et pecunias pertinet (1) ; 9° dialectica et philosophia ; 10° theologia dogmatica et moralis ; 11° subsidia extrinseca, ut versiones antiquæ, interpretes et commentatores, tum veteres, tum etiam recentiores (2).

Ista omnia ad manum esse debent, ut Scripturæ interpretatio fiat stricte *scientifica*, id est, ad rigorem scientiæ exacta. — At vero commune, et ut ita dicam vulgare Scripturæ studium, facilius institui potest, nec tantam eruditionis copiam requirit ; cum possint consuli, ubi opus est, auctores plurimi, qui de variis rebus supra enumeratis erudite scripserunt (3).

Magis autem necessarium est Scripturæ studioso, ut varios, quos textus sacer admittit sensus, prævie cognoscat et inter se distinguat ; regulasque teneat, quibus sensus illi investigandi sint et inveniendi. — Hujusmodi sensuum distinctiones et regulas sequentibus articulis exponemus ; adjectis iis eruditionis punctis, quæ frequentioris in praxi usus esse solent.

ARTICULUS III.

DE SENSIBUS SCRIPTURARUM.

QUÆSTIONES.

1° *Quid intelligitur nomine sensus Scripturæ, et quotuplex hic distinguitur ?* — 2° *Quis sensus dicitur grammaticalis ?* — 3° *Quis est sensus litteralis , et quomodo dividitur ?* — 4° *Quis sensus mysticus, et quomodo dividitur ?* — 5° *Quænam inter sensum mys-*

(1) Infra, art. IV, sectio I, quæstio 6, *De mensuris, pond. et pecuniis Hebræorum.*

(2) Cf. Wilke, *Biblische Hermeneutik*, part. I, sect. 3, seq.

(3) Consuli possunt, ex. gr. opera varia apud Migne, *Cursus Script.* tom. 2 et 3.

ticum et typos relatio intercedit? et quid typorum nomine intelligendum. — 6° *Quid de sensu accommodatitio dicendum est?* — 7° *Quænam circa sensus modo explicatos practice sunt adnotanda?*

QUÆSTIO 1.

Quid intelligitur nomine sensus Scripturæ, et quotuplex hic distinguitur?

R. Generatim *sensus* locutionis cujuspiam est mentis conceptus, quem loquens voce vel scripto exprimere voluit et expressit. — Alius est sensus *verbi*, qui potius *significatio*, vel etiam *acceptio* vocabuli vocatur; et alius est sensus *sententiæ* atque orationis, qui proprie sensus loquentis esse intelligitur.

Quod si respicimus in particulari Scripturam, *sensus Scripturæ* definiri potest: ille conceptus mentis, seu sententia illa, quam Spiritus sanctus immediate vel mediate per verba hagiographorum exprimere voluit. — Quod dicitur *immediate*, id est, proxime per ipsa verba; vel *mediate*, id est, per res ipsas aut personas verbis significatas. — Dicitur, sententia quam *Spiritus sanctus* exprimere voluit: ut significetur, nihil obesse si ipsimet prophetæ sensum vaticinii sui minus intellexissent (1); quanquam, ordinarie saltem, ut erant divinitus illustrati, prophetæ mysteria quæ loquebantur perspiciebant.

Sensus Scripturæ triplex distingui solet: *litteralis, mysticus, accommodatitius.* — Potest etiam distingui quadruplex, præcipue in versionibus: *grammaticalis, litteralis, mysticus, accommodatitius.* — Ratio utriusque distinctionis est, quod sensus litteralis duplicem partem habet: partem materialem, quæ vocatur sensus grammaticalis: et formalem, quæ est sensus litteralis proprie dictus.

QUÆSTIO 2.

Quis sensus dicitur grammaticalis?

Resp. *Sensus grammaticalis* est ille, quem verba rite intellecta per se faciunt, quique sufficit, ut sententia quælibet æquivalentibus verbis in aliam linguam verti possit. Hic sensus *verbalis* quoque dicitur, vel sensus *locutionis*, distinctus a sensu *loquentis*; estque mere externus, præscindens ab auctoris mente atque intentione. Sic, dum dicitur (Luc. XVI, 1): *Homo quidam erat dives, qui habebat villicum,* sensus grammaticalis est: *Homo quidam erat dives, qui habebat œconomum, seu rei familiaris administratorem.* Utrum vero id historice dicatur an parabolice, et quid per parabolam significetur, non jam ad grammaticalem sensum, sed ad litteralem pertinet.

(1) Id accidit in vaticinio Caiphæ, Joan. XI, 49, 52.

QUÆSTIO 3.

Quis est sensus litteralis, et quomodo dividitur?

R. Est ille, quem verba rite intellecta, ex intentione Spiritus sancti proxime significant. — Sensus litteralis est sensus primarius, in quo reliqui sensus fundantur. Vocatur etiam sensus *primus*, ut distinguatur a sensu mystico, qui dicitur *secundus*.

Dividitur dupliciter. 1° Ratione *verborum*, est proprius vel metaphoricus. — *Proprius*, quem verba proprie accepta efficiunt. — *Metaphoricus*, seu tropicus vel translatus, quem verba metaphorice sumpta constituunt. Sic, quando Christus dicitur sedere *ad dexteram* Patris, vox *dextera* non accipitur proprie, sed metaphorice. — Metaphora continuata efficitur *allegoria*, vel etiam *parabola*. Hinc duplex in parabola habetur sensus : proprius et metaphoricus, seu *parabolicus*, uterque litteralis. Sic in parabola filii prodigi, historia cujuspiam juvenis patrem deserentis, est sensus proprius ; historia peccatoris derelinquentis Deum, est sensus parabolicus.

2° Ratione *rerum* quæ verbis significantur, sensus litteralis, sive proprius sive metaphoricus, dividi potest in historicum, propheticum, allegoricum, anagogicum et tropologicum (1) : prout significatur aliquid, quod vel ad res historice jam peractas ; vel ad eventus futuros pertinet ; vel ad ea quæ credere, quæ sperare, quæ agere debeamus. — Notandum enim, voces illas : *allegoricum*, *anagogicum*, *tropologicum*, juxta hermeneuticum usum, acceptione prorsus peculiari hic adhiberi. *Allegoricus* enim dicitur ille sensus, qui agit de re credenda, pertinente ad Christum ejusque Ecclesiam terrestrem, atque generatim ad ordinem gratiæ ; — *anagogicus*, de re speranda, pertinente ad Ecclesiam cœlestem, atque ad ordinem gloriæ ; — *tropologicus* seu *moralis*, qui ad mores spectat.

Exempla sensus litteralis, juxta variam verborum vel rerum rationem distincti.

1. Sensus litteralis historicus, — proprius : *In principio creavit Deus cœlum et terram* (Gen. I, 1) ; — metaphoricus : *Deus requievit die septimo*. Gen. II, 2.
2. Sensus litteralis propheticus, — proprius : *Ecce virgo concipiet et pariet filium* (Isai. VII, 14) ; — metaph. : *Habitabit lupus cum agno*... Isai. XI, 6.
3. Sensus litteralis allegoricus, — proprius : *Ego et Pater*

(1) Hæc tamen tria nomina *sensus allegorici*, *anagogici* et *tropologici*, communiter designant species sensus mystici, prout infra explicabitur ; rarius usurpantur de sensu litterali.

unum sumus (Joan. X, 30) ; — metaph. : *Oculi Domini super justos, et aures ejus in preces eorum.* Ps. XXXIII.

4. Sensus litteralis anagogicus, — proprius : *Ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam* (Matth. XXV, 46) ; — metaph. : *Vidi sanctam civitatem Jerusalem novam.* Apoc. XXI, 2.
5. Sensus litteralis tropologicus, — proprius : *Diliges Dominum Deum tuum* (Deut. VI, 5) ; — *Serva mandata* (Matth. XIX, 17) ; — metaph. : *Omnis arbor bona fructus bonos facit.* Matth. VII, 17.

QUÆSTIO 4.

Quis est sensus mysticus, et quomodo dividitur ?

R. Sensus *mysticus*, id est, *reconditus*, ille est, qui non significatur proxime per ipsa verba, sed per rem verbis significatam ; supponitque sensum litteralem, in quo tanquam involucro delitescit. — Sensus mysticus etiam vocatur *spiritualis* et *typicus* : spiritualis quidem, quia veluti vita est et spiritus litteræ ; typicus vero, quia sæpissime in *typo* seu figura fundatur.

Nota. Nomine *sensus spiritualis*, *mystici*, *moralis*, vel etiam *intelligentiæ* aut *sensus* simpliciter, SS. Patres intelligunt modo sensum *mysticum*, qualem definivimus ; modo sensum *consequentem*, de quo mox dicemus ; modo sensum simpliciter *metaphoricum*.

Divisio. — Sensus mysticus dividi solet in *allegoricum*, *anagogicum*, et *tropologicum*. Exempli gratia, in his et similibus locis : *Lauda Jerusalem Dominum* (Ps. CXLVII) ; — *Stantes erant pedes nostri in atriis tuis, Jerusalem* (Ps. CXXI) ; — *Surge, illuminare, Jerusalem, quia venit lumen tuum* (Isai. LX, 1) : — per hanc vocem *Jerusalem*, sensu litterali significatur urbs Palæstinæ; — mystico allegorico, Ecclesia militans ; anagogico, patria cœlestis ; tropologico, anima hominis.

Ad sensum mysticum referendus est *sensus consequens*, sic vocatus, quia ex re significata aliquo modo fluit et consequitur. — Quæcumque consectaria ex aliquo Scripturæ loco deducimus, ad mores informandos præsertim idonea, sunt *sensus consequens* : quem SS. Patres nomine sensus *spiritualis* et *mystici* plurimum ac præcipue exquirunt et prosequuntur.

Hujusmodi consectaria vere sunt Scripturæ sensus (1), quem Spiritus sanctus, non quidem verbis formaliter exprimere, sed ex narrationibus sententiisque inferendum nobis suggerere voluit. Constat enim, Spiritum sanctum in Bibliis edendis id inter cætera sibi proposuisse, ut ea nos doceret, quæ meditando

(1) Patrizi, *De interpret. Scripturar.* lib. 1, nn. 455 seq. et 467.

ac ratiocinando tanquam consectaria ex textu sacro colligimus; pertinentque sive ad mentem veritatibus imbuendam, sive ad cor sanctis moribus informandum : non secus ac illa, quæ expresse ac formaliter verbis sacris enuntiantur.

Quod autem documenta quæ dicimus *consequentia*, vere nobis a Spiritu sancto suggerantur, non tantum doctrina Patrum demonstrat, eorumque praxis perpetua ; verum etiam aperta ipsius Scripturæ testimonia. Sic enim Paulus loquitur : *Quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt* (Rom. XV, 4). — *Hæc autem omnia in figura contingebant illis ; scripta sunt autem ad correptionem* (i. e. ad admonitionen) *nostram*. I Cor. X, 11. Cf. II Tim. III, 15, 16, 17.

Est autem idem sensus *consequens*, vere sensus *mysticus*, non litteralis : quia non immediate littera significatur, sed sub eadem velut sub cortice latet.

QUÆSTIO 5.

Quænam inter sensum mysticum et typos relatio intercedit? et quid typorum nomine intelligendum?

R. Uti supra dictum est, sensus mysticus ut plurimum in typo fundatur ; imo juxta quosdam auctores (1), semper et essentialiter typum supponit.

Typi sunt personæ, res, eventus seu gesta, quæ peculiari Dei consilio destinata sunt ad præsignificanda futura, ad figurandas res spirituales aut morales. — Hinc triplex typorum genus : typi prophetici, typi anagogici, et typi tropologici.

1° Typi prophetici sunt in V. T. plurimi : sive personæ, ut Adam, Melchisedech ; — sive res, ut arca Noe, arca Fœderis ; — sive eventus et gesta, ut ejectio Agar et Ismaelis, transitus maris rubri.

Nota. Ne confundantur *typi* prophetici cum *vaticiniis symbolicis*, quibus prophetæ subinde futura prædicebant : ut Jeremias utens symbolo lumbaris linei. Jer. XIII.

2° Typi anagogici illi dicuntur, qui animum evehunt ad ea, quæ sunt corporeis ac terrenis rebus sublimiora, cœlestia præsertim ac divina. Tales sunt tabernaculum Fœderis (Hebr. IX, 11), manna deserti (Joan. VI, 32, 59).

3° Typi tropologici, qui documenta morum exhibent, sunt iterum manna (Sap. XVI, 27, 29), — et ea quæ contigerunt Israelitis in deserto, teste Paulo I Cor. X, 5—11.

Nota. Typi, utpote figurative, ad vetus Testamentum proprie pertinent, quod novi Testamenti atque Ecclesiæ figura est. Quapropter, postquam Ecclesia Christi formaliter fuit con-

(1) Cf. Patrizi, *De interpret. Scriptur.* nn. 282, 285 seqq.

stituta in die Pentecostes, typi divinitus dari desierunt; nec quidquam typice factum post Spiritus sancti descensionem, sive in Actibus, sive in posterioribus libris legitur; sed quæcumque in Epistolis Apostolorum, et in Apocalypsi, de futura gloria aut de rebus spiritualibus dicuntur, ipso sensu litterali exhibentur (1).

QUÆSTIO 6.

Quid de sensu accommodatitio dicendum?

R. Sensus *accommodatitius* vel *accommodatus*, est ille qui sacræ Scripturæ tribuitur, quoties verba sacra ad rem quam divinitus non exprimunt, transferuntur. Sic, quod de Noe dicitur in Ecclesiastico, XLIV, 17 : *Inventus est justus, et in tempore iracundiæ factus est reconciliatio*, Ecclesia omnibus Confessoribus Pontificibus accommodat.

Sensus accommodatitius distinguitur a quibusdam in *extensivum*, *allusivum* et *analogicum*. — His addi posset *abusivus*, quando scilicet textus sacer adhibetur sensu prorsus alieno a sensu litterali; ut si ad ostendendum prava consortia esse fugienda, afferatur illud : *Cum sancto sanctus eris, et cum perverso perverteris*. Ps. XVII.

Licitus prorsus et legitimus est usus accommodati sensus : dummodo sit -1) pius ; -2) verus ; -3) naturali analogia vel alia ratione fundatus ; -4) nec ad probanda dogmata, aut ad profanos sermones, sed ad pietatem dumtaxat fovendam adhibeatur. — Quæ conditiones si serventur, laudabiliter, ut dictum est, sacra verba rebus quas non exprimunt accommodantur : id enim fecerunt SS. Patres, id ipsa Ecclesia in sua liturgia facit quotidie, maximo pietatis emolumento. Etenim cum Deus sit Auctor Scripturarum, ipse vocum quibus illæ constant sonus, sanctum quid præfert, reverendum atque divinum, quod ad pios affectus excitandos mirifice valet.

Ad quæstionem, utrum ipsi hagiographi adhibeant Scripturas in sensu accommodato, respondendum cum Patritio (2) : nulla vaticinia in sensum accommodatum accepisse scriptores sacros, ubi prophetarum testimonio aliquid confirmare instituebant. Attamen inter alias Scripturarum sententias, quas vel scriptores illi, vel ipse Christus Dominus produxerunt, nonnullæ per accommodationem adhibitæ reperiuntur, tum in vetere, tum in novo Testamento. Exempli gratia : Tob. II, 6, et I Machab. I, 41, ex Amos VIII. 10. — Item, Matth. VII, 23, ex Ps. VI, 9 ; et Eph. IV, 25, ex Zachar. VIII, 16.

(1) Patrizi, ibid. l. 1, nn. 335, 377 seqq. — Quinam sint præcipui V. T. typi, vide infra, artic. IV, sectione 1, quæst. 3, pag. 82.
(2) *De interpret. Script.* l. 1, n. 475.

QUÆSTIO 7.

Quænam circa sensus modo explicatos practice sunt adnotanda?

R. Ad Scripturæ sensus practice discernendos adnotasse proderit hæc quatuor.

Adnotatio prima. — Sensus litteralis seu *primus*, habetur ubique, saltem unus (1) ; sensus vero mysticus, seu *secundus*, non item.

Adnotatio secunda. — Ubique tamen habentur, saltem indirecte et insinuative, sensus mystici consecutivi, documenta scilicet salutaria, secundum illud : *Omnis Scriptura divinitus inspirata, utilis est ad docendum* veritates, *ad arguendum* errores, *ad corripiendum* vitia, *ad erudiendum in justitia* seu quacumque virtute (II Tim. III, 16). — His consonat et illud : *Quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt ; ut per patientiam et consolationem Scripturarum, spem habeamus* (Rom. XV, 4). — Atque ideo SS. Patres omnia Scripturæ verba docent esse perscrutanda. « Quidquid in cœlestibus eloquiis est, inquit S. Hilarius (2), excelsum, rationabile et perfectum esse existimetur. » — S. Joannes Chrysostomus (3) : « Neque enim vel syllaba, vel apiculus est in sacris Litteris, in cujus profundo non sit grandis quispiam thesaurus. » — S. Bernardus (4) : « Ego enim jam olim mihi persuasi, in sacri pretiosique eloquii textu nec modicam vacare particulam. »

Adnotatio tertia. — Sensus litteralis, non minus quam mysticus, esse potest de re spirituali : nempe de Christo aut Ecclesia, de gratia aut gloria, deque moribus aut virtutibus ; non tamen solet tunc *allegoricus, anagogicus, tropologicus*, vocari, sed simpliciter *litteralis*. Illa enim nomina *allegorici*, etc., sensus mystici seu secundi sunt propria, et supponunt aliquod substratum litterale. Sic, verbis Psalmi CIX : *Dixit Dominus Domino meo : Sede a dextris meis ;* ubi significatur, Christum, Filium Dei incarnatum, post suam ascensionem, constitutum esse in gloria Dei Patris ; cum id proxime ac directe significetur, non dicitur ille sensus esse *allegoricus*, imo nec *mysticus* ; sed *litteralis*. — In parabolis, ubi sensus litteralis complectitur significationem propriam et figuratam, quæ est vere allegorica : ut confusio vitetur, non est adhibendum nomen *sensus allegorici ;* sed potius dicatur, sensum *litteralem* parabolæ esse

(1) Controversiam de unitate aut pluralitate sensus litteralis erudite pertractat Patrizi, *De interpretatione Scripturar.* tom. 1.

(2) *In Psalm.* 135, n. 1 et 2.

(3) *In Genes.* homil. 21, n. 1 ; item, *in Joan.* homil. 36, n. 1, et homil. 50, n. 1.

(4) *In Cantic.* serm. 72, n. 6.

quasi duplicem : nempe *proprium*, et *figuratum* seu *parabolicum*. Sic in parabola *filii prodigi*, sensus proprius est historia prodigi adolescentis ; sensus parabolicus, historia peccatoris.

Adnotatio quarta. — Sensus grammaticalis a sensu litterali distinguendus est, quotiescumque locutio vel sermo, materialiter spectatus, obscurior est : ut in Psalmis ac Prophetis frequenter occurrit.

Exemplum sit illud Psalmi XCII : *Dominus regnavit, decorem indutus est : indutus est Dominus fortitudinem et præcinxit se. Etenim firmavit orbem terræ qui non commovebitur.*

Sensus grammaticalis : Dominus regnare cœpit, gloria quasi vestivit se ; Dominus potentiam induit, eaque præcinxit se. Etenim ipse creando constituit orbem terræ, ordinemque naturæ, qui nulla vi turbari potest.

Sensus litteralis, est laus Deo ob creationem mundi, qua creatione visibiliter regnare cœpit, ut Rex creaturarum omnium.

Sensus mysticus, allegoricus, est laus Deo ob fundatam Ecclesiam, quæ sub allegoria creationis mundi exhibetur.

Adnotatio quinta. — Quo melius discrimen inter sensum *grammaticalem*, *litteralem* et *mysticum* in locis veteris Testimenti, præsertim in Prophetis et Psalmis percipiatur, similitudo afferri potest : nimirum statuæ cujuspiam aureæ, omnique artificio mirabilis, quæ repræsentat Regem gloriæ, Christum, in vetere Testamento passim figuratum. Supponitur autem hæc statua esse cooperta velamine textili, quod apte applicatum ipsius statuæ figuram nonnihil imitatur ; adeo ut distinguantur tria : -1) opertorium textile ; -2) ejusdem figura ; -3) ipsa effigies subter abscondita.

Fieri autem poterit ut tegumentum sit tenuissimum ; vel ita ab artifice paratum, ut partim aut omnino deficiat. — Quomodocumque vero res oculis proponatur, scripturistici loci similitudinem refert.

Nimirum, -1) objecti conspectus, mere materialis, prout oculis offertur, et graphice delineari posset, repræsentat sermonis texturam ac sensum grammaticalem ; -2) figura rudis plicatura veli spectabilis, sensum litteralem ; -3) ipsa effigies aurea, sensum mysticum.

Quod si velamen defuerit, aut ita fuerit tenue, ut simile vitro translucido, vix aut ne vix quidem animadvertatur, et aurea effigies oculis immediate affulgeat : in hoc casu, ipsa statua sensum primum ac litteralem repræsentat. Tunc autem sensus secundus, seu mysticus, absconditus, non habetur : quia nihil jam est absconditum, sed id quod absconditum esse debebat, palam ac primo intuitu cernitur.

(1) Alia quoque media opportune sunt adhibenda : ut inspectio textus primarii, variarum versionum collatio, etc.

ARTICULUS IV.

DE SENSUS INVESTIGATIONE.

Ad sensum sacræ Scripturæ rite intelligendum tria præcipue (1) conferunt : notitia regularum, Scripturæ lectio, studium ac meditatio ; usus interpretum.

SECTIO I.

De regulis.

Regulæ interpretationis sunt partim *generales*, ad totius S. Scripturæ intelligentiam utiles ; partim *speciales*, seu certis tantum libris propriæ.

§ I. Regulæ generales.

QUÆSTIONES.

1° *Quænam est regula dogmatica Tridentini?* — 2° *Quænam sunt regulæ scientificæ pro sensu mystico?* — 3° *Quinam sunt præcipui typi, seu figuræ quæ in vetere Testamento reperiuntur?* — 4° *Quænam dantur regulæ pro sensu litterali et grammaticali?* — 5° *Quinam sunt præcipui idiotismi hebraici?* — 6° *Quid de ponderibus, mensuris et pecuniis Hebræorum sciendum est?*

QUÆSTIO 1.

Quænam est regula dogmatica Tridentini in Scripturis interpretandis sequenda?

R. Illa est quæ Sessione IV (1) sic statuitur : « Ad coercenda petulantia ingenia, sacrosancta Synodus decernit, ut « nemo, suæ prudentiæ innixus, in rebus fidei et morum, ad « ædificationem doctrinæ christianæ pertinentium, sacram « Scripturam ad suos sensus contorquens, contra eum sen- « sum quem tenuit et tenet sancta Mater Ecclesia, cujus est « judicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum « sanctarum ; aut etiam contra unanimem consensum Patrum, « ipsam Scripturam sacram interpretari audeat ; etiamsi hu- « jusmodi interpretationes nullo unquam tempore in lucem « edendæ forent. »

Circa decretum istud animadvertenda sunt sequentia.

1° Regula statuitur, ut non interpretemur Scripturam *contra eum sensum quem tenet Ecclesia... aut etiam contra unanimem consensum Patrum.* — Itaque ubi locus interpretandus occurrit de rebus fidei et morum, videndum est an Rom. Pontifex, vel Concilium œcumenicum, vel Patres unanimiter propositi textus sensum docuerint : tunc enim de vero sensu

(1) Decret. *de editione et usu sacror. Librorum.*

constat. Docent autem Scripturæ sensum vel *directe* vel *oblique* : directe, quum expressis verbis definiunt, proposita verba hoc aut illud sonare ; oblique seu indirecte, quum argumento ex verbis istis petito id confirmant quod dogmatice decernunt. Sic verba Pauli : *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt* (Rom. V, 12), dicta esse de peccato originali constat vel eo ipso, quod Tridentini Patres suam de originali peccato sententiam his verbis confirmarunt, Sess. V, decreto de pecc. orig. 2. — Nec minus indubium illud foret, etiamsi eadem verba non paulo post directe essent interpretati, ibid. 4.

2° Objectum de quo regula prædicta statuitur, non est Scriptura sacra simpliciter tota ; sed Scriptura in locis seu *rebus fidei et morum, ad ædificationem doctrinæ christianæ pertinentium.* — Ubi igitur textus interpretandus suscipitur, quo aliæ res dicuntur, ut sunt quæ ad historiam pertinent, ad geographiam, ad antiquitatem, ad chronologiam : tunc legi Tridentinæ non est locus, quæ de rebus fidei et morum lata solummodo est. De cætero, quem in sensum hujusmodi textus accipere oporteat, Ecclesia decernere non solet : nisi forte quatenus cum *rebus fidei et morum* quædam eorum connectuntur (1).

QUÆSTIO 2.

Quænam sunt regulæ scientificæ pro sensu mystico ?

Resp. (2) — I. Prius exquirendus est sensus litteralis, dein videndum an subsit etiam mysticus : litteralis enim ad mysticum viam sternit.

II. Interpretatio mystica ne sit nimis vaga, neque nimium restricta. — Certa est illa, quam Christus et Apostoli fecerunt ; probabilis saltem, quam usurparunt Patres.

III. Res visibiles sic creavit Deus, ut non solum humanis usibus servirent, sed suis etiam proprietatibus adumbrarent res spirituales et cœlestes ; unde plerisque præter litteralem, unus vel plures sensus mystici (3) convenire possunt.

IV. Deus per vetus Testamentum aliud nos docere voluit quam meras historias.

V. *Hæc omnia*, inquit Apostolus de Israelitis loquens, *in figura contingebant illis* (I Cor. X, 11) ; unde merito concludunt interpretes, in omnibus eventibus mysteria ac typos contineri. In omnibus autem eventuum partibus vel circum-

(1) Cf. Patrizi, *de interpret.* lib. 1. n. 104, 108.
(2) Kilber, *Theol. Wirceb.* tom. 1.
(3) Saltem *consecutivi*, quales definiti supra, pag. 75, 78.

stantiis, quamvis ædificatio spiritualis inveniri possit, mysteria tamen quærenda non sunt.

VI. Historiæ, cæremoniæ, sacrificia, ritus, judicia veteris Testamenti, præceptaque de iisdem, præter sensum allegoricum, sæpe etiam habent moralem et anagogicum.

VII. Inter personas veteris Testamenti celebres, multæ typice significabant Christum ; populus Israel in multis figura erat Ecclesiæ.

Quoniam autem hujusmodi figuræ, seu typi, præcipuum sunt sensus mystici fundamentum, paulo fusius de typologia est agendum.

QUÆSTIO 3.

Quinam sunt præcipui typi, seu præcipuæ figuræ, quæ in vetere Testamento reperiuntur?

Resp. Uti modo (1) indicatum est, antiquum Testamentum universim sumptum, totum figurativum fuit ; ita ut ejusdem eventus atque personæ magis conspicuæ, varia novi Testamenti mysteria adumbrarint.

Scilicet typi vel figuræ V. T. plerumque repræsentant Christum Salvatorem ejusque Ecclesiam ; — quandoque etiam Christi adversarium diabolum, hujusque opus, peccatum nempe, peccatores, perditionem.

Typi qui adumbrant Christum, eum exhibent vel *adæquate*, i. e. una cum corpore suo mystico, quod est Ecclesia ; — vel *inadæquate*, i. e. modo in se, et prout est caput Ecclesiæ ; modo in Ecclesia sua : sive integre sumpta pro omnibus membris ; sive sumpta partialiter, pro aliquibus membris ejus, vel pro aliqua ejus parte insigniore, qualis est B. Virgo Maria.

Una eademque res potest esse figura multiplex. Exempli gratia : virga florens Aaronis, typus est tum Christi, tum B. Mariæ Virginis, tum resurrectionis gloriosæ. — Imo una eademque res adumbrare potest contraria. Sic, diluvium typus est Baptismi ac salutis fidelium, simulque æternæ ruinæ impiorum.

Quoniam ad intelligendas Scripturas imprimis confert typologia, figuras ac typos qui magis conspicui sunt, cum præcipuis similitudinis vel oppositionis lineamentis, succincte indicabimus ; quibus deinde addemus nomina symbolica Christi ejusque Virginis Matris (2).

I. *Adam*, *Eva*, *paradisus*, *serpens*. — 1° *Adam* est typus

(1) Reg. V et seq.— Item supra, *De quatuor. Evang.* p. 36 ; et : *De sensibus Scripturarum*, pag. 72.

(2) Cfr. Huet, *Demonstratio evang.* ; Becanus, *Analogia veteris noviq. Test.* ; A Lapide, in loca corresp.

Christi, partim per similitudinem, partim per oppositionem, ut ex sequentibus notis intelligetur. Adam primus homo, quasi filius Dei, non alium patrem habuit quam Deum : ad cujus imaginem factus est de terra virgine, afflatus spiraculo vitæ, constitutusque dominus universæ terræ et pater humani generis. — Ex latere ejus dormientis facta est ei uxor similis ipsi. — Peccavit autem in horto paradisi, et per inobedientiam circa fructum arboris, peccatum, mortem, ruinam intulit omnibus hominibus ac maledictionem universæ terræ. Quapropter e paradiso expulsus, laboribus atque ærumnis addictus est, donec descenderet in terram de qua erat sumptus.

2° *Eva*, Adami conjux, de carne ejus et de ossibus ejus, vocata est *mater cunctorum viventium.* Audivit autem vocem angeli mali, et seducta est : fructumque vetitum comedendo maledictionis ac lacrymarum causa filiis suis est effecta. — His omnibus, sive per similitudinem sive per oppositionem, figura existit Ecclesiæ, et B. M. Virginis.

3° *Paradisus*, hortus arboribus fructibusque jucundus, fonte et fluminibus quatuor irrigatus, habensque lignum vitæ, nec non lignum scientiæ boni et mali, quod mox factum est lignum mortis : erat habitatio innocentiæ et felicitatis. At vero ad illum aditus misere patuit serpenti. — Figura cœli, Ecclesiæ, animæ sanctæ, præsertim animæ Christi, nec non animæ immaculatæ Virginis Mariæ, ad quam serpenti nullus aditus fuit.

Arbor vitæ est ipse Christus, ejus crux salutifera, ejusque sacramentum Eucharistiæ. — Item, est B. Virgo, et quælibet anima justa virtutibus fecunda. — Iterum, est ipsa sapientia, virtus et perfectio : *Lignum vitæ est his qui apprehenderint eam* (Prov. III, 18). — Demum est beatitudo et visio Dei. *Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in paradiso Dei mei.* Apoc. II, 7.

4° *Serpens*, callidus, mendax, homicida, maledictus, per mulierem contritus, figura est diaboli tentatoris ; nec non diabolici operis, peccati nempe et peccatoris, per Mariam ejusque Filium vincendi.

II. *Abel*, *Cain.* — 1° *Abel* innocens, pastor ovium, pius, sacrificium Deo gratum offerens, a fratre Cain ex invidia occisus est ; sanguis ejus clamavit ad Deum de terra. — Typus Christi ; cruentam mortem passi per invidiam Judæorum.

2° *Cain* fratricida, deinceps maledictus, vagus et profugus mansit super terram, notatus a Deo signo maledictionis. — Figura Judæorum deicidarum, omniumque impiorum.

III. *Noe*, *arca*, *diluvium* (Gen. VI, seqq.). — *Noe*, cujus nomen *consolationem* significat ac *requiem*, vir justus inter impios, humanum genus ab interitu diluvii servavit per arcam ex

ligno, a se, Deo tamen operis duce, constructam, et habentem ostium ex latere. — Emittit ex arca columbam, quæ revertitur portans ramum olivæ, et annuntians diluvii finem. — Sacrificium offert Domino gratum ac suave, et impetrat a Deo pactum misericordiæ æternæ, cujus signum datur arcus nubium. — Filiis suis Sem et Japhet benedicit ; maledicit vero Cham in ejus filio Chanaan.

Noe fuit figura Christi ; ejus *arca* figura Ecclesiæ, crucis, et humanitatis Christi in cruce transfixæ. — *Diluvium* figura Baptismi et ruinæ impiorum. — *Columba*, pacis nuntia, est B. Virgo Maria. — *Arcus nubium*, Christus, et sanctissima ejus Mater.

IV. *Melchisedech*, rex justitiæ, *rex Salem* seu pacis, — *sine patre, sine matre, sine genealogia, neque initium dierum, neque finem vitæ habens* (Hebr. V, 3), sacerdos Hebræis et Gentibus, sacrificium offerens in pane et vino : typus est Christi, Sacerdotis æterni (Gen. XIV).

V. *Abraham*, *Isaac et Jacob*, *quæque cum eis connectuntur* (Gen. XII seqq.). — 1° *Abraham*, a Deo vocatus, et eductus de Ur Chaldæorum in terram Chanaan, benedictionem accepit et promissionem numerosæ sanctæque progeniei, et novæ patriæ ipsis in hæreditatem dandæ. Credidit Abraham Deo, et adhuc incircumcisus fide justificatus est ; deinde vero legem circumcisionis accepit. — Duos habuit filios, Ismaelem ex Agar ancilla, et Isaac e Sara uxore.

Abrahami vocatio significat vocationem Gentium. Ipsemet autem Patriarcha typus est et *pater omnium credentium*, tum circumcisionis tum præputii : id est, tam Judæorum quam Gentium. Id etiam innuit nomen *Abraham*, quod est hebraice *pater multitudinis*, puta credentium. Hinc et figura est Christi, qui verus est omnium credentium seu fidelium Pater.

Circumcisio, octavo die efficienda, fuit figura Baptismi ; — nec non mortificationis christianæ, quæ vocatur circumcisio cordis ; — item, resurrectionis gloriosæ, quæ, sicut resurrectio Christi, continget octavo die : id est, post hebdomadam temporis, in fine sæculorum, quando circumcidetur et resecabitur omnis carnis naturæque corruptio.

2° *Isaac*, natus matre Sara, pulchra sed sterili, et patre dierum pleno ; unigenitus, filius promissionis, vexatus ab Ismaele filio ancillæ, patri charrissimus fuit : a quo tamen sacrificio destinatus, lignis holocausti onustus et ad mortem ductus est. Divinitus autem a morte liberatus, accepit uxorem Rebeccam et factus est pater populi Dei.

In his *Isaac* est typus Christi præclarus ; *Abraham*, Patris æterni ; *Agar et Ismael* synagogæ, *Sara* Ecclesiæ Christi, cui

illa insultans expellitur. — Similiter *Rebecca*, uxor Isaac, ut et postea uxores Jacob, matrem Ecclesiam adumbrant.

Aries, agnus masculus, seu mas ovinus, quem Abraham in monte Moria vidit inter vepres hærentem, et loco Isaac immolavit, est figura Christi in eodem monte Golgotha crucifixi.

3° *Jacob*, filius Isaac natu minor, fratrem Esau natu majorem supplantavit, ejusque vestibus indutus ejusdem loco benedictionem primogeniti adeptus est. — Scalam mysticam vidit in Bethel, ubi erexit lapidem in titulum fundens oleum desuper. — Postea, luctatus cum angelo, nomen Israel, *prævalens Deo*, accepit. — Ex Lia et Rachel uxoribus filios genuit duodecim patriarchas.

Jacob, induens vestem et personam Esau, significabat Christum, qui nostra peccata et pœnas in se suscepit. Rursum, significabat Gentes surrogandas esse Judæis in filiatione et benedictione Abrahæ (Rom. IX, X). — Quatenus pater duodecim patriarcharum, figurat Christum, qui duodecim Apostolos constituit fundamenta Ecclesiæ.

Scala Jacob, qua de cœlo in terram et de terra in cœlum ascenditur, est Christus, incarnatio ejus, et crux ejus. — Item, est B. Virgo Maria. — Item, varia media salutis ac sanctitatis, præsertim orationem et mortificationem, quæ est participatio crucis Domini, adumbrat.

Lapis a Jacob inunctus, juxta S. Augustinum, est Christus, et chrisma Christianorum : Christus scilicet lapis Ecclesiæ angularis, unctus a Patre, ungensque ipsemet suos oleo lætitiæ.

Locus sanctus, quem Jacob appellavit *Bethel*, id est, *domus Dei*, est Ecclesia terrestris, porta cœli.

VI. *Joseph*, typus Christi (Gen. XXXVII seqq.). — *Joseph*, filius Jacob et Rachel, matre pulcherrima, patre jam sene : decorus forma, innocentissimus, spiritu prophetiæ et cœlestibus visionibus, quæ summam ipsi dignitatem portendebant, illustratus ; a patre singulariter dilectus et veste polymita indutus est. A fratribus vero odio habitus, ad mortem petitus, spoliatus tunica quæ sanguine tingitur, et in servum venumdatus. — Ductus in Ægyptum, ibique profundissime humiliatus, deinde vero exaltatus, imperio et gloria exornatus. — Panem præstat Ægyptiis et fratribus suis, vocaturque a Pharaone *salvator mundi*. De ipso sic fatur moriens Jacob : *Filius accrescens Joseph, filius accrescens, et decorus aspectu*. Gen. XLIX, 22.

Hæc omnia Christo conveniunt ; merito tamen etiam, licet secundaria ratione, adumbrare dicuntur sanctum Joseph, virum Mariæ castissimum, patrem nutritium Christi. — Rachel, mater Salvatoris Ægypti, imaginem refert Virginis plenæ gratiæ, matris Christi.

VII. *Agnus paschalis* (Exod. XII). — Erat ille agnus sine macula, immolandus die decima quarta mensis Nisan ad vesperam. Ejus ossa non confringebantur; carnes vero assæ igni manducabantur cum azymis panibus, et quidem festinanter. — Sanguis ejus domorum foribus illitus, Hebræis saluti fuit. — Post agni paschalis immolationem et esum, statim, nempe postridie, Ægyptiaca servitute exempti sunt Hebræi.

Agnus ille mysticus est figura Christi, tum cruente, tum incruente pro nobis immolati.

VIII. *Moyses*, *Aaron*, *exodus*, *miracula in deserto* (Exod. II seqq.). — 1° *Moyses*, statim ab ortu paratæ sibi neci subductus a parentibus, postea pastor ovium factus est in terra Madian. A Deo autem, qui ipsi apparuit in rubo ardenti, missus est liberator, dux et propheta populo Israel : quem magnis editis miraculis a jugo Pharaonis liberavit, aperta salutis via per mare rubrum, quo Pharao cum curribus mergitur. — Deinde ducit populum ad terram promissionis per desertum, præeunte columna nubis et ignis. — Eidem populo dat manna, panem de cœlo; aquam de petra; victoriamque in prælio, orando sublatis manibus in monte. — Statuit ei divinitus legem veteris Testamenti, cultum sacrum, sanctuarium et sacerdotium. — Ut autem legem acciperet, mansit in monte Sinai cum Domino per quadraginta dies et quadraginta noctes, non comedens neque bibens; descenditque ad populum facie lucida et quasi transfigurata. — Constituit septuaginta duos populi magistros (Num. XI), misitque in terram Chanaan exploratores duodecim. — Fuit autem Moyses vir sapiens ac fortis, humilis ac mitis : *Erat Moyses vir mitissimus super omnes qui morabantur in terra.* Num. XII, 2.

Moyses est typus Christi Salvatoris, novique Testamenti mediatoris. — *Pharao* diabolum, ejusque currus vitia repræsentant. — *Liberatio Israelis* ex Ægyptiaca servitute, est redemptio humani generis a servitute diaboli. — *Mare rubrum*, est Baptismi sacramentum, quod e Christi sanguine virtutem salvificam habet. — *Columna nubis et ignis*, est Christus, ejusque lux evangelica. — *Manna* est Christus, præsertim Christus eucharisticus, panis de cœlo verus. Atque idem Christus est *absconditum manna*, quod vincenti daturum se pollicetur Spiritus in Apocalypsi (Cap. II, 17) : alludens ad manna in urna aurea reconditum, et in arca Testamenti asservatum (Hebr. IX, 4). *Urna aurea* manna continens, est B. Virgo Dei Genitrix. — *Rupes*, virga Moysis percussa et aquas effundens, est iterum Christus in passione percussus. — Virga Moysis, qua mare aperuit, et qua elicuit aquas e petra, est lignum crucis. — *Petra autem erat Christus.* I Cor. X, 4.

Rubus ardens, seu ignis in rubo (Exod. III, 2), est 1) incarnatio, seu Deus in carne ; 2) est Deus in B. Virgine conceptus, et natus illæsa ejus virginitate ; 3) est tribulatio in homine sancto, humili et mortificato, quem nequaquam lædit, sed sanctificat.

Serpens æneus in deserto erectus, qui serpentium Israelitis infestorum figuram habuit, at eorumdem veneno caruit, est Christus in cruce exaltatus.

Civitates refugii (Num. XXXV, 6), mystice designant varia salutis media fidelibus a Christo concessa, inter quæ eminet patrocinium B. M. Virginis.

Promulgatio Legis veteris in monte Sinai, figurabat descensum Spiritus sancti super Apostolos in monte Sion, et promulgationem Legis novæ die Pentecostes.

2° *Aaron*, pontifex legis veteris, a Deo vocatus, oleo sancto inunctus, ornatu magnifico indutus, et miraculo virgæ florentis signatus, semel in anno Sanctum sanctorum ingrediebatur solus, non sine sanguine. — Ipse, cum grassaretur incendium, pro populo deprecatus est, et plaga cessavit. — Typus, ut patet, Christi, Pontificis legis novæ.

Aaronis filii sacerdotes, et *levitica tribus* universa Deo consecrata, adumbrant sacerdotium ordinemque clericalem novæ legis.

Inter Pontifices Aaronis successores, celebratus est *Phinees*, qui zelo fortissimo Christi typum gessit. Num. XXV.

Virga frondens, florens et fructificans Aaronis (Num. XVII, 8), est Christus. — Item, virga est B. Virgo Maria, et flos ejus Christus, juxta illud : *Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet* (Isai XI, 1) — Item virga, velut reviviscens et floribus fructuque ornata, significat resurrectionem gloriosam.

IX. *Instrumenta divini cultus, sacramenta et sacrificia mosaica* (Exod. Levit.).

1° *Tabernaculum fœderis*, quod erat templum mobile, sicut templum Salomonis fuit stabile, adumbrabat synagogam respectu Ecclesiæ ; — item, Ecclesiam Christi integram, tum militantem, tum triumphantem ; — item, corpus Christi ejusque humanitatem ; — item B. Virginem, quæ est tabernaculum sanctificatum Altissimi ; — item demum, quamlibet animam sanctam.

2° Ad Tabernaculum tanquam partes pertinebant, 1) *atrium* externum, ubi erat locus orationis laicorum, labrum seu lavacrum æneum, et altare holocaustorum. — 2) *Sanctum*, ubi mensa panum propositionis, altare thymiamatis, candelabrum lucens. — 3) *Sanctum sanctorum* : ubi arca fœderis cum propi-

tiatorio et cherubinis ; atque in eadem arca, tabulæ legis, manna, et virga Aaronis quæ fronduerat.

Atrium fuit figura Ecclesiæ militantis, quoad communem vitam christianorum : ad quam spectat oratio communis, sacramentum Pœnitentiæ, et mortificatio vitiorum per jejunium et alia opera.

Sanctum fuit figura ejusdem Ecclesiæ quoad vitam perfectorum : ad quam spectant mensa Eucharistica, jugis oratio et contemplatio, doctrina et sanctitas.

Sanctum sanctorum fuit figura cœli, seu Ecclesiæ triumphantis : ubi cœtus Beatorum, humanitas Christi gloriosa, et angeli sancti ; — et rursus, in eodem cœtu Beatorum quem figurabat *arca*, est perfecta charitas Dei ac proximi, abundantia divinæ suavitatis, et gloriosa Sanctorum corpora.

In particulari, *mensa panum propositionis*, præter sacramentum Eucharistiæ, significat animam charitate plenam, deditam eleemosynis et operibus misericordiæ. — Item, *candelabrum aureum* est etiam Christus, Christique doctrina et doctores. — Item, *arca fœderis* est B. Virgo, quæ in cœtu Beatorum eminet ; nec non humanitas Christi : *Arca intra velum*, ait S. Gregorius, *est Redemptor noster in cœlo*. Homil. ult. Ezech.

3° *Sacramenta* veteris Legis : ut *esus agni paschalis*, *purificationes* ab externis immunditiis, *expiationes* a peccatis, *consecratio sacerdotum*, etc. figuræ fuerunt atque umbræ sacramentorum novæ Legis.

4° *Sacrificia* antiqua omnia, incipiendo a sacrificio Abel, typi fuere sacrificii Christi, sive cruente sive incruente immolandi ; idemque variis sub respectibus repræsentarunt. — Insigniora sunt *agnus paschalis*, de quo dictum est supra ; et illa, quæ sacrificium incruentum N. L. clarius adumbrarunt. Scilicet, præter *sacrificium Melchisedech*, oblatio Mosaica ferti *de simila* (Levit. II, seqq. ; Malach. I, 10), nec non *juge sacrificium* (Exod. XXIX, 38 seq. et Num XXVIII, 3, 4), erant figuræ sacrificii Missæ in novo Testamento. — *Hircus emissarius*, cujus capiti mala imprecabatur pontifex, quique Israelitarum noxis velut onustus in solitudinem abigebatur (Levit. XVI, 22), Christum denotabat, *qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo*. I Pet. II, 24.

X. *Josue*. — *Josue*, sive *Jesus*, id est Dominus salvator, *fortis in bello, successor Moysi in prophetis* (Eccli. XLVI, 1), quod Moyses non potuit, populum Dei in terram promissionis introduxit, Jordane trajecto. Cujus rei monumentum perpetuum constituit duodecim lapides, de Jordanis alveo sublatos. — Dum debellaret hostes in prælio, solem in suo cursu cohibuit.

— In quibus omnibus typus fuit Christi. *Sicut pugnante Josue*, inquit Theodoretus, *sol stetit ; ita, dum Salvator noster morte sua mortem dissolveret, sol meridie continuit radios suos , et tenebris replevit terram.*

XI. *Judices* generatim, quatenus salvatores Israelis, fuere figuræ Salvatoris Christi.

Specialim *Samgar*, filius Anath (Jud. III), percutiens Philistæos vomere aratri, typus fuit Christi, mundum vincentis vomere prædicationis evangelicæ. — Alii inter Judices insigniores sunt : Debbora, Gedeon, Jephte et Samson.

XII. *Debbora et Jahel.* — *Debbora* prophetissa præliatrix, et *Jahel*, mulier fortis, quæ occidit Sisaram ducem hostium (Judic. IV) : typice repræsentant Christi Ecclesiam ; — item, animam sanctam, — præsertim vero, B. Virginem de Satana triumphantem.

XIII. *Gedeon* (Jud. VI, VII, VIII). — *Gedeon*, id est hebraice, *ille qui conterit iniquitatem*, cum purgaret frumenta in torculari, divinitus vocatus est, ut Israel a Madianitarum servitute liberaret. Destruxit aram Baal et lucum succidit ; erexit autem altare Domino , obtulitque sacrificium ex carnibus hædi et farina. — Signum cœleste accepit, exposito in area vellere ut rorem exciperet. — Dimissa magna exercitus parte, processit cum trecentis viris, qui dextera tenebant lampades ardentes in vasis testaceis, læva autem buccinas, et de cætero inermes erant ; dicensque his militibus suis : *Quod me facere videritis , hoc facite*, irruit in hostes , qui sese mutua cæde trucidarunt. — His omnibus typus fuit Christi, Redemptoris, et per Apostolos triumphatoris.

Vellus Gedeonis denotat mysterium Incarnationis : ros in vellere est Verbum in Virgine. — Item, ros in vellere, dum universa terra manet rore destituta, est gratia originalis in Immaculata Deipara. — Item, ros in vellere, deinde vero in universa terra nec jam in vellere : est fides et gratia, prius populo Israel data, deinde a populo Israel in Gentes universas translata.

XIV. *Jephte* (Judic. XI). — *Jephte*, id est hebraice, *janua*, a fratribus primum ejectus, exul a Galaaditis requisitus est ut esset dux belli contra Ammonitas. Ille ante prælium votum fecit Domino ; et adeptus victoriam, immolavit filiam suam virginem. — Typus Christi Salvatoris, orantis in horto Olivarum, et pro nobis immolantis carnem suam et humanitatem. — Filia Jephte immolata, etiam repræsentavit Ecclesiam, quam Christus velut virgineam victimam Patri obtulit cum sanguine innumerabilium Martyrum.

XV. *Samson* (Judic. XIII — XVI). — Natus est Samson ma-

tre sterili, cui apparuit angelus, dicens : *Concipies et paries filium, qui erit nazaræus Dei... et ipse incipiet liberare Israel de manu Philistinorum. — Peperit itaque illa filium, et vocavit nomen ejus Samson* (i. e. *solem*) ; *crevitque puer et benedixit ei Dominus, cœpitque Spiritus Domini esse cum eo.*

Samson uxorem duxit Philistæam, eique sua revelavit arcana, nimirum, robur suum in capillis esse situm. — Præpotens viribus leonem obvium interfecit, in cujus ore postmodum favum mellis reperit. — Sitiens valde, clamavit ad Dominum. — Ligatus, omnia vincula disrupit. — Gazæ inclusus, dormivit ad mediam noctem ; tunc experrectus, ipsas oppidi velut carceris sui portas detraxit ac detulit in verticem montis. — Demum *multo plures interfecit moriens, quam vivus occiderat.* — Typus Christi, morte ac resurrectione sua peccatum mortemque vincentis.

Leo a Samsone occisus, est mundus a Christo devictus, qui pro morsu amaro reddit victori dulcedinem. — Iterum, est ipse Christus, leo de tribu Juda, qui morte sua genuit vitam, et vitæ alimentum suavissimum : nempe mel Eucharisticum, et examen innumerabile fidelium. — Iterum, *favus* ille mysticus est Beata et Immaculata Virgo Maria, filia vitæ, quæ sola in humano genere, per peccatum mortuo et corrupto, inventa est incorrupta et viva.

Coma Samsonis, quæ nazareatus ejus erat sacrum insigne, et in qua fortitudo ejus erat sita : repræsentabat Christum, Nazaræum et Nazarenum, a quo omnis fortitudo procedit. — Significabat præterea symbolice, rerum minimarum nobis exactam curam esse habendam : a minimis enim pendent maxima.

XVI. *Ruth*, Moabitis et gentilis, deinde facta proselyta et uxor Booz, typum gessit Ecclesiæ ; Gentiumque vocationem, Judæis exclusis, a Christo faciendam demonstrat.

XVII. *Samuel* (I Reg. I seqq.). — *Samuel*, id est, *positus a Deo*, perinde ac Samson natus matre sterili, nazaræus etiam fuit, unigena, ab infantia Deo dicatus, de quo legitur : *Puer autem Samuel proficiebat, atque crescebat et placebat tam Deo quam hominibus... et Dominus erat cum eo* (I Reg. II, 26 ; III. 19). — Fuit præterea Samuel levita, sacerdos, et propheta Domini. — Quibus omnibus typum gessit Christi.

XVIII. *David* (I, II, III Reg.). — *David*, natus in Bethlehem, pastor, bellator fortis ac liberator populi sui, propheta, rex, oleo sacro inunctus : toto vitæ curriculo expressum Christi typum gessit. Spectetur enim gigantem Goliath occidens, persecutionem patiens et angustias ex parte Saulis, imo rebellionem ex parte proprii filii Absalom dilectissimi ; —

arcam Domini et sedem regni sui constituens in civitate sancta Jerusalem, atque in monte Sion ; pacem præstans populo suo, et adversas ipsi gentes subjiciens ; arcem Sion ædificans et turrim munitissimam (II Reg. V, 9) ; — Dei cultum psalmis ac laudibus dignissimis celebrans : his omnibus tam manifestam Christi exhibet imaginem, ut apud prophetas, Isaiam, Jeremiam, Ezechielem et Oseam, ipsum *Davidis* nomen Christo tribuatur.

Davidis uxores, *Abigail* humillima (I Reg. XXV), et *Abisag* sunamitis, typi sunt B. Mariæ Virginis.

XIX. *Salomon* (III Reg.). — Non minus quam in David patre, agnosci potest Christus in Salomon filio. *Salomon*, id est, Pacificus, appellatus quoque est *Iedidia*, seu *Amabilis Domino* (II Reg. XI, 25) ; et cognominatus *Cohelet,* id est, Ecclesiastes seu prædicator : filius David, sedensque super thronum ejus rex in Jerusalem, sapientia et magnificentia præclarus, ædificavit mirabile templum Domino, idque solemniter dedicavit, sicut Christus Ecclesiam.

Regina Saba, quæ de longinquo ad Salomonem venit, ejusque sapientiam et opes mirata est, Ecclesiæ typus fuit : quæ ex ethnicis fere conflata, Christi doctrina, virtutibus et gratia capta, ad eum accessit, eique sese in sponsam tradidit.

Thronus Salomonis eburneus, repræsentabat B. Virginem Dei Genitricem, in cujus gremio atque ulnis divinus Salomon quiescere et residere voluit. Describitur autem (III Reg. X, 18, et II Paralip. X, 17), his verbis : *Fecit quoque rex* (Salomon) *solium eburneum grande, et vestivit illud auro mundissimo. Sex quoque gradus, quibus adscendebatur ad solium, et scabellum aureum, et brachiola duo altrinsecus, et duos leones stantes juxta brachiola ; sed et alios duodecim leunculos stantes super sex gradus ex utraque parte : non fuit tale solium in universis regnis* (1).

Idem dicendum de *lectulo Salomonis*, qui (Cant. III, 7, 8) sic describitur : *En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel : omnes tenentes gladios, et ad bella doctissimi : uniuscujusque ensis super femur suum, propter timores nocturnos.*

Similiter Beatam Virginem figurat et Ecclesiam currus Salomonis, de quo legitur : *Ferculum fecit sibi rex Salomon de lignis Libani : columnas ejus fecit argenteas, reclinatorium aureum, ascensum purpureum : media charitate constravit propter filias Jerusalem.* Cant. III, 9, 10.

XX. *Horologium Achaz* (IV Reg. XX, II ; Isai. XXXVIII, 8).

(1) Cf. A Lapide. in III Reg. X, 18.

— *Umbra* retrocedens et *sol* revertens decem lineis in horologio Achaz, repræsentavit Christum, descensurum decem lineis, id est, immensum, infra omnes angelorum et hominum gradus, in passione sua ; indeque rursum ascensurum ad Patrem. — Ipsum autem *horologium*, in quo illud mysterium luminis effectum est, figuravit Beatam et Immaculatam Dei Genitricem.

XXI. In libro Tobiæ (cap. VI. 8), *piscis* de flumine ascendens, mystice Christus est. De quo mysterio hæc Augustinus scribit : *Est Christus piscis ille, qui ad Tobiam ascendit de flumine vivus ; cujus jecore per passionem assato, fugatus est diabolus ; et per amaritudinem fellis afflatus est cœcus et illuminatus est mundus.* Serm. 4 de Petro et Paulo.

XXII. *Judith.* — *Judith*, vidua castissima, speciosissima, fortissima, caput amputans Holophernis, et liberans Bethuliam : est allegorice B. Virgo Maria, victoriam referens de diabolo, serpentisque conterens caput. Maria quoque in persona Judith laudatur his verbis : *Tu gloria Jerusalem, tu lætitia Israel. tu honorificentia populi nostri.* Judith XV, 10 seq.

XXIII. *Esther.* — Regina sanctissima et pulcherrima Esther, in uxorem Assueri loco Vasthi electa, liberansque suo interventu populum suum ab interitu, allegorice designat B. Mariam Virginem, nec non Christi Ecclesiam. — Assuerus figurat Christum ; Mardochæus animam fidelem et piam ; Aman et Vasthi, dæmonem, carnem et mundum.

Mariam quoque refert Assueri regis *virga aurea*, per quam Deus toti humano generi offensus reconciliatus est. Esther. IV. 11.

XXIV. *Job.* — Servus Dei Job, multarum virtutum titulis ac dignitatum illustris, Christi Domini quoque typum gessit. Etenim rex in media gentilitate, propheta, doctor, pauperum pater, viduarum consolator, pupillorum protector ; justitia, simplicitate, castitate, præcipue vero patientia insignis, his totidem velut lineamentis Salvatori similis apparet. Imo et huc spectat ipsum nomen *Job*, quod latine dicitur *dolens* : ut per ejus et nomen et vulnera, inquit S. Gregorius (1), Redemptoris nostri passio designetur, de qua propheta ait : *Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit.* Isai. LIII, 4.

XXV. *Prophetæ* generatim, ii præcipue qui pro justitia passi aut occisi sunt, typi fuerunt et imagines Christi. Inter eos tamen eminent Elias, Eliseus, Jonas, Jeremias et Daniel.

XXVI. *Elias.* — Propheta *Elias* (2), quod nomen hebraice idem sonat ac *Dominus Deus*, typus Christi exstitit non nomine duntaxat, sed virtutibus et gestis. Vir enim fuit zelo divini

(1) Lib. 6. *Moral.* c. 1. — Cf. Pineda. — (2) III Reg. XVII seqq.

cultus flagrans, in Carmelo monte orationi et contemplationi vacans, indeque descendens ut regibus ac populis præcepta Dei prædicaret : fortissimus, et in tolerandis persecutionibus invictus. — Oratione sua cœlum clausit et aperuit. — Sacrificium insigne Deo obtulit, omnesque prophetas Baal interfecit. — Ad vitam revocavit filium viduæ Sarephtanæ. — Cœlitus accepit subcinericium panem, et ambulavit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus et quadraginta noctibus, usque ad montem Dei Horeb : ubi mira Dei visione dignatus est. — Demum morte immunis, raptus est vivus in cœlum : Dominicam ascensionem mirabiliter præfigurans.

Fuit quoque Elias dux et princeps prophetarum cæterorum : atque hac de causa, una cum Moyse legislatore, apparuit in transfiguratione Christi ; cui nomine omnium prophetarum testimonium perhibuit, quod ipse verus esset Messias ab ipsis prophetatus.

Nubecula parva quasi vestigium hominis, quæ orante Elia in vertice Carmeli ascendit de mari (III Reg. XVIII, 44) : carnem Christi figurabat, quæ in mari mundi istius erat nascitura. Videbatur enim Deus illa in nube, quasi pedibus descendens ad dandam Israeli pluviam. — Quod autem Elias puerum suum mittat septies, ut in mare signum pluviæ, puta nubes prospectet (ibid.) : septiformem sancti Spiritus gratiam, quæ danda erat Ecclesiæ, designabat. (S. August. Serm. 201 *De Temp.*)

XXVII. *Eliseus.* — Typus Christi *Eliseus*, id est *Dei salus*, propheta : qui accepto Eliæ, magistri sui, duplici spiritu, non secus ac Elias factus est ipsemet *pater, currus et auriga Israel* (IV Reg. XIII, 14). — Nazaræus erat ; portabat baculum ; et ascendens in montem Bethel a pueris ludibrio est habitus. — Mortuum puerum suscitavit, ei incumbendo ita, ut os ori, manus manibus, pedes pedibus accommodaret. — Naaman Syrum a lepra mundavit. — In oppido Dothan, Syriorum exercitus cæcos effecit et illuminavit. — Mortui ejus ossa mortuum resuscitarunt : *Et mortuum prophetavit corpus ejus.* Eccli. XLVIII, 14.

XXVIII. *Jonas.* — Propheta *Jonas*, quod nomen *columbam* significat, sæviente tempestate dormiens, mox expergefactus, pro nautarum salute missus est in mare : quo facto quievit tempestas. Ille autem sepultus in ventre ceti, Deum orat, dicens : *Abjectus sum a conspectu oculorum tuorum.* Post tres dies rejectus in terram et lumini redditus, Ninivitas ad pœnitentiam ac Dei cultum hortatur. — Typus Christi, præsertim morientis et resurgentis.

XXIX. *Jeremias.* — Cernere licet et in *Jeremia*, id est latine *Celsitudo Domini*, expressam Jesu Christi imaginem. Sancti-

ficatus enim Jeremias ab utero matris, et constitutus propheta in Gentibus (Jer. I, 5), etiamnum puer docendi munus exsequi aggressus est. A suis autem, quos a peccatis et calamitatibus subducere volebat, pessime exceptus, summa patientia et lenitate inflictas sibi pœnas tulit, pro percussoribus suis oravit, et super Jerusalem amare flevit.

XXX. *Daniel.* — Propheta *Daniel*, id est, *Judicium Dei*, dictus *Vir desideriorum*, e stirpe regum Juda, adhuc adolescens tanquam servus Babylonem abductus est : conspicuus egregia forma, pietate, abstinentia, et spiritu sapientiæ quo arcana occultissima interpretabatur. — A rege præfectus toti Babyloniæ, propter pietatem vero missus in lacum leonum, inde Deo protegente regressus ac velut novæ vitæ restitutus est. — Destruxit idolum Bel, et draconem occidit. — Causam Susannæ judicavit impios calumniatores damnando, innocentem mulierem ab omni malo liberando. — Quibus omnibus Daniel typum gessit Christi, desiderati cunctis gentibus, qui diaboli potestatem contrivit, et a Patre qua homo præpositus est Dominus universo mundo.

Insuper, Daniel (V, 25) per *mane*, *thecel*, *phares*, impio Balthasari intentans vitæ regnique excidium, allegorice est Christus, impiis intentans mortem, judicium, et infernum.

Item, cap. IV, Daniel interpretans somnium arboris succisæ, significat Christum, qui superbos humiliat et humiles exaltat ; quique reges terræ cruci ac fidei suæ subjicit.

Item, Daniel prophetiarum et visionum claritate Christum refert, evangelica doctrina homines illuminantem. Sunt autem Danielis visiones propheticæ quatuor præcipuæ : prima, cap. VII, qua videt *Antiquum dierum*, i. e. Patrem æternum, *Filio hominis*, i. e. Filio suo incarnato, Christo, dantem regnum et honorem ; — secunda, cap. VIII, qua videt hircum contra arietem, i. e. contra Christum ejusque fideles cornutantem ; — tertia, cap. IX, qua audit ex angelo annum adventus Christi ; — quarta, cap. XI, qua videt bellum inter reges Aquilonis et Austri : id est, bellum infidelium adversus fideles, Antichristi adversus Christum.

Angelus similis Filio Dei (Dan. III, 49, 92), qui tres pueros in fornace Babylonica illæsos servavit, figura fuit Christi, qui nos ab igne gehennæ æque ac concupiscentiæ liberat.

Lapis divinitus de monte abscissus, et conterens statuam quadriformem (Dan. II), est Christus de Virgine natus, conterens quatuor idololatrica regna, et suum imperium per orbem universum inducens.

Angelus vestitus lineis, et cujus facies erat quasi species fulguris (Dan. X), repræsentabat Christum, ut patet ex Apoc. I,

13 : *Vidi similem Filio hominis, vestitum podere... et facies ejus, sicut sol lucet in virtute sua...*

XXXI. *Eliacim* (Isai. XXII). — *Eliacim* (Dei resurrectio), Helciæ filius, sacerdos, in locum Sobnæ pontificis suffectus, Christi sacerdotis, ejusque summæ in totam Ecclesiam potestatis typus constitutus est. Sic enim loquitur Deus per Isaiam ad Sobnam : *Expellam te de statione tua, et de ministerio tuo deponam te. Et erit in die illa, vocabo servum meum Eliacim, filium Helciæ. Et induam illum tunica tua, et cingulo tuo confortabo eum, et potestatem tuam dabo in manu ejus; et erit quasi pater habitantibus Jerusalem, et domui Juda: Et dabo clavem domus David super humerum ejus; et aperiet, et non erit qui claudat; et claudet, et non erit qui aperiat. Et figam illum paxillum in loco fideli, et erit in solium gloriæ domui patris ejus : et suspendent super eum omnem gloriam domus patris ejus.* Isai. XXII, 19, seqq.

XXXII. *Cyrus* (Isai. XLIV, XLV). — Typus Christi etiam Cyrus, rex Persarum, qui populum Israel captivitate Babylonica liberavit; de quo Isaias : *Dico Cyro : Pastor meus es, et omnem voluntatem meam complebis. — Hæc dicit Dominus christo meo Cyro, cujus apprehendi dexteram ut subjiciam ante faciem ejus gentes, et dorsa regum vertam, et aperiam ante eum januas, et portæ non claudentur. Ego ante te ibo, et gloriosos terræ humiliabo; portas æreas conteram, et vectes ferreos confringam. Et dabo tibi thesauros absconditos...*

XXXIII. *Zorobabel* (I Edsdr. II seqq.). — Typum Christi gessit *Zorobabel* (alienus a confusione), de tribu Juda et de domo David, qui Judæis captivitate Babylonica liberatis, et Jerosolymam redeuntibus ducem se præbuit, templumque instauravit.— Figuravit Christum, regem ac legislatorem, sicut Jesus filius Josedec, sacerdotem; ambo vocantur *olivæ* et *filii olei* apud Zachariam, sic scribentem : *Vidi, et ecce candelabrum aureum totum, et lampas ejus super caput ipsius, et septem lucernæ ejus super illud; et septem infusoria lucernis, quæ erant super caput ejus. Et duæ olivæ super illud : una a dextris lampadis et una a sinistris ejus. Et respondi, et aio ad angelum qui loquebatur in me, dicens... Quid sunt duæ spicæ olivarum? Isti sunt duo filii olei... Manus Zorobabel fundaverunt domum istam, et manus ejus perficient eam..* Zachar. IV, 2 seqq.

Templum instaurandum, nec non candelabrum aureum, est Ecclesia cum suis sacramentis, quæ ab oliva mystica Christo oleum gratiæ quod continent hauriunt. — *Babylon* typus est mundi istius, qui merito *civitas confusionis* vocatur. Babylonica captivitas, est servitus peccati in hoc mundo. Rex Babylonis est diabolus, princeps hujus mundi. — Babyloni opponitur

Jerusalem, civitas Dei, typus Ecclesiæ, nec non B. Mariæ Virginis, et animæ cujuslibet sanctæ, in qua Deus regnat.

XXXIV. *Jesus, filius Josedec* (I Esdr. III seqq., Zachar. III seqq.). — Typus insignis Christi fuit *Jesus*, seu *Josue*, filius Josedec, sacerdos magnus, qui Babylone redeuntium cum Zorobabele dux fuit, hujusque in templo reparando socius. De ipso apud Zachariam hæc leguntur : *Satan stabat a dextris ejus ut adversaretur ei. Et Jesus erat indutus vestibus sordidis : et stabat ante faciem angeli, qui respondit, dicens : Auferte vestimenta sordida ab eo, et ponite cidarim mundam super caput ejus. Et posuerunt cidarim mundam super caput ejus, et induerunt eum vestibus... Et factum est verbum Domini ad me, dicens : Sumes aurum et argentum, et facies coronas, et pones in capite Jesu, filii Josedec, sacerdotis magni. Et loqueris ad eum, dicens : Hæc ait Deus exercituum, dicens : Ecce vir, Oriens nomen ejus ; et subter eum orietur et ædificabit templum Domino. Et ipse exstruet templum Domino ; et ipse portabit gloriam, et sedebit, et dominabitur super solio suo : et erit sacerdos super solio suo.* Zachar. III, VI.

XXXV. His typis proprie dictis addi potest allegoria insignis libri *Canticorum*, qua celebratur spirituale connubium Christi et Ecclesiæ : ubi *Sponsus* est Christus, *Sponsa* vero, tum Ecclesia, tum B. Virgo, tum anima justa.

His insuper addi possunt nomina figurativa aut symbolica bene multa, quibus designatur Christus vel sanctissima ejus Mater ; quæque sequenti syllabo collecta oculis subjiciuntur. — Quo utilior autem hujusmodi syllabus evadat, non tantum figurata, sed etiam propria Christi nomina recensebimus : primum quæ in vetere Testamento, deinde quæ in novo reperiuntur (1).

Nomina Christi in vetere Testamento.

Deus (Isai. XXXV, 4). — *Dominus Deus* (Ps. XLIV, 12). — *Primogenitus Dei*. Ps. LXXXVIII.

Emmanuel, id est, *Nobiscum Deus* (Isai. VII, 14). —*Dominus Davidis*. Ps. CIX.

Sanctus Sanctorum (Dan. IX, 24). — *Sanctus Dei* (Ps. XV). — *Sanctus Israel* (Isai. XII, 6). — *Admirabilis, Consiliarius, Deus fortis, Pater futuri sæculi. Princeps pacis*. Isai. IX, 6, 7.

Veritas (Ps. LXXXIV, 12). — *Vita* (Deut. XXX, 20). — *Sapientia* (Eccli. XXIV, 5 ; Prov. VIII, 12 seq. Sap. IX, 4). — *Candor lucis æternæ* (Sap. VII, 26). — *Verbum Dei, sermo Dei*. Eccli. I, 5 ; Sap. XVIII, 14, 15.

(1) Explicata videri possunt pleraque hæc nomina apud Huetium, *Demonstrat. Evang.* — Cfr. et Becanus, *Analogia*, cap. 2, quæst. 5.

Primus et novissimus. Isai. XLI, 4.

Desideratus cunctis gentibus (Agg. II, 8). — *Exspectatio gentium* (Gen. XLIX, 10). — *Desiderium collium æternorum.* Gen. XLIX, 26.

Christus seu *Unctus Dei.* Dan. IX, 26 ; Ps. II, XLIV.

Sacerdos in æternum. Ps. CIX.

Propheta. Deut. XVIII, 16.

Dominus legifer noster, rex noster, judex noster (Isai. XXXIII, 21). — *Dominus et rex æternus.* II Reg. VII, 12, 13.

Redemptor (Isai. LIX, 20). — *Salutare Israel.* Ps. XIII.

Salvator et propugnator (Isai. XIX, 20). — *Murus et antemurale* (Isai. XXVI, 1). — *Turris fortissima* (Prov. XVIII, 10). — *Civitas munita, columna ferrea, murus æreus.* Jerem. I, 18.

Bellator et victor. Ps. XLIV, 3 seq. — Isai. XI, 4, 5. — Hab. III, 8, seq.

Brachium Domini. Isai. LIX, 1.

Dominator (Malach. III, 1). — *David* (Ezech. XXXIV, 24). — *Claviger domus David* (Isai. XXII, 22). — *Caput gentium* (Ps. XVII). — *Signum populorum* (Isai. XI, 10). — *Testis, dux, præceptor gentium.* Isai. LV, 4 ; Jerem. XXX, 21.

Angelus testamenti. Malach. III, 1.

Parvulus, filius (Isai. IX, 6). — *Semen Abrahæ* (Gen. XXII, 18). — *Semen mulieris, filius Virginis* (Gen. III, 15 ; Isai. VII, 14). — *Fructus terræ.* Ps. LXVI.

Filius David, cornu David, cornu salutis, lucerna David. Ps. CXXXI ; Luc. I, 69.

Stella oriens (Num. XXIV, 17 ; Apoc. XXII, 16). — *Oriens* sive *germen, radix, flos, virga.* Zachar. VI, 12 ; Jerem. XXIII, 5 ; Isai. XI, 1.

Pastor. Isai. XL, 11 ; Ezech. XXXIV, 23.

Agnus, ovis. Isai. XVI, 1 ; LIII, 7.

Leo. Gen. XLIX, 9.

Lux, lux gentium (Isai. IX, 2, et XLII, 6). — *Lumen Jerusalem* (Isai. LX, 1). — *Sol Jerusalem.* Isai. LX, 20.

Ignis. Exod. III, 2 ; Deut. IV, 24 ; Hebr. XII, 29.

Fons. Zachar. XIII, 1 ; Eccli. XXIV, 40.

Petra, lapis, lapis Israel, lapis angularis, fundamentum, mons. Isai. XXVIII, 16, 18 ; Gen. XLIX, 24 ; Ps. CXVII ; Dan. II, 34 seq. ; I Cor. III, 11, et X, 4.

Porta (Ps. CXVII, 20). — *Via et semita.* Isai. XXXV, 8 seq.

Justus, justitia (Isai. XLV, 8). — *Sol justitiæ.* Malach. IV, 2.

Servus Dei, electus Dei (Isai. XLII, 1). — *Nazaræus* (Matth. II, 23 ; Judic. XIII, 5, 7). Item Isai. XI, 1 : *Virga de radice Jesse, et flos* (juxta Hebræos et *Nazaræus*) *de radice ejus ascendens.*

Vir dolorum, despectus, et novissimus virorum (Isai. LIII, 3). — *Vermis et non homo, opprobrium hominum et abjectio plebis.* Ps. XXI.

Speciosus forma præ filiis hominum (Ps. XLIV). — *Dominus fortis et potens, Dominus potens in prælio, Dominus virtutum, rex gloriæ.* Ps. XXIII.

Nomina Christi in novo Testamento.

Filius Dei. verus Deus et vita æterna (I Joan. V, 20). — *Filius Dei dilectus* (Matth. III, 17). — *Filius Dei unigenitus.* Joan. I, 18 ; III, 16.

Verbum, Verbum Dei (Joan. I ; Apoc. XIX, 13). — *Sermo Dei.* Hebr. IV, 12.

Splendor gloriæ et figura substantiæ Dei (Hebr. I, 3). — *Imago Dei invisibilis.* Coloss. I, 15.

Via, et veritas, et vita (Joan. XIV, 6). — *Lux mundi* (Joan. VIII, 12). — *Gratia Dei erudiens nos.* Tit. II, 11.

Homo, Filius hominis. Joan. VIII, 40 ; Matth. VIII, 20.

Filius David, Filius Abraham (Matth. I, 1). — *Radix David, leo de tribu Juda* (Apoc. V, 5). — *Oriens, ex alto nos visitans.* Luc. I, 78.

Filius Mariæ (Marc. VI, 3). — *Ut putabatur, filius Joseph.* (Luc. III, 23). — *Fabri filius, faber.* Matth. XIII, 55 ; Marc. VI, 3.

Infans, puer (Luc. II, 12, 21). — *Novissimus Adam, homo cœlestis.* I Cor. XV, 45, 48.

Messias. Joan. I, 41, et IV, 25.

Salvator mundi (Joan. IV, 42). — *Redemptor* (Act. VII, 35). — *Mediator Dei et hominum* (I Tim. II.5), — *Mediator novi Testamenti* (Heb. IX, 15). — *Advocatus noster apud Deum.* I Joan. II, 1.

Apostolus et pontifex confessionis nostræ (Hebr. III, 1). — *Minister circumcisionis* (Rom. XV, 8). — *Pontifex magnus, sacerdos in æternum.* Hebr. IV, 14 ; V, 6.

Agnus Dei, Agnus immaculatus (Joan. I, 29 ; I Pet. I, 19). — *Hostia* (Eph. V, 6). — *Peccatum* (II Cor. V, 21). — *Pascha nostrum.* I Cor. V, 7.

Propheta magnus (Luc. VII, 16). — *Magister, Magister bonus.* Matth. XXIII, 10, et XIX, 16.

Rex, rex Judæorum (Joan. XVIII, 37 ; XIX, 19). — *Rex regum et Dominus dominantium* (Apoc. XIX, 16). — *Primogenitus mortuorum, et princeps regum terræ* (Apoc. I, 5). — *Primogenitus omnis creaturæ, primogenitus ex mortuis* (Coloss. I, 15, 18). — *Judex vivorum et mortuorum* (Act. X, 42). — *Hæres universorum* (Hebr. I, 2). — *Dominus noster Jesus Christus.* Gal. I, 3.

Pastor bonus (Joan. X, 11). — *Ostium ovium.* Joan. X, 7.
Panis. Joan. VI, 35.
Vitis. Joan. XV, 1.
Caput Ecclesiæ (Eph. V, 23). — *Petra, fundamentum* (I Cor. X, 4, et III, 11).—*Lapis vivus, lapis summus, angularis, electus, pretiosus ; — lapis offensionis et petra scandali* (I Pet. II, 4 seq.) — *Ruina et resurrectio multorum, signum cui contradicetur.* Luc. II, 34.
Granum frumenti cadens in terram (Joan. XII, 24). — *Resurrectio et vita* (Joan XI, 25). — *Sponsus* (Matth. IX, 15). — *Principium et finis, alpha et omega.* Apoc. I, 8.

Nomina B. Mariæ Virginis, ex utroque Testamento desumpta.

Mariæ nomen multiplicem continet significationem. *Maria* enim latine dicitur vel *excelsa, sublimis ;* vel *domina, magistra, princeps ;* vel *myrrha, amaritudo* (1); imo, juxta S. Bernardum *stellam maris innuit.* — Merito Mariæ attribuitur illud Cant. I, 2 : *Oleum effusum nomen tuum.*

Appellatur autem Maria imprimis *Virgo,* — *conjux, sponsa Joseph,* — *mater Domini, mater Jesu,* — *mulier, gratia plena, benedicta inter mulieres ;* — *ancilla Domini ;* — *mulier amicta sole, et luna sub pedibus ejus, et in capite ejus corona stellarum duodecim.* Apoc. XII, 1.

Deinde, *mulier conterens caput serpentis* (Gen. III, 15). — *Virgo concipiens et pariens.* Isai. VII, 14.

Domus Dei, domus aurea, templum Salomonis ; domus quam sibi ædificavit Sapientia (Prov. IX, 1). — *Palatium Salomonis* (III Reg. VII, 1). « Summi Regis palatium, a Deo ornatum, « omnes hospitio recipiens ; in quo spiritualis sponsi thalamus, « in quo Verbum carnem sibi desponsavit. » S. German. in Præsentat. Deiparæ.

Tabernaculum Altissimi (Ps. XLV). — *Dei sacrarium.* — *Arca fœderis.* — *Altare thymiamatis.* — *Cœlum, thronus Dei* (Matth. V, 35). *Solium gloriæ Dei :* « Thronus Dei , cœlumque « gloriam Dei enarrans. » S. German. ibid.

Thronus Salomonis, sedes sapientiæ. III Reg. X, 18.

Jerusalem (Cant. VI, 3), *civitas sancta, civitas magni regis* (Matth. V, 36), *quam ipse fundavit Altissimus.* Ps. LXXXVI.

Scala Jacob. Gen. XXVIII, 12.

Porta orientalis, porta clausa principi. Ezech. XLIV, 1.

Nubecula Eliæ (III Reg. XVIII, 44). — *Nebula tegens omnem terram, nubes effundens pluvias.... Thronus meus in columna nubis.* Eccli. XXIV, 6, 7.

(1) A Lapide, in Eccli. XXIV, 12.

Stella Jacob (Num. XXIV, 17), — *stella matutina* (Eccli. L, 6), — *stella maris.* — *Aurora consurgens, pulchra ut luna; electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata,* Cant. VI, 9.

Virga de radice Jesse, — *Virga Aaron germinans...*

Paradisus, hortus voluptatis, hortus conclusus, fons signatus, puteus aquarum viventium. Cant. IV.

Lignum vitæ, cedrus, cypressus, palma, oliva, platanus, cinnamomum, balsamum, myrrha electa. Eccli. XXIV, 17, seq.

Rosa mystica, plantatio rosæ in Jericho, flos rosarum in diebus vernis (Eccli. XXIV, 18 ; L, 8).—*Flos campi, lilium convallium, lilium inter spinas.* Cant. II, 1, 2.

« *Dei mons* præpinguis, in quo enutritur Agnus Dei ; e quo « devolutus lapis qui contrivit aras idolorum, et factus est in « caput anguli, mirabilis oculis nostris. » S. German. ubi supra.

Arcus in nubibus splendens (Gen. IX, 13). — *Candor lucis æternæ, speculum sine macula* (Sap. VII, 26). — *Speculum justitiæ.*

Rubus ardens et incombustus. — *Vellus Gedeonis.* — *Favus Samsonis.* — *Horologium Achaz.*

Regina stans a dextris Regis gloriæ in vestitu deaurato (Ps. XLIV). — *Sponsa, columba, amica Regis ; soror, perfecta, electa, immaculata ejus ; pulcherrima mulierum, Sulamitis* (vel *Sunamitis*, virgo et uxor Davidis) ; *filia principis ; virgula fumi ex aromatibus myrrhæ et thuris, ascendens per desertum.* Cant. III, IV, V, VI, VII.

Mater viventium (Gen. III, 20). — *Mater pulchræ dilectionis et sanctæ spei* (Eccli. XXIV, 24). — *Speciosa Rachel, mater salvatoris Ægypti ;* — *humilis Abigail, pulchra Abisag virgo ; supplex mater Salomonis* (III Reg. II, 20) ; — *invicta Judith,* — *Esther regina, salus populi sui.* — *Navis institoris de longe portans panem.* Prov. XXXI, 14.

Turris eburnea, turris David munitissima (Cant. IV, VI). — *Turris draconi impervia.* — *Murus* (Cant. VIII, 10) ; *urbs refugii ; portus.* — « Columba, quæ nobis et fructum fers oli- « væ, et servatorem a spirituali diluvio, ac portum salutis « annuntias. — Urna, ex puro auro conflata, Christum, qui « manna est, continens (S. German. in Præsent. Deiparæ). »

QUÆSTIO 4.

Quænam sunt regulæ pro sensu litterali et grammaticali ?

Resp. — I. Ut obvius ac verus sensus percipiatur, spectare juvat, 1° orationis totius contextum ; 2° scopum ; 3° præcedentia et subsequentia, quæ ad idem argumentum pertinent ; 4° loca parallela, id est, illa in quibus res eadem vel similis tractatur.

II. Vox quælibet et locutio accipienda est in sensu proprio ac obvio, nisi necessitas aliqua cogat accipere eam improprie ac figurate.

III. Necessitas est accipiendi vocem aut locutionem improprie, si proprie accepta, 1° contextui et circumstantiis minime congruat ; vel 2° asserat aliquid repugnans sive fidei, sive Dei hominumve charitati, sive honestati morum.

IV. Ob repugnantiam cum fide accipiendus improprie est quicumque sermo, 1° qui Deo tribuit humana, sive membra, sive officia, sive affectiones ; — 2° qui de Christo vel de Ecclesia enuntiat prædicata, ex rebus inanimatis vel irrationabilibus desumpta ; — vel statum, negotia, aut actiones ad sæculi normam describit ; — 3° qui justorum felicitatem, potestatem, ornatum, victum, aliaque similia sub rebus corporalibus proponit.

V. Ob repugnantiam cum charitate aut honestate, improprius accipiendus est sermo, 1° qui sævum quid et asperum, sive contra se, sive contra proximum jubere videtur ; — 2° qui molle quid aut carnale videtur præcipere aut commendare ; — 3° qui alterutrum a viris sanctis factum laudare videtur, vel imitandum proponere. Non enim omnia quæ Scriptura de sanctis viris narrat, sancta sunt aut imitanda.

VI. Ubi in Scriptura articulus fidei tangitur, et locus est obscurior, per alia loca clariora, vel per Ecclesiæ traditionem explicandus est.

+ VII. Partes historicæ ita sunt interpretandæ, ut veritas historica servetur, nec ad meram allegoriam torqueatur. Quæcumque enim Spiritu sancto inspirante narrantur, sive ad eventus substantiam, sive ad circumstantias temporis, loci vel personarum pertineant ; certissima sunt, et divina infallibilitate stabilita. Quapropter si quæ hujusmodi, certo genuina et rite intellecta, cum historiæ vel scientiæ profanæ assertis evidenter conciliari nequeant, certitudo Scripturæ omnibus humanæ eruditionis conjecturis anteponenda est.

Notandum 1°. Quoniam in iis quæ ad fidem aut mores non pertinent, subesse potest materialis alteratio textus primitivi ; et aliunde, quoniam res hujusmodi mere scientificas Scriptura directe non intendit docere : modeste et quasi timide procedere debent exegetæ, nec facile damnare eruditionis profanæ systemata, quandiu fidei dogmatibus directe non adversantur ; sed prudenter exspectare donec humanæ investigationes ad conclusionem aliquam certam perveniant. Quæ, si quidem certa fuerit, cum Scripturarum veritate nunquam pugnabit ; sed exegetam poterit juvare, ut sensum sacri textus melius assequatur. Exempla præbet historia doctrinæ Copernicanæ et geologicæ.

Notandum 2°. Cavendum omnino est ab hermeneutica quadam impia rationalistarum, qui ut e sacris Bibliis omne miraculum et quidquid supernaturale est excludant, systemata varia (1) invenerunt, quorum præcipua sunt duo : interpretatio *naturalis*, et interpretatio *mythica*. Prior narrationes contorquet, truncat aut immutat, ut facta supernaturalia naturaliter explicet ; posterior, nempe mythismus, eadem facta esse fictitia, aut parabolica seu allegorica contendit. — Utrumque, ut facile patet, systema 1° nititur principio falso, statuente miracula impossibilia esse, et res quascumque supernaturales admitti qua tales non posse. 2° Ipsis rationis principiis adversatur, omnemque auctoritatem, etiam humanam atque historicam convellit. Si enim res historicas, omnibusque auctoritatis conditionibus munitas, pro libitu mutare ; aut ad metaphoras, allegorias et figmenta trahere licet, nulla jam historica auctoritas aut certitudo constare potest.

VIII. Non semper servatur in rerum narratione ordo temporum : sed quæ prius acciderunt, subinde posterius narrantur : recapitulationem aliqui hoc vocant Sic, in Gen. II, terrestris paradisi plantatio a Deo facta refertur post narrata sex dierum opera ; cum tamen ea facta sit a principio, seu die creationis tertio. — Aliud exemplum occurrit initio capitis XII Gen., et in Evangeliis plura.

IX. Subinde, maxime in Psalmis et Prophetis, subitus est transitus a figura ad rem figuratam : ut a Salomone ad Christum, a Sion et Jerusalem ad Ecclesiam, ab Israel carnali ad Israel spiritualem, seu populum christianum : idque sub eodem nomine, quasi de eadem re esset sermo. Imo nomen figuræ quandoque tribuitur rei figuratæ ; sic Christus vocatur *David*, Ezech. XXXIV, 23 : *Et suscitabo super eas* (oves meas) *pastorem unum, qui pascat eas, servum meum David.*

X. Aliquando nomen proprium, vel gentilitium, personis tribuitur propter morum similitudinem. Sic prophetæ Israelitas impios *Chananæos* vocant vel *Sodomitas*, etc. ; Christus Judam, *diabolum ;* Joannes Jerosolymam impiam appellat *Sodomam* et *Ægyptum* (Apoc. XI, 8).

XI. Interpres noster pro nomine proprio hebraico, quandoque ejus interpretationem ponit, ut intelligatur mysterium quod in nomine proprio latet. Sic, in psalmo LXXIV : *Et factus est in pace locus ejus*, pro *pace* in hebræo est *schalem*, quæ vox omnino videtur ibi significare *Jerusalem*, prout indicat vox *Sion*, in eodem versu sequens : *Et habitatio ejus in Sion.*

XII. Non raro bonorum spiritualium copia, in Evangelica

(1) Cfr. Lamy, *Introduct.* tom. 1, cap. 7, sect. 3.

lege futura, describitur typice ab eisdem prophetis per ubertatem rerum temporalium, quæ sub antiqua Lege promittebatur.

XIII. Nonnunquam, in Psalmis, Prophetis, Cantico canticorum, dialogismus texitur, et plures inducuntur personæ loquentes, quin indicetur transitus ab una persona interloquente ad aliam.

XIV. Multa Deo in Scriptura tribuuntur, quasi ea ipse faciat, ut est excæcatio, obduratio impiorum, peccata ipsa; quæ tamen nullo modo ei tribuenda sunt proprie, ut auctori, vel impulsori; sed tantum improprie, ut permittenti, vel occasionem non auferenti. Itaque verba illa, *excæcavit*, *obduravit* explicanda sunt, vel 1) occasionaliter, hoc est, quod fecerit Deus aliquid unde obduratio secuta sit; vel 2) permissive, hoc est, quod obdurari permiserit: adeo ut verba illa activa passionem vel permissionem significent.

XV. Negantes propositiones absolute, hoc est, absque limitatione vel conditione intelligendæ sunt: nisi sese habeant per modum comminationum; affirmationes vero in promissionibus, non nisi cum conditione et limitatione intelligendæ: si videlicet cætera adsint necessaria, si nihil aliud impediat. Sic fidei, spei, Dei invocationi salus æterna promittitur.

XVI. Promissiones quæ alicui fiunt, non semper in ipso sunt implendæ, sed subinde tantummodo in ejus posteris.

XVII. Dubitationum particulis utitur Deus, non quod dubitet, vel ignoret quid futurum sit; sed ad indicandam humani arbitrii libertatem, vel quandoque ad innuendam paucitatem eorum, qui rem de qua agitur, sunt facturi. Jerem. XXVI, 3: *Loqueris ad omnes: si forte audiant et convertantur.* — Cæterum illud Vulgatæ *si forte* non æque dubitativum est in hebræo.

XVIII. Cum per comparationem unum alteri præfert Scriptura, solet subinde id quod præfert affirmare, alterum negare. Sic: *Misericordiam volui, et non sacrificium* (Osee VI, 6): id est, misericordiam malo quam sacrificium. Et: *Non ego, sed gratia Dei mecum* (Cor. XV, 10): id est, non tam ego quam gratia Dei; quanquam et ego cum gratia Dei.

XIX. Huic affine est, cum utitur Scriptura verbo vehementiori pro minus vehementi; vel contra, verbum mitius usurpat pro vehementiori. *Jacob dilexi, Esau autem odio habui* (Malach. I, 3): id est, Esau postposui, minus amavi. — *Offerentes coram Domino ignem alienum, quod eis præceptum non erat* Levit. X, 1): id est, quod eis vetitum erat.

XX. Subinde in comparationibus, non apponitur particula similitudinis et comparationis. Sic prov. XXV, 14: *Nubes, et ventus, et pluviæ non sequentes, vir gloriosus promissa non*

complens. — Subinde altera pars comparationis non additur, ut I Tim. I, 3 : *Sicut rogavi te ut remaneres Ephesi....*

XXI. Pro comparativo et superlativo, latinus interpres, imitatus Hebræos, qui carent his gradibus comparationis, usurpat positivum, ut Ps. CXVII : *Bonum est confidere in Domino, quam confidere in homine.*

XXII. Ponitur numerus plenus et rotundus, neglecto numero proprio, qui vel excrescit, vel aliquantulum deficit. Sic, Judic. IX, 18, septuaginta filii Jerobaal dicuntur ab Abimelech interfecti, cum huic numero duo deessent : ipsemet scilicet Abimelech, qui eos interfecerat, et Joathan, natu minimus, qui evaserat.

XXIII. In annorum vel dierum numeris assignandis, sæpe utitur Scriptura *synecdoche*, totum ponendo pro parte. Sic Christus tres dies in sepulcro fuisse dicitur ; e quibus tamen primus et tertius fuerunt incompleti. — Aliæ occurrunt synecdochæ : *Caro*, vel *anima*, vel *sanguis* ponitur pro toto homine ; — item genus ponitur pro specie : ut cum *tempus* dicitur pro anno, *tempora* pro annis pluribus. — Item materia, pro re ex ea confecta. Sic II Reg. VI, 5 : *Ludere in omnibus lignis fabre factis* ; vel, ut est in hebræo : *Ludere in omnibus lignis abietum*, est ludere omnibus instrumentis musicis.

XXIV. Præter synecdochen, alii tropi omnis generis adhibentur frequentissime : tunc autem litteralis sensus censeri debet, non quem verba proprie significant, qui sensus tantum grammaticalis est ; sed quem translate et metaphorice exhibent.

Metonymia notanda est in voce *peccatum*, quod subinde pro pœna vel effectu peccati, subinde pro hostia, peccati expiatoria, ponitur ; quandoque pro nuda etiam immunditie legali. — Antecedens pro consequenti ponitur, ut *commutatio* pro pretio : *Quam dabit homo commutationem pro anima sua ?* (Matth. XVI, 26). Item, *judicium* pro punitione, *judicare* pro punire. — Signum pro significato : ut *Verbum* pro re dicta ; — vel contra, res pro signo : ut Gen. XVII, 10, 13, *pactum meum*, pro signo pacti mei.

Antonomasia est, cum *fluvius* vel *flumen*, absque addito, ponitur pro Euphrate.

Ironia est, Ecclesiastæ XI, 9 : *Lætare ergo, juvenis, in adolescentia tua... et ambula in viis cordis tui, et in intuitu oculorum tuorum : et scito quod pro omnibus his adducet te Deus in judicium.*

Catachresis est, cum *diffamare* ponitur pro evulgare rem laude dignam ; ut Matth. IX, 31.

Imo nec *hyperbolen* Scriptura refugit : ut cum passim Terra promissionis vocatur *terra fluens lacte et melle.*

XXV. Scriptura ab una metaphora subinde transit ad aliam ; ut Zachar. III, 8, 9, ubi Christum nunc *orientem* seu germen, nunc *lapidem* vocat, dicens : *Ecce enim ego adducam servum meum orientem. Quia ecce lapis quem dedi coram Jesu* (sacerdote) ; *super lapidem unum septem oculi sunt ; ecce ego cœlabo sculpturam ejus, ait Dominus exercituum et auferam iniquitatem terræ illius in die una.* — Alias a metaphora floris, ad Christum, flore significatum, transilit : *Et egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet. Et requiescet super eum spiritus Domini.* Isai. XI, 1.

XXVI. Orbis plagæ, Oriens, Occidens, etc., intelligendæ sunt respectu Jerosolymæ vel Terræ sanctæ. Porro Occidentem textus sacer communiter vocat, *mare*, quia mare mediterraneum, quod Palæstinam attingit, Judæis erat ad Occidentem. Quandoque Meridiem vocat *dextram*, Septentrionem *sinistram* : eo quod convertenti faciem ad Orientem situs harum partium talis sit.

XXVII. Quæ de Christo dicuntur, non semper ei in persona applicanda sunt ; sed subinde ei tanquam Capiti, subinde ejus corpori, Ecclesiæ, subinde utrique. Sic, Zach. IX, 10, de Christo dicitur : *Et loquetur pacem gentibus* ; quas tamen Christus non in persona propria, sed tantum in persona Apostolorum adire debuit.

XXVIII. Apud Prophetas, decem tribus, prout distinctæ ab aliis duabus, et sub diverso erant rege, vocantur *Ephraim* vel *Samaria* : quia scilicet sedes regum Israel erat in Samaria, et in tribu Ephraim.

XXIX. Idololatria fere, maxime apud prophetas, *fornicationis* nomine indicatur : propterea quod idololatria, derelicto vero Deo, idolis adhæret ; perinde atque adultera, deserto marito, adultero copulatur.

XXX. De urbibus passim sermo fit, quasi mulieres essent. Etenim passim vocantur *filiæ* ; quandoque *meretrices*, propter idololatriam ; quandoque *virgines*, vel ratione pietatis erga Deum, vel ratione Dei, eas ut sponsas diligentis, vel ratione opum et pulchritudinis earum.

XXXI. Scriptura *filios* vel *filias* vocat 1° quidquid ex aliqua re extrahitur et quasi paritur ; item 2° quum subjectio, obligatio, amicitia, familiaritas, cunjunctio, vel similitudo est aliqua rei cum re. Sic sagittæ vocantur *filiæ pharetræ* (Thren. III, 13) ; Tyrus, *filia maris* (Isai. XXIII, 10) ; prophetarum discipuli, *filii prophetarum* (III Reg. XX, 35) ; passimque occurrit, *filius superbiæ*, *filius iniquitatis*, *filius mortis*, *filius pacis*, *filius sponsi*, *filius regni*, etc.

XXXII. *Æternum* et *sempiternum*, non semper significant

durationem sine fine, sed frequenter etiam quodvis longum tempus : cujusmodi est spatium, perdurans a lege data Moysi usque ad Christum et novam legem ; idque maxime fit, cum finis temporis illius ignoratur. Sic et illud tempus totum quod futurum est usque ad finem mundi, *æternum* dicitur : *In æternum, Domine, verbum tuum permanet in cœlo* (Ps. CXVIII). — Similiter a parte ante *æternum* subinde dicitur, quod est antiquum : *Cogitavi dies antiquos, et annos æternos in mente habui* (Ps. LXXVI). — *In sæculum* ponitur, modo pro æternitate, modo etiam pro longo tempore, etsi non longissimo. — *In sæculum sæculi*, frequentius pro æternitate, etsi etiam subinde pro longissimo aliquo tempore. — *In sæcula sæculorum*, semper pro æternitate.

XXXIII. Quandoque pars alicujus sententiæ non est connectenda cum propinquiore, sed cum remotiore. Sic, Cant. I, 4 : *Nigra sum, sed formosa, sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis :* illud *sicut tabernacula Cedar*, refertur ad *nigra sum*, non ad *formosa*. Etenim tabernacula filiorum Cedar, seu Arabum pastorum, erant nigra, id est fœda et deformia, facta ad arcendum imbrem et æstum. Similiter illud , *sicut pelles Salomonis*, connectendum cum verbis, *sed formosa* : erant enim istæ pelles, scilicet tentoria, pulcherrimæ et rubricatæ.

XXXIV. Nomina abstracta, vel quasi abstracta, ponuntur pro concretis : ut *circumcisio*, pro circumciso seu Judæo ; *præputium*, pro incircumciso seu Gentili ; *sanctificatio, redemptio*, pro sanctificatore, redemptore. — Quod tunc præcipue locum habet, cum abstractum ponitur in genitivo pro concreto adjectivo : *Deus majestatis*, pro, Deus magnus ; *sanctuarium sanctitatis*, pro, sanctuarium sanctum ; *spiritus veritatis*, pro, spiritus verus vel verax. — Quod habet etiam subinde locum cum aliis substantivis non abstractis : ut *mare salis*, pro, mare salsum. Item *mons Dei*, *cedrus Dei*, pro, mons divinus, cedrus divina, id est, excellens, mirabilis. — Quæ quidem abstracta pro concretis posita, nunc active, nunc passive sumuntur. Sic : *Christus factus est nobis justitia* (I Cor. I, 30), id est, justificator. Et e contra : *Ut nos efficeremur justitia Dei, in ipso* (II Cor. V, 21), id est, ut efficeremur justificati, seu justi per Christum.

XXXV. Nonnunquam unus e quinque corporis sensibus, vel ipsius actus, ponitur pro alio ; imprimis visus. Sic, *videre voces* (Exod. XX, 18), ponitur pro audire. — Quilibet vero sensus externus frequenter pro intellectu sumitur, et sensatio pro intellectione : propter universalitatem intellectivæ potentiæ, quæ in omne ens, etiam sensibile, cognoscendo fertur. *Gustate et videte quoniam suavis est Dominus* (Ps. XXXIII). — *Sermo ininterpretabilis ad dicendum : quoniam imbecilles facti estis ad audiendum.* Hebr. V, 11.

XXXVI. Non raro potentia, vel actus potentiæ, pro objecto ponitur : ut *visio*, pro re visa ; *aspectus*, pro colore qui conspicitur ; *auditus*, pro re audita ; *spes*, pro re quæ speratur ; *timor*, pro re quæ timetur ; *concupiscentia* et *desiderium*, pro re quæ concupiscitur et desideratur ; *exspectatio* et *præstolatio*, pro re quæ exspectatur ; *intellectus*, pro re intellecta ; *patientia*, pro re quæ patienter exspectatur (Jerem. XXIX, 11) ; *petitio* pro re quæ petitur ; sic etiam *custodia* ponitur pro re quæ custoditur, vel custodiri debet : *Super custodiam meam stabo , et figam gradum super munitionem* (Habac. II , 1). — *Si in viis meis ambulaveris , et custodiam meam custodieris.* Zach. III , 7.

XXXVII. Verba realia subinde per mentalia vel vocalia exponenda sunt. *Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit ?* hoc est, adducere decrevit vel cogitavit (Rom. II, 4). — Jerem. I, 10 : *Constitui te super gentes , et super regna, ut evellas, et destruas, et dissipes, et ædifices, et plantes* : hoc est, ut gentes evellendas , destruendas... commineris et prophetes.

XXXVIII. Verba neutra subinde active explicanda sunt ; et verba activa , per duplicem actionem , more conjugationis hebrææ *hiphil*. Sic : *Deus triumphat nos* (II Cor. II, 14), hoc est, triumphare facit. — *Emigrabit te* (Ps. LI), hoc est, emigrare faciet. — *Spiritus postulat pro nobis* (Rom. VIII, 26), hoc est , postulare facit.

XXXIX. Idem verbum geminatum, semel in gerundio vel participio, et semel in alio tempore positum, *emphasim* et exaggerationem plerumque in asseverando habet. Sic : *Castigans castigavit me Dominus* (Ps. CXVII), id est, vehementer castigavit. — *Veniens, veniet* (Habac. II, 3) : id est, certissime veniet. — Sic etiam extra gerundium vel participium : *Morte morieris*, id est, certissime morieris.

XL. Idem substantivum geminatum, sed semel in genitivo plurali positum, excellentiam quamdam in eo genere significat, et superlativi vim obtinet : ut *Sancta sanctorum,* hoc est, Sanctissima ; *Canticum canticorum*, hoc est , excellentissimum canticum ; *vanitas vanitatum* , hoc est , res vanissima. Quod aliquando habet locum etiam in diversis substantivis : sic dicitur *filia feminarum* (Dan. XI, 17), hoc est, filia, feminarum pulcherrima.

XLI. Eadem vox substantiva, in eodem casu geminata, sive interposita particula copulativa, sive non, multitudinem vel universitatem ejus rei significat. *Homo et homo natus est in ea* (Ps. LXXXVI) : id est, juxta multos interpretes, innumerabiles homines nati sunt in ea, nempe in Ecclesia, per Baptismum. — *Tribus tribus Domini* (Ps. CXXI), hoc est, omnes tribus. —

Quandoque tamen reduplicatio, interposita particula *et*, tantummodo duplicitatem vel diversitatem significat. Ut : *Labia dolosa in corde et corde locuti sunt*, id est, duplici corde sunt locuti.

XLII. Nonnunquam pluralis numerus debet explicari disjunctim. Sic, Joan. VI, 45 : *Est scriptum in prophetis*, id est, in uno aliquo ex prophetis.

XLIII. Subinde interpres noster, secutus Hebræos, qui neutro carent genere, pro eo utitur feminino. Sic dicitur, Ps. XXV : *Unam petii a Domino, hanc requiram :* pro, unum petii, hoc requiram. — *Hæc me consolata est*, pro, hoc me consolatum est.

XLIV. Per hebraismum, nonnunquam antecedens simul et relativum ponitur, idque in diverso casu : ut, Ps. X : *Dominus in cœlo sedes ejus*, pro, Domini in cœlo sedes est.

XLV. Per hebraismum subinde gerundium ponitur cum nominativo vel accusativo, pro subjunctivo cum nominativo : *In convertendo Dominus captivitatem* (Ps. CXV), pro, cum converteret. — *In deficiendo ex me spiritum meum* (Ps. CXLI), pro, cum deficeret spiritus meus.

XLVI. Frequens est cujusvis generis *enallage* seu permutatio : 1° temporis : ponitur enim præteritum (vel modus imperativus) pro futuro. *Foderunt manus meas, et pedes meas* (Ps. XXI), pro, fodient. — *Et episcopatum ejus accipiat alter* (Ps. CVIII), pro, accipiet. — Similiter, præteritum et futurum non raro ponuntur pro præsenti : *Dispersit, dedit pauperibus* pro dispergit, dat. — *Os justi meditabitur sapientiam*, pro, meditatur. — *Credidi, propter quod locutus sum*, pro, credo, ideo loquor.

2° More Hebræorum, qui præsenti carent tempore, participium pro præsenti vel imperfecto ponitur ; ut I Cor. XII, 2 : *Ad simulacra euntes*, pro, ibatis. Et II Cor. X, 12 : *Nosmetipsos metientes*, pro, metimur.

3° Una persona ponitur pro altera, et ab una subinde ad alteram transitur, cum de eadem est sermo. *Deus misereatur nostri... ut cognoscamus in terra viam tuam*. Ps. LXVI.

4° Singularis numerus pro plurali adhibetur, vel contra ; et a singulari ad pluralem transitur, maxime cum suppositum est vox collectiva. *Non peribit habitaculum ejus, propter omnia in quibus visitavi eam* (civitatem Jerusalem) ; *verumtamen diluculo surgentes corruperunt omnes cogitationes suas*. Sophon. III, 7.

5° A genere ad genus fit transitus, cum de eodem est sermo : maxime apud prophetas, qui populum nunc sub *populi* vel *Israelis* nomine compellant, masculino genere ; nunc, sub nomine *vineæ*, *filiæ*, etc., genere feminino.

XLVII. Aliquando una eademque locutionis forma, diversis

locis usurpata, diversam, et fere contrariam habet significationem : Sic, *portare iniquitatem*, modo significat ignoscere, vel veniam impetrare (Exod. XXVIII, 38) ; modo, puniri pro peccato (Levit. XXIV, 15).

XLVIII. Juvat denique plurimum ad intelligentiam Scripturarum, nosse tum idiotismos hebraicos, tum illam archæologiæ partem quæ pertinet ad pondera, mensuras et pecunias Hebræorum.

QUÆSTIO 5.

Quinam sunt præcipui idiotismi hebraici?

Resp. Præter illos qui supra jam sparsim indicati sunt, alii non pauci, vel frequentius occurrentes, vel difficiliores, visi sunt colligendi.

Adeps et medulla, est apud Hebræos id, quod in quacumque re invenitur præstantissimum. Sic intelligitur *adeps frumenti*, *medulla olei*. — Ps. LXII : *Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea*, id est, donis præstantissimis gratiæ et gloriæ tuæ, Deus, anima mea feliciter satietur.

Adinventio adhibetur pro cogitatione, consilio, studio : *Dimisi eos secundum desideria cordis eorum : ibunt in adinventionibus suis*. Ps. LXXX.

Anima ponitur pro persona tota, seu, ut aiunt, pro supposito ; quandoque pro vita. *Animam suam habere* vel *ponere in manibus*, est exponi, vel exponere vitam suam periculo. Cujus locutionis ratio est, quod in periculo positi, rem nostram pretiosam manibus teneamus ; item, quod thesaurus quem manibus tenere cogimur, facile excutiatur.

Anima etiam sumitur pro mente, atque anima rationali ; seu, quod idem est, pro substantia nostra spirituali, quæ est forma corporis ; qua significatione apud nos communiter vox *anima* usurpatur. Solet tamen hoc sensu Scriptura frequentius adhibere vocem *spiritus*.

Aurem alicujus revelare, est admonere eum, eique indicare quod ignorabat (I Reg. IX, 15).

Baculus panis (Levit. XXVI, 26), est alimentum, quo quis ad sui sustentationem indiget, sicut senex auxilio baculi.

Benedicere quandoque per antiphrasim ponitur pro *maledicere*, ut Job. I, 11 : *Nisi in faciem benedixerit tibi.*

Blasphemare non raro significat contumeliis probrisque quempiam afficere.

Calix est portio alicui attributa, vel sors cuique obveniens, sive bona, sive mala.

Caput canis, est res admodum vilis (II Reg. III, 8).

Esse in caput vel *in caudam* (Deut. XVIII, 13, 44), est primum vel ultimum fieri.

Carnes cujuspiam comedere (Ps. XXVI), est illum cum sævitie conficere et destruere.

Cognoscere non raro significat cognitionem approbationis vel dilectionis : quare Deus passim dicitur *cognoscere* quos amat, *nescire* quos respuit.

Commune dicitur quidquid est immundum vel profanum, ut Act. X, 14, 15. — Hinc *communicare* est coinquinare, apud Marc. VII, 15 : *Illa sunt quæ communicant hominem.*

Cornu subinde *potentiam*, adeoque *gloriam* significat ; eo quod cornutorum animalium robur sit in cornibus ; — aliquoties *regnum*, quia humana potentia maxime spectatur in regibus : *Erexit cornu salutis nobis* (Luc. I, 69) ; — quandoque etiam *superbiam*, ut in hoc Davidis : *Nolite exaltare cornu.* Ps. LXXIV.

Decor aliquando ponitur pro templo, tabernaculo, arca fœderis ; vel etiam pro monte sancto, ubi arca erat collocata : eo quod illa Israelitis decori et ornatui essent.

Ad dexteram vel sinistram ire, est, vel alio ire, vel a recta via aberrare.

Sicuti est dies hæc, vel, *secundum diem hanc*, quod sæpius in V. T. occurrit, significat, *sicuti hodie apparet.*

Domum alicui facere vel *ædificare* (Exod. I, 21), est dare illi prolem et posteritatem.

Exitus et introitus, vel, *ingressus et egressus alicujus*, est omnis vitæ ipsius actio, conversatio, negotium.

Fodere, apud Osee, III, 2, significat emere ac pretio comparare : *Et fodi eam mihi quindecim argenteis.*

Funis vel *funiculus*, est hæreditatis portio alicui obveniens ; quia funibus mensurari solebant prædia. *Funes ceciderunt mihi in præclaris.* Ps. XV.

Gladius vocatur quidquid pungit, torquet, cruciat.

Græci nominantur omnes gentiles : *Judæo primum et Græco.* Rom. I, 16.

Heri et nudiustertius, i. e. præterito tempore ; *cras*, id est, tempore futuro.

Indui re aliqua, est illam sibi habere intime conjunctam, eam in se continere ac possidere (Rom. XIII, 14).

Levare manum, etsi plura significat, specialiter tamen usurpatur pro *jurare* (Gen. XIV, 22).

Ludere subinde est duellum committere (II Reg. II, 14) ; — alias, persequi et vexare (Gen. XXI, 9) ; — aut etiam, idola colere, vel saltationes ac tripudia exercere (Exod. XXXII, 6).

Manus aliquando significat idem quod *littus*, vel *latus.* Psalmo CIII : *Mare magnum et spatiosum manibus.*

Implere manum alicujus (ut Judic. XVII, 5, 12), est conse-

crare aliquem in sacerdotem. Ratio est, quod consecrandi manus ungerentur, et oleo implerentur.

Onus apud prophetas, est prophetia quæ afflictionem et punitionem pænuntiat.

Os gladii vocatur ejus *acies*. Hinc *percutere in ore gladii*.

Pennæ solis justitiæ (Malach. IV, 2), sunt ejus radii.

Pingues vocantur homines *potentes et primarii*. Sic dicitur Ps. LXXVII . *Et occidit pingues eorum*.

Ponere faciem suam contra aliquem, est ei irasci et velle pœnam infligere ; — e contra, *ponere oculos super aliquem*, significat ei favere, et velle benefacere.

Populo suo apponi, vel *ad patres suos apponi* aut *congregari*, est mori, inter mortuos censeri.

Portæ ponuntur pro *forensibus judiciis*, quia judicia apud Judæos in portis civitatis exercebantur. — Aliquando *portæ* significant potentiam alicujus imperii, ut Matth. XVI, 18 : *Et portæ inferi non prævalebunt*, id est, tota civitas, tota potentia inferorum non vincet Ecclesiam. *Portæ* hic per synecdochen vel metonymiam ponuntur pro tota urbe ac civitate , seu imperio : tum quia per portam est ingressus in civitatem ; tum quia munimentum ac robur præcipuum civitatis est in portis, quibus salvis, salva civitas esse solet ; tum denique, quia ex portis egreditur hostilis exercitus tempore belli, ita ut sensus sit : *Quidquid roboris egredietur ex inferorum portis, adversus Ecclesiam non prævalebit*.

Prophetare, præter communem significationem, subinde idem est ac *laudare Deum*, aut *miracula patrare* , aut etiam *Scripturas interpretari*.

Respondere sæpe sumitur pro *loqui*.

Sal est incorruptionis symbolum. Hinc *pactum salis* (II Paral. XIII, 5), est pactum firmum et incorruptum : sal enim a corruptione præservat.

Tabernaculum frequenter ponitur pro domo, seu quovis habitaculo.

Vasa sunt quævis instrumenta : ut *vasa mortis*, instrumenta, quibus mors infertur ; *vasa belli*, arma quælibet ; *vasa psalmi* aut *cantici*, instrumenta musica.

Notanda est insuper vis et significatio varia *particularum* , præsertim præpositionis *in* et conjunctionis *et*. — Præpositio *in*, præter sensum causativum *per*, omnium fere aliarum præpositionum vicem gerit et significationem induit. — *Et* sumitur pro *enim* vel *quia* ; pro *aut*, *sed*, *autem*, *ergo*, *ut*, *sic*, *sicut*, *etiamsi*, *ideo*, *præterea*, *tamen*, *quin etiam*, *id est* ; — quandoque est mere expletivum et redundans.

Causales particulæ : *quia*, *quoniam*, sæpe ponuntur pro

etenim, *tamen*, *quamvis* vel *cum*. Psalmo CXXXVIII : *Et omnes vias meas prævidisti : quia non est sermo in lingua mea* ; id est : O Deus, omnes cogitationes meas prospexisti, cum ne verbum quidem proferrem ullum, ut eas manifestarem. — Sæpe etiam sunt mere ad sermonis ornatum ac harmoniam, redundantes quoad sensum.

Particula *si* quandoque admirantis est. Posita vero cum verbis juratoriis, orationem vertit in negantem, si sit affirmans, et in affirmantem si sit negans.

Notanda quoque sequentia Vulgatæ nostræ glossemata (1).

Benedicere Domino vel *confiteri*, ponitur pro laudare, celebrare. — *Exultare*, pro celebrare cum gaudio. — *Mortificare* significat morti tradere, occidere. — *Malignari*, male agere. — *Zelare*, invidere, vel æmulari. — *Redimere*, liberare, aut etiam emere, sibi vindicare. — *Furor* est sæpe ira vehemens. — *Salutare Dei*, salus, vel Salvator ab ipso veniens. — *In idipsum*, simul, pariter. — *Peccatores*, impii, quandoque inimici. — *Nimis*, vehementer. — *In finem*, admodum, vel in perpetuum. — *Legem dare*, *statuere*, *ponere*, est docere. — *Moveri*, labefactari, cadere. — *Ossa*, vires ; quandoque interiora : quo ultimo sensu *venter* et *renes* quoque adhibentur. — *Mansueti*, pii. — *Pauper*, afflictus et calamitosus ; interdum etiam, vir bonus ac modestus, nec inflatus opibus. — *Usquequaque*, semper. — *Infernus*, quandoque sepulcrum, quandoque limbus, seu sedes animarum vita functarum. — *Scandalum*, offendiculum. — *Framea*, gladius. — *Virtus*, robur, potentia, exercitus. — *Spiritus*, quandoque flatus, ventus. — *Humilis*, *humilitas*, vilis, vilitas, miseria, infirmitas. — *Reverentia*, ignominia et confusio. — *Necessitas*, angustiæ. — *Exercitatio* passim est meditatio. — *Dirigere*, rectum facere ; vel recta via incedere : *Sine iniquitate cucurri et direxi* (Ps. LVIII). — *Corrigere*, regere vel firmare, quod est ipsum quandoque appendere : *Correxit orbem terræ* (Ps. XCV), id est, libravit, quasi utrinque appenso pondere firmavit. Inde *correctio* ponitur loco directionis vel firmamenti. — *Convertere* est reverti ; sæpe avertere, aut simpliciter vertere. — Interjectio *euge !* est animantis ; *vah !* indignantis et exprobrantis.

Id denique addendum, quod Bossuetius merito monet (2), Scripturam legenti cavendum esse, ne solœcismos nimium horreat. Nostri enim interpretes, ut sese vulgi captui accommodarent, et sacrum textum quam fidelissime verterent ; barbarismos ac solœcismos nihil sunt veriti, atque adeo ex græco malo latinum pejus fecere. Qua de re præclare Augu-

(1) Bossuet, *Dissertat. de Psalmis*, cap. VII.
(2) *Dissertat de Psalmis*, ibid.

stinus : *Qui sunt*, inquit, *in stylo delicatioris fastidii, eo infirmiores sunt, quo doctiores videri volunt; bonorumque ingeniorum insignis est indoles , in verbis verum amare, non verba* (1).

QUÆSTIO 6.

Quid de ponderibus, mensuris et pecuniis Hebræorum sciendum est?

Resp. (2). — Ponderum et mensurarum normæ antiquitus apud Hebræos servabantur in Tabernaculo fœderis , ac postmodum in templo Salomonis ; ut sacerdotes juxta illas probarent publica pondera et mensuras, horumque rectitudinem curarent. — Templo autem everso, antiquæ normæ perierunt ; et Hebræi deinceps sub ditione aliena constituti, ponderibus ac mensuris dominorum suorum uti cœperunt. Quare alia fuere pondera ac mensuræ ante, alia post captivitatem Babylonicam.

1° *Mensuræ longitudinis* apud Hebræos , sicut apud Antiquos omnes, a corpore humano desumptæ , erant sequentes : *digitus*, nempe latitudo digiti ; — *palma,* seu quatuor digiti ; — *cubitus ,* modo quatuor , modo quinque palmas continens ; — *calamus mensorius,* seu longitudo sex cubitorum.

Pes erat spatium quatuor palmarum ; — *passus* (geometricus), quinque pedum ; — *stadium* , mensura Græca , centum viginti quinque passuum : octava fere pars milliarii Romani , seu spatii mille passuum. — Viginti stadia constituerent apud nos, leucam communem quatuor kilometrorum ; vigintiquatuor vero, leucam unius horæ.

Iter diei , modo majus , modo minus , si sumatur medium , fere centum quinquaginta stadia , seu septem leucas continebat. — *Iter sabbati* erat spatium circiter mille passuum.

2° *Mensuræ cavæ, seu capacitatis.*

Homer seu *gomor* , mensura aridorum , tribus fere litris nostratibus æquivalebat.

Ephi seu *epha* , et *bathus , cadus , amphora* et *metreta* , ejusdem fere capacitatis erant : nempe circiter viginti novem litrarum nostratum. — *Epha* erat mensura pro aridis, *bathus* pro liquidis ; *cadus* mensura Romana , et *metreta* Græca pro liquidis ; *amphora*, seu pes cubicus, apud Romanos et Græcos, similiter pro liquidis adhibebatur.

Satum, tertia pars *ephæ*, seu mensura novem litrarum.

Homer seu *corus*, decem *ephas*, seu ducentas nonaginta litras continebat.

(1) *De doctrina christ.* II, 13, IV, 11.

(2) Jahn, *Archæologia biblica* , apud Migne, tom. 2. — Janssens. — Calmet. — Allioli, *Handbuch der biblischen Alterthumskunde*, tom. 1.

Modius, mensura Romana pro aridis, æquabat tertiam partem *amphoræ*, seu novem litras.

3° *Pondera et pecuniæ.* — Pondera Hebræorum erant simul pecuniæ, seu nummi non cusi. Etenim antiquitus, ante captivitatem Babylonicam, Hebræi monetis seu nummis cusis non utebantur ; sed aurum et argentum in usum commercii dividebant, in bilance appendebant, ac ope lapidum ponderabant. Hinc Moyses, fraudulenta pondera prohibens, juxta textum hebræum : *Non habebis*, inquit, *lapidem et lapidem* (Deut. XXV, 13). Hac de causa mercatores bilancem et lapides, juxta fixum pondus factos, in sacculo ferebant (Prov. XVI, 11).

Siclus, qui vocatur etiam *stater*, dividebatur in viginti *obolos* (Num. XVIII, 16), eratque pondus *semi-unciæ* Romanæ ; centum sicli constituebant *minam ;* triginta minæ, seu tria millia siclorum efficiebant *talentum*, seu centum viginti quinque libras Romanas : fere nonaginta quatuor libras nostrates, seu quadraginta septem kilogrammata.

Libra Romana, seu *as*, continebat duodecim uncias. — Porro *uncia* Romana continebat octo *drachmas* Atticas ; centum drachmæ constituebant *minam* Atticam ; et sexaginta minæ *talentum* Atticum, quod ipsum consequenter continebat septuaginta novem libras Romanas, fere quinquaginta novem libras nostrates, seu triginta kilogrammata.

Pecuniæ (1). — *Siclus* seu *stater*, sumptus pro nummo, erat sicli pondus, seu semi-uncia Romana auri vel argenti. A tempore Asmonæorum seu Machabæorum, siclus in monetam cusus est. — *Siclus argenteus*, qui simpliciter *argenteus* dici solet, circiter duos francos et quinquaginta centesimos nostrates adæquabat.

Præter siclum, monetæ in novo Testamento occurrunt sequentes : *drachma* Attica argentea, fere sexaginta duobus centesimis ; *mina* Attica, circiter sexaginta duobus francis nostratibus correspondens.

Denarius, nummus argenteus Romanorum, septuaginta quinque centesimis æstimari potest. — Denarius primum decem asses, deinde vero sexdecim asses continebat. Erat autem *as* seu *assarium* moneta ærea, quatuor fere centesimos repræsentans.

Hebræorum *talentum* argenteum quinque millibus francorum, aureum vero septuaginta fere millibus æquivalebat.

(1) Quoniam circa pecuniarum valorem æstimandum non parum archæologi discrepant, nec æstimatio certa dari potest, ea hic traditur quæ probabilior est visa.

§ 2. Regulæ speciales,

ad Prophetas, Psalmos, Evangelia peculiariter spectantes.

QUÆSTIO 1.

Quænam sunt regulæ speciales pro interpretandis prophetis?

Resp. Præcipuæ sunt sequentes :

I. Ad sensum litteralem rite attingendum prophetarum, imprimis attendendum est ad repetitionem illam, carminis hebraici propriam, quæ *parellelismus* vocari solet. Consistit autem hujusmodi parallelismus in eo, quod eadem sententia bis in eodem versiculo, vel in eadem periodo proponatur : ita ut unum hemistichium sit repetitio explicativa alterius. Exempla :

Non auferetur sceptrum de Juda,
Et dux de femore ejus ;

Donec veniat qui mittendus est,
Et ipse erit exspectatio gentium.

Ligans ad vineam pullum suum,
Et ad vitem, o fili mi, asinam suam.
Gen. XLIX, 10, 11.

Concrescat ut pluvia doctrina mea :
Fluat ut ros eloquium meum.
Deut. XXXII, 2.

Benedicam Dominum in omni tempore,
Semper laus ejus in ore meo.
Ps. XXXIII.

Vere languores nostros ipse tulit.
Et dolores nostros ipse portavit ;

Et nos putavimus eum quasi leprosum,
Et percussum a Deo et humiliatum.
Isai. LIII, 4.

Nota. Repetitio explicativa, quæ alteram parallelismi partem constituit, et sententiam complere solet, quandoque fit per antithesim : ita ut primum membrum dilucidetur per secundum, ut aiunt, *a contrario*. Exemplum :

Filius sapiens lætificat patrem ;
Filius vero stultus mœstitia est matris suæ.
Prov. X, 1.

II. Non omnia prophetarum dicta et facta ad futura referri debent : multa enim ad sui temporis historiam et populi correptionem atque eruditionem pertinent.

III. Prophetæ, historiam præteritam vel præsentem recitantes, aut futuram prænuntiantes, sæpe subjungunt prophetiam de Christo et Ecclesia, transitu facto de littera ad spiritum, de typo ad antitypum.

IV. Hujusmodi transitus certo adest, ubi dicta superant modum, qualitatem et ordinem personarum ac rerum quæ tractantur. Quod si non superent, de utroque, nempe de figura et figurato, eadem verba intelligi possunt.

V. Sub eodem contextu transeunt prophetæ de verbis præteriti temporis ad verba futuri et præsentis, aut e contrario, quin de diverso tempore loquantur; euntque et redeunt ad res promiscue mixtimque traditas, absque servato ordine.

VI. Prophetiæ, eadem sententiarum serie conscriptæ, non semper totæ eodem tempore complentur; sed paulatim et secundum temporum successiones.

QUÆSTIO 2.

Quænam sunt regulæ pro Psalmis?

Resp. — I. Quæ de parallelismo prophetico seu poetico dicta in præcedenti quæstione sunt, ea præcipue psalmis sunt applicanda. Repetitiones enim poeticæ hic frequentes sunt, sive iisdem sive aliis verbis enuntiatæ.

II. Non raræ quoque sunt mutationes personarum, sive quæ loquuntur, sive de quibus et ad quas fit sermo.

III. David in psalmis loquens, sæpe figuram gerit Christi aut Ecclesiæ.

IV. Cum Christus loquitur, vel intelligendus est *totus* ac plenus : id est, tum ipse tanquam Caput, tum ejus corpus mysticum, quod est Ecclesia; — vel *partialis*, id est, loquens ex persona solius Capitis, aut solius corporis.

V. Corpus Christi rursus, vel sumitur plenum ac integrum, pro omnibus scilicet membris : hoc est, pro justis et peccatoribus, perfectis et imperfectis, fortibus et infirmis, afflictis et liberatis, etc.; — vel pro una aut altera classe membrorum.

VI. Personæ Christi et Ecclesiæ opponitur dæmon et perversorum turba; qui respectu ejusdem Christi et Ecclesiæ varie accipiuntur, prout loquitur David de vi et persecutione, de bellis et periculis hostium.

VII. Demum ad intelligentiam Psalmorum plurimum confert præ oculis habere vicissitudines Davidis, ad quas frequentissime alluditur. Quapropter prophetæ psalmographi vitæ summarium subjicimus.

Davidis vita, ex libris II et III Regum contracta.

David, filius Isai seu Jesse, de tribu Juda, natus est in Bethlehem, anno ante Christum 1085. Cum esset natu minimus et pasceret greges patris sui, a Samuele in regem Israel unctus est inter fratres suos, anno ætatis circiter vigesimo (1). *Unxit eum Samuel in medio fratrum ejus ; et directus est Spiritus Domini a die illa in David, et deinceps.* I Reg. XVI, 13.

Sauli enim regi, propter inobedientiam reprobato, ut succederet in thronum Israel, divinitus David electus est. Cumque perite pulsaret citharam, vocatus est in aulam regiam, ut Saulis animum, spiritu malo agitatum, psallendo leniret.

Mox, Philistæis contra Israelem ad pugnam congregatis, Goliath gigantem sola funda occidit ; præcisumque caput ejus, diffusis Philistæis, ad Saulem tulit.

Saul invidia tactus, Davidem odio pessimo persequi cœpit ; eumque coram se citharizantem, semel et iterum configere, ac deinde insidiis perdere conatus est. Quapropter e manibus ejus cum vix evasisset David, fuga et exilio salutem quærere per plures annos est coactus, usque persequente Saule.

Profugus ergo venit primum in Naioth ad Samuelem ; deinde in Nobe, ubi illis diebus erat tabernaculum et arca Domini. Cumque ibi ab Achimelech sacerdote humaniter exceptus esset, res a Doeg, homine idumæo, delata est ad Saulem : qui omnes sacerdotes Nobe, manu ejusdem Doeg proditoris interfici jussit.

A Nobe digressus David recepit se in aulam Achis, regis Geth, in regione Philistinorum ; unde mox, ut se periculo liberaret simulata dementia, aufugiens, in spelunca Odollam se abscondit. Illuc amici plurimi ad eum convenerunt, et viri pugnatores quasi quadringenti adhæserunt ei.

Ex Odollam venit in regionem Moab, unde, suadente Gad Propheta, in terram Juda reversus est. Cumque maneret in saltu Hareth, audiens Ceilam a Philistæis oppugnari, exiit cum militibus, et oppidum liberavit. Ceilitis autem ingratis eum Sauli tradere parantibus, confugit in desertum Ziph, et inde in desertum Maon, ubi castra posuit in latere montis. Saul autem, monitus a Ziphæis proditoribus, accurrit, et totum montem exercitu circumcinxit. At subito revocatus ut defenderet fines Israel ab incursu Philistinorum, Davidem ab angustiis liberum reliquit.

Digressus David in speluncas deserti Engaddi, ibi mox iterum ab inimicis obsessus est. Cum Saulem occidere posset, noluit, sed tantum oram chlamidis ejus abscidit ; qua generositate motus Saul ipsi reconciliatus est.

(1) Anno regni Saulis octavo, juxta Calmet trigesimo ; post quod tempus Saul regnavit adhuc annis decem. Cfr. Act. XIII, 21,

Inde David contulit se in collem Achila : quod rescientes Ziphæi, iterum eum produnt Sauli ; qui reassumpto odio, cum tribus hominum millibus accurrit. Cumque obsessus teneretur David, et effugere non posset, penetravit de nocte in tabernaculum regis, abstulitque hastam et scyphum dormienti : quo facto dein cognito, iterum placatus est Saul.

David autem inconstantiæ Saulis fidere non ausus, denuo in terram Philistinorum profugus, a rege Achis benevole hac vice exceptus, et oppido Siceleg donatus est. — Interim bellum moventibus adversus Israel Philistæis, Saul in monte Gelboe profligatus occubuit.

Tunc David Dei oraculo jussus ascendere in Hebron, ibi unctione secunda, super tribum Juda rex inauguratur : reliquis tribubus adhærentibus Isboseth, filio Saulis, qui constitutus est rex in Gabaa. Hinc bellum civile exarsit inter domum Saulis et domum David.

Post septem annos occiso Isboseth, David agnitus ab universis tribubus, unctione tertia consecratus est rex super totum Israel ; et sedem regni ex Hebron transtulit in Jerusalem. Pulsis enim Jebusæis, arcem Sion munitissimam cepit, quæ civitas David appellata est ; ibique exstructa domo regia habitavit.

Cum autem arca Dei adhuc esset in domo Abinadab, sita in Gabaa, qui erat vertex oppidi Cariathiarim, ubi ab annis septuaginta et uno constiterat : David (1) eam adducere voluit Jerosolymam, in domum suam. Oza autem morte percusso, quod arcam attigisset, territus rex eam in domo Obededom reliquit. Postmodum tamen, sacrum depositum transferri jussit solemniter in Jerusalem, et poni in tabernaculo, quod ipsemet paraverat in monte Sion.

Tunc statuit ædificare templum Domino. Cum autem ex Nathan propheta cognovisset, opus illud esse filio suo divinitus reservatum, apparatus duntaxat sacri ædificii congerere studuit.

Victoriis plurimis regnum confirmavit ac dilatavit. Subegit enim, et tributarios Israeli fecit Philistæos, Moabitas, Ammonitas, Amalecitas, regem Soba ad Euphratem, et Syros et Idumæos.

Tanta gloria cumulatus, anno ætatis quinquagesimo, incidit in peccatum adulterii et homicidii ; atque anno fere integro impœnitens remansit. Tunc autem a propheta Nathan monitus, peccatum agnovit, confessus est, et amare flevit.

In pœnam autem peccatorum, etsi quoad culpam a Deo veniam acceperat, multis inde tribulationibus afflictus est, præcipue rebellione filii Absalonis. Cui cum consiliarius adesset

(1) Anno tertio regni in Jerusalem.

Achitophel, et universæ tribus Israel adhæsissent, David fere ab omnibus derelictus, contumeliis affectus et periculis expositus, fugere coactus est ; nec nisi cruento prælio et morte dilectissimi filii Absalonis, liberatus atque in regnum restitutus est.

Demum, constituto Salomone successore suo, mortuus est, gravatus senio et infirmitatibus, anno ante Christum 1015, ætatis 70, regni 40.

QUÆSTIO 3.

Quænam dantur regulæ pro Evangeliis?

Resp. — I. Evangelistæ tum testimonia veteris Testamenti, tum gesta et dicta suæ historiæ nonnunquam referunt verbis aliis, quam ab antiquis et coævis scriptoribus sacris fuerint relata : quia ad res et sententias præcipue attendunt.

II. Evangelistarum quisque aliqua prætermittit quæ alius recitat ; et unus has, alter illas circumstantias narrat : pro ratione scilicet unicuique propria, et absque contradictione.

III. Ubi quidpiam ab uno Evangelista narratur, cui simile etiam refertur ab altero, sed ita ut in uno alterove puncto appareat contradictio, quæ conciliari nequeat : utrumque reapse factum esse, et aliud ab alio commemoratum, teneatur.

IV. Dum Evangelistæ in sermonis continuatione utuntur verbis, *in illo tempore, tunc, postea,* aut similibus, indicant quidem, quæ narrantur facta esse consequenter, non autem continuo. Si nulla temporis consequentis differentia exprimatur, de re tantum facta, non item de serie factorum certi reddimur : cum non raro Evangelistæ rerum, quas narrant, ordinem negligant, prius referendo quod factum est posterius, aut vice versa.

V. In parabolis præcipue attendatur ad scopum et intentionem, propter quam illæ proferuntur ; nec non ad partes principales quæ ad scopum faciunt. Reliqua earum adjuncta narrationis complementum ac ornatum constituunt, nec pro sensu litterali parabolæ sunt explicanda.

SECTIO II.

De S. Scripturæ lectione et studio.

Ut Scripturarum intelligentia et familiaris usus acquiratur, plurimum confert assidua earum lectio, studium, meditatio ; ad quæ fructuose instituenda duo pertinent : 1° dispositiones animi afferendæ ; 2° methodus sequenda.

§ 1. De dispositionibus animi.

Quoniam de animi dispositionibus supra jam nonnulla dicta sunt, pauca hoc loco, quæ ad plenam rei expositionem desiderari possint, adjiciemus.

Dispositiones requisitæ ad quatuor reduci possunt : reverentiam, humilitatem, pietatem, et spiritum laboris.

1° *Reverentiam* summam sacra Scriptura postulat ; cum hæc nihil aliud sit quam *verbum Deum* scriptum, ac litteræ auctore Deo exaratæ. Ideo S. Carolus Borromæus genibus flexis et nudo capite sacras paginas legere consueverat (1).

2° *Humilitas.* — 1) Requirit humilitatem Deus, ut intelligentiam verborum suorum concedat, aperiatque sensum nobis ut intelligamus Scripturas. *Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis* (Matth. XI, 26). — 2) Humilitatem postulat ipsa profunditas Scripturarum, et mysteria, quæ nequaquam humana mens assequi potest. *Mira profunditas eloquiorum tuorum,* inquit Augustinus (2), *quorum ecce ante nos superficies, blandiens parvulis ; sed mira profunditas, Deus meus, mira profunditas.*

Merito itaque humilitatem in legendis Scripturis commendat primo loco Kempensis, dicens : *Si vis* ex Scripturarum lectione *profectum haurire , lege humiliter , simpliciter et fideliter* (3).

3° *Pietas.* — Ad pietatem requisitam referuntur tria : animi puritas, intentio recta et oratio.

Necessaria est imprimis *animi puritas* , quia *in malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis* (Sap. I, 14). — Necessaria est puritas , si fieri possit , angelica, mentis et corporis : ut Scripturam legens illis locis aut verbis non offendatur, quæ specietenus, ævo corruptiori ac minus simplici carnalia videntur ; etsi revera castissima, imo spiritus et vita sunt. *Eloquia* enim *Domini eloquia casta.* Ps. XI.

Intentio recta esse debet, ut in S. Scriptura unice quæramus ædificationem propriam et aliorum , qui finis est ad quem data est nobis. Ad communicandam enim nobis Dei ejusque voluntatis ac veritatis cognitionem, simulque ad ipsius amorem in cordibus accendendum , divina eloquia conscripta sunt ; quapropter eodem spiritu et intentione sunt scrutanda : *Omnis Scriptura sacra eo spiritu debet legi quo facta est* (4). — « Non ad inanem gloriam respicias , inquit S. Bernardus (5), aut curiositatem, aut aliquid simile ; sed tantum ad ædificationem tuam vel proximi. Sunt namque qui scire volunt eo fine tantum , ut sciant : et turpis curiositas est ; et sunt qui scire volunt ut sciantur ipsi : et turpis vanitas est ; et sunt qui

(1) Cfr. quæ dicta sunt ab initio, Introduct. § 4, pag. 3.
(2) *Confess.* lib. 12, cap. 14.
(3) *De imit. Christi,* lib. 1, c. 5.
(4) *De imit.* ibid.
(5) *Serm.* 36 *in Cant.* n. 3.

scire volunt ut scientiam suam vendant : et turpis quæstus est. Sunt autem alii, qui scire volunt ut ædificentur : et prudentia est ; atque ædificent alios : et charitas est (1). »

Oratio requiritur, quia non nisi postulantibus et orantibus sapientia promittitur. *Si quis vestrum indiget sapientia, postulet a Deo... et dabitur ei* (Jac. I, 5). — Ideo precatur propheta, dicens : *Revela oculos meos, et considerabo mirabilia de lege tua* (Ps. CXVIII). — S. Thomas Aquinas nunquam se lectioni aut scriptioni dabat, nisi præmissa oratione ; et in difficultatibus locorum sacræ Scripturæ, ad orationem jejunium adhibebat. *Non solum* inquit Augustinus, *admonendi sunt studiosi venerabilium Litterarum, ut in Scripturis sanctis genera locutionum sciant... verum etiam, quod est præcipuum et maxime necessarium, orent ut intelligant* (2).

4° *Spiritus laboris* denique accedat oportet, et studium assiduum, quod sit velut sacræ lectionis complementum. *Magna enim divinæ Scripturæ virtus est,* ait Chrysostomus (3), *et multæ in verbis latent sententiarum divitiæ : ideo par est ut diligenter attendamus, et sollicite scrutemur... Talis est Scripturæ mos, ut in parvis rebus plurima sæpe multitudo sensuum inveniatur.* — Et alibi (4) expendens hæc verba Domini, *scrutamini Scripturas* (Joan. V, 39), sic scribit : *Non dixit :* LEGITE, *sed* SCRUTAMINI ; *quia oportet profundius effodere, ut quæ alte delitescunt, invenire possimus. Non enim rem in superficie et in promptu positam effodimus ; sed quæ tanquam thesaurus profunde reconditur. Qui enim hujusmodi quærit, nisi summam adhibeat diligentiam et laborem, nunquam quæsita inveniet.*

Totum quod legimus in divinis Litteris, inquit Hieronymus Paulino (5), *nitet quidem et fulget etiam in cortice ; sed dulcius in medulla est.* Idcirco addit : *Ore te, frater charissime, inter hæc vivere, ista meditari, nihil aliud nosse, nihil quærere* (6).

(1) Jansen. Gandav. *Concord.* c. 9, hæc habet egregia. « Cæterum in « hac historia (de Magis ab Herode edoctis), et hoc adverti potest, quod « tribus diversis modis deprehendantur se alii et alii habere erga Scripturas. Nam Scribæ in eis versantur tantum ut sciant, aliisque veritatem « commonstrent, quam ipsi non sectabantur. Herodes Scripturas quærit, ut « veritatem quidem cognoscat, sed ad nocendum ; Magi vero, ut agnitam « veritatem amplexentur. Ita et hodie quidam in Scripturis occupantur « tantum ut docti sint, aliosque docere valeant ; alii, ut inde venentur unde « suas hæreses stabiliant, Christumque adhuc tenerum in cordibus imbe« cillium occidant cum Herode ; alii, ut agnitam sectentur veritatem. »

(2) *De doctrina christ.* l. 3, cap. ult.

(3) *Homil.* 37 *in Gen.* n. 1.

(4) *Homil.* 40 *in Joan.*

(5) *Epist.* 49 *ad Paulinum.*

(6) *Epist.* 50.

§ 2. De methodo.

Methodus legendi et scrutandi divinam Scripturam in triplici ordine consistit. Primus est *ordo librorum*, secundum quem, generatim loquendo, ante vetus Testamentum expedit legere novum, quod velut scopus est et interpres veteris. — Speciatim autem, tanquam faciliores præmittendi sunt libri historici, deinde sumendi legales, tertio sapientiales, quarto prophetici.

Secundus est *ordo lectionis*, quæ facienda est primum ad notitiam, necdum inhærendo difficultatibus, sive litteræ sive mysterii; adhibendo tamen in rebus historicis, adjumentum geographicæ tabulæ. — Deinde repetenda est lectio ad pleniorem cognitionem; tum litteralem sensum omni ex parte versando; tum mysticum, juxta morem SS. Patrum, omni simplicitate et diligentia rimando et indagando.

Tertius est *ordo adjumentorum*, ut commentaria adhibeantur, primum breviora; deinde vero illa quæ plenius et profundius, tum difficultates, tum sensum aperiunt.

SECTIO III.

De usu interpretum.

In sacræ Scripturæ sensu investigando, præter regulas et lectionis exercitium, de quibus hactenus egimus, adhibenda sunt SS. Patrum aliorumque interpretum commentaria, quæ sacri textus obscuritates mirum in modum dilucidant, ejusque thesauros aperiunt.

QUÆSTIO.

Quinam sunt præcipui Scripturarum interpretes, tum antiqui, tum recentiores ?

R. Inter SS. Patres aut antiquiores interpretes, sive latinos sive græcos (1), qui nobis commentaria in sacram Scripturam reliquerunt, hi sunt præcipui :

Sæculo III.

S. Hippolytus (225). — Ex operibus ejus supersunt *fragmenta* in Gen., Num., Reg., Psalm., Prov., Cantic., Prophetas maj., Evangelia, Apocal.

S. Dionysius Alexandrinus (265). — *Fragmenta* in Ecclesiasten et in Lucam.

Origenes (254). — *Homiliæ* in Pentat., Josue, Judic., Reg., Isai., Jer., Ezech., Osee ; — *Commentaria* in Matth., Luc., Joan., et Epist. ad Romanos.

(1) Quos commode collectos invenire est in *Patrologia* græca et latina Migne.

Sæculo IV.

S. Hilarius (368). — *Tractatus* in Psalm., in Matth.
S. Athanasius (373). — *Expositio* in Psalm. (*fragm.*) in Job, Cant., Matth., Luc., I Corinth.
Eusebius (340). — *Comment.* in Psalm. ; *exegetica varia.*
S. Ephræm (373). — *Comment.* in libros V. T., in Evv. et Epp. Pauli.
S. Basilius (379). — *Homil.* in Hexaemeron, in Psalterium.
S. Ambrosius (397). — *Expositiones* in Psalm., in Luc. — *Quæstiones variæ.*
S. Gregorius Nyss. (403). — *Comment.* in Hexaemeron, Psalm., Eccl., Cantic.
S. Chrysostomus (407). — *Homil.* in Gen., Psalm., Isai., Jer., Dan., Matth., Joan., Act., Epp. Pauli.

Sæculo V.

S. Hieronymus (420). — *Quæstiones* in Gen., Reg., et Paral. — *Comment.* in Isai., Jer., Ezech., Prophet. min. ; in Matth., in Epist. ad Gal., Ephes., Tit., Philem.
S. Augustinus (430). — *De Genesi ad litteram.* — *Quæst.* in Heptateuchum. — *Enarrationes* in Psalm. — *De consensu Evang.* — *Comment.* in Matth., Joan., et in Epistolas Joan.
S. Cyrillus Alexandrinus (444). — *Glaphira* in Pentat. ; *Comment.* in Joan. — *Fragmenta* varia.
S. Leo Magnus (461). — *Sermones* in varia Scripturæ loca.
Theoderetus (458). — *Interpretatio* in plerosque libros V. T. ; item, in omnes Pauli Epist.

Sæculo VI.

S. Gregorius Magnus (604). — *Moralia* in Job ; *Homil.* in Ezech. et in Evangelia.

Sæculo VII.

S. Isidorus (636). — *Quæst.* in V. T.
Hesychius Hieros. (640). — *Interpret.* in Levit., Psalm., Isai., Ezech., Dan., Prophetas min., in Act. et Epist.

Sæculo VIII.

Venerabilis Beda (735). — *Comment.* in Pentat., Reg., Esdr., Prov., Cantic., quatuor Evang., Act., Epistolas Jac., Petri et Joan.

Sæculo X.

Œcumenius (960). — *Comment.* in Act. et in omnes Epist.

Sæculo XI.

Theophylactus (1077). — *Comment.* in Prophetas min. ; item in novum Test. integrum, excepta Apoc.

Sæculo XII.

Rupertus (1135). — *Comment.* in Pent., Reg., Proph., et Evangg.

Hugo a S. Victore (1140). — *Annotationes* in Pent., Jud., Reg., Eccl., Thren., Epp. Pauli.

S. Bernardus (1150). — *Sermones* in varia Scripturæ loca, præsertim in librum Cantic.

Euthymius Zigabenus (1150). — *Comment.* in Psalm., Cantic. et Evangelia.

Richardus a S. Victore (1173). — *Comment.* in Psalm., Cant. et Apocal.

Sæculo XIII.

S. Thomas (1274). — *Catena aurea* in Evangg. — *Comment.* in Epp. Pauli,

S. Bonaventura (1274). — *Comment.* in Hexaemeron, in Psalm., Eccli., Sap., Lament., Luc. et Joan.

Nota. Inter enumeratos Patres, sensum litteralem præ cæteris sectati sunt Hieronymus, Augustinus, Chrysostomus et Theodoretus ; mysticum autem ac moralem, Ambrosius, Gregorius, Bernardus.

Recentiores. — Interpretes *Catholici* (1), qui post Patrum ætatem et eorum vestigiis inhærentes scripserunt, alii sunt *universales,* qui Scripturam universam, — alii *particulares*, qui partem, seu quosdam duntaxat libros exposuerunt.

Interpretes universales.

Commentaria amplissima in universam Scripturam, excepto libro Job et Psalterio, edidit Cornelius A Lapide (1637). Opus

(1) Interpretes *heterodoxi*, quod satis patet, adeundi non sunt, nisi ratio adfuerit peculiaris, v. g. ut a doctore catholico confutentur : vel ut consulantur circa rem quampiam, quam catholice exposuisse noscuntur. Nunquam vero sine debita facultate. Nam commentaria ista per regulam II *Indicis* sunt prohibita : cum sint libri scripti ab hæreticis, et ex professo de Religione tractantes. — Similiter cavendum est ab auctoribus illis, qui, ut Jahn Viennensis, si minus protestantes, tamen in hermeneutica atque exegesi sacra liberiorem et quasi rationalisticam viam sectantur, a SS. Patrum vestigiis prorsus alienam.

Judæi quoque sua V. T. commentaria possident : quæ, dummodo prudenter ac discrete consulantur, aliquando juvare possunt. Duplici autem distinguuntur nomine : alia sunt *Targumim,* seu paraphrases variæ ; alia *Talmudica*, quæ antiquas, ut aiunt, traditiones, vel potius fabulas continent.

illud, ratione copiæ, eruditionis, simplicitatis et puritatis doctrinæ, maxime commendatur (1).

Commentaria breviora scripserunt plures : ut Nicolaus Lyranus (1470) ; — Dionysius Carthusianus (1471) ; — Duhamel (1706) ; — præcipua autem laude eminent Emmanuel Sa (1597) ; — Tirinus (1636) ; — Menochius (1655) ; — et recentior Allioli. — Item commentarium breve in novum Testamentum edidit Clar. D. Beelen, versioni suæ flandricæ annexum.

Interpretes particulares.

Cajetanus Card. (1534). — In plerosque lib. V. T., et in Epp. Pauli.

Dominicus Soto (1560). — In Epistolam ad Rom.

Jansenius Gandav. (1577). — In Evangelia, in Psalm. etc.

Maldonatus (1583). — In Evangelia.

Salmeronius (1585). — In Evangelia.

Toletus (1596). — In Lucam, Joan., Epist. ad Romanos.

Genebrardus (1597). — In Psalmos.

Ludovicus Soto (1600). — In Cant. et in Epist. ad Tim. et Titum.

Serrarius (1609). — In libros hist. V. T. et in Epist. canonicas.

Estius (1613). — In difficiliora Script. loca, et in omnes Epist.

Alcaçar (1613). — In Apocal.

Acosta (1616). — In Ruth, Thren., Jon., et Malach.

Lucas Brug. (1619). — In Evangelia.

Pererius (1620). — In Pent., Dan., Epist. ad. Rom. Apocal.

Bellarminus (1621). — In Psalmos.

Gaspar Sanctius (1628). — In plerosque lib. hist. et prophet. V. T.

Lorinus (1634). — In Num., Levit., Deut., Psalm., Eccl., Sap., Act., et Epist. canonicas.

Alvarez (1635). — In Isaiam.

Pineda (1637). — In Job., Eccl. et Cantic.

Jansen. Yprensis (1640). — In Evang.

Corderus (1650). — In Job.

Ferrarius (1655). — In Apocal.

Fromondus (1658). — In Cantic., Actus, Epistolas.

Ferrerus (1660). — In quatuor Evang.

Leblanc (1669). — In Psalmos.

(1) *Commentaria universalia, Dissertationes,* et *Dictionarium* Augustini Calmet, etsi defectibus non carent, utiliter etiam consuli possunt. — Utilissima quoque opera, sub eruditionis præsertim respectu, collegit Migne, in *Cursu sacræ Scripturæ.*

Bernardinus a Piconio (1709). — In Evang., et in Epp. Pauli *Expositio triplex.*

Alexander Natalis (1724). — In Evangelia et Epp. Pauli.

Wouters (1770). — *Dilucidationes* in Epist. et Apocal.

Berthier (1782). — In Psalmos, et in Isaiam (1).

Notanda. — Circa recensitos interpretes practice sunt animadvertenda sequentia : In Pentateuchum et libros historicos V. T. præclarius scripserunt *Pererius* et *Serrarius ;* — in libros sapientiales, *Lorinus ;* in Job, *Corderus* et *Pineda ;* — in Isaiam, reliquosque Prophetas, *Gaspar Sanctius ;* — in Psalmos, *Bellarminus*, *Leblanc*, *Berthier ;* item, *Muisius*, *Ghesquière*, *Mortelmans*, *Smits ;* — in Evangelia, *Toletus*, *Maldonatus*, *Salmeronius*, *Lucas Brug.*, *Jansenius Gandav.* et *Jansenius Yprensis ;* — in Actus Apost., Epistolam ad Rom. et reliquas Epistolas Pauli, *D. Beelen ;* — item in Epistolas Pauli, *S. Thomas*, *Estius*, *Bernardinus a Piconio ;* — in Epistolas catholicas, præter *Lallemand* et *Corn. A Lapide*, nominandus est *Fromondus ;* — in Apocalypsin *Ferrarius*, *Alcaçar*, *Bossuetius*, *Wouters.*

Neque omittendum est eruditum ac perutile opus *L. Veith* (1795) cui titulus : *Scriptura sacra contra incredulos propugnata ;* quo strenue revera libros sacros adversus ævi sui philosophiam impiam vindicat, breviter sed clare contrahendo quæcumque a Guénée, Nonnotte, Bergier, De Feller, et aliis superioris sæculi apologeticis auctoribus adversus pseudophilosophos scripta sunt. Quod quidem egregium opus Veith nobis juvamen præstitit in adornanda illa quæ jam sequitur explicatione, qua præcipuas sacræ Scripturæ difficultates solutas exhibemus.

(1) Inter Judæos interpretes, præcipui sunt : Abarbanel, Jarchi, David Kimchi, Maiemonides. — Inter Protestantes : Beza, Lutherus, Calvinus, Grotius, Carpzovius, Clericus, Gesenius, Michaelis, Kuinoel, Eichhorn, Hengstenberg, Rosenmüller, Delitsch.

CURSUS SCRIPTURÆ SACRÆ

PARS SECUNDA

EXPLICATIONES.

Explicationes Scripturisticæ duplicis sunt generis : aliæ *negativæ*, quæ in solvendis difficultatibus versantur ; aliæ *positivæ et exegeticæ*, quæ plenam sacri textus expositionem continent, instar commentariorum Patrum. — Hinc sectiones duæ :

Sectio I, *solutio difficultatum.*
Sectio II, *expositiones selectæ.*

SECTIO PRIMA.

SOLUTIO DIFFICULTATUM.

Difficultates libri Genesis.

Circa Pentateuchum, et præsertim circa librum Genesis a moventur difficultates plurimæ, quæ tamen ad pauca capit, reducuntur. Sunt autem hæc : 1° historica Moysis auctoritas (1) ; 2° chronologia Mosaica ; 3° hexaemeron, seu opificium sex dierum ; 4° historia serpentis tentatoris ; 5° gigantes ; 6° Noe et diluvium ; 7° iris ; 8° longævitas patriarcharum ; 9° sacrificium Melchisedech ; 10° uxor Loth in statuam versa.

§ 1. De auctoritate historica Moysis.

Q. *Quanta est Moysis auctoritas historica?*

Resp. Est plenissima, atque adeo omni exceptione major, ac talis, ut cujusvis alterius scriptoris antiqui auctoritatem longe superet : 1° ratione personæ ; 2° ratione scientiæ certæ

(1) Difficultas circa authenticitatem Pentateuchi hic omittitur, utpote soluta supra, part. I, quæst. *De authenticitate libror. V. T.* pag. 61.

ex qua loquitur ; 3° ratione fidei quam fecit semper ; 4° ratione antiquitatis, qua Moyses auctores omnes, qui de rebus antiquis scripserunt longe superat.

1° Ratione personæ. — Moyses enim, ut ex ipso ejus opere patet, vir sapiens fuit, probus ac prudens valde ; et prout in Exodo (1) insinuatur, atque a Clemente Alexandrino (2) ac Philone (3) aperte traditur, tanquam princeps Ægyptius, filius Pharaonis educatus, et in omnibus Ægyptiorum scientiis eruditus. Imo idem Scriptura novi Testamenti diserte affirmat ; in Actibus enim legimus : *Et eruditus est Moyses omni sapientia Ægyptiorum, et erat potens in verbis et in operibus suis* (Act. VII, 22). Dubium ergo esse nequit, quin ex una parte, historiam ac monumenta Ægyptiaca sui temporis probe noverit ; ex altera vero, scientiam religionis historiæque Hebræorum ab ipsa domestica infantiæ suæ educatione hauserit, eamque postmodum perfecerit (4).

2° Ratione scientiæ certæ ex qua loquitur. — Etenim,

-1) Incipiendo a libro Exodi, res narrat quarum vel testis, vel cooperator aut minister fuit.

-2) Quæ vero narrat in libro Genesis, quæque comparative pauca et brevissima sunt, apprime ex traditione certa cognoscere poterat : cum per longævitatem patriarcharum, *Moyses* sex tantum generationibus ab Adamo distaret. Nam pater ejus *Amram,* qui ætatem attigit 137 annorum, conversari potuit per annos circiter 70 cum *Levi,* filio Jacob, suo avo : qui similiter vixit annis 137 (ab anno mundi 2248 ad 2385). — Porro Levi vixit cum *Isaac* (cujus ætas a 2115 ad 2288), annis 40 ; — Isaac cum *Sem* (cujus ætas 1558-2158), annis 43 ; — Sem cum *Mathusala* (cujus ætas 687-1656), annis 98 ; — Mathusala cum Adamo (cujus ætas 1-930), annis 243.

-3) Præterea dubium non est, quin præter orales traditiones, Moysi præsto fuerint alia humana subsidia ac monumenta : turris Babelica tunc adhuc exstans (5), lapides atque altaria a patriarchis erecta, genealogiæ, carmina, aliaque scripta commentaria. Constat enim, dudum ante Moysis ætatem litteras in illis regionibus floruisse (6).

-4) Quod spectat ad ea quæ capite I Genesis narrantur, et

(1) Cap. II, 9, 10.

(2) *Stromat.* lib. I.

(3) *De vita Moysis.*

(4) Exod. II, 9, 11.

(5) Mille circiter annis post Moysen, Nabuchodonosor, rex Chaldæorum, Babelicam turrim e ruinis instauravit ; ut ex inscriptione, nuper inter Babylonis reliquias subterraneas reperta, constat. Quam inscriptionem a D. Oppert lectam, et in modernum idioma translatam videre est in opere : *Annales de philosophie chrétienne, Novembre* 1856.

(6) Le Normand, *Abrégé de l'histoire ancienne des peuples de l'Orient.*

creationem hominis præcesserunt : hæc tantum cognoscere potuit, atque revera cognovit Moyses ex revelatione divina, quam vel accepit Adamus posteris suis tradendam, vel quam ipse immediate Moyses accepit. — Dicimus, revera cognovisse illa Moysen per revelationem : quoniam de revelatione hac dubitare non permittit certitudo aliarum revelationum, quæ, præsertim in Exodo, subsequuntur. Revelationes enim istæ posteriores sanctio sunt prioris ; et Moyses, evidenter existens Dei minister, scribensque ex parte Dei Pentateuchum totum in gratiam Hebræorum : procul dubio omnium rerum quas scripsit scientiam certissimam, sive humanitus, sive divinitus habuisse dicendus est.

3° Maxima est Moysis auctoritas ratione fidei quam fecit semper. — Fidem fecit plenissimam, tum apud coævos Israelitas, tum apud eorum posteros omni tempore ; ergo vere fide dignissimus fuit atque evidenter verax. Secus enim libri ejus fuissent errorum manifesti, ideoque rejecti, præsertim, -1) a coævis Israelitis : etenim universus populus Israel de manu Moysis suscepit hos codices legis durissimæ ; quos nisi divinitus sibi datos certo cognovissent nunquam acceptassent. -2) Ab Ægyptiis tempore Ptolemæi Philadelphi, quando versio Scripturarum tanto cum honore in bibliotheca regia est collocata. Ægyptii enim tunc temporis ex historia et monumentis sibi notis facile, ut videtur, et necessario detexissent errores.

4° Ratione antiquitatis. — In materia enim historiæ antiquæ, quo antiquior est scriptor, eo auctoritate est potior. Atqui Moyses omnibus auctoribus, quorum vel scripta vel nomen certum ad nos pervenerit, est longe antiquior. Scripsit enim XV ante Christum sæculis : nempe quatuor saltem sæculis ante ipsum Homerum poetam. Quod si ei comparamus historiographos qui de antiqua Ægypti historia egerunt, et res quas Moyses narrat aliquatenus attigerunt, invenimus *Herodotum*, græcum, sæculo V ante Christum ; *Berosum*, chaldæum, coævum Alexandri, sæculo IV ; *Manethon*, ægyptium, coævum Ptolemæi Philadelphi, sæculo III ; *Diodorum*, siculum, coævum Augusti, sæculo I : qui omnes, ut patet, longa sunt Moysi antiquitate inferiores (1).

(1) De libris religiosis Orientalium non loquimur, cum apud criticos constet, nullam iis auctoritatem historicam inesse. De cætero, illi libri, etsi omnes originem habent incertam, nequaquam tamen ad Moysis tempora attingunt. Etenim Sinensium libri *Kings* paucis ad summum sæculis anteriores sunt æra christiana. — Apud Persas, liber *Zend-Avesta*, etiamsi admittatur Zoroastrum habere auctorem, Pentateucho longe recentior est : cum Zoroaster probabilius fuerit coævus Pythagoræ, quinto ante Christum sæculo. — Apud Indos, libri *Vedas* nullo momento historico demonstrantur esse æra vulgari anteriores.

§ 2. De chronologia Mosaica.

Q. 1. *Nonne auctoritatem Moysis minuit ipsius chronologia, cui contradicere videtur chronologia seu antiquitas plurium monarchiarum, nec non testimonium quorumdam monumentorum fossilium ?*

Resp. negative. Ut autem tota res declaretur, exponenda sunt quatuor : 1° quæ sit Moysis chronologia ; 2° quomodo ei officere nequeat ulla chronologia contraria ; 3° quomodo reipsa ei non officiat ulla antiquitas quibuscumque populis attributa ; 4° quomodo similiter eidem non adversentur monumenta fossilia.

Q. 2. *Chronologia Moysis quænam est ?*

R. Est illa qua computat annos patriarcharum a creatione Adami usque ad diluvium ; et a diluvio usque ad Abraham et subsequentes patriarchas. — Etenim in cap. V Genesis, seriem genealogicam texit indicando diligenter generatorum annos, ab Adamo usque ad Noe et diluvium. — Deinde vero, cap. XI, similem seriem deducit a diluvio et Sem, filio Noe, usque ad Abraham ejusque vocationem (1).

Hic autem habetur incertitudo materialis quoad genuina verba Moysis, adeoque quoad annorum numerum quem ipse in textu originali scripsit. Quatuor enim existunt antiqui Scripturæ textus, auctoritate præcipua pollentes : Hebraicus, quem sequitur nostra Vulgata ; deinde Samaritanus ; tertio Græcus duplex, id est, versionis LXX duplex lectio, juxta duplicem codicem, Vaticanum nempe et Alexandrinum. Atqui quatuor isti textus in hoc loco insigniter inter se differunt, ut ex sequenti tabula (2) perspicuum est.

(1) Nonnulli hodie suspicantur enumeratam non exhiberi integram patriarcharum seriem, pluraque eorum nomina esse omissa : adeo ut numerus annorum ab Adamo ad diluvium, et a diluvio ad Abraham, longe major effluxerit numero, qui juxta LXX Interpretes, vel juxta Hebræos supputari solet. Quæ opinio licet nova, si theologice spectetur, fidei non est contraria. Quod si critice perpendatur et exegetice, hoc nititur argumento, nomen *Cainan* patriarchæ, qui Luc. III, 36, nominatur inter Arphaxad et Sale, deesse in Hebræo, Gen. XI, et Paralip I, 18; sed haberi in Græco LXX, ac forte ex Hebræo textu excidisse ; proindeque fieri posse, ut aliæ lacunæ existant.

(2) Cfr. Patrizi, *De Evangeliis*, tom. 2, lib. 3.

	TEXTUS	HEBR.	SAMARIT.	GRÆCUS CODICIS VATICANI.	GRÆCUS CODICIS ALEXANDRINI.
COMPUTUM ANNORUM	Ab Adamo condito ad diluvium. .	1656	1307	2242	2262
	A diluvio ad vocationem Abrahæ .	357	1017	1247	1147
	Ab Adamo ad vocationem Abrahæ .	2013	2314	3489	3409
	Ab Adamo ad nativitatem Christi .	4004	4235	5510	5330
	A diluvio ad nativitatem Christi .	2348	2928	3268	3068

Hinc patet, ab Adamo usque ad Christum, Scripturæ exemplaribus tempus indicari variabile : nimirum ab annis circiter 4000 usque ad 5500 ; et similiter a diluvio usque ad Christum, a 2300 usque ad 3300. — Sunt quidem græca exemplaria quibus creationis epocha extenditur ad annos 6000, et diluvii ad 3800 : at lectiones hujusmodi minoris censentur auctoritatis.

Hinc quoque intelligitur dici posse, Scripturæ chronologiam esse incertam : hoc scilicet sensu quod tempus Adami creati, tempusque diluvii, sacer textus hodiedum exstans non exhibeat certo annorum numero constitutum ac fixum , sed incerto duntaxat : ita tamen, ut prædictas epochas certis includat limitibus, easque nequaquam indefinite retroagere permittat.

Quod si quæratur utra lectio vel utrum computum potiorem obtineat probabilitatem, textusne hebraici et Vulgatæ , an vero LXX Interpretum ? Res incerta omnino est, quam nec ars critica potuit (1), nec Ecclesiæ auctoritas decidere voluit. Si enim Ecclesia in versione Vulgata servat computum hebraicum ; in Martyrologio Romano adoptat computum græcum.

Hæc solummodo dici possunt : chronologia hebraica, quæ non existebat in antiqua *Itala*, vulgo adoptata est in Ecclesia occidentali per versionem *Vulgatam*, quam S. Hieronymus juxta Hebræorum codices confecit. Itaque a tempore duntaxat Gregorii Magni (sæc. VII), imo potius Venerabilis Bedæ (sæc. VIII), apud scriptores ecclesiasticos generatim obtinuit.

(1) Cf. Lequien, *Défense du texte hébreu et de la Vulgate.*

— Et si quid Ecclesia innuit, si quam propensionem in partem alterutram manifestavit, potius, prout ipse Baronius testatur (1), chronologiæ græcæ favere visa est. Sic in Martyrologio hæc Dominicæ Nativitati assignat tempora : *Anno a creatione mundi, quando in principio Deus creavit cœlum et terram, quinquies millesimo centesimo nonagesimo ; a diluvio vero, anno bis millesimo nongentesimo quinquagesimo septimo.... Jesus Christus in Bethlehem Judæ nascitur.*

Q. 3. *Quomodo chronologiæ Biblicæ officere nequit ulla chronologia aliunde quæsita ?*

R. Ut ex præcedentibus sequitur, Moysis chronologia, si minus certe ac definite, saltem intra limites historice ac critice probabiles nobis constat. Jam vero huic fundatæ probabilitati Mosaicæ, si quæcumque alia conferatur chronologia, hæc vel conjecturalis tantum erit, vel certa. — Si primum, conjectura quælibet contra probabilitatem positivam atque historice fundatam prævalere non potest. — Si alterum, id est, si chronologia aliunde inventa sit certa, Bibliorum computa confirmabit, simulque juvabit ad genuinum Moysis textum definiendum.

Q. 4. *Quomodo revera chronologiæ Biblicæ non officit antiquitas ulla, quibuscumque populis attributa ?*

R. Quia nulla profertur hujusmodi antiquitas, quæ ultra Mosaicam chronologiam certa sit ; seu, quæ supra epocham dispersionis populorum, a Moyse, ea ratione quæ supra exposita est indicatam, ascendat.

Etenim ex tribus monarchiis, quibus enormis antiquitas aliquando attributa est, Sinensi, Chaldaica, Ægyptiaca, duæ priores, eruditis passim nunc consentientibus, nihil proferunt Mosaico tempore anterius, quod vim historicam habeat ; seu potius, quod non sit fabulosum. Sinensis imperii initium constituunt hodie orientalistæ ad secundum circiter sæculum post diluvium ; Chaldæorum vero originem posteriorem esse docent.

De antiquitate Ægyptiorum instrumenta plurima exstant, quibus eruditi hodie valorem non exiguum tribuunt, et ex quibus concludendum censent, exordium Ægyptiacæ monarchiæ ascendere ad annos ante Christum 5004, vel juxta alios 3623 : quæ antiquitas epocham dispersionis populorum in Bibliis statutam excedit.

De hac autem antiquitate dicendum est, eam esse incertam, ideoque contra computum biblicum admitti non posse.

Jam probamus antiquitatis Ægyptiacæ incertitudinem, 1° ex auctoritate eruditorum ; 2° ex ipsis fundamentis, quibus præfata antiquitas nititur.

(1) Cfr. *Apparatus ad annales ecclesiasticos*, n. 118.

1° Eruditi ægyptologi, quamvis consentiant inter se et cum ipso Moyse, monarchiam Ægyptiacam esse antiquissimam; non tamen consentiunt in ipsa illa antiquitate determinanda. Imo fatentur eam esse incertam, dynastiarum quæ exhiberi solent, durationem diversimodis posse intelligi aut contrahi; et forte ex monumentis quæ posthac detegentur compertum fore, eam esse multis sæculis minuendam (1).

2° Ægyptiaca antiquitas duobus nititur fundamentis, quæ sunt, ex una parte catalogus historicus Manethonis; ex altera vero, monumenta lapidea plurima, figuris et inscriptionibus ornata: atqui utrumque hoc fundamentum incertitudine est affectum.

Quod spectat ad *Manethon*, Ægyptius ille scriptor historiam suæ patriæ composuit, quam Ptolemæo Philadelpho (275) dedicavit, et cujus fragmenta tantum quædam supersunt. Inter hæc fragmenta, celeberrimus est ille, quem Julius Africanus conservavit, catalogus omnium regum triginta dynastiarum Ægypti: ab exordio monarchiæ, usque ad Nectanebum II, ultimum regem dynastiæ trigesimæ, anno ante Christum 340. — Cum autem Manethon suo catalogo adjiciat cujusque dynastiæ durationem, implicite originem tradit totius monarchiæ, quæ juxta ejus numeros ad annos 5004 A. C. est referenda. At vero eruditi non pauci, existimantes ex dynastiis recensitis plures fuisse collaterales, atque eodem tempore regnasse, eamdem originem ad annos 3623 reducunt.

Jam vero auctoritas Manethonis incerta est, ejusque critica in rebus historicis, exigua valde: prout ex Flavio Josepho et Eusebio patet. — Josephus fragmenta plura recitat Manethonis, ostenditque, eum alia ex templorum monumentis descripsisse,

(1) Cf. Mariette, *Aperçu de l'histoire ancienne d'Egypte.* Paris, Dentu 1867. In hoc opere ista leguntur: « L'ancien empire d'Egypte, de la Ie à « la XIme dynastie, dura 1940 ans. Toutefois nous ne présentons ces chif- « fres qu'avec la plus grande réserve, bien qu'ils nous soient fournis par « Manéthon (pag. 14). »

— « Peut être des découvertes inattendues prouveront-elles un jour, « que pendant toute la durée de ce vaste empire, il y eut encore plus de « dynasties collatérales, que les partisans de ce système n'en admettent « aujourd'hui (pag. 67). » — Ailleurs cependant M. Mariette préfère l'opinion des dynasties successives.

— « Pour toutes les dates antérieures à l'avènement de Psammitichus I « (XXVIme dynastie, 665 avant J.-C.), il est impossible de donner autre « chose que des approximations, qui deviennent de plus en plus incer- « taines, à mesure qu'on remonte le cours des âges... et selon les systèmes, « il peut y avoir jusqu'à deux mille ans de différence dans la manière de « compter l'âge de la fondation de la monarchie Egyptienne (pag. 69, 70). » — Consuli etiam potest Robiou, *Histoire ancienne des peuples de l'Orient*; Lenormant, *Hist. de l'Orient*, 1er vol.; Mgr Maignan, *l'Homme primitif*; le P. de Valroger, *l'Age du monde et de l'homme, d'après la Bible et l'Eglise.*

alia ex fabulosis rumoribus ac traditionibus collegisse. Ex monumentis sacris desumpsit, inter alia, Hebræos ingressos esse in Ægyptum cum exercitu magno ; et Moysen fuisse sacerdotem Heliopoliten : *Politiam*, inquit, *et leges composuit Hebræis sacerdos quidam Heliopolites, qui et vocatus est Moses* (1). — Eusebius autem hæc scribit : *Complura volumina veterum historiarum perlegi, sive quæ apud Chaldæos Assyriosque narrantur, sive quas Æpyptii præscribunt, sive denique quas Græci referunt..... Porro et Ægyptiorum multæ feruntur insanæ historiæ, itemque Chaldæorum. Et quidem hi plus quam quadraginta annorum myriades temporibus suis continere se putant ; Ægyptii autem deorum, semideorum, prætereaque manium, et mortalium aliorum regum multas delirantium fabulas nectunt* (2).

Ex his concludendum videtur, præfatum dynastiarum catalogum fideliter quidem, at sine historica discretione e sacris Ægyptiorum archiviis a Manethone esse descriptum ; tantoque libentius adoptatum, quod suæ patriæ fastosam antiquitatem affigeret (3). — Fatendum tamen, partem hujus qualiscumque catalogi ex repertis monumentis confirmationem accepisse.

Quæ quidem monumenta, nimirum templa, sepulcra, pyramides, epigrammata seu inscriptiones bene multæ, etsi magnam antiquitatem demonstrant, chronologiam tamen certam nequaquam exhibent. Etenim , utrum præfata epigrammata sint historica potius quam mythologica, non satis constat. Imo apud populum antiquæ originis avidissimum, quique mythologicis fictionibus plurimum indulsit, præjudicium validum est, multas ex præfatis inscriptionibus esse mythologicas ; vel saltem, eas quæ historicæ sunt, cum variis figmentis esse permixtas (4).

(1) Joseph. *Contra Appion.* lib. 1.

(2) Euseb. *Chronic.* l. 1, proœm. apud Migne, *Patrolog. græc.* tom. 19, col. 101-105. — Scribit quoque Herodotus, nuspiam aliquid certi in Ægyptiorum historia reperiri ante Psammitichum, qui sæculo A. C. VI in Ægypto regnavit.

Ducentis annis Manethone posterior Diodorus Siculus, juxta documenta sacerdotum Memphitarum et Thebanorum quos audivit, historiam Ægypti confecit, ab historia Manethonis plane diversam. — Item quinquaginta annis post eumdem Manethonem, Eratosthenes, jussu Ptolemæi Evergetis, adivit Thebarum sacerdotes et archivia, ut Thebanorum regum catalogum ab origine integrum conficeret. Hoc autem catalogo Eratosthenes Diospolitanas, i. e. Thebanas dynastias recenset, a Thebanis dynastiis quas prodit Manethon prorsus diversas. — Cfr. Desdouits, *Soirées de Montlhéry* , 7me soirée. Ostendit ibidem Desdouits, ante dynastiam XIX, quæ sæculo A. C. decimo quinto regnavit, nihil certi haberi ; additque, apud omnes esse in confesso nullum exstare monumentum, quod dynastia XVIII, seu sæculo A. C. decimo nono, anterius esse constet.

(3) Cfr. Ferdinand de Lanoye, *Ramsès le Grand, ou l'Egypte il y a 3300 ans*, part. I, *L'Egypte avant Ramsès*, § VI.

(4) Cfr. Ferd. de Lanoye, op. cit. § VII et VIII.

Ergo neque Manethonis catalogus, neque monumenta lapidea, quæ fudamenta sunt Ægyptiacæ chronologiæ, certitudinem historicam habent.

Id quidem ægyptologia effecit, ut antiquissimam esse Ægypti monarchiam demonstraret; in quo cum Moyse omnino consonat, qui testatur, tempore Abrahami jam regnum illud constitutum floruisse. At ante tempora Ramses II, quem prædecessorem fuisse existimant regis Menephtah, seu Pharaonis Mosaici (1), in vaga quadam incertitudine versatur. Monumenta quidem plurima offendit ; sed horum antiquitatem definire, nisi conjecturaliter, hactenus non potuit (2). Quapropter sana critica jubet, ut hæc conjecturalia et ambigua per documenta clara et certa, si adsunt, explicentur. Atqui adest chronologia Moysis, quæ suis limitibus, ut dictum est, si minus historica certitudine, saltem probabilitate solida pollet ; per hanc ergo antiquitas incerta monumentorum Ægypti, quoad res tulerint, definienda est.

Ex his patet ægyptologiam et chronologiam Moysis, non tantum inter se non opponi , sed amice conciliari posse , mutuumque sibi subsidium præstare.

Q. 5. *Quomodo Moysis chronologiæ non adversatur testimonium monumentorum fossilium ?*

R. Eo quod monumenta fossilia argumentum certum non suppeditent, nec demonstrent, homines ante epocham Adamicam in Bibliis assignatam exstitisse. Etenim secundum opinionem a plerisque geologis admissam, nulla hominis vestigia deprehenduntur, nisi in terræ substratis recentioribus, quæ *quaternaria* dicuntur. In his quidem reperta sunt instrumenta quædam humanæ industriæ ; imo ossa nonnulla humana , mixta cum ossibus animalium , quorum jam species exstinctæ sunt : at vero quænam illis antiquitas sit tribuenda definiri nequaquam potuit (3).

§ 3. De hexaemero, seu opificio sex dierum.

In hexaemero, seu opificio sex dierum, Gen. I, tres præcipuæ difficultates occurrunt : una geologica, altera physiologica, tertia astronomica.

(1) Moyses, ut etiam censet *de Lanoye*, a filia Ramses II (Sesostris), persecutoris Hebræorum , est adoptatus. Ejusdem regis filius, Menephtah, periit in mari rubro.

(2) Antiquiores pyramides Djiseh, quæ nullos hieroglyphos habent, et quarum præcipua ad centum quinquaginta metros ascendit ; referuntur quidem passim ad dynastiam IV, seu ad annum 4235 ante Christum. At hæc conjectura incerta prorsus est ; ita ut eadem probabilitate statui possit, pyramides hujusmodi esse ipso diluvio anteriores. Cf. Desdouits, *Soirées* etc. 9me soirée.

(3) Cf. Reusch, *Bibel und Natur*, cap. 34.

I. *Difficultas geologica* in hoc consistit, quod varia telluris substrata, et reliquiæ plantarum atque animalium quorum species perierunt, demonstrent, illa omnia intra sex dierum spatium non fuisse creata ; et orbem nostrum non nisi longissimo temporis tractu ad præsentem statum transiisse : adeoque scientia geologica cum narratione Mosaica pugnare videatur.

Ad hanc difficultatem *respondetur primo* generatim et a priori : fieri non potest, ut vera pugna inter revelationem et scientiam existat ; cum veritas veritati nequeat adversari. Quapropter si ex una parte scientia naturalis certas, non hypotheticas, conclusiones de natura rerum afferat ; et ex altera, textus Mosaicus quatenus naturam attingit, rite intelligatur : necessario inter utrumque concordia erit. At vero ex utraque parte cavendum, ne id quod certum non est pro certo afferatur. Et quidem ad Scripturam quod spectat, quoniam ipsa finem supernaturalem semper respicit, in rebus naturam attingentibus ita generaliter et obscure loqui solet, ut ejus sensus a ratione et experientia determinandus esse videatur.

Quapropter sic theologus et exegeta catholicus statuit : verissima quidem esse quæcumque in Genesi scripta sunt ; at vero ut eorum sensus clare determinetur exspectandum esse, donec scientia naturalis conclusiones certas attulerit. Hæ namque ubi afferentur, biblicis enuntiationibus contrariæ nequaquam esse intelligentur, et iisdem rite exponendis opportunum lumen admovebunt.

Respondetur secundo particularius, exponendo et componendo testimonium Moysis et testimonium scientiæ geologicæ. Hæc autem expositio commode comprehendi potest quatuor quæstionibus. 1° Quisnam scopus est narrationis genesiacæ? — 2° Quænam in hac narratione sive dogmatice sive exegetice certa sunt, quænam vero disputata remanent et libera ? — 3° Quænam hactenus in geologia videntur certa ? — 4° An et quomodo ostendi potest narrationi Mosaicæ rite intellectæ facta geologica certa non adversari ?

Q. 1. *Quisnam scopus est narrationis genesiacæ ?*

Resp. Scopus hujusce exordii divinorum librorum idem ille est, ad quem tota Scriptura principaliter spectat : nimirum ut homines apte doceantur veritates religionis ac salutis æternæ. — Ergo 1° scopus religiosus est ac moralis, nequaquam scientificus ; imo non nisi indirecte, et quantum ad objectum principale id necessarium est, auctor attingit objecta scientiæ hujus mundi, quem tradidit Deus disputationi filiorum hominum (Eccl. III, 11). — 2° Moyses non cosmogoniam, sed geogoniam exponit. — 3° Ipsam hanc geogoniam non plene enarrat, sed

incomplete quoad multa; eo quod velut superficiem duntaxat rerum attingat.

Q. 2. *Quænam in hac narratione, sive dogmatice, sive exegetice certa sunt? quænam vero disputata remanent et libera?*

Resp. 1° Dogmatice ac fide certa sunt puncta sequentia: -1) Deus initio temporis ex nihilo creavit universum mundum. -2) Deus creavit primum hominem ad imaginem et similitudinem suam, ex quo universum genus humanum originem ducit.

2° Exegetice certa sunt: — 1) Deus terram nostram formavit, id est, orbem nostrum sicut nunc est, cum aquis et terris, cum lumine et motu sidereo, cum plantis et animalibus, homini præparavit intra sex dies. — 2) Deus creavit omnes species plantarum et animalium quæ nos circumdant, ita ut individua nunc existentia, ex actu creativo Dei seminaliter oriantur (1). — 3) Deus constituit præceptum sabbati, ad vacandum Deo die septimo: et quidem, in memoriam creationis, quam typum esse voluit hebdomadæ humanæ.

3° Disputata remanent ac libera non pauca, quæ ad sequentia capita revocari possunt.

— 1) Disputatur de statu mundi initiali, anteriori nempe diebus creationis, quique in versiculo primo et secundo supponitur. Utrum enim ante chaos præcesserit aliquis ordo, fuerintque creatæ plantæ ac animalia, quæ post spatium qualecumque, per cataclysmos immensos desierint in chaos illud, ex quo opus hexaemerum sumit exordium, Scriptura non aperit.

— 2) Disputatur de sensu vocis *diei* (hebraice IOM). Scilicet, etsi proprie accepta vox IOM designat æque ac vox latina *dies* spatium viginti quatuor horarum; sumitur tamen frequenter, et hic sumi potest, metaphorice ac sensu latiore. Hinc sententia triplex: prima, nomine *diei* intelligit spatium viginti quatuor horarum; — secunda, periodum indefinitam et quantumvis longam; — tertia, voci *diei* subesse existimat significationem metaphoricam altiorem: quæ nempe ad ordinem rerum potius quam ad seriem temporum sit referenda, designetque puncta, ut aiunt, seu *signa rationis*, quibus ab humano intellectu actus

(1) Opinio *generationis spontaneæ* ab omnibus fere eruditis hodie rejicitur. Experientia enim scientifica jam constat, nullam esse animalculorum aut vermiculorum speciem, quæ non via generationis oriatur; ideoque admittendum esse generale axioma: *Omne vivum ex ovo.* Voir L. Pasteur, *Examen de la doctrine des générat. spontanées* (Annales des sciences nat., 4e sér. t. 16, 1861). et autres opusc. du même auteur. — Idem intelligendum de plantis. — Præterea variæ animalium et plantarum species ita inter se essentialiter dissident, ut una nequeat in alteramne longissimo quidem tempore transmutari. Quod contra Darwins demonstrarunt De Quatrefages, Lecomte. Cfr. *Revue catholique*, août 1871 seq., *Le Darwinisme et l'origine de l'homme.*

ac decreta Dei distinguuntur : ita ut ordo et successio dierum, non sit chronologica , sed mere logica. Juxta hanc tertiam interpretationem, quæ, etsi exegetice minus fortasse probabilis, theologice tamen non videtur damnanda (1), sex creationis actus in executione, seu chronologice, confundi possunt.

(1) Ab Augustino hæc sententia proponitur ; et a S. Thoma approbatur. *In secundum lib. Sent.* dist. 12, quæst. 1, art. 2.

Citamus textum integrum :

« Utrum omnia sint creata simul, et distincta per species.

« Respondeo dicendum, quod quæ ad fidem pertinent dupliciter distin« guuntur. Quædam enim sunt per se de substantia fidei : ut Deum esse « trinum et unum, et hujusmodi ; in quibus nulli licet opinari : unde Apo« stolus ad Galat. I dicit, quod si angelus Dei aliter evangelizaverit quam « ipse docuerat, anathema sit. Quædam vero per accidens tantum : in quan« tum scilicet in Scriptura traduntur, quam fides supponit spiritu dictante « promulgatam esse : quæ quidem ignorari sine periculo possunt ab his « qui Scripturas scire non tenentur, sicut multa historialia : et in his « etiam sancti diversa senserunt, Scripturam divinam diversimode expo« nentes.

« Sic ergo circa mundi principium, aliquid est quod ad substantiam fidei « pertinet : scilicet mundum incepisse creatum ; et hoc omnes sancti con« corditer dicunt. Quo modo autem et ordine factus, non pertinet ad fidem « nisi per accidens, in quantum in Scriptura traditur ; cujus veritatem « diversa expositione sancti salvantes, diversa tradiderunt.

« Augustinus enim vult (Lib. I, super Gen. cap. V, et libro XI de civit. « Dei, cap. IX), in ipso creationis principio, quasdam res per species suas « distinctas fuisse in natura propria, ut elementa, corpora cœlestia, et « substantias spirituales ; alia vero in rationibus seminalibus tantum, ut « animalia, plantas, et homines : quæ omnia postmodum in naturis propriis « producta sunt in illo opere, quo post senarium dierum illorum Deus « naturam prius conditam administrat : de quo opere Joan., V, 17 dicitur : « Pater meus usque modo operatur, et ego operor ; nec in distinctione « rerum attendendum esse ordinem temporis, sed naturæ et doctrinæ. « Naturæ, sicut sonus præcedit cantum natura, sed non tempore, et ita quæ « naturalite priora sunt, prius facta memorantur : sicut terra, prius quam « animalia, et aqua prius quam pisces, et sic de aliis. Doctrinæ vero « ordine, sicut patet in docentibus geometriam : quamvis enim partes figuræ « sine ordine temporis figuram constituant, tamen geometria docet con« stitutionem fieri protrahendo lineam post lineam ; et hoc fuit exemplum « Platonis, ut dicetur in principio cœli et mundi. Ita etiam et Moyses « rudem populum de creatione mundi instruens, per partes divisit quæ « simul facta sunt.

« Ambrosius vero (lib. I, Hexameron, cap. VII), et alii sancti, ponunt « ordinem temporis in distinctione rerum servatum. Et hæc quidem posi« tio est communior, et magis consona videtur litteræ quantum ad super« ficiem : sed prior est rationabilior, et magis ab irrisione infidelium « sacram Scripturam defendens : quod valde observandum docet Augus« tinus, *super Gen. ad litt. lib. I, cap. XIX,* ut sic Scripturæ exponantur, « quod ab infidelibus non irrideantur. Et hæc opinio plus mihi placet : « tamen utramque sustinendo, ad omnia argumenta respondendum est. »

Articulo sequenti, S. Doctor, posita quæstione : « Utrum distinctio die« rum salvetur secundum expositionem Augustini ? » Sic ait : « Respondeo « dicendum, quod, secundum Augustinum, illi sex dies sunt unus dies, « sex rerum distinctionibus, secundum quas numeratur, simul præsenta« tus : sicut etiam unum verbum est, quo omnia facta sunt, scilicet Dei

Ex triplici opinione, probabilior est secunda, nomine *diei* intelligens periodum indefinitam, cujus initium et finem Moyses *mane* et *vespere* appellat. Hanc interpretationem etiam suggerit Augustinus (1), et confirmant illa ipsius Moysis verba : *Istæ sunt generationis cœli et terræ, quando creata sunt,* IN DIE *quo fecit Dominus Deus cœlum et terram et omne virgultum agri.* Gen. II, 3.

— 3) Disputatur de singulis creationis actibus : nimirum, utrum suum effectum produxerint subito, an gradatim ; — utrum species quædam plantarum vel animalium perierint, et aliæ per subsequentes creationes successerint ; — utrum productio plantarum omnium esset completa antequam animalia apparuerint, an vero inchoata tantum plantarum genesi, jam cœperint oriri animantia, etc.

— 4) Disputatur de divisione aquarum et constitutione firmamenti, quæ effecta dicitur secunda die. Probabilior interpretatio, nomine firmamenti cum aquis super firmamentum, intelligit atmosphæram nostram, cum nubibus et aquis quas continet.

— 5) Disputatur de operatione diei quartæ, qua Deus dicitur fecisse luminaria cœli ut illuminent terram : utrum tunc Deus astra condiderit ? an vero eadem, jam pridem condita, constituerit ut luminaria terræ ? Seu, aliis verbis : an tunc, primum constituerit Creator lege stabili relationes terræ cum mundo sidereo, et motus constantes atque influxus mutuos systematis nostri planetarii ? Hæc posterior opinio probabilitate non caret.

Q. 3. *Quænam hactenus in geologia videntur certa ?*

« Filius, quamvis frequenter legatur : Dixit Deus ; et sicut illa opera salvantur in omnibus sequentibus quæ ex eis propagantur operatione naturæ, ita etiam illi sex dies manent in tota successione temporis. » Hactenus S. Thomas.

Ipse S. Augustinus, *De Gen. ad litteram*, lib. 4, c. 33, sic scribit : « De quo Creatore Scriptura narravit, quod sex diebus consummaverit omnia opera sua ; de illo alibi, non utique dissonanter, scriptum est quod creaverit *omnia simul* (Eccli. XVIII, 1). Ac per hoc et istos dies sex vel septem, vel potius unum, sexies septiesve repetitum, simul fecit, qui fecit omnia simul. Quid ergo opus erat sex dies tam distincte dispositeque narrari ? Quia scilicet ii, qui non possunt videre quod dictum est : *Creavit omnia simul ;* nisi cum eis sermo tardius incedat, ad id quo eos ducit, pervenire non possunt. »

(1) S. Augustinus, *De Genesi contra Manich.* lib. I, cap. 14, hæc habet : « Restat ergo ut intelligamus, in ipsa quidem mora temporis ipsae distinctiones operum sic appellatas : vesperam propter transactionem consummati operis, et mane propter inchoationem futuri operis ; de similitudine scilicet humanorum operum, quia plerumque a mane incipiunt, et ad vesperam desinunt. Habent enim consuetudinem divinæ Scripturæ de rebus humanis ad divinas res verba transferre. »

R. Etsi exigua telluris pars hactenus explorata est, *strata* tamen, ut aiunt, *geologica* comperta sunt varia : quæ apte dividuntur in præadamitica, et postadamitica, seu historica.

-1) Inter strata præadamitica, illa quæ infima sunt, *azoica* dicuntur, et nullas reliquias organicas continent ; constant autem granito lapide, qui ignis vim subiisse existimatur.

-2) Post azoica strata sequuntur *palæozoica*, quæ continent reliquias plantarum, nec non conchylia, aliaque spolia animalium aquaticorum. Constant autem terris, ut aiunt, primariis, et partim secundariis.

-3) *Mesozoica*, quæ præter organica inferioris ordinis, reliquias continent avium, et ossa quadrupedum terrestrium, quorum species non amplius sunt superstites. Constant terris secundariis.

-4) *Cænozoica*, quæ continent promiscue animalium species, tum exstinctas, tum adhuc superstites. Constant terris tertiariis.

-5) *Neozoica*, quæ continent rerum genera adhuc existentia ; constantque terris, quæ vocari solent quaternariæ vel diluviales, et partim considerantur ut postadamiticæ seu historicæ.

Q. 4. *Quomodo ostendi potest, narrationi Mosaicæ rite intellectæ facta geologiæ certa non adversari ?*

R. Duplici præsertim methodo, quarum una methodus *exclusionis*, altera *conciliationis* vocari potest.

-1) Methodus *exclusionis* in eo consistit, ut omnia strata præadamitica ex opere sex dierum, tanquam eo anteriora excludat. Supponit scilicet strata hujusmodi referenda esse ad spatium indefinitum, quod inter *principium* et *chaos* Mosaicum intercessit. Qua hypothesi admissa, patet, nulla geologica strata Moysi adversari ; quandoquidem ad narrationem Mosaicam non pertineant (1). — Hæc methodus, quæ non paucis exegetis hodie placet, videtur a veris geologis admitti non posse ; ideoque satius derelinquetur.

-2) Methodus *conciliationis* ea est, quæ admittit strata geologica ad opus hexaemeron pertinere, simulque affirmat ea Mosaico textui non refragari. — In hoc systemate, 1° minus nitendum est factis, quæ nondum illud confirmarunt, quam probabili ratiocinio. Nec 2° habenda est ratio fossilium eorum, quæ videntur ordini sex dierum adversari, quippe quæ rara sunt ; sed potius eorum, quæ copiosissima occurrunt, et quasi unice quædam strata constituunt.

Jam vero si hac ratione considerentur strata, ita comperiuntur disposita, ut testentur animalia fuisse anteriora homine ;

(1) Cf. Desdouits, *Soirées de Montlhéry, entretiens sur les origines bibliques ;* seconde soirée. Paris, Poussielgue.

animalia aquatica, anteriora terrestribus ; plantas, animalibus ; inorganica corpora, organicis : quæ, ut patet, ab ordine Mosaico non sunt aliena.

Quod si scientia progrediente hoc systema derelinquendum esset ; vel si cui, quia rigorosum non est, minus placeret : ad aliam recurrendum foret hypothesim, qua ordo Mosaicus, et distinctio dierum, non haberet nisi sensum plus minus metaphoricum : qui ordo esset *logicus*, non *chronologicus*.

Atque ita solvitur difficultas geologica.

II. Jam gradum facimus ad *difficultatem physiologicam*.

Hæc autem in eo consistit, quod universum genus hominum ab uno Adamo prognatum esse non videatur : eo quod inter incolas terræ tanta sint coloris formæque discrimina. Difficultas confirmatur diversitate linguarum, quæ ab una lingua primæva derivari non possunt...

Resp. 1° Circa unitatem humanæ speciei, præclariores hodie inter eruditos statuunt, omnes hominum varietates ab uno homine protoparente originem habere : omnesque homines esse fratres. Quod probant, inter alia argumenta, ex principio fecunditatis perpetuæ, quæ in matrimoniis hominum quantumvis diversorum semper invenitur (1) ; cum aliunde constet, hujusmodi fecunditatem animalibus hybridis non inesse.

2° Quod attinet ad varietatem linguarum, hæc naturalem explicationem non postulat, cum in facto supernaturali, historico tamen, nempe confusione Babelica (Gen. XI) fundetur. Porro in præsenti scientiæ statu censent philologi, omnes linguas posse ad paucas reduci familias : quas quidem ipsas suspicantur derivatas ab una primæva quæ perierit (2).

III. Remanet *difficultas astronomica*.

Spectat hæc ad diem creationis quartum et primum, consistitque in eo, quod 1° Moyses de stellis loquatur fere sicut de corpusculis exiguis : cum tamen constet, eas esse totidem luminaria, sole lunaque majora ; 2° quod lucem dicat factam ante creationem solis ; 3° quod mundum sidereum, qui immensus est, creatum dicat inter duas creationes rerum comparative minimarum, nempe plantarum et animalium : imo creatum propter terram, comparative tam exiguam ; quæ res sapienti ordinationi adversari videntur....

Resp. 1° De stellis non dicit, eas esse luminaria magna, quia talia non sunt respectu nostri. Sic autem, et non aliter, de eis loquitur, quia propositum non habet cosmogoniam tradendi, sed

(1) Cf. De Quatrefages, *De l'unité de l'espèce humaine*, Paris 1861. Idem eruditissimus vir nuper contra materialistas demonstravit, prorsus impossibile esse, ut inter hominem et simiam ulla intercedat originis communitas.

(2) Cfr. Wiseman, *Rapports entre la science et la révélation*, disc. 1 et 2.

geogoniam ; et quidem hominibus minime eruditis, quos modo claro simul et salutari docere intendit. De cætero, nihil dicit quod verum non sit : asserit enim duntaxat, stellas a Deo esse factas, et quarto die respectu terræ exstitisse, seu lucere cœpisse (1).

2° Quod dicit lucem ante solem esse factam, supponit tantum, lucem, seu materiam quamlibet lucidam, existere potuisse ante solem : quod nemo negabit. Imo illud præcipue rerum physicarum periti mirantur, Moysis narrationem tam singularem congruere apprime cum moderno systemate *vibrationis lucidæ ;* et cum hypothesi astronomica, qua censent solare lumen nobis, non a corpore solis, sed a *photosphæra*, ut aiunt, soli circumfusa provenire : quæ hypotheses ætate Moysis prorsus erant ignotæ.

3° Non proprie dicit saxer textus, mundum sidereum post creationem plantarum esse creatum ; sed potius significat, ut supra indicavimus, corpora cœlestia tunc existere seu lucere cœpisse respectu terræ. Dicit quidem, Deum posuisse sidera *in firmamento cœli ut lucerent super terram* (Gen. I, 1) : indicando finem siderum respectu nostri ; quin tamen affirmet finem hunc est unicum et exclusivum. Quanquam et illud, si nobis a Deo revelaretur, terram esse velut centrum ad quod referantur reliqua Dei opera : minime rationem offenderet ; cum rerum excellentia nequaquam sit ex mole corporum æstimanda.

§ 4. De serpente tentatore.

Q. *Quomodo historia serpentis tentatoris* (Gen. III) *intelligenda est ?*

Resp. (2) Intelligenda est sicut a SS. Patribus unanimiter, et a S. Matre Ecclesia semper est intellecta : nempe sensu nequaquam allegorico, sed proprio ac litterali, de serpente corporeo et visibili, quo diabolus tanquam instrumento usus est ut Evam deciperet, et protoparentes, totumque humanum genus in peccatum ac mortem deduceret. *Invidia enim diaboli mors introivit in orbem terrarum* (Sap. II, 24). — Quare idem serpens antiquus, diabolus, in arbore crucis vincendus fuit a Christo Redemptore. Deus enim, ut Ecclesia cantat, *salutem humani generis in ligno crucis constituit, ut unde mors oriebatur, inde vita resurgeret ; et qui in ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur.*

Probabilius tenent Doctores, serpentem non fuisse umbratilem, a diabolo confictum ; sed naturale ac verum animal,

(1) Cfr. supra, *Difficultas geologica*, quæst. 2, pag. 139.
(2) Cfr. Veith, *Scriptura sacra contra incredulos propugnata.*

cujus organis dæmon ad loquendum usus est, fere sicut organis energumeni uti solet.

Quod mulier a serpente non statim abhorruerit, intelligitur ex statu innocentiæ, in quo reptilia, non secus ac reliqua animantia, homini familiaria erant et jucunde serviebant. — Ubi autem Eva vocem loquentis audivit, cognoscere utique debuit, spiritum intelligentem illic, seu angelum subesse. Imo, postquam audivit verba Deo contraria, intelligere potuit angelum adesse malum ac tentatorem; ideoque tunc colloquium abrumpere debuit: quod quia non fecit, eo ipso jam peccare, etsi venialiter tantum, cœpit (1).

Post peccatum, alloquitur Deus protoparentes et serpentem tentatorem, ita ut infligat quidem pœnam peccati, sed simul etiam misericorditer promittat peccati ac diaboli victorem, Messiam: *Ipsa conteret caput tuum.* — Maledicit autem Deus immediate serpenti, sed mediate et principalius in serpente maledicit diabolo; pœnamque decernit, quæ principaliter ac formaliter attingit diabolum, secundario tantum etiam ipsum reptile, tanquam diaboli instrumentum et imaginem. — Porro punitio illa: *Super pectus tuum gradieris, et terram comedes...* non est proprie pœna, sed tantum quasi pœna, aut potius probrum et dedecus: ita ut quæ prius erant serpenti naturalia et minime probrosa, jam eidem ex Dei sententia destinentur in probrum, jugemque memoriam, quod dæmon per serpentem humanum genus in peccatum ac mortem præcipitaverit.

§ 5. De gigantibus.

Q. Gen. VI, 2 seq. dicit Moyses, *ex concubitu filiorum Dei et filiarum hominum natos esse gigantes;* quomodo hæc intelligenda sunt?

Resp. 1° *Filii Dei*, ut Patres communius docent, vocantur filii Seth, ratione ipsorum pietatis; — *filiæ hominum* vero, posteræ Caini, quia perversæ erant et terrenæ, non quærentes quæ Dei essent, sed quæ hominum.

2° Ex eorum concubitu nati sunt *gigantes*, id est, vel -1) *homines proceri:* quod omnino verisimile est, cum homines tunc temporis, sicut longæviores, ita etiam statura majores et corpore robustiores fuisse merito existimentur; — vel -2) *latrones, deprædatores:* cum vox hebraica NEPHILIM hunc quoque sensum habeat.

(1) Cf. *Elementa Theol. dogm.* tract. 7, *de creat. et pecc. originali*, n. 242, seqq.—Item Suarez, *de opere sex dierum,* lib. 4, *de amissione status innocentiæ.*

§ 6. De Noe et diluvio.

Q. *Quomodo naratio Mosaica de diluvio* (Gen. VI, VII, VIII) *intelligenda est?*

Resp. Intelligenda de inundatione ingenti, qua Deus, in punitionem peccati, delere voluit aquis humanum genus universum, una familia excepta. — Describit Moyses diluvii causam et universalitatem : quod utrumque explicatione indiget.

1° Quoad diluvii causam, hæc supernaturalis est : peculiaris nempe providentia Dei, qui per aquas punire voluit hominum peccata. — Quod ut efficeret, adhibere utique potuit naturales causas, quas nequaquam sacer textus excludit. *Rupti sunt, inquit, omnes fontes abyssi magnæ, et cataractæ cœli apertæ sunt* (Gen. VII, 11) ; quæ verba simpliciter, ex una parte, pluvias ingentes, ex altera exundationes maris significant ; circumstantias autem plurimas mente naturaliter supplendas permittunt.

2° Quoad diluvii universalitatem, distinguenda est universalitas, tum respectu hominum, tum respectu animalium, tum respectu regionum. Quæri enim potest, -1) utrum perierint omnes omnino homines præter familiam Noe? -2) utrum perierint animalia prorsus universa, præter illa quæ servata sunt in arca ; -3) utrum omnes omnino orbis partes fuerint, tempore eodem, aquis submersæ?

-1) *Quoad homines.* — Ex scientiarum naturalium documentis nihil adhuc concludi potest contra universalitatem diluvii, respectu hominum, in toto orbe terrarum tunc habitantium. Unde obvio sensu, cum antiquis interpretibus, accipimus verba illa sacræ Scripturæ : *Delebo,* inquit Deus, *hominem quem creavi, a facie terræ... finis universæ carnis* (hominis) *venit coram me* (Gen. VI). — *Tres isti filii sunt Noe, et ab his disseminatum est omne genus hominum super universam terram* (Gen. IX, 19). — In arca, inquit S. Petrus, *octo animæ salvæ factæ sunt per aquam. Quod et vos nunc similis formæ salvos facit baptisma.* I Pet. III, 20, 21.

Porro non constat, imo ex textu sacro potius negandum videtur, humanum genus tempore Noe fuisse valde per orbem diffusum ac dispersum ; solummodo post diluvium de populorum dispersione sermo est (1). Potuerunt ergo homines universi aquis exstingui propter peccata sua, quin animalia, quæ non peccaverant, omnesque terræ regiones diluvio involverentur ; ita ut ex universalitate diluvii respectu hominum non sequatur necessario universalitas respectu regionum et animalium.

(1) Pianciani, *Cosmogonia naturale comparata col Genesi.* Civiltà cattolica, vol. 61 (1862), pag. 21 seqq. *Appendice sopra il diluvio.*

-2) *Quoad animalia*, certum est, ea quæ in regione erant ab Adæ posteris tunc occupata et coinquinata, cum hominibus periisse. Dicitur enim : *Consumptaque est omnis caro quæ movebatur super terram, volucrum, animantium, bestiarum, omniumque reptilium, quæ reptant super terram ; universi homines, et cuncta in quibus spiraculum vitæ est in terra* (Gen. VII, 21, 22). Quæ verba in rigore litteræ ab interpretibus inveniuntur exposita, et in sensu obvio, de omnibus absolute animantibus terrestribus, saltem magis conspicuis, totius orbis terrarum. Ab hac tamen sententia, quæ in re scientifica versatur potius quam in materia fidei aut morum, sine temeritate, ubi ratio gravis id suadeat, discedere licet ; cum hæc verba : *Omnis caro quæ movebatur super terram*, sensu relativo possint intelligi, nempe de animalibus et de terra cognitis patriarchæ Noe, ex quo hujus eventus traditio ad posteros descendit (1).

-3) *Quoad regiones et loca*, similiter, etsi antiquior et communior interpretatio tradit, absolute et ad rigorem litteræ, terram universam fuisse aquis coopertam ; non tamen fidei contraria est sententia Vossii, a Mabillonio non damnata (2), statuens, partem duntaxat orbis, quamvis maximam, demersam fuisse. — Cujus opinionis patroni dicunt, e sacro textu probabiliter erui, diluvium fuisse a Deo inductum per ingentem quamdam ac diuturnam procellam, seu aeris simul et terræ marisque perturbationem ; ita ut desuper ruerent pluviæ copiosæ, et e contra, ex *abysso magna*, id est, ex oceano, vi ventorum impellerentur fluctus ad illas præsertim regiones, quas homines incolebant. Atqui, inquiunt, aquæ sic *violenter* pulsæ ad unam orbis partem profunde inundandam, non necessario alteram partem aut universam terræ faciem occupasse intelliguntur (3).

Hæc sententia, ut dictum est, salva fide permittitur (4), nec contraria est textui sacro ; quandoquidem sensu relativo ad Noe ejusque regionem intelligi possint hujusmodi verba : *Et aquæ prævaluerunt nimis super terram, opertique sunt omnes montes excelsi sub universo cœlo. Quindecim cubitis altior fuit aqua super montes quos operuerat* (Gen. VII, 19). — Præterea hac hypothesi nequaquam improbabili, quæstio illa, *unde tanta vis aquarum adducta est ?* non minus facile solvitur, quam aliis responsionibus, quæ merito dari consueverunt. Ex his tres sunt præcipuæ, quas interest non ignorari : nimirum -1), aquæ illæ

(1) Pianciani, ibid.

(2) Vid. suffragium Mabillonii apud Smits, *in Genesim*, tom. 2, part. 1, pag. LXVI seqq.

(3) Pianciani, ubi supra.

(4) Apud Migne, *Cursus Script.* 1, tom 3. *Annotations géologiques à la Genèse*, col. 1624.

quæ initio cooperuerunt terram (Gen. I, 2, 9), eam postea similiter cooperire potuerunt -2) Per orbis conturbationem, qua terræ depressæ, marium vero fundi elevati sunt, potuerunt aquæ immensæ cooperire regiones. -3) Constat, aquas in certis regionibus ac montibus, ad altitudinem ascendisse longe majorem altitudine montium regionis Noe ; ergo impossibilis non est inundatio diluvii qualis a Moyse narratur (1).

Hactenus de diluvio. Accedit ut verbum dicamus de iride, quæ transacto diluvio in cœlis effulsit.

§ 7. De iride.

Q. Quomodo ponitur iris a Deo tanquam signum fœderis ? *Arcum*, inquit, *meum ponam in nubibus, et erit signum fœderis inter me et inter terram.* Gen. IX, 13.

Resp. Phænomenon iridis, quod antea fuerat signum mere *naturale* nubium roscidarum, destinatum est a Deo post diluvium, in signum *arbitrarium* promissionis divinæ, de diluvio universali non amplius immittendo. — Præscindimus autem a sensu altiore, qui in iride ut Christi figura continetur.

§ 8. De longævitate patriarcharum.

Q. *Quomodo intelligenda est longævitas, quæ a Moyse patriarchis antiquis tribuitur ?* Gen. V, XI et alibi.

Resp. Intelligenda est sensu proprio et obvio. Anni scilicet de quibus agitur, sunt anni solares sicut nostri, non vero lunares, seu menses : nam Moyses annos et menses accurate distinguit ; exempli gratia, Gen. VII, 11 : *Anno sexcentesimo vitæ Noe, mense secundo, septimodecimo die mensis....*

§ 9. De sacrificio Melchisedech.

Q. Quid de Melchisedech ejusque oblatione dicendum est ? De quo Moyses sic loquitur : *At vero Melchisedech, rex Salem, proferens panem et vinum, erat enim sacerdos Dei altissimi, benedixit ei.* Gen. XIV, 18.

Resp. — 1° *Melchisedech*, quod nomen *regem justitiæ* significat, nequaquam fuit angelus, ut censuit Origenes ; sed verus et merus homo, simul rex et sacerdos. — Erat autem rex *Salem*, id est, juxta traditionem Hebræorum, rex *Jerusalem*, quæ prius dicta est *Jebus* et *Salem*. Imo Josephus Flav. tradit (2), Jerusalem conditam esse a Melchisedech.

2° Quod dicitur *proferens panem et vinum, erat enim sacerdos Dei altissimi,* verum sacrificium enuntiat : ut contra Calvinum, Kemnitium et nonnullos temerarios neotericos, sancti Patres et interpretes catholici communiter docent.

(1) Pianciani, ibid. ubi supra.
(2) *De bello*, lib. 7, cap 18.

3° Melchisedech fuit typus Christi, et quidem multiplici respectu : nempe — 1) ut rex et sacerdos; — 2) ut rex justitiæ; — 3) ut rex Salem, seu pacis ; — 4) ut sacerdos, sacrificium in pane et vino offerens, etc. (1).

§ 10. De uxore Loth.

Q. An uxor Loth (Gen. XIX, 26) vere *in statuam salis versa est?*

Resp. Juxta communem interpretum sententiam, Scripturæ verba hic stricte sumenda sunt, cum nulla urgeat necessitas ea improprie seu metaphorice sumendi. Significant autem, mulierem esse mortuam, ejusque corpus in statuam salis mutatum ; atque instar lapidis ita induratum, ut nullis pluviis liquefieri potuerit. Hujus statuæ, inter alios, meminit Flav. Josephus (2), qui eam suo adhuc tempore exstitisse et a se visam testatur.

—

Difficultates libri Exodi

ET RELIQUORUM LIBRORUM PENTATEUCHI.

Q. 1. — Exodi VII, 11, 12, legitur : *Vocavit autem Pharao sapientes et maleficos : et fecerunt etiam ipsi per incantationes Ægyptiacas et arcana quædam, similiter. — Projeceruntque singuli virgas suas, quæ versæ sunt in dracones ; sed devoravit virga Aaron virgas eorum.* Quæritur autem, an virgæ magorum Pharaonis in veros serpentes conversæ sint ?

R. Triplex est auctorum hac in re sententia. Prima statuit, serpentes magorum tantum fuisse phantasticos, et non veros ac reales : magis scilicet ministerio dæmonum ita oculos fallentibus aspicientium, ut hi videre serpentes putarent quos non viderent. — Secunda docet, eosdem fuisse veros serpentes, ope dæmonum celerrime allatos, aut etiam, applicando activa passivis, productos. — Tertia autumat, serpentes a magis fuisse sub vestibus absconditos, et dexteritate circulatoria loco virgarum exhibitos. — Hæc tertia sententia, quæ recentiorum est, merito rejicitur ; cum textus denotare videatur, et Patres passim doceant, magos diabolicis artificiis usos esse.

Q. 2. *Quænam circa transitum maris Rubri* (Exod. XIV) *notanda sunt ?*

R. Tria præcipua. 1° Filii Israel qui venerunt in Ægyptum numero septuaginta quinque animarum, post commorationem ducentorum quindecim annorum (3), ex eadem regione egressi

(1) Cf. Epist. ad Hebr. VII. — (2) *Antiq. Judaic.* l. 1, cap. XI.

(3) Vel, secundum Flav. Jos. post annos 205. — Quod dicitur Exod. XII, 40 : *Habitatio autem filiorum Israel, qua manserunt in Ægypto, fuit quadringentorum triginta annorum* (item, Gal. III, 17 ; Act. VII, 6) ; id

sunt numero *sexcenta fere millia peditum virorum, absque parvulis. Sed et vulgus promiscuum innumerabile ascendit cum eis, oves et armenta et animantia diversi generis multa nimis* (Exod. XII, 37, 38). — Unde universa populi multitudo circiter trium millionum fuisse æstimatur (1).

2° Uti ex textu sacro (Exod. XIV, 21 seq.) colligitur, transitus a tanta multitudine confectus est spatio ferme quinque horarum. Quod fieri potuisse intelligitur, eo quod mare divisum est ubi non habet latitudinem magnam, sed angustum fretum constituit trium, vel quinque ad summum leucarum (2) ; et quod ex altera parte, via per virgam Moysis aperta fuit valde lata secundum freti longitudinem.

3° Memoria hujus eventus apud varios scriptores antiquos reperitur. Unum citare juvat *Artapanum*, auctorem ethnicum, qui in libro de Judæis ait, memoriam transitus Israelitarum per mare Rubrum apud ipsos quoque Ægyptios conservari, quamvis de modo quo idem transitus effectus est, in duas abierint diversas sententias : *Memphitas enim dicere, Moysen, cum magnam locorum haberet peritiam, refluxum maris observasse, atque ita cum populo transivisse ; — Heliopolitas autem : propter gazam, quam Judæi mutuo abstulerant, regem commotum, magna manu in Judæos profectum fuisse; Moysen vero percussisse baculo mare, ut cœlesti voce admonitus fuerat, et sic diviso mari transiisse* (3).

Q. 3. Quomodo intelligendum quod legitur de vitulo aureo ? Illum scilicet Moyses *combussit, et contrivit usque ad pulverem, quem sparsit in aquam, et dedit ex eo potum filiis Israel.* Exod. XXXII, 20.

Resp. Moyses simulacrum illud igne liquefecit ; et dein, ope limæ, vel methodo quapiam chemica, a Phœnicibus et

computandum est a tempore vocationis Abrahæ, ut patet ex LXX Interpretibus, qui eumdem locum sic verterunt : *At habitatio filiorum Israel, quam habitarunt ipsi et patres eorum in terra Ægypti et Chanaan, fuit 430 annorum.* Cf. A Lapide, in Exod. XII, 40.

(1) A Lapide, *in Exod.* XII, 28, censet quindecim fuisse centena millia Israelitarum, et totidem fere servos ac proselytas. — Ingens enim fuit paucis sæculis Israelitarum in terra Ægypti multiplicatio (Exod I, 7) ; quæ etsi naturalem in abundantissima regione hominum fecunditatem non superat, peculiari tamen Dei benedictioni tribuenda est (Gen. XLVI, 3).

(2) Sex milliarium, inquit A Lapide. — Censuit Clar. Lecointre, ex inspectis erudite locis, cum effoderetur nuper canalis Suez, mare Rubrum olim ascendisse multo altius ad Septentrionem ; et Israelitarum transitum illic effectum esse, ubi nunc jacent *lacus amari* ; et ubi freti latitudo vix erat trium leucarum, seu 12 circiter kilometrorum. Cf. *Etudes religieuses, historiques,* etc. Octob. 1869, IVe série, tom. 4, pag. 557. Cui tamen nequaquam assentiendum putavit D. Pujol, ibid. 5me série, tome 2, 1872, page 661, et 1873, juillet, août, septembre.

(3) Apud Eusebium, *Præpar. Evang.* lib. 9, cap. ult.

Ægyptiis, adeoque ab Iraelitis non ignota, ita resolvit, ut instar *aquæ regalis*, ut aiunt, bibi posset. — Quod idcirco fecit, ut inanitatem ac nihilum idolorum populo intime imprimeret.

Q. 4. *Cur Hebræos Moyses quadraginta annis in deserto circumduxit et detinuit, cum intra paucos dies in Terram promissam eos deducere potuisset?*

R. Moyses Deo jubente sic egit, 1° ne Israelitæ primis statim diebus ad formidandos hostes ducti, in Ægyptum redire vellent ; quemadmodum postea regredi voluere, cum exploratores a Moyse missi in Chanaan, ac inde reversi, nuntiarent quam fortes et bellicosi homines illam regionem defenderent. Et hanc quidem rationem ipsa Scriptura indicat, Exod. XIII, 17, 18 : *Non eos duxit Deus per viam terræ Philistiim, quæ vicina est ; reputans ne forte pœniteret eum, si vidisset adversum se bella consurgere, et reverteretur in Ægyptum. Sed circumduxit per viam deserti...* — 2° Ut eos ærumnis et laboribus indies magis assuefaceret, eorumque in servandis divinis præceptis constantiam experiretur (Deut. VIII, 2). — 3° Ut copiosus Hebræorum populus, antequam Palæstinam occuparet, novis legibus ac ritibus, totaque regiminis forma, quam Deus præscripserat, penitus imbueretur ; nec postea, inter gentiles positus, eam derelinqueret.

Q. 5. *Cur Deus tantam cæremoniarum multitudinem populo Israel præscripsit ?*

R. 1° Ut morem gereret rudis populi ingenio, ad sensibilia propenso. — 2° Ut cæremoniis illis, tanquam totidem symbolis ac figuris, morum sanctitatem doceret, et eventus futuræ legis christianæ prænuntiaret. — 3° Ut iisdem cæremoniis Judæi distinguerentur a gentilibus, et segregati manerent.

Q. 6. Numerorum XIII, 24, de exploratoribus legitur : *Pergentesque usque ad Torrentem botri, absciderunt palmitem cum uva sua, quem portaverunt in vecte duo viri ;* an verisimile illud assertum est ?

Resp. affirmative. Nam 1° aptius portare uvam non poterant, ne comprimeretur aut læsa putresceret : quæcumque fuerit ejus magnitudo. — 2° Neque tamen illud incredibile est, uvam fuisse miræ magnitudinis et ponderis. Calmetus, in hunc locum, exempla uvarum grandium collegit, quæ duodecim, imo viginti quinque librarum pondus, eoque amplius haberent. Forsterus (1) de botris loquitur, quorum unus ægre gestaretur a duobus viris, eosque inveniri affirmat in Palæstinensi valle Hebron, ubi etiam botrum suum reciderant Israelitarum exploratores.

Q. 7. Numer. XXII, 28, de asina Balaam legimus : *Ape-*

(1) In Dictionario hebraico, n. 1623, in rad. *Schachal*, voce *Escol.*

ruitque Dominus os asinæ, et locuta est : Quid feci tibi ? Cur percutis me ? ecce jam tertio ? Quomodo hæc locutio bruti animalis intelligenda est ?

R. Quamvis brutum proprie loqui non possit, ita ut intelligat quid loquatur ; fieri tamen potest, ut materialiter articulatos sonos ac verba proferat, quæ ab hominibus intelligantur. Ad hoc enim sufficit, ut aliquis spiritus, sive bonus sive malus, ejus organis velut instrumento utatur. Itaque dicendum, quod angelus ita commoverit asinæ guttur ac linguam, ut sonus ederetur articulatus, vocique humanæ quam simillimus. Quæ res neque absurda, neque indecens, neque proinde incredibilis est.

Interrogantibus incredulis, cur asinæ loquentis sessor nulla tactus sit admiratione ? respondetur : Scriptura etsi admirationem non memorat, eamdem tamen non negat. Cæterum Balaam, utpote ariolus et necromantes, talibus monstris fuisse assuetus censeri potest. Vel, ut Bonfrerius dicit (1), ob iram vehementem qua erat quodammodo excæcatus, factum est, ut audiens asinam loquentem non expaverit aut obstupuerit ; imo etiam actus fuerit ad respondendum.

Q. 8. *Num Hebræi reliquas gentes odio habere edocti sunt ?*

Resp. negative. Jussi quidem divinitus sunt Chananæos delere, nullumque fœdus sive pacem cum eis sancire ; non tamen eos odio habere. Imo lex Mosaica cum lege naturæ plane concordans, præcepit ut omnes homines, etiam inimici, et alienigenæ quilibet diligantur. *Amate peregrinos, quia et vos fuistis advenæ in terra Ægypti* (Deut. X, 19). — *Si occurreris bovi inimici tui, aut asino erranti, reduc ad eum.* Exod. XXIII, 4, 5.

Quod si (Matth. V, 43) Christus dicit : *Audistis quia dictum est : Diliges proximum tuum, et odio habebis inimicum tuum ;* sensus non est, id dictum esse a lege, sed duntaxat, id dictum esse a Scribis perperam interpretantibus legem, quæ sic habet : *Non quæras ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum. Diliges amicum tuum* (juxta hebraicum textum, *proximum tuum*) *sicut teipsum : ego Dominus* (Levit. XIX, 18). Quem locum Christus contra Scribas ita explicat, ut per *amicum* seu *proximum* quemvis hominem, etiam extraneum, gentilem et inimicum doceat esse intelligendum (Math. V, 44 ; Luc. X, 27 seqq.). Omnes enim homines ad invicem proximi sumus, tum in primo patre Adamo, utpote ex eo progeniti, ideoque fratres ; tum in secundo parente, Christo, per quem regenerati sumus ad eamdem Dei similitudinem, vocatique ad eamdem Dei Patris hæreditatem in cœlis.

Quod si Deus Chananæos exterminandos præcepit, id ex

(1) *Comment. in Numer. XXII*, 28.

alto suo in vitam hominum dominio, justisque de causis fecisse dicendus est. Et quidem ex his causis, quatenus nobis innotescunt, prima fuit istorum populorum horrenda flagitia ; altera, ne scandalo essent Hebræis, hosque suis idolis ac vitiis polluerent et seducerent (Levit. XVIII, 3, 21 seqq.). — Hic etiam animadvertendum est, antiquitus jus belli rigorossisimum ac immane fuisse, ita ut integræ civitates in captivitatem abducerentur, aut etiam internecione delerentur.

Q. 9. Nonne lege *talionis* præscribit Moyses par pari esse referendum ? *Reddet*, inquit, *animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede, adustionem pro adustione, vulnus pro vulnere, livorem pro livore.* Exod. XXI, 22, 25.

R. Pœna ista duntaxat in præmeditata membrorum violatione, atque a publico judice erat infligenda : nisi reus deprecatione aut pecunia offenso satisfecisset.

Q. 10. *Num deistæ sæculi XVIII Moysen merito incriminati sunt, quod immortalitatem animæ non docuerit, aut etiam ignoraverit ?*

Resp. negative. Moyses enim missus non est ut systema quoddam integrum doctrinæ dogmaticæ ac moralis traderet filiis Israel ; sed potius ad fidem et mores eorum perficiendum, et contra corruptionem præmuniendum. Quapropter, cum immortalitatis animæ fidem haberent, hanc eos docere non debuit.

Judæos porro hoc dogma tenuisse, et Moysen idem non ignorasse patet, 1° ex variis Pentateuchi locis, ubi a sepulcro distinguitur locus ille subterraneus *inferni*, in quo Hebræi defunctorum animas commorari credebant. Cfr. Gen. XXXVII, 35 ; Num. XVI, 30 seq. ; Deut. XXXII, 22.

2° Ex illa periphrasi, qua Moyses hominis mortem significat, dicens : *Congregatus est ad populum suum* (Gen. XXV, 8 ; XXXV, 29) ; quæ locutio nisi innuat animam defuncti abiisse ad animas Patrum suorum, nullum sensum haberet.

3° Ex verbis illis : *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob* (Exod. III, 6) ; ex quibus ipse Christus contra sectam hæreticam Sadducæorum, resurrectionem mortuorum, adeoque animæ immortalitatem demonstrat, dicens : *Non est Deus mortuorum, sed viventium.* Matth. XXII, 32.

4° Ex necromantia, quam Moyses vetuit his verbis : *Nec inveniatur in te... incantator, nec qui pythones consulat, nec divinos, aut quærat a mortuis veritatem.* Levit. XIX, 31 ; Deut. XVIII, 10, 11.

5° Ex verbis Jacob : *Dies peregrinationis meæ non pervenerunt ad dies patrum meorum* (Gen. XLVII, 1). Ad quæ verba

adludens Paulus, de patriarchis scribit : *Juxta fidem defuncti sunt omnes isti... confitentes quia peregrini et hospites sunt super terram. Qui enim hæc dicunt, significant se patriam inquirere... cœlestem.* Hebr. XI, 13 seq.

6° Ex dogmate Hebræorum de Messia spirituali, et beatitudinem allaturo pro altera vita. Patriarchæ enim, ut Apostolus in eodem loco dicit, *defuncti sunt non acceptis repromissionibus, sed a longe eas aspicientes, et salutantes... patriam cœlestem.* Hebr. ibid.

7° Ex libro Job, quem probabilius a tempore Moysis habuerunt Hebræi, forte ab ipso Moyse acceptum, ubi legitur : *Scio quod redemptor meus vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sum.* Job. XIX, 25.

8° Ex fide aliarum gentium. Persæ, Syri, Ægyptii, Chaldæi, Phœnices, immortalitatem animæ credebant : num eis finitimi Hebræi eamdem ignorassent ?

Q. 11. Nonne lex *leviratus* (Deut. XXV, 5, 6) contraria est libertati, ad ineundum matrimonium necessariæ ?

R. Leviratus, vi cujus levir, i. e. mariti frater, aut proximus consanguineus, viduam ejusdem mariti absque liberis defuncti ducere debebat, mos erat Moyse multo antiquior, ut ex Gen. XXXVIII, 8-10, liquet ; et apud Judæos in moribus radicatus. — Hanc autem Moyses consuetudinem, quandoque molestam ac periculosam, non quidem sustulit ; sed lege lata ita temperavit, ut molestias ac pericula removeret, et libertati matrimonii consuleret. Permisit enim, ut qui hujusmodi viduam ducere nollet, certis conditionibus ab obligatione liberaretur. Cf. Deut. XXV, 7-10.

Q. 12. Quomodo libellus repudii (Deut. XXIV, 1-4), quo solvebatur matrimonium, concordat cum doctrina de matrimonii indissolubilitate, quæ statuitur alibi ab ipso Moyse? Scribit enim, Gen. II, 24 : *Relinquet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ : et erunt duo in carne una.* Quæ verba ipse Christus confirmat, dicens : *Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.* Matth. XIX, 6.

R. Matrimonium consummatum indissolubile est *lege positiva* Dei ; lege vero naturæ, non item. Indissolubilitatem quidem suadet triplex matrimonii finis, nempe 1° procreandæ ac educandæ prolis, 2° moderandæ concupiscentiæ, 3° mutuique adjutorii ; tamen, quoniam societas conjugalis est *pactitia*, potest jure naturæ esse temporaria, et proinde solubilis ; imo in casu Apostoli (I Cor. VII, 15) reapse solvitur. — Potuit itaque Moyses ob gravissimas rationes, ob duritiem nempe cordis Judæorum (Matth. XIX, 8), permittere libellum repudii, quo matrimonii vinculum solveretur.

Q. 13. Moyses (Deut. XVII, 17) futuris Hebræorum regibus polygamiam permittit : multitudinem enim duntaxat uxorum, non vero pluralitatem prohibet ; unde factum est, ut postea ipse David plures habuerit uxores, et Salomon aluerit septingentas mulieres *reginas* et trecentas *concubinas* (III Reg. II, 3). — Hæc autem quomodo cum Gen. II, 24, et cum doctrina Christi (Matth. XIX, 3 seq.) conveniunt ?

R. Moyses postquam Gen. II narravit, monogamiam fuisse Dei lege positiva constitutam ; nihilominus deinde de polygamia tanquam de re licita, imo de patriarchis bigamis cum laude loqui potuit : supponendo scilicet Dei in hac re dispensationem. — Etenim polygamia, cum non sit absolute et simpliciter legi naturali contraria, sed solummodo minus perfecta, respectu monogamiæ ; idcirco justas ob causas fuit dispensabilis. Quapropter Deus in lege sua positiva, polygamiam vetante, dispensasse censendus est.

Quod si lege Mosaica Deus polygamiam, quæ, tunc temporis vehementer invaluerat, pro sapientia sua censuit nondum esse tollendam : ei saltem obices apposuit (1), quibus progressu temporis valde est imminuta.

Si Salomon tam multas habuit mulieres *uxores* seu *reginas*, et *concubinas* : hic, quemadmodum in aliis rebus, contra legem peccavit.

Nota. — Discrimen inter *uxores* proprie dictas, et *concubinas*, quas Hebræi habebant, consistebat in eo, quod priores certis cum solemnitatibus ducerentur, posteriores non item.

Etenim ut electa mulier in uxorem duceretur, imprimis *nuptias* præcedebant *sponsalia*, quæ durabant integro anno. Ab inito contractu sponsalitio matrimonium censebatur ratum, sponsaque sponsi *uxor* dicebatur : licet inter illos commercium nullum intercederet.

Cum nuptiarum dies advenisset, sponsus parabat domi suæ convivium ; ipseque veste solemni indutus, cum coævis sibi juvenibus seu amicis, inter læta cantica et instrumenta musica, prodibat circa vesperam ad domum sponsæ. — Hæc autem in paterna domo magnifice exornata, sed velo tecta, gerensque capite coronam, ac virginum multitudine circumdata, exspectabat sponsum : a quo ex domo patris sui ad domum paternam sponsi solemniter ducebatur. — Tempore Christi Domini (2), in hac vespertina sponsæ deductione faces vel lampades præferebantur (Matth. XXV, 1-12). — In domo sponsi fiebat benedictio nuptialis (3), ac nuptiale convivium ; deinde vero sponsa ducebatur in thalamum.

(1) Levit. XV, 18.
(2) Cf. *Evangelia de communi*, Evang. *de communi Virginum.*
(3) Cf. Tob. VII, 15.

Hujusmodi matrimoniales cæremoniæ in assumptione concubinarum omittebantur; signabant autem matrimonium solemne, quo Scripturæ lingua dicitur sponsus *sponsam domum deducere, uxorem accipere, convenire.*

Q. 14. *Cur Moyses legi suæ non nisi temporalem sanctionem adjecit ?*

R. 1° Eo quod retributione sensibili et temporali carnalis populus Hebræorum maxime movebatur.

2° Ut mercede ac pœna corporali exhiberetur figura mercedis et pœnæ altioris ordinis, quam nequaquam excludebat lex Mosaica, et omnino exspectabant Judæi. Etenim eo ipso quod a venturo Messia exspectarent veram beatitudinem, exspectabant etiam præmium aut pœnam alterius vitæ. Quod quidem ex subsequentibus Scripturæ libris, ut Psalmorum, Prophetarum, Machabæorum, manifestissimum est.

Q. 15. Quomodo explicantur verba Deut. IV, 2, ubi Moyses dicit : *Non addetis ad verbum quod vobis loquor...* cum tamen postea Josue, Judices, David, Salomon et omnes prophetæ addiderint plurima ?

R. Moyses loco citato non omne additamentum vetat, sed illud duntaxat, quod esset contrarium Legi.

—

Difficultates libri Josue.

Q. *Quomodo intelligenda sunt prodigiosa facta quæ hoc libro referuntur : transitus Jordanis, collapsio murorum urbis Jericho, statio solis ad imperium Josue ?*

R. Intelligenda sunt ut facta historica, prout narrantur, sed simul ut facta supernaturalia, veraque miracula.

Rationes sunt : 1° Quia textus evidenter historicus est, et narratio clara. — 2° Quia juxta regulam S. Augustini (1), ab omnibus orthodoxis interpretibus et theologis receptam, verba Scripturæ sacræ in sensu proprio et litterali accipienda et explicanda sunt, quatenus ex iis sic acceptis nihil sequitur quod falsum sit, absurdum, impossibile, vel fidei aut bonis moribus contrarium. — 3° Quia facta illa naturaliter explicari non possunt. — 4° Quia eadem aliis Scripturæ locis confirmantur. *Mare vidit, et fugit : Jordanis conversus est retrorsum* (Ps. CXIII). — *Fide muri Jericho corruerunt, circuitu dierum septem.* (Hebr. XI, 30). In quem locum Chrysostomus ait : *Non enim sonus tubarum potest muros dejicere, etiamsi mille annos sonuerit ; sed fides potest omnia.* — *An non in iracundia ejus* (ex zelo et ardore sancto Josue, pugnantis contra hostes Dei) *impeditus est sol, et una dies facta est quasi duo ?* — 5° Quia unanimiter

(1) *De Genesi ad litteram*, lib. 8, cap. 7.

Patres hæc totidem miracula esse asseverant. S. Justinus ad Tryphonem Judæum ait : *Accepistis Terram tanta virtute fusis fugatisque hostibus, ut sol ipse cursum suum sisteret.., et per triginta sex horas differret occasum. Alia quoque inter vos patrata sunt prodigia.*

Quod si textus sacer dicit *solem* stetisse , non *terram* , ut more astronomorum dicere debuisset : ratio est , quod Scriptura non scientifico aut astronomico sermone utitur , qui vulgo non intelligeretur., sed vulgari ; et illud intendit duntaxat , ut Dei potentiam ac providentiam ostendat , hominesque ad bonos mores instruat : nequaquam vero , ut naturæ secreta revelet , quæ hominum investigationibus disputationibusque relicta sunt. — Atque ita, nec aliter, SS. Patres hunc locum interpretati sunt : miraculum unanimiter agnoscentes , quod stationem solis vocarunt ; quin examinarint quæstionem astronomicam , utrum statio hujusmodi fuerit ex parte solis vera, an tantum apparens : quæ cæteroquin quæstio, tam Scripturæ quam ejus interpretationi est aliena (1).

Quod si auctor hagiographus , ubi solem stetisse refert , mentionem facit *Libri justorum* , eo ipso confirmat veritatem historicam ; nedum minuit , ut Clericus asserere ausus est. Gratis enim homo iste protestans docuit, totam hanc de statione solis historiam desumptam esse ex libro poetico *Justorum.* In quo asserto duo essent probanda : 1° narrationem sacram unice niti in *Libro justorum* , et 2° hoc libro fictiones mere poeticas contineri. Quæ duo non tantum probari nequeunt, sed ex superiori demonstratione esse falsa comperiuntur. — Circa *Librum justorum* probabilius censent Doctores , hoc nomine annales antiquos designari. Hebræi veteres , aiunt , in ipsis reipublicæ suæ primordiis, summa cura in annales referebant quidquid eorum nationi memoria dignum contingeret : hæc autem monumenta in tabernaculo servabantur, atque *Liber justorum* , vel *Liber justi* seu *recti* (ut in hebraico et arabico textu legitur) appellabantur.

(1) Quod si in causa astronomi Galilei , sæculo XVII , tribunalia Ecclesiastica, quorum est fidei incolumitati prudenter prospicere , non tamen dogmata infallibiter definire ; si hanc, inquam, quæstionem assumpserunt ut pertinentem ad Scripturam et ad fidem : in hoc, Deo sic permittente, erraruut. Neque eorum judicium Ecclesia, seu Romanus Pontifex, ut doctor universæ Ecclesiæ ex Cathedra loquens , unquam sancivit. Atque hic iterum, ut in multis aliis, manifestata est Spiritus sancti assistentia : qua præpeditur Ecclesia, ne unquam, etiam ubi secundum humanarum rerum cursum id contingere deberet , quidquam fidei admisceat , quod a fide sit alienum.

Difficultates libri Judicum.

Q. 1. *Quid de voto Jephte, et immolatione filiæ ejus dicendum?* Judic. XI.

R. 1° Quoad factum historicum, dubium est et controversum, utrum Jephte filiam suam cruenta morte sacrificaverit, an solum civili, et morali, secundum æstimationem Judæorum: eam nempe Deo perpetua virginitate consecrando. Hanc secundam sententiam recentiores interpretes communius defendunt; e contra SS. Patres communissime tenent, filiam Jephte cruente a patre suo fuisse sacrificatam.

2° Quoad facti honestatem, utrum Jephte edendo atque implendo votum peccaverit, an ex speciali Spiritus sancti instinctu egerit: iterum controvertitur; cum sacer textus rem simpliciter sine laude ac vituperio enarret. — Hæc autem dici possunt: 1° Deus in lege veteri sacrificia humana severe prohibuerat (Deut. XII, 29-30); nihilominus, cum ipse sit absolutus vitæ ac mortis Dominus, præcipere potuit in uno alterove singulari casu, ex altissimis finibus, hominem immolari: nimirum filium Isaac ab Abrahamo, et fortassis etiam filiam Jephte a patre suo. — 2° Fines autem propter quos velle poterat Deus vel permittere mactationem filiæ Jephte, intelliguntur hujusmodi: — 1) Ut mundus universus cognosceret, quam inviolate vota Deo reddi debeant, etiamsi gravissimæ occurrant difficultates. — 2) Ut exhiberetur mortis Christi figura clarissima, quæ Salvatorem, non tantum quoad voluntatem moriendi, ut Isaacus, sed quoad ipsam necis tolerantiam repræsentaret.

Q. 2. *Quæ de Samsone referuntur*, Judic. XIII-XVI, *suntne vere historica? — Quid autem circa Samsonis missionem, et circa robur ejus, — quid circa ejus sanctitatem, — quid circa favum mellis, trecentas vulpes, percussos mille Philistæos, fontem e maxilla scaturientem, portasque Gazæ ablatas; — quid demum circa Samsonis mortem adnotandum est?*

Resp. 1° Gesta Samsonis non secus ac reliqua in libris historicis narrata, historica et inconcussa certitudine nituntur: nec aliter unquam a catholicis interpretibus et Synagogæ doctoribus sunt intellecta.

2° Fuit autem Samson a Deo suscitatus, ut munere Judicis ac liberatoris Israel fungeretur; ideoque robore quodam corporis ac viribus stupendis præditus. Quæ quidem vires, staturæ communi et nequaquam giganteæ Samsonis inditæ, erant supernaturale Dei donum: nam a *Spiritu Dei qui in ipsum irruebat* (Jud. XIV, 6, 19) proveniebant. Erant etiam permanens donum atque habituale, ex voluntate Dei ipsius comæ et nazaræatui adhærens.

3° Quamvis omnia Samsonis acta excusare necesse non sit, existimant tamen Doctores, eum æterna vita salvum esse ac sanctum. Etenim ab ipso S. Paulo (Hebr. XI, 32), inter Patres V. T. fide et sanctitate illustres recensetur.

4° Quod cap. XIV, 5-8, legitur de reperto favo mellis in ore leonis, sic explicandum. Cum occidisset Samson leonem apud oppidum Thamnata, et post annum rediisset, invenit sceletum osseum et exsiccatum ejusdem leonis; atque in ejus calvario, examen apum. — Illud enim Vulgatæ : *Post aliquot dies revertens*, in hebræo dicitur simpliciter ; *Post dies revertens :* quæ verba tempus longum, puta unius anni significant.

5° — Cap. XV, 4, 5, dicitur, Samsonem trecentas vulpes cepisse, earumque caudis colligatis faces alligasse, quæ vulpes sic dimissæ ignem intulerint segetibus Philisthæorum. — Quod quidem difficultatem facessere non debet. Cum enim constet, Palæstinam istis animalibus, olim præsertim, abundasse : incredibile nequaquam est, quod Samson paucis diebus, adhibitis fortasse quibusdam retibus aut aliis instrumentis venatoriis, et adjutoribus venationis sociis, trecentas vulpes ceperit.

6° Quod cap. XV, 16, 17 refertur, Samsonem mille Philisthæos maxilla asini percussisse : non sine peculiari Dei adjutorio factum est. Notandum tamen, vocem hebraicam *percutere*, non significare quod mille Philisthæos singulos occiderit ; sed potius indicat, Samsonem, arrepta asini maxilla, qua ut gladio homines percuti possunt, hostium partem interemisse, cæteros in fugam egisse. — Præterea, quamvis hæc victoria soli Samsoni tribuatur tanquam præcipuo auctori, non excluditur concursus virorum Judæ.

7° Quod legitur (cap. XV, 19), e dente maxillæ ad preces sitibundi Samsonis scaturiisse fontem : obscurum est et controversum. Sensus esse videtur, scaturiisse fontem e *rupe eminentiore*, quæ surgebat in loco vocato *Lechi*, seu *Maxilla*, ubi Samson maxillam asini post Philisthæorum cladem projecerat.

8° — Cap. XVI, 1, 3, dicitur Samson abstulisse fores civitatis Gaza, cum postibus et sera, et in verticem montis, Hebron respicientis, detulisse. — Quod quidem facinus, 1° quantumvis mirum, nihil absurdi continet ; quandoquidem viribus supernaturalibus Samson pollens, valvam valvæ imponere, et pondus illud, minime grave sibi, quolibet deferre potuerit. — 2° Deus sapientissimum finem habuit, Samsoni concedendi supernaturales vires ad fores portæ urbis cum probro hostium suorum asportandas. Samson enim media nocte tollens ambas portæ fores urbis Gazæ, repræsentabat Christum, post mediam noctem e sepulcro resurgentem, ac lapidem

sepulcri manu angeli amoventem ; atque insuper portas mortis et gehennæ auferentem ; indeque patriarchas et prophetas, sanctosque omnes cum triumpho educentem.

9° Samson (XVI, 26) in templo Dagonis, concussis duabus columnis, Philisthæorum multitudini et sibimet mortem intulit, dicens : *Moriatur anima mea cum Philisthiim.* — Hoc facinore Samson, qui, ut diximus, inter Sanctos recensetur, minime peccavit ; sed potius gloriosam pro Deo ac patria mortem oppetiit.

Nam 1°, ut interpretes multi cum S. Augustino docent, instinctu egit Spiritus sancti, qui est Dominus vitæ et mortis. — 2° Præter inspirationem divinam, aliunde jus habuit morti se devovendi. Etenim vi muneris sui, scilicet Judicis ac liberatoris Israel, potuit hostibus populi sui interitum moliri, quamvis prævideret se quoque cum aliorum clade interiturum : dummodo hac in re hostium detrimentum directe intenderit ; mortem autem suam indirecte duntaxat voluerit, seu potius, ad eam se habuerit permissive. Qua quidem intentione Samsonem egisse, ac vitam suam generose sacrificasse, nullatenus dubitandum est.

Quoad verba : *Moriatur anima mea cum Philisthiim*, sensus non est : Intereat aut morte exstinguatur spiritualis anima mea ; sed : Moriatur anima mea corpori, desinat vivificare corpus, cesset vita mea, seu simpliciter : *Moriar ego.*

—

Difficultates libri Ruth.

Summa historiæ hujus libelli hæc est : Ruth Moabitis mulier a Mahalone, viro Bethlehemita de tribu Juda, in matrimonium ducta, post viri mortem, cum socru sua Noemi venit in Bethlehem ; ibique cum Booz, cognato suo, novas iniit nuptias : ex quibus natus est Obed, et per hunc, Isai, David, Christus.

Jam vero difficultates generatim in eo consistunt, quod actus hic nonnulli narrentur, qui minus honesti videantur. At vero, expensa rite tota Ruthæ ac Noemi historia, luculenter patet, omnia legitime, sapienter, temperanter, et secundum leges honestatis hic dicta et gesta esse ; quamvis carnalibus, ad solam litteram attendentibus, aliter appareat. Impudicis scilicet impura sunt omnia ; castis vero mentibus omnia casta.

1° Matrimonium Mahalonis cum alienigena Moabitide, etsi contrarium videtur legi (Deut. XXIII, 5), licitum tamen fuit : sive ratione necessitatis, cum Mahalon in terra Moab aliam uxorem ducere non posset ; sive quia aberat periculum seductionis — Similiter licitum fuit matrimonium Booz, quia Ruth jam erat proselyta, et vidua fratris ejus, seu cognati (Deut.

XXV, 5, 6). Alius quidem cognatus erat Boozo propinquior, sed hic solemniter jure suo cessit (Cap. IV).

Quod Noemi suas nurus hortata est, ut in terra gentili Moab remanerent (I, 8 seqq.) : excusatur a peccato. Non enim positive id jussit ; sed tantum alienigenis mulieribus id liberum esse voluit, simulque earum constantiam in bono proposito exploravit (1).

Quod Ruth accedens de nocte ad Booz, eum rogat *ut expandat pallium suum super famulam suam* (III, 9), nihil est aliud quam modesta, verecundaque petitio conjugii, secundum mores Judæorum. Apud Judæos enim, cum sponsus sponsæ fidem promitteret, ille partem vestimenti sui sponsæ imponere solebat.

—

Difficultates libri I Regum.

Summarium difficultatum. 1. Nomen Ephratæi. — 2. Altare in Ramatha. — 3. Monarchia regia in Israel. — 4. Jus regium. — 5. Exercitus 300,000 hominum. — 6. Saul, filius unius anni. — 7. Saul a regno rejectus. — 8. Spiritus Dei malus. — 9. Saul prophetans. — 10. Saul Samuelem non ultra videns. — 11. David utens gladio Goliath. — 12. David, vir secundum cor Dei. — 13. Scholæ prophetarum. — 14. Pythonissa Endor. — 15. Saulis sors æterna.

Q. 1. Quo sensu Elcana (I Reg. I, 1) dicitur *Ephratæus*, cum non ex tribu Ephraim fuerit oriundus, sed ex tribu Levi?

Resp. Nomen *Ephratæi* triplici sensu occurrit. 1° Quandoque designat hominem de tribu Ephraim ; — 2° alibi, incolam Bethlehem, quod oppidum vetere nomine *Ephrata* dicebatur ; — 3° in præsenti quæstione, Ephratæus dicitur Elcana, vel quia habitavit in *monte Ephraim*, vel quia natus in civitate levitica Rama, sita in tribu Ephraim.

Q. 2. *An Samuel licite ædificavit altare in Ramatha* (I Reg. VII, 17), *etsi tunc Tabernaculum fœderis fuerit alibi?*

Resp. affirmative. Quamvis enim Tabernaculum fœderis tunc fuerit in Masphath, vel in Nobe ; neque regulariter licuerit aras erigere et sacrificare extra locum Tabernaculi (Levit. XVI, Jos. XXII, 10 et 19) ; tamen subinde viris sanctitate conspicuis id ex speciali dispensatione indultum legimus : ut Gedeoni, Manue, Davidi in area Jebusæi, Eliæ in Carmelo monte ; in quibus locum non habebat ratio legis id vetantis, puta, periculum idololatriæ. Atque idem censendum est etiam de Samuele.

Q. 3. Quo sensu Deus, cum populus Israel regem peteret,

(1) Serrarius, *in lib. Ruth,* cap. 1, quæst. 25. — Item Abulensis, Vatablus in eumd. loc.

dixit Samueli : *Non te abjecerunt, sed me, ne regnem super eos?* I Reg. VIII, 7.

R. Sensus est : Non tam abjecerunt te, suum judicem ac principem, quam me, qui hactenus per Moysen et Judices ita eos gubernavi, ac si rex eorum essem proprius et immediatus. — Erat scilicet Deus vere Rex et Dominus Hebræorum, partim per se, partim per Judices a se excitatos, ut proprium populum eos gubernans. *Eritis*, inquit, *mihi in regnum sacerdotale, et gens sancta.* Exod. XIX, 6.

Illis ad Samuelem verbis improbat quoque Deus quod populus petiverit regem. Non quasi regimen monarchicum improbaret, quod ipsemet promiserat (Deut. XIX, 14, seq.) ; sed quia hanc gubernii mutationem postulare non debebant, cum ipse Deus aristocratiam Judicum constituisset ; vel saltem, quia non eo modo, nempe seditiose et more gentilium petere debuissent.

Q. 4. Nonne Samuel descriptione juris regii despoticum tyrannorum regimen approbavit? Dixit enim : *Hoc erit jus regis, qui imperaturus est vobis : filios vestros tollet... agros quoque vestros et vineas...* I Reg. VIII, 11, seqq.

Resp. negative. His enim verbis non declarat jus verum, a natura aut a Deo dictatum ; sed jus putatitium, quod per abusum reges sibi arrogare solent et usurpare. — Jus regium, vere ac proprie dictum, illud est, quod exstat Deut. XVII, 14 seqq.

Q. 5. — I Reg. XI, 8, *refertur, Saulem in Besech exercitum recensuisse trecentorum millium hominum ; tantus numerus nonne pro populo Israel est incredibilis, aut exaggeratus?*

Resp. negative. Hebræi enim jam tum, cum Jordanem transirent, innumerabilem populum conflabant. Præterea tunc temporis, non erant specialiter conducti et exercitati milites ; sed, proclamato semel bello, omnes ferendis armis idonei confluebant : et quisque, quod obvium aptumque erat ad hostes vulnerandos, arripiebat.

Q. 6. Quomodo explicantur verba hæc (I Reg. XIII, 1) : *Filius unius anni erat Saul, cum regnare cœpisset ; duobus autem annis regnavit?*

R. Duplex hujus loci expositio datur probabilis. Primam affert S. Hieronymus, hoc sensu : *Saul, sicut parvulus infans unius anni, innocens et sine culpa fuit, cum ad solium regni eveheretur ; et in eadem innocentia duobus annis regnavit super Israel.* — Altera, quæ hebraico textui conformior videtur, citata verba considerat tanquam conjunctionem constituentia inter finem capitis XI, quod per caput XII velut interruptum est, et narrationem sequentem ; ita ut sensus sit : *Saul parta victoria de Naas, rursum in regem a Samuele unctus, agebat*

primum regni sui annum; et cum peregisset secundum, elegit tria millia militum... Scilicet *filius anni* hebraismus est, significans hominem hoc anno natum esse, vel aliquid incepisse; unde *filius unius anni* etc. hoc loco indicat, Saulem tunc fuisse regem primi anni. Cæterum non habetur hebraice : *cum regnare cœpisset*, sed : *in regnando ille*, id est, dum quæ narrata sunt agebantur, Saul unum annum regnaverat.

Q. 7. *Num Samuel, regnum transferendo a Saule in Davidem, dissidii inter hos viros auctor fuit?*

Resp. negative. Samuel non suo sed Dei nomine unctionem regiam Sauli primum, ac dein Davidi contulit. Postquam enim Saul *propter inobedientiam* a Deo rejectus est, et David similiter a Deo electus, missus est Samuel ut utrique viro divinum decretum manifestaret; quo factum est, ut Saul regno privaretur, sed in actu primo tantum; David vero rex constitueretur, similiter in actu primo : ita nimirum, ut Sauli regnum abdicanti vel morienti David succederet, et actu secundo regnaret. — Hinc intelligitur, præfati dissidii auctorem non fuisse Samuelem, sed Saulem : tum per inobedientiam erga Deum, tum per invidiam erga Davidem (I Reg. XIII, 13; XV, 26; XVI, 13).

Q. 8. Quonam modo intelligenda sunt quæ dicuntur (I Reg. XVI) de *spiritu Domini malo*, Saulem agitante?

R. Communis est Patrum Doctorumque sententia, his designari dæmonem, a quo Saul obsederetur. Porro dæmon hic vocatur *spiritus Domini*, cum tamen sit malus, quia ejus ministerio Dominus ad affligendum Saulem usus est; fere sicut eodem usus est ad probandam patientiam Job.

Quod dicitur, Davide citharam pulsante Saulem lenius habuisse, indicare videtur, non tantum musicam, qua Saulis per dæmonem agitati spiritus naturaliter sedabantur; verum etiam sacra psalmorum verba, quibus David Deum invocabat : fere sicut nunc Ecclesia in exorcisandis energumenis Deum exorat.

Q. 9. Quo sensu dicitur (I Reg. XVIII, 10) : *Invasit spiritus malus Saul, et prophetabat in medio domus suæ?*

R. Vox *prophetare* vario sensu in Scriptura adhibetur. Significat enim, non tantum futura prædicere; sed etiam, Deum laudare, Scripturas explicare, prophetiam confirmare (Eccli. XLIX, 18), miraculum patrare. — In loco autem hic proposito, *prophetare* idem est ac *insanire*; ita ut sensus sit : Saul a maligno spiritu correptus, agitatione corporis, et fanaticis atque alienis verbis, prophetarum motus inepte imitabatur.

Q. 10. Dicitur, I Reg. XV, 35 : *Non vidit Samuel ultra Saul, usque in diem mortis suæ* : et tamen postea Saul coram Samuele

tota die prophetavit : *Et prophetavit cum cæteris coram Samuele* (I Reg. XIX, 24). Quomodo hæc conciliantur ?

R. Juxta communiorem interpretationem, hujus loci sensus est : Post bellum adversus Amalecitas, Samuel non amplius Saulem invisit honoris et officii gratia, quemadmodum antea ; ut illum scilicet in administratione regni dirigeret, et admoneret. — Præterea hoc notatu dignum, LXX Interpretes omisisse *coram Samuele*, quod legit S. Hieronymus in hebræo, et substituisse *coram ipsis*.

Q. 11. *Quomodo David, cum adolescens esset, uti potuit gladio Goliath, immanis gigantis ?* I Reg. XVII, 4, 33, 42.

R. Potuit David, quia jam erat ætate grandior, et corpore valido, proceroque.

Nam cum Goliatho caput præcideret, juxta Calmetum (1), duobus vel tribus supra viginti natus erat annis. — Nec obstat, 1° quod Saul eum adversus Goliath pugnaturum vocarit *puerum*, dicens : *Puer es, hic autem vir bellator est ab adolescentia sua.* Nam puerum vocat non ætate, sed usu et peritia rei militaris. — Nec obstat 2° quod armaturam Saulis ferre non potuerit, inquiens : *Non possum incedere ;* nam addidit rationem, dicens, non quidem : Quia arma ista sunt nimis magna vel nimis gravia ; sed : *Quia usum non habeo* (I Reg. XVII, 39. Cf. etiam I Reg. XVI, 18).

Præterea David jam tunc erat *corpore valido ac robusto ;* quia jam leonem et ursum interfecerat (I Reg. XVII, 36).

Q. 12. Quomodo David cum veritate dici potest *vir secundum cor Dei* (I Reg. XIII, 14 ; Act. XIII, 22) ; cum tamen gravia delicta commiserit ?

R. Verba illa, juxta SS. Patres et celeberrimos interpretes, tripliciter exponi possunt. 1° David dicitur *vir secundum cor Dei*, quia Dei voluntates fecit ut plurimum, nec ab iis deflexit nisi de exceptione. Quæ explicatio congruit cum iis quæ leguntur III Reg. XV, 5, Davidem scilicet non declinasse ab omnibus quæ præceperat ei Deus, *excepto sermone Uriæ Hethæi.* — 2° Quia si peccavit aliquando, peccata sua insigni pœnitentia expiavit ; ideoque adhuc vocari meruit *vir secundum cor Dei.* — 3° Quia Dei voluntates fecit, Deoque obedivit in iis omnibus, quæ ad regni bellorumque administrationem pertinebant : quæ res in citato loco præcipue respicitur. Ita ut sensu respectivo, non absoluto, verba illa intelligi possint.

Q. 13. — Libro I Reg. XIX, 20, sermo est de multitudine prophetarum, quibus Samuel velut magister præerat ; similiter alibi de filiis prophetarum : *Egressi sunt filii prophetarum qui erant in Bethel.... qui erant in Jericho* (IV Reg. II, 3, 5) ; quo sensu hæc intelligenda sunt ?

(1) *Comment.* I Reg. XVII, 33.

R. De scholis atque discipulis prophetarum. At vero accurate hic animadvertendum est, quid his nominibus intelligatur. Non enim cum Scripturæ derisoribus fingere licet scholas, in quibus prophetæ discipulos suos ex instituto artem futura prædicendi, instar artium naturalium edocerent. Scholæ ejusmodi erant potius cœnobia seu asceteria, ubi prophetarum disacipuli, quasi viri religiosi, totos se dabant Deo, Deique legi meditandæ, Deique laudi hymnis et canticis sacris celebrandæ. Hi ergo non omnes censendi sunt charismate prophetiæ proprie dictæ fuisse donati ; quamvis inter eos aliqui spiritum propheticum acciperent, ut recte observant Tirinus (1), et Corn. A Lapide (2).

Schola ejusmodi in Naioth Ramatha tempore Samuelis floruit, quo satellites suos misit Saul, ut apprehenderent Davidem. Sed illi propiores facti cœtui prophetarum, cujus erat princeps Samuel, pariter *prophetare*, id est, Deum sacris hymnis et canticis laudare cœperunt. Dictavit nimirum Spiritus Domini memoratis satellitibus hymnos, quos canerent, puta eosdem quos canebat Samuel cum suis ; simulque eis indidit affectum canendi, ac modulos vocis ad scite canendum. Quod quidem Deus censetur fecisse in gratiam Davidis, ut is effugiendi tempus haberet. — Similes prophetarum scholæ erant in Bethel, et in Jericho (IV Reg. II, 3, 5) tempore Elisæi.

Q. 14. *Quid de Pythonissa in Endor, et de Samuelis anima ab inferis evocata dicendum est ?* (I Reg. XXVIII, 12).

R. Varie de hoc eventu sentiunt interpretes. Alii dicunt, animam Samuelis incantatione pythonissæ evocatam e limbo ; alii, apparuisse Samuelem, non tamen evocatum a venefica ; alii, non apparuisse ipsum Samuelem, sed respondisse Deum, per se, vel per angelum sub forma hujus prophetæ ; — alii demum, dæmonem simulacro quodam spectantium oculos lusisse seu fascinasse.

Ex his sententia secunda, quæ communior est, etiam verior videtur, et sic enuntiari potest : *Samuel ipse apparuit, sed Dei, non diaboli imperio, nec magica arte suscitatus*. Etenim, 1° Scriptura tanquam de vero Samuele loquitur. 2° Dæmon in defunctum Samuelem, seu in animam ejus nullam habuit potestatem. 3° Voluit Deus Sauli, in pœnam impietatis ejus, Samuelem mittere, qui instantem illi ejusque filiis mortem prædiceret.

Apparuit autem anima Samuelis, non assumpto proprio corpore, sed in corpore aereo, et sicut apparent angeli, qui corpus sibi fingunt et aptant ex aliena materia : ut docet S. Thomas in Matth. XVII.

(1) *Comment. in I Reg.* X, 5.
(2) Item *Comment. in I Reg.* X, 5, et *in IV Reg. II*, 3.

Q. 15. *An Saul mortuus est in peccatis, ac proin reprobationem æternam incurrit?*

R. Non quidem id perfecta certitudine constat ; tamen omnes pene SS. Patres, aliique doctores et interpretes asserunt, aut inclinant in eam sententiam, quod Saul sit æternum damnatus. Et re quidem vera, Saulis peccata sunt certa ; pœnitentia autem ejus, quæ insignis esse debebat, non tantum non apparet, sed ne levissimo quidem signo innuitur.

Difficultates libri II Regum.

Q. 1. *Quomodo Amalecita,* II Reg. I, 10, *dicere potuit, se occidisse Saulem ; cum tamen supra* (I Reg. XXXI, 4, 5) *dicatur, Saulem semetipsum interfecisse ?*

R. Mendax est Amalecitæ sermo, ita confictus, ut gratiam et præmium apud Davidem inveniret.

Q. 2. Quo sensu Deus (Reg. VII, 15) de Salomon dicit : *Misericordiam meam non auferam ab eo ;* cum tamen Salomon probabiliter æternum perierit ?

R. Utrum Salomon mortuus sit impœnitens et reprobus, disputatur. — Qui defendunt eum pœnitentiam egisse, hoc ipso ostendunt, Dei misericordiam ab ipso non fuisse penitus ablatam. — Alii, qui de salute Salomonis negative respondent, aut judicium suum suspendunt, cum Corn. A Lapide dicunt, non agi loco citato de æterna salute ; sed de throno Salomonis perpetuando in ejus posteris, quamdiu Hebræorum regnum duraturum erat : qua ratione regnum Saulis perpetuatum non fuit.

Q. 3. An credibile est quod de Davide legitur (II Reg. XII, 30), eum tulisse de capite regis Ammonitarum diadema ponderis *talenti*, quod ultra centum libras romanas continebat, idque capiti suo imposuisse : *Et impositum est super caput David* ?

R. Corona illa non fuit a Davide capite gestata ; sed in throno, supra caput ipsius suspensa : qui mos erat apud Antiquos non infrequens.

Q. 4. *An David in pœna quam Ammonitis inflixit* (II Reg. XII, 31), *a crudelitate excusari potest ?*

R. Sanctius (1) et Tirinus (2) censent, Davidem tam crudele facinus patrasse quo tempore hærebat in peccato, et antequam egisset pœnitentiam. Solent enim peccatores, quamdiu non resipiscunt, ex uno in aliud scelus ruere, et magis magisque sordescere.

(1) *Comment.* in Reg. XII, 26.
(2) *Comment.* in I Paralip. XX, 3.

Alii cum Calmeto, Davidis actum excusandum censent. Supponendum est, inquit Calmetus (1), David hac in re temporum illorum communes belli leges secutum fuisse; vel Ammonitas præcedentibus injuriis, quæ quidem latent, id supplicii genus fuisse promeritos. Id autem certum est, a Scriptura Davidem hac de re nuspiam redargui; imo illam palam testari, præter Uriæ factum, Davidem omni culpa vacasse (III Reg. XV, 5).

Q. 5. Quomodo explicandum quod de Absalonis cæsarie dicitur (II Reg. XIV, 26): *Ponderabat Absalom capillos capitis sui ducentis siclis?*

R. Duæ sunt sententiæ magis probabiles. Juxta primam, ducenti sicli æstimandi sunt secundum valorem babylonicum; cum hæc tempore captivitatis babylonicæ, vel postea scripta sint. Jam vero hac æstimatione, ducenti sicli æquant fere pondus triginta unciarum: quod incredibile non est, præsertim cum non de capillis tantum detonsis agi videatur; sed de tota cæsarie, quæ ex pondere partis abscissæ æstimari potuit.

Altera, sententia est Sanctii (2), Tirini (3) et aliorum, dicentium, ducentos siclos non indicare capillorum pondus, sed pretium, quo ab aulicis venderentur. Constat enim jam tunc temporis adscititia capillorum ornamenta fuisse in usu et in pretio.

Q. 6. Quomodo intelligendum quod de Absalone legitur: *Adhæsit caput ejus quercui?* II Reg. XVIII, 9.

R. Non significatur, eum solis capillis quercui inhæsisse, quod figmentum est pictorum; sed, ut probabilius explicatur, caput ejus una cum capillis inter ramos fuisse insertum ac detentum.

Q. 7. *An verosimile est quod Deus optimus, ob numeratum a Davide populum, septuaginta millia virorum pestilentia occiderit?*

R. Verosimile prorsus, quandoquidem nihil aliud id fuit quam exercitium justitiæ et punitio peccati. Punivit enim Deus non quidem censum populi, præcise secundum se spectatum; sed quatenus institutum cum vana gloria ex parte David, et cum multis peccatis ex parte populi: adeoque quatenus peccaminosum.

Animadvertendum enim, actionem, etiam de se bonam, vitiari et fieri malam, si ex malo fine, aut in circumstantiis Deo displicentibus ponatur. Atqui talis contigit recensio

(1) *Comment.* in II Reg. XII, 31.
(2) *In hunc loc.*
(3) Item *in h. l.*

Davidis, qui non ex necessitate aliove laudabili causa eam instituit : cum tunc Israel alta frueretur pace ; sed ex vana complacentia in numero subditorum, atque ad ostentandam suam potentiam, et quidem cum periculo sat manifesto præbendi populo occasionem peccandi. Unde ipse Joab, quamvis alias conscientiæ minime anxius fuerit, tamen regem a proposito numerandi populum avertere studuit, allegata ratione peccati (I Paralip. XXI, 3, cf. II Reg. XXIV, 3). — Nec solus rex peccavit, sed etiam populus. Populi autem peccatum fuit, quod tributum semisicli, in ejusmodi censu a singulis pendendum ad usus templi, a plurimis, connivente rege regiisque ministris, solutum non fuerit. Ita Sanctius, Bonfrerius et Tirinus ex S. Augustino, Beda, aliisque.

Minime ergo mirandum, quod, ob geminum hoc peccatum, tam gravis plaga regi ac populo sit inflicta.

—

Difficultates libri III Regum.

Q. 1. *Nonne David peccavit, dum morti proximus Salomoni præscripsit ut Joab et Semei interficeret?* (III Reg. II, 6, 9.)

R. Mandatum istud debitum justitiæ fuit, quod David, cum ipsemet justas ob causas implere non potuisset, successori suo solvendum injunxit. Justitia enim regia postulabat, ut scelus publicum et facinorosum a Joab et a Semei commissum (1), non abiret impune.

Q. 2. *Quo sensu dicitur, Salomonem omnes sapientia superasse* (III Reg. III, 12) ; *cum tamen Adam, Moyses, B. Virgo, sapientiores Salomone fuerint?*

R. Pauci interpretes, ut Calmetus recte observat (2), indicata Scripturæ verba sine ullo limite intelligunt. Alii enim ea restringunt ad reges Israel, alii ad scientiam naturalem et politicam.

Q. 3. Quomodo intelligenda hæc (III Reg. IV, 22, 23) : *Erat autem cibus Salomonis per dies singulos, triginta cori similæ, etc.?*

R. His describitur annona domus regiæ, seu aulæ Salomonis, quæ ministrorum frequentia et rerum magnificentia erat mirabilis. *Magnificatus est Salomon super omnes reges terræ divitiis et sapientia* (III Reg. X, 23). — *Videns autem regina Saba... cibos mensæ ejus... et ordines ministrantium... et pincernas... non habebat ultra spiritum* (III Reg. X, 4, 5) : id est, supra modum stupebat.

(1) Joab injuste occiderat Abnerum (II Reg. III) ; Semei Davidem regem, fugientem a facie Absalom, sacrilegis injuriis impetiverat. II Reg. XVI.

(2) *Comment. in hunc loc.*

Q. 4. *Quomodo Salomonis templum* (III Reg. VI, 7), *ædificari potuit, quin malleus, et securis, aut aliud instrumentum ferreum audiretur?*

R. Nullum instrumentum ferreum tunc auditum est ad poliendos lapides, vel dolanda ligna, quæ Salomonis jussu in montibus erant præparata; ad disponenda autem, et reliquæ fabricæ coaptanda ea quæ præparata afferebantur, instrumentorum usus non excluditur.

Q. 5. Legimus, III Reg. VIII, 9: *In arca autem non erat aliud nisi duæ tabulæ lapideæ, quas posuerat in ea Moyses in Horeb;* — in Epistola vero ad Hebr. IX, 4: *In qua* arca erat *urna aurea habens manna, et virga Aaron quæ fronduerat, et tabulæ testamenti.* Num hæc inter se non pugnant?

R. Nulla est contradictio realis. Nam etsi ea omnia quæ Paulus commemorat, intra arcam tempore Salomonis non amplius asservata fuerint; non sequitur, ea ibidem non fuisse tempore Moysis, ad quod Apostolus alludit. — Præterea id certum habetur, etiam regnante Salomone, urnam et virgam prope arcam appensas fuisse: ut adeo in sensu latiore quasi in arca exstitisse dici possint. Qui loquendi modus non est insolitus: sic Christus dicitur passus in Jerusalem, cum juxta eam urbem sit crucifixus.

Q. 6. De rege Asa dicitur (III Reg. XV, 14): *Excelsa autem non abstulit;* alibi vero (II Paralip. XIV, 2): *Subvertit altaria peregrini cultus et excelsa.* Quomodo hæc componuntur?

R. Duplicis generis *excelsa loca* fuere: alia erant idolorum cultui destinata; alia Deo vero aliquando dicata, et sacrificiis destinata, post templi autem ædificationem vetita. Jam vero priora rex Asa abstulit, posteriora toleranda putavit.

Q. 7. An propheta Michæas a mendacio et fraude excusari potest? Dixit enim regi Achab: *Ascende et vade prospere* (in urbem Ramoth Galaad) *et tradet eam Dominus in manu regis* (III Reg. XXII, 15). At vero Achab in eo prælio occisus est.

R. Michæas ironice loquebatur, ex mente nempe et verbis (1) prophetarum Baal, quos impius rex consuluerat. Idque Achab ex Michææ vultu et voce intellexit; ideoque non acquievit, sed respondit: *Iterum atque iterum adjuro te, ut non loquaris mihi, nisi quod verum est in nomine Domini.* III Reg. XXII, 15.

Difficultates libri IV Regum.

Q. 1. *Quid de assumptione Eliæ per currum igneum* (IV Reg. II, 11) *tenendum est?*

R. Eliam vere assumptum esse per turbinem, et sub finem

(1) III Reg. XXII, 12.

mundi in terram rediturum (1), aperte Scriptura testatur, et Patres atque interpretes unanimiter docent.

Porro, ut Sanctius, Corn. A Lapide, aliique exponunt, qui currus et equi ignei dicuntur, non vere sed specietenus tantum ignei fuerunt. Erat enim nubes splendidissima, ministerio angelorum, aut alia quacumque ratione in currus equorumque similitudinem efformata, quæ acta per turbinem accepit Eliam, illumque ita amplexa est, ut in curru sedere ac vehi videretur. — Id enim quod splendidum et fulgens est, non raro igneum vocatur. Quapropter et *columna ignis* in deserto, non vere ignea fuisse, sed tantum instar ignis fulgida communiter existimatur (2).

Q. 2. *Quid dicendum de Elisæo maledicente pueris Bethel, quorum quadraginta duo ab ursis lacerati sunt?* (IV Reg. II, 24).

R. Sancte hanc inflictam impiis punitionem fuisse, ex circumstantiis palam fit. Elisæus venerat in urbem Bethel, superstitionis sedem, ubi vituli aurei Jeroboam etiamnum colebantur. Cives, qui ægre ferebant, hominem ad cultum Dei veri restaurandum subire urbem suam, subornarunt petulantes pueros, ut illum ludibrio haberent. Illis ergo accurrentibus magno numero et illudentibus, Elisæus, non tam injuriam sui quam ministerii respiciens, ut Dei honorem in hac sede superstitionis vindicaret, impiis maledixit. Deus autem zelum ejus miraculo comprobavit, quo tum pueros punivit, tum præcipue parentes eorum.

Q. 3. — IV Reg. III. 15, dicit Elisæus : *Adducite mihi psalten; cumque caneret psaltes, facta est super eum manus Domini.* Num ergo prophetiæ spiritus naturaliter per musicam excitatur ?

Resp. negative : musica cum futurorum notitia, quæ supernaturale Dei donum est, nullum nexum habet ; sed tantum ad leniendum animum valet, eumque disponendum, ut melius visitationem supernam atque illustrationem percipiat. Quare musicam ideo tantum Elisæus adhibuit, ut suavi harmonia animum suum, indignatione in regem Israel commotum sedaret, ad Deum sustolleret, et ad recipiendam Spiritus sancti visitationem præpararet : ita S. Gregorius docet, Homilia in Ezechielem.

Q. 4. *An licite Elisæus Naaman Syro concessit, ut comitando dominum suum regem Syriæ, coram idolo Remmon adoraret?* (IV Reg. V, 18, 19.)

Resp. affirmative. Non enim agitur respectu Naaman de adoratione religiosa, quæ fuisset impia ; sed de officio mere

(1) *Elem. theologiæ dogm.* tract. XIX, *De novissimis*, n. 158.
(2) Cf. A Lapide, *in lib. Numer.* IX, 15.

civili, quod minister regi suo etiam in templo idolorum præstare poterat. Scilicet petit Naaman, utrum sibi liceat regem comitari in templum, et ibidem coram idolo genuflectentem sustentare incurvato corpore, sicut alibi facere consueverat. Quod obsequium mere politicum, cum nequaquam per se malum esset, permitti poterat Naaman : præsertim quia adstantes sciebant, ipsum, utpote ad verum Deum conversum, templum non intrare nisi civilis muneris sui causa.

Q. 5. *Quid adnotandum circa stragem Assyriorum, qui numero* 185000 *una nocte ab angelo sunt interfecti ?* (IV Reg. XIX, 35.)

R. Clades illa, cujus etiam scriptores ethnici meminerunt (1), angelicæ potentiæ effectus fuit. De cætero, utrum angelus ille Dei vindex, bonus fuerit an malus, et qua ratione Assyrios percusserit, incertum est.

Q. 6. — IV Reg. XX, 10, 11, legitur, *umbram solis decem gradibus* in horologio solari Achaz retrogressam esse, in signum futuræ sanationis regis Ezechiæ ; quomodo miraculum istud explicatur ?

R. Dupliciter : alii existimant solem, seu terram cum toto systemate planetario, retroactam esse ; — alii simplicius censent solam umbram retrocessisse, idque factum esse per inflexionem radiorum solarium in horologio, qua styli umbra retrorsum abiit.

Difficultates libri I et II Paralipomenon.

Q. 1. — Lib. I. Paralip. XXII, 14, dicit David Salomoni : *Præparavi impensas domus Domini, auri talenta centum millia, et argenti mille millia talentorum ;* nonne pecunia tam ingens, quæ ultra 7,000,000,000 francorum æstimatur, sensu hyperbolico sumenda est ? vel mendo, quod per errorem librariorum in illos numeros irrepserit, tribuenda ?

Resp. Etsi auctores multi, quibus consentit Weissenbach, mendum hic admittunt ; alii tamen, ut A Lapide et Calmetus, contendunt, tantum thesaurorum spectatis circumstantiis, non esse rem incredibilem. Etenim, inquiunt, 1° sumptuosissimum Salomonis templum cum pretiosissima sua supellectile, memoratam summam supponit. — 2° hæc summa incredibilis non videbitur consideranti, Davidem quadraginta annis regnasse, plures devictos reges spoliasse, tributa varia a vicinis populis exegisse, ab Hebræis vectigalia et census percepisse, commercia pretiosa cum aliis gentibus exercuisse, in regionem Ophir, auri feracissimam, aditum habuisse, et divitias condidisse

(1) Prout Abulensis erudite demonstrat. *In IV Reg. XIX, quæst.* 26.

summo studio, eaque mente ut domus Deo digna a filio suo exstrueretur. *Opus namque grande est*, aiebat, *neque enim homini præparatur habitatio, sed Deo. Ego autem totis veribus meis præparavi impensas domus Dei mei.* I Paralip. XXIX, 1, 2.

Q. 2. *Quomodo intelligendum quod* II Paralip. VIII, 18, *legitur, classem Salomonis attulisse quadringenta quinquaginta talenta auri ?*

R. Similiter id sensu obvio intelligendum est : cum notorium sit, regionem Ophir auri fuisse feracissimam. Quænam autem sit regio *Ophir* inter eruditos non convenit. Alii dixerunt eam fuisse partem Armeniæ, alii probabilius partem Indiæ (1).

Q. 3. *Quomodo* (II Paral. XXI, 12) *rege Joramo litteræ afferri potuerunt ab Elia, qui sub rege Josaphat, Jorami patre* (IV Reg. II, 12), *in cœlum raptus erat ?*

R. Communior est interpretum sententia, Eliam litteras istas de loco ubi adhuc vivens persistit, ad Joram misisse per aliquem angelum humana specie indutum. — Alii putant, prophetam illas scripsisse antequam terram relinqueret, jam tum impietatem Jorami spiritu phrophetico prænoscens, easque in Elisæi manus dedisse, qui eas regi Joram suo tempore offerret.

Q. 4. Dicitur (II Paralip. XXXVI, 9) : *Octo annorum erat Joachin, cum regnare cœpisset ;* alibi vero (IV Reg. XXIV, 8) : *Decem et octo annorum erat Joachin, cum regnare cœpisset* : quomodo hæc concilientur ?

R. Octodecim annorum erat, quando solus post patrem regnavit ; ab anno autem octavo cœpit regnare una cum patre. Ita Hebræi, quibus consentiunt Tirinus et alii.

—

Difficultates libri I et II Esdræ.

Q. 1. *Quomodo* lib. I Esdr. IV, 6, *exhibetur ut rex Persarum Assuerus, versu autem subsequenti Artaxerxes ? cum constet, tunc nec Assuerum nec Ataxerxen, sed Cambysen regem Persarum fuisse ?*

R. Cambyses vocabatur chaldaice *Assuerus*, et persice *Artaxerxes ;* imo, teste Menochio, nonnulli codices sic habent : *In regno autem Assueri, ipse est Artaxerxes.* — Nimirum *Assuerus* chaldaice, et *Artaxerxes* persice erat commune nomen regum Persarum et Babyloniorum ; sicut Ægyptiorum *Pharao,* et *Nabuchodonosor* Chaldæorum (2).

Q. 2. *Quo sensu Zacharias* (I Esd. V, 1) *dici potest filius*

(1) Juxta historiographum Indiæ antiquæ, *Lasseu,* non alia est Ophir quam regio Abhira, adjacens provinciæ Guzarata.

(2) Cfr. Veith, *De libro I Esdræ.*

Addo? Cum tamen ex Zachar. I, 1, *constet, Addonem fuisse avum Zachariæ, hujus vero patrem fuisse Barachiam.*

R. Zacharias fuit Addonis *nepos*, qui juxta modum loquendi hebraicum, dicitur *filius* sui avi, nempe *mediatus*. Phrasi enim hebræa omnes nepotes, aut qui ab alio mediate descendunt, vocantur filii.

—

Difficultates libri Tobiæ.

Q. 1. *Dicitur* libro Tob. III, 7, *Saram, Raguelis filiam, et* (IV, 21) *Gabelum etiam, in Rages, civitate Medorum habitasse; postea vero* (VI, 6, et IX, 3), *fertur quod Tobias junior, cum in Rages esset, angelum Raphaelem ad Gabelum in Rages civitatem Medorum miserit. Quomodo hæc antilogia solvitur?*

R. Ex variis explicationibus, quæ merito ut probabiles afferuntur, unam proposuisse sufficiet : nimirum Tirini, dicentis, totam illam regionem, in qua tam urbs Ecbatana quam urbs Rages exstabat, antiquitus vocatam esse *Rages* : quia sæpe tota provincia nomen habet a metropoli; sicut Gueldria urbs est et provincia. Sara itaque ejusque parentes habitabant Ecbatanis, in regione seu provincia Rages, Gabelus vero in ipsa urbe Rages.

Q. 2. *Quomodo intelligenda sunt quæ de septem viris Saræ et Asmodæo dæmone narrantur?* Tob. III, 8; VIII, 3.

R. Historice hæc, sicut reliqua, intelligenda sunt. Nihil autem aliud continent, quam septem Saræ maritos ob suam lasciviam ab Asmodæo, qui dæmon impudicitiæ existimatur, morte affectos fuisse. Id autem Deus juste permittere potuit, et ideo permisit, quia Saram Tobiæ reservabat, ut angelus manifeste dicit Ragueli : *Huic timenti Deum debetur conjux filia tua : propterea alius non potuit habere illam.* Tob. VII, 12.

Quod dicitur : *Incenso jecore piscis fugabitur dæmonium* (VI, 19), explicandum videtur per causam, partim physicam, partim moralem : quod scilicet cor et jecur illius piscis incensum, habuerit virtutem naturalem sedandi motus concupiscentiæ, temperando humani corporis humores; et quod ex altera parte, Raphael angelus, ad suffitum jecoris, propter obedientiam et orationem Tobiæ fugaret dæmonem.

Quod autem dicitur, dæmonem ab angelo *religatum in deserto superioris Ægypti* (VIII, 3), intelligendum est juxta subjectam materiam, nempe secundum naturam religantis et religandi, qui ambo sunt spiritus. Jam vero, ut S. Augustinus docet (1) *alligari dicitur diabolus, dum non permittitur totam exercere tentationem*; seu aliis verbis, dum Dei imperio ejus potestas

(1) *De civitate Dei*, lib. 20, c. 7.

nocendi certis limitibus coercetur. — Ergo, malignus spiritus Raphaelis ministerio abactus est in desertum, ibique retentus, ne ad nocendum redire posset. — Cur autem in deserto Thebaidis? Quia regio hæc, propter sterilitatem et bestias venenatas quam maxime inculta est, et commoratio vastatoribus spiritibus accommodata. Cæterum, ut ipse Christus Dominus in Evangelio innuit, hujusmodi loca videntur dæmonibus assignata, donec nanciscantur facultatem et tempus iterum nocendi hominibus. *Cum immundus spiritus exierit de homine, ambulat per loca inaquosa, quærens requiem ; et non inveniens, dicit : Revertar in domum meam unde exivi.* Luc XI, 24.

Q. 3. Affirmat Raphael angelus, se esse *ex filiis Israel, Azariam, Ananiæ magni filium*, et similia (Tob. V, 7, 8, 18) : nonne hæc evidenter falsa sunt ?

R. Omnia hæc Raphaelis dicta nil nisi veritatem, licet ænigmatibus tectam, continent. Angelorum nempe subinde apparentium actiones et verba, ordinis sunt multo altioris, neque communi modo loquendi hominum semper æstimanda. Dicit itaque Raphael, se esse *ex filiis Israel*, id est, unum de populo sancto ; — dicit se *regionis Medorum vias frequenter ambulasse*, non pedibus, sed more Angelis proprio, cum esset Israelitarum hic degentium custos ; — *Mansi*, inquit, *apud Gabelum, fratrem nostrum :* quippe boni angeli pios homines non dedignantur vocare fratres, siquidem eumdem patrem et conditorem Deum, eamdem hæreditatem vel in re, vel in spe utrique habent in cœlis. — Verissime quoque se nominavit *Azariam*, id est, *auxilium Domini* ad Tobiam missum ; *magni Ananiæ filium*, id est, *magni obnubilati* seu latentis Dei filium. — Denique interrogatus, de qua tribu ipse et Tobias essent, recte respondit : *De tribu Nephtali sumus* : nempe Tobias genere, Raphael protectione. — Nec obstat illa fuisse obscura et æquivoca : nam de causa gravi et proportionata, æquivocatione uti licet : non ad fallendum, sed ad occultandam veritatem.

Q. 4. *Quomodo Tobias senior loqui potuit de incendio templi* (Tob. XIV, 7), *cum diu post ejus mortem id contigerit ?*

R. Tobias prophetice hic loquitur. Sicut enim supra (cap. XIII) de Jerusalem felicitate et gloria præclare vaticinatus est ; ita morti proximus prædicit eversionem Ninive, æque ac Jerusalem, hujusque restaurationem, et spiritualem gloriam per vocationem gentium ad veram fidem.

—

Difficultates libri Judith.

Q. 1. *Quo tempore contigit historia Judith ?*

R. Disputatur : duæ sunt autem sententiæ principales.

Prima est eorum, qui volunt historiam Judith contigisse post captivitatem Babylonicam ; et dicunt , Nabuchodonosoris nomine hic designari Cambysen vel Darium Hystaspis. — Altera sententia probabilior, est eorum qui docent, eventum contigisse ante captivitatem, tempore Manassis, regis Juda.

Q. 2. *Quænam et ubi sita fuit Bethulia ?*

R. Fuit urbs Galilææ , monti imposita , in tribu Zabulon, non longe a mari Tiberiadis , versus Occidentem ; vel, juxta S. Hieronymum, sita erat in tribu Simeon.

Q. 3. Quare sacerdos magnus in hoc libro vocatur modo *Eliachim* (IV, 4), modo *Joachim* (XV, 9) ?

R. Quia fuit binomius, et utrumque nomen Hebraice idem sonat, nempe, *qui Deum surgere facit.*

Q. 4. An Judith ornare se potuit quam splendidissime , et quidem hunc in finem, ut Holofernes *caperetur laqueo oculorum suorum in ipsa ?* prout ipsamet de se ait ? (Judith, IX, 13).

R. Sunt qui non ab omni peccato , saltem materiali , Juditham immunem faciunt : cum de cætero Scriptura eam nulli peccato obnoxiam fuisse nullibi asserat ; quamvis virtutem ejus commendet. — Probabilius tamen censent doctores et interpretes , Juditham in omnibus licite et laudabiliter egisse. Judith , inquiunt , non intendit Holofernem pellicere ad amorem illicitum , sed ad licitum ; et quidem in finem sanctum , quem directe et principaliter intendebat, liberationem civitatis. Sic ipse Deus ornatui ejus *contulit splendorem* (X , 4) : non intendens utique peccatum Holofernis , qui istud evitare poterat , et loco impuri castum habere amorem ; sed intendens liberationem populi sui, peccatum autem illud simpliciter permittendo. — Quæ sententia confirmatur aperte ipsius Scripturæ verbis: *Cui etiam Dominus contulit splendorem ; quoniam omnis ista compositio non ex libidine, sed ex virtute pendebat.* X. 4.

Q. 5. *An Judith in iis quæ dicit* (cap. X, 13 seq.) *mentita est, et mentiendo peccavit ?*

R. Duplex præsertim datur sententia. Sunt qui cum Cornelio A Lapide omnia verba Judith a mendacio excusant , dicentes , eam æquivocatione ac stratagemate belligerantibus licito usam esse. — Alii dicunt , etiamsi mentita sit , eam tamen nullatenus formaliter peccasse , ratione bonæ fidei et ignorantiæ invincibilis, qua putavit pro tuenda patria et conservanda religione mendacium esse licitum. Quamvis enim post S. Augustinum (1), certissimum nobis sit , mendacium in omni casu peccatum esse ; apud veteres tamen, et maxime in vetere Testamento, ætate Judith, non erat hoc ita perspectum.

(1) Lib. *De Mendacio.*

Difficultates libri Esther.

Q. 1. *Quis fuit Assuerus ille rex Persarum, qui Esther in reginam elegit?*

R. Nomen *Assuerus*, ut supra diximus, non est proprium unius viri, sed commune regum Medorum et Persarum. Quis autem rex hic designetur, incertum est. Sententia probabilior eorum esse videtur, qui censent Assuerum libri Esther esse *Xerxem Magnum*, multis clarum victoriis, nec non infausta expeditione in Græciam.

Q. 2. *Quid de connubio Esther cum Assuero, rege gentili, dicendum est?*

R. Fuit illud non tantum verum, sed etiam licitum matrimonium. Nec obstat, 1° quod Vasthi regina adhuc erat in vivis: nam polygamia tunc licita erat vi dispensationis divinæ, quam solummodo Christus sustulit, omnia matrimonia tam fidelium quam infidelium ad primævam institutionem revocando. — Nec obstat, 2° quod Judæis non liceret matrimonio copulari Gentilibus: nam hic intercessit peculiaris instinctus ac dispensatio Dei, qui omne periculum perversionis, in quo lex fundabatur, ab Esthere avertebat, et ex matrimonio isto ingens bonum elicere volebat.

Q. 3. *An vindicta, a Judæis de suis hostibus sumpta* (Esther IX), *non fuit illicita?*

Resp. negative: quia sumpta est auctoritate publica regis (VIII, 8 seq.). Fuit scilicet hæc interemptio hostium judaici populi justa defensio, ipsius regis jussu peracta: quia Judæi de vita sua securi esse non poterant, nisi illis occisis. Ideo dicitur, IX, 16: *Pro animabus suis steterunt Judæi, interfectis hostibus ac persecutoribus suis.*

Difficultates libri Job.

Q. 1. *Liber Job veramne continet historiam, an tantum parabolam ad patientiæ exemplum confictam?*

Resp. Veram continet historiam, quæ reipsa contigit. Hæc assertio est contra Talmudistas, Anabaptistas, Lutherum, et quosdam etiam recentiores, inter quos est Joannes Clericus (1); estque unanimis catholicorum interpretum doctrina, tam gravibus rationum momentis demonstrata, ut dubitatio de hujus historiæ veritate, si non aperta hæresis, saltem manifestus sit et impius error. Nam 1° Scriptura Jobi historicam veritatem manifeste supponit. *Si fuerint tres viri in medio ejus, Noe, Daniel et Job, ipsi justitia sua liberabunt animas suas, ait Dominus exercituum* (Ezechiel, XIV, 14). — *Ecce bea-*

(1) Cf. Veith. part. IV, sect. IV, *de libro Job.*

tificamus eos qui sustinuerunt; sufferentiam Job audistis.... (Jacob. V, 11. Cf. Tob. II, 12).— 2° Accedit unanimis Patrum consensus. — 3° Tam in Menologiis Græcorum, quam in Martyrologio Romano (10 Maii) B. Jobi memoria celebratur. — 4° Suffragatur ratio critica. Nam, ut S. Chrysostomus ait, *parabolæ illæ sunt, ubi exemplum ponitur et tacentur nomina* (1); vera autem historia judicanda est, quando nomina adhibentur propria, personarum nimirum, locorum, aliaque exacte determinantur, quæ in fabulis et in parabolis negligi solent. Atqui in libro Job historici illi characteres, ut patet, inveniuntur.

Nec obstat, -1) quod liber iste maximam partem metrice sit scriptus; cum a poetarum fabulis, nihilominus recedat. — Nec obstat, -2) istud (I, 6, 13) Dei cum filiis Dei, seu angelis habitum concilium, Satanæque interventus: nihil enim hic absurdi, sive prosopopœiam admittamus, sive verum concilium. Multi enim Patres ita sentiunt, verum colloquium fuisse, modo tamen spiritibus convenienti; non quidem in cœlo, sed in terra, et forte in domo S. Jobi, in qua etiam erant hujus filii, eorumque angeli tutelares.

Q. 2. *An omnia prorsus quæ in libro Job continentur, ita sunt historica, ut nihil fictioni tribui possit?*

R. Dicendum, ea quæ hoc libro narrantur esse historica quoad substantiam. Porro substantia rerum hic intelligitur, Jobum vixisse in terra Hus, habuisse possessiones multas, nec non filios septem et filias tres; deinde, per vexationem diaboli a Deo peculiariter permissam, variis calamitatibus fuisse afflictum; tunc autem a tribus amicis visitatum et cum eis collocutum; denique Jobum omnia mala patienter sustinuisse, pristinas opes recuperasse, et centum quadraginta annis vixisse. — Salva hujusmodi substantia, dici potest, in parte libri metrice scripta, aliquid poetico stylo tribuendum esse: auctorem scilicet familiaria colloquia quoad sensum duntaxat retulisse, versibusque et figuris ornasse.

Q. 3. — Tob II, 15, dicitur: *Beato Job insultabant reges;* an amici Job fuere reges? — Dein, an consolari est *insultare*? Dicitur enim, Job. II, 11: *Condixerant enim, ut pariter venientes visitarent eum, et consolarentur.*

R. Amici Job fuere *reges*, id est reguli, seu principes aliquot oppidorum, quales olim triginta et unum devicit Josue (Jos. XII). — Venerunt autem hi tres reges, seu amici Job, hac quidem mente ut eum consolarentur, et initio quidem cum dolente doluerunt; sed in decursu colloquiorum, calamitatem Job importunius exagitarunt, et misero insultarunt, prout ex textu sacro manifeste patet.

(1) Homil. I, *de Divite et Lazaro.*

Q. 3. *An Job maledicendo diei nativitatis suæ, aliisve verbis peccavit?* (Job. III, 3.)

R. Venialiter quidem peccavit (1), mortaliter vero nequaquam. Si enim blasphemando aut maledicendo peccasset, non fuisset a SS. Patribus passim, et a S. Scriptura iterato propositus tanquam exemplar patientiæ; neque Deus post longam illam Jobi cum amicis suis disputationem dixissit ad Eliphaz: *Iratus est furor meus in te, et in duos amicos tuos, quoniam non estis locuti coram me rectum, sicut servus meus Job* (Job. XLII, 7). Insuper, cum Job propheta et Christi Jesu typus fuerit, pleraque ejus verba non ex superficie litteræ, sed ex mystico in iis latente sensu, quem SS. Patres, præsertim S. Gregorius Magnus tam luculenter evolvunt, sunt æstimanda.

Quod autem diei nativitatis suæ maledicit, aliaque duriora proferat, ab interpretibus explicatur, partim ex locutione figurata et hyperbolica Orientalibus propria; partim, ex manifestatione voluntatis inefficacis, ex qua ipse Dominus locutus est, summo dolore dicens: *Transeat a me calix iste.* Luc. XII, 42.

Q. 4. Dicit Job: *Neque enim reprehendit me cor meum in omni vita mea* (XXVII, 6); alibi vero: *Peccavi! Quid faciam tibi, o custos hominum?* (VII, 20.) — Quomodo hæc concilientur inter se?

R. In secundo textu solum est sermo de peccatis levibus et quotidianis, pro quibus satisfaciendi modum a Deo quærit; in primo autem, de peccatis gravibus illis, quæ viro sancto ab amicis tunc objectabantur.

Q. 5. Quis est ille *Behemoth* et *Leviathan* de quibus agitur cap. XL, 10, 14, 20?

R. Vox *Behemoth* (id est, *jumenta, bestiæ*) designat grande quoddam animal, forte taurum, elephantem, aut hippopotamum. Patres hoc nomine censent describi diabolum.

Leviathan, juxta etymon vocis quod piscem significat seu monstrum aquatile, designare videtur, vel cetum seu balænam, vel crocodilum. Patres in sensu morali de serpente versuto et inimico, dæmone nimirum, id nomen interpretantur.

—

Difficultates libri Psalmorum.

Q. 1. Quid in textu hebræo psalmorum significat vox *Selah?*

R. Juxta Hebræos, designat certam rationem cantandi, nempe pausam, vel elevationem vocis; juxta S. Hieronymum, idem significat ac *amen* vel *in æternum*.

(1) Job. Cap. ultimo, 3, 6.

Q. 2. *Quid de imprecationibus, in psalmis, præcipue* Ps. CVIII, *occurrentibus dicendum est?*

R. Hæc sunt vaticinia, et non imprecationes; vel si tales sint, eas David divino afflatus spiritu, ex justitiæ zelo protulit: nimirum ut impii percussi peccare desinant, ut aliis scandalum adimatur aut salutaris terror incutiatur, etc.

Q. 3. Psalmo XIII dicitur: *Omnes declinaverunt... non est qui faciat bonum, non est usque ad unum;* atqui constat tamen multos esse justos?

R. Juxta multos interpretes, Psalmista hoc loco describit corruptionem humanæ naturæ, sine Dei gratia illam reparante et restaurante consideratæ. Tali enim statu homines omnes in peccata proclives ruunt. — Juxta Berthier et alios, probabilius, hæc verba referuntur duntaxat ad illos insipientes, de quibus in initio psalmi; vel si de humano genere intelligantur, hyperbole hic admittenda: Deus enim singulis ætatibus suos habet electos ac servos fideles.

Q. 4. Nonne fabulam sapit illud Psalmi LVII? *Furor illis secundum similitudinem serpentis, sicut aspidis surdæ, obturantis aures suas: quæ non exaudiet vocem incantantium, et venefici incantantis sapienter.*

R. 1° Constat ferissimos serpentes sono musico mitescere. — 2° Eruditissimus Bochartus (1) demonstrat, notos apud veteres fuisse angues, qui venefici incantantis artem omnem eluderent. — 3° Augustinus aliique plures, in ea fuerunt persuasione, aspidem ad magicorum carminum susurrum, alteram aurem terræ applicare solitam, alteram vero caudæ summitate occludere, donec incantatio cessaret. — His autem neglectis, cum Bellarmino dicendum, non referre utrum vera res an fabulosa de aspide afferatur: David enim similitudinem duntaxat ducit ab eo, quod vulgo de serpentium incantationibus ferebatur.

Q. 5. Quomodo explicantur sequentes sententiæ: 1° *Moab olla spei meæ. In Idumæam extendam calceamentum meum?* Ps. LIX, 10.

R. Sensus est: Regio Moabitica, ut spero, mihi subjicietur ut *olla lavacri*, in qua pedes abluere possim; id est, Moabitæ mihi in omnibus etiam abjectissimis rebus inservient, tanquam vilia mancipia. Ut revera contigit (II Reg. VIII, 2). — *In Idumæam extendam calceamentum meum*: id est, pergam prosequi victoriam de Idumæis obtentam, et ulteriora vestigia ponere in regionem eorum. — Hebraice hæc multo clariora: *Moab olla lotionis meæ*, id est, ad abjectissima mihi inserviet. *In Edom projiciam calceamentum meum*: nempe sicut ad servos

(1) *De animalib.* part. 2, lib. 3, cap. 6.

domini facere solebant, ut eorum calceos servarent et mundarent.

2° *Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ, et posteriora dorsi ejus in pallore auri.* Ps. LXVII. — Obscurissimus iste versiculus, juxta communiorem interpretationem, est apostrophe ad Ecclesiam, maxime ad prædicatores Evangelii ; ita ut sensus sit : Si vos qui evangelizatis verbum Domini, *dormiatis*, id est, quiescatis in medio duorum Testamentorum, novi et veteris, acquiescentes videlicet veritati divinitus inspiratæ Prophetis et Apostolis ; tunc *pennæ columbæ*, id est, Ecclesiæ fides et mores, erunt *deargentatæ* puritate sapientiæ, et *deauratæ* fervore charitatis. — Quæ quidem expositio ut mystica, potest admitti ; litteralis autem esse nequaquam videtur.

3° *Increpa feras arundinis, congregatio taurorum in vaccis populorum : ut excludant eos qui probati sunt argento* (ibid.). — Hæc similiter obscura et ambigua, non improbabiliter dicta existimantur de hostibus Israel, quos propheta vocat *feras* in arundinetis pascentes, et *tauros* feroces ; quique *excludere* vellent, seu vita et hæreditate sua depellere filios Israel, qui Deo *probati sunt* instar argenti.

4° *Tu confirmasti in virtute tua mare, contribulasti capita draconum in aquis* (Ps. LXXIII). — His verbis explicat Psalmista, quomodo Deus operatus sit salutem populi sui. — Tu, Deus, inquit, potentia tua fecisti ut mare Rubrum firmissime quasi murus consisteret, dum transirent filii Israel ; et eadem potentia obruisti fluctibus Ægyptios, qui instar draconum Israelitas persequebantur.

5° *Et ædificavit sicut unicornium sanctificium suum in terra, quam fundavit in sæcula* (Ps. LXXVII) : id est, juxta Genebrardum, ædificavit templum suum sicut facere solent *unicornes* (monocerotes seu rhinocerotes), qui præ cæteris animalibus, magnificas sibi mansiones in alto et prærupto loco, easque stabiles struunt. Sic Deus templum sibi struxit in arce Sion excelsum, magnificum ; non mobile, ut in Silo, sed stabile ; quodque erectum est *in terra, quam fundavit in sæcula :* scilicet in terra sancta montis Sion, qui erat figura Ecclesiæ Christi perpetuo duraturæ, adversus quam portæ inferi non prævalebunt. — Clarior est textus hebræus, quem hodie sic vertunt : *Et ædificavit ut excelsa* (cœlum) *sacrarium suum : ut terram, quam fundavit in sempiternum.*

6° *Deus stetit in synagoga deorum, in medio autem deos dijudicat* (Ps. LXXXI) : id est, Deus constituit se in congregatione et consessu judicum, vicem Dei gerentium ; ut scilicet eorum actiones contempletur, et de eorum judiciis et sententiis

censuram ferat. Argumentum enim hujus psalmi est exhortatio ad judices, ut recte judicent : quæ exhortatio ut sit efficacior, inducitur Deus, summus Judex, inferiores judices increpans.

—

Difficultates libri Proverbiorum.

Q. 1. — Prov. X, 3, legimus : *Non affligit Dominus fame animam justi ;* num id cum experientia congruit ?

R. Textus ille intelligendus est in sensu distributivo tantum accommodo, seu solum de ordinarie contingentibus : nam hæ et similes promissiones, in vetere quidem Testamento saltem ut plurimum impletæ sunt. Aliquando tamen secus factum est ; sed tunc Deus famem corporalem compensabat saturitate et copia donorum spiritualium : ut etiam vere tunc *Deus non affligeret fame animam justi.*

Q. 2. — Prov. XXVI, 4, dicitur : *Ne respondeas stulto juxta stultitiam suam, ne efficiaris ei similis ;* — et paulo infra : *Responde stulto juxta stultitiam suam, ne sibi sapiens esse videatur.* Quomodo hæc concordant ?

Resp. Sensus prioris sententiæ est : Ne cum stulto stulte et insipienter agas ; scilicet imitando illius stultitiam verbis et gestibus, vociferando, contendendo, conviciando.... *ne efficiaris ei similis.* — Sensus vero posterioris textus est : Responde stulto juxta meritum stultitiæ suæ, et modo ad eum redarguendum accommodato : *Ne sibi sapiens videatur.* Convincendus nimirum est homo imprudens, seu stultus, solidis rationibus, et gravibus prudentibusque verbis ; vel si opus est, etiam verberibus arguendus et castigandus, juxta illud, Prov. XXVI, 3 : *Flagellum equo, et camus asino, et virga in dorso imprudentium.*

—

Difficultates libri Ecclesiastæ.

Q. 1. *Num liber Ecclesiastæ favet Epicureis ?*

Resp. negative. Quod in primis ex ipsa synopsi et scopo libri facile colligitur. Nam in toto hoc tractatu Salomon demonstrandum suscipit, in omnibus hujus mundi rebus multam vanitatem et molestiam esse ; unum duntaxat superesse in quo conquiescere homines possint, scilicet timorem Dei, et divinorum mandatorum observantiam : his solis obtineri veram beatitudinem.

Occurrunt quidem in hoc libro non paucæ Epicureorum et impiorum opiniones, quibus tamen auctor nunquam adhæret; imo quibus opponit timorem Dei et mandatorum ejus observantiam. Sic verba : *Quis novit si spiritus filiorum Adam ascendat sursum, et si spiritus jumentorum descendat deorsum ?* (Eccl.

III, 21) proferuntur ex impiorum sententia. — Adde quod in autographo hujus libri, prout probabiliter censetur (1), sensa impiorum sic perscripta fuerint, ut notarum instar adderentur, aut subjectæ responsiones haberent diversos characteres.

2° Auctor ex sua sententia loquens, expresse, contra Epicureos, alteram vitam agnoscit, simul et præmia pœnasque post obitum. *Et dixi in corde meo : Justum et impium judicabit Deus* (III, 17). — *Et revertatur pulvis in terram suam, unde erat, et spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum* (XII, 7). — *Cuncta quæ fiunt, adducet Deus in judicium pro omni errato, sive bonum sive malum sit* (XII, 14. Cfr. XI, 8, 9). — Præterea laudibus prosequitur sapientiam, virtutem, justitiam (cap. IV, 17 ; V, 1 seqq. ; VII, 26 seq.) ; orationemque suam concludit testando, in eo totam hominis rationem sitam esse, ut Deum timeat ejusque præceptis obsequatur : *Deum time, et mandata ejus observa : hoc est enim homo*. Cap. XII, 13.

Q. 2. In eodem libro, Eccl. I, 10, legimus : *Nihil sub sole novum : nec valet quisquam dicere : Ecce, hoc recens est ; jam enim præcessit in sæculis quæ fuerunt ante nos*. Quomodo autem hæc sententia vera est ? cum constet multa fieri nova, sive a Deo per miracula, sive ab hominibus per artes et inventiones.

R. Sententia hæc referenda est ad naturam et artem naturalem, seu ad opera quæ fiunt a natura, vel hominum arte. Sensus itaque est hujusmodi : Nihil novi accidit in naturali rerum cursu, scilicet cœlorum, siderum, ventorum, plantarum, animalium ; item, in artibus vitæ humanæ necessariis, quibus natura indiget : quales sunt agricultura, mercatura, scriptura, ars fabrilis, vestiaria, vectoria, etc.

Nihil ergo obstat, 1° quominus miracula nova fiant, novaque lex per Christum fuerit constituta, novaque omnia sint futura in cœlo ; hæc enim ipsa Scriptura annuntiat : *Ecce nova facio omnia* (Apoc. XXI, 5). Et : *Novum faciet Dominus super terram* (Jerem. XXXI, 22). — Nihil obstat 2° quominus ad perficiendas artes naturales inveniantur artificia nova : ut typographia, telegraphia, pyrodynamica, etc.

In allato scilicet textu occurrit Salomon vanæ curiositati hominum illorum, quibus sua sors præsensque status displicet, arridet autem alienus et remotus ; quare optant videre aliud sæculum, alia tempora. Respondet eis dicens : Quid nova quæritis, cum in orbe nihil sit novum ? Homines semper iidem sunt et erunt, eadem natura constituti, iisdemque miseriis obnoxii. Ars quoque et natura semper eadem quoad substantiam produxit quæ nunc. Nec minus nunc habemus quæ ad vitam transigendam necessaria sunt, quam illi qui fuerunt ante nos, aut postea sunt futuri.

(1) Weissenbach, quæst. 25.

Difficultates Cantici canticorum.

Q. 1. *Canticum canticorum habetne aliquem sensum litteralem proprium, an tantum sensum spiritualem ?*

R. Etsi admitti potest, allegoricum hunc librum fundari in sensu quodam litterali proprio ; certum tamen est, sensum mysticum esse præcipuum et sæpe unicum. Multa enim sunt, quibus sensus proprius nequaquam convenire potest.

Porro fundamentum litterale et proprium est mutuus castusque amor Salomonis ejusque conjugis. Salomon typus est Christi, ejus conjux dilecta, filia Pharaonis, quam rex laudibus exornat, imago est Ecclesiæ, quam Christus etiam e Gentibus congregavit.

Quod si castitati sermonis obstare videantur, ea quæ dicuntur de concubinis (VI, 7) ; animadvertendum est, illa conditionale vel per figuram concessionis dici : ita ut sensus sit : *Licet mihi sexaginta forent reginæ et octoginta concubinæ, adolescentularum porro non esset numerus ; una tamen est columba mea.* De cætero per concubinas hic non intelliguntur pellices ; sed legitimæ uxores, quamvis secundariæ, et reginarum titulo non ornatæ (1).

Q. 2. *An lectio Cantici canticorum omnibus promiscue suadenda aut permittenda est ?*

Resp. negative. Nam quicumque profanis oculis, et minus casto corde ad legendum hoc Canticum accedit, pro spiritu vivificante occidentem litteram offendit : ut præter alios monet Origenes. *Perfectiorum*, inquit, *est solidus iste cibus ; et tales requirit auditores qui exercitatos habeant sensus.* Prolog. in Cant.

Q. 3. Quomodo Sponsus in hoc Cantico, modo *rex* et *pastor*, et suæ Sponsæ *frater ;* Sponsa vero, ut *vinitoria* simulque ut *filia principis*, et tamen ab excubitoribus *percussa* et *vulnerata*, induci potest sine antilogia seu contradictione ?

R. Ut supra jam indicatum est, quæ in Cantico canticorum narrantur, non omnia sensum litteralem proprium habent, ita ut in omnibus Salomoni, et filiæ Pharaonis accommodari possint. Altior hic sæpe sensus latet, quo sub illis figuris amor Jesu Christi in Ecclesiam, et Ecclesiæ in Jesum Christum dilectio reciproca describitur.

Difficultates libri Sapientiæ.

Q. 1. Illud Sap. XI, 25 : *Diligis omnia quæ sunt, et nihil odisti eorum quæ fecisti*, nonne opponitur verbis istis : *Jacob dilexi ; Esau autem odio habui ?* Rom. IX, 13.

(1) Cf. supra, *Diffic. libri Deuteron.* Quæst. 13, pag. 153.

Resp. negative. In Epistola ad Romanos, voce *odii* non intelligitur odium stricte dictum, quale Deus solum habere potest erga opera mala ; sed tantum minor dilectio, seu neglectus aliquis quoad bona temporalia, quem Deus respectu Esau exercuit : dum non ipsum, sed Jacobum ejusque posteros in peculiarem sibi populum elegit.

Q. 2. — Sap. XVI, 2 : *Angelorum esca nutrivisti populum tuum, et paratum panem de cœlo præstitisti illis sine labore, omne delectamentum in se habentem, et omnis saporis suavitatem :* quomodo hæc verba intelligenda sunt ? Et quomodo componenda cum testimonio Moysis ? Etenim, Exod. XVI, 31, dicitur, mannæ fuisse saporem quasi *similæ cum melle*, et Num. XXI, 5, manna Hebræis fastidium movisse.

Resp. 1° Sensus est : Si angeli corporali cibo uterentur, tali, quale manna fuit, merito uti possent. Imo cœlestis fuit quodammodo hæc esca, quandoquidem de cœlo una cum rore decidebat, atque jucundi adeo saporis erat, ut angelorum manu præparata videretur.

2° Quando Scriptura dicit, mannæ *gustum* fuisse quasi *similæ cum melle*, loquitur de sapore ipsi mannæ quasi congenito et naturali. Nam ita sapiebat, dum comedens nullum alium desideraret cibum ; quod si aliud desiderabat, mox id manna sapiebat (1). Sed hoc tantum contingebat justis, quos Scriptura filios Dei appellat (Sap. XVI, 21). Alii hoc beneficio non fruebantur, sed naturalem duntaxat mannæ saporem gustabant : quapropter etiam hunc cibum tandem nauseabundi rejecerunt. Ita cum S. Augustino (2) interpretes multi.

—

Difficultates libri Ecclesiastici.

Q. 1. Quot fuerunt in vetere Testamento celebriores viri, nomine *Jesus* appellati ?

R. Inter plures, quibus nomen fuit *Jesus*, id est, *Salvator*, celebriores sunt tres, iique singuli fuere figura Christi Domini. Primus fuit *Josue*, apud Græcos Ἰησοῦς, et apud Siracidem seu Ecclesiasticum, *Jesus Nave* appellatus. — Alter erat *Jesus*, filius Josedech pontificis, tempore captivitatis Babylonicæ. — Tertius, *Jesus* filius Sirach senioris, auctor Ecclesiastici. — Josue, dux populi Israelitici, typum expressit Jesu Christi, fideles suos in terram promissam, id est, in regnum cœleste deducentis. — Jesus, filius Josedech, tanquam pontifex, repræsentavit sacerdotium et pontificatum Christi. — Denique Jesus, Ecclesiastici auctor, præfiguravit Christum, tanquam Magistrum et Doctorem universi mundi.

(1) Cfr. A Lapide, Exod. XVI, 31.
(2) Lib. 2. *Retract.* cap. 20.

Q. 2. Quid intelligitur nomine *Sapientiæ ?* Eccli., Cap. I.

R. Quæ hoc loco sapientiæ tribuuntur, partim increatæ, partim creatæ sapientiæ conveniunt. Increatæ quidem convenit e. g. quod fuerit ab omni ævo, seu ab æterno ; creatæ vero, quod timor Domini sit sapientiæ initium. Itaque *sapientia*, hic, ut in ipso *libro Sapientiæ*, sumitur generatim, prout Deo tribuitur, infinite : prout tribuitur hominibus, limitate et pro modo cujusque.

Difficultates Prophetarum universim.

Q. 1. *Cur prophetarum stylus seu dicendi ratio, in variis propheliis tam diversus est, cum tamen unus et idem sit Spiritus sanctus per os eorum loquens ? — Et cur passim propheticus sermo obscurus est, abruptus, atque ordine ac rerum connexione destitutus ?*

Resp. Prima et summa horum ratio est Dei voluntas : quia nempe Deo placuit sic loqui nobis. Cui rationi nos, infimæ et cæcutientes creaturæ, etiamsi nulla alia explicatio daretur, acquiescere deberemus. — At vero, præter altiora Dei consilia, causæ quædam sunt intellectui nostro proportionatæ, quæ cognosci possunt et exponi. Quare quæstioni propositæ sic directe respondemus.

1° Unus quidem Spiritus sanctus loquitur per os prophetarum, et ideo una semper eademque veritas et sanctitas, absque contradictione, in omnibus spirat ; diversa tamen sunt hominum illorum ingenia, quibus velut instrumentis Spiritus sanctus utitur : et inde elocutionis diversitas. Etenim ipsos quidem Deus illuminat et ad loquendum movet, sed ita, ut eorum naturale ingenium non mutet, imo potius ei sese accommodet.

2° Obscuritatis causæ immediatæ ac materiales, ex parte nempe rerum et ex parte styli, plures sunt, et alibi indicatæ (1) ; causæ vero formales, ex parte Spiritus sancti, indicantur a Patribus præsertim duæ. Voluit nimirum Dominus multiplici difficultate materiali obscurari prophetias, — 1) ut consuleretur incolumitati tam prophetarum quam librorum, quos Judæi, si clarius vidissent quæ contra ipsos tristia plerumque canerentur, perdidissent. — 2) Ut prophetia ipsa obscuritate sua cogeret, vaticiniorum auctorem Deum adire, et precari ; vel Ecclesiam, ejusque doctores humiliter audire, ad divinorum oraculorum mysteria intelligenda : qui sane ingens est fructus.

Notandum. Quamvis non paucæ prophetiæ sint obscuræ, negari tamen non potest, multa quoque tam clare atque di-

(1) Supra, *de obscur. Scripturarum*, part. 1, cap. 2, pag. 71.

stincte a prophetis esse manifestata, ut nullus sit obscuritati locus. — Cur vero hæc clare, illa obscure revelata fuerint, a mortalibus non est curiosius inquirendum.

3° Ad incohærentiam quod attinet, seu ordinis absentiam, quæ apud prophetas frequenter animadvertitur, hæc dici possunt. Prophetæ divino lumine illustrati, et supra temporis vicissitudines elevati, tanquam conjuncta spectarunt, et proinde in loquendo conjunxerunt multa, quæ respectu nostri, temporis distant intervallis. — Hinc etiam quæ futura sunt, tanquam præsentia vel jam effecta exhibent. *Tales sunt prophetæ*, ait Chrysostomus : *omnia tempora percurrunt, præsentia, præterita, futura* (1).

Quamvis autem prophetæ temporibus et locis maxime dissita annuntient ; minime tamen confusionem proprie dictam atque ordinis perturbationem habent, corporis instar deformis; cujus membra contra naturæ ordinem essent disposita. Etenim prophetiæ altiorem quemdam ordinem continent, suntque opus quoddam secundum Dei intentionem perfectum. Et licet earum cohærentiam aut sensum sæpe non intelligamus, ob ignorantiam tam dissitarum rerum, temporum aut locorum, vel ob alias rationes ; tamen oculis Dei sunt perfectæ, suamque habent cohærentiam. Quæ res, ut De Feller scite ait, declarari potest similitudine carminis lyrici. In hujusmodi enim carmine, v. g. in præstantissimis odis Pindari aut Horatii, sæpe eruditissimi interpretes cohærentiam seu contextum non satis penetrant.

Q. 2. *An prophetiæ omnes sunt impletæ aut implendæ ?*

R. Prophetiæ divinitus inspiratæ, seu quas Ecclesia tanquam veras prophetias agnoscit, omnes sunt impletæ aut implendæ : absolute quidem illæ, quæ absolute prolatæ sunt ; conditionate vero, quæ ab aliqua conditione pendent.

Q. 3. *An etiam homines mali prophetiæ spiritum habere possunt ?*

Resp. affirmative, ut exemplo Balaam et Caiphæ patet (2). Illud enim charisma est mere *gratis datum*, quod Deus, impiis quandoque tribuit, ut malis utatur in utilitatem bonorum, et veritatem etiam ei adversantium testimonio confirmet.

Q. 4. Quomodo intelligendum illud Luc. XVI, 16 : *Lex et prophetæ usque ad Joannem;* cum tamen post Joannem Baptistam prophetæ existant ?

R. Dictum illud Christi intelligendum est de illis solum prophetis , qui de primo Christi in hunc mundum adventu prophetarunt.

---

(1) *Comment. in Ps.* 43.
(2) Cf. Joan. XI, 50 seqq.

Difficultates Isaiæ prophetæ.

Q. 1. Quid significat proprie nomen *Emmanuel*, quod futuro Messiæ, filio Virginis pariturae, tribuitur? Isai. VII, 14.

R. Nomen Emmanuel (*nobiscum Deus*) significat, 1° Messiam fore causam cur sit *nobiscum Deus* tanquam protector; 2° Messiam ipsum fore Deum substantialiter nobiscum viventem. Quod si Messias non est vocatus *Emmanuel*, tanquam nomine apellativo, sed *Jesus;* reapse tamen ille est cui hoc nomen attributivum convenit, et revera dabitur. Cæterum, nomen *Emmanuel* reipsa idem est quod nomen *Jesus*, idem, inquam, non sono sed significatu.

Q. 2. Quo sensu de rege Æthiopiæ dicitur: *Mittit in mare legatos, et in vasis papyri super aquas?* Isai. XVIII, 2.

R. In vasis papyri, id est, in navibus ex papyro arbore confectis, ut moris erat in Æthiopia et Ægypto, teste Herodoto (1), qui scribit, Ægyptios naves suas ex junco fabricasse. Est enim papyrus arbuscula juxta Nilum nascens, sicut apud nos nascuntur junci in locis palustribus.

Q. 3. Isai. XX, 2, dicit Dominus Isaiæ: *Vade, et solve saccum de lumbis tuis, et calceamenta tua tolle de pedibus tuis. Et fecit sic, vadens nudus et discalceatus.* Quomodo hæc intelligenda?

R. Nudus dicitur Isaias, quia magna ex parte erat denudatus, interioribus tantum vestimentis coopertus. — De cætero, etiamsi omnimoda nuditas significaretur, id minime repugnaret: cum possit Deus ex altissimis finibus præcipere rem non intrinsece malam, et scandalum interim, quod inde connaturaliter oriretur, facile impedire.

Q. 4. Quomodo de Cyro dicitur: *Ipse ædificabit civitatem meam* (Isai. XLV, 13); cum tamen diu post mortem Cyri, anno vigesimo Artaxerxis Longimani, Nehemias primum impetraverit licentiam ædificandi Jerusalem? II Esdr. II, 8.

R. Cyrus ædificavit Jerusalem, sed inchoate tantum, jubendo ruinas ejus instaurari (I Esdr. I). Licet enim hoc loco duntaxat de templo mentio fiat, omnino censendum est, implicite quoque agi de reædificandis domibus civium. Præterea Esdras ibi expresse addit: *Ut compleretur verbum Jeremiæ;* Jeremias autem (XXX, 18), de restauratione non solum templi, sed etiam urbis Jerosolymæ vaticinatus est.

—

Difficultates Jeremiæ prophetæ.

Q. 1. — Jerem. I, 5, dicit Dominus Jeremiæ: *Antequam exires de vulva sanctificavi te;* quomodo ergo ipse propheta exclamare potuit: *Maledicta dies in qua natus sum!*

(1) Lib. 2.

Resp. Etsi nonnulli auctores priorem textum explicant hoc sensu : Antequam nascereris, prædestinavi ac præparavi te in prophetam ; communis tamen doctorum sententia est , quod Jeremias vere fuerit sanctificatus in utero , et gratia sanctificante purificatus antequam nasceretur. Huic autem prophetæ privilegio non repugnat supra citata exclamatio , qua more Orientalium tantum vehementer et hyperbolice significare voluit, quantas angustias et quam gravia mala pateretur.

Q. 2. Quomodo explicatur illud Jerem. XXVII, 27 : *Servient Nabuchodonosori omnes gentes , et filio ejus , et filio filii ejus ;* cum tamen Nubuchodonosoris filio Balthasari , nullus hujus filius successerit, sed (Dan. V, 31) Darius Medus ?

R. Jeremias loquitur de Nabuchodonosore seniore , cujus filius Nabuchodonosor Magnus , Jerusalem evertit, et successorem habuit filium suum Balthasar , ut ostendit Tirinus (1).

Difficultates Ezechielis prophetæ.

Q. 1. Quomodo illa Ezechielis I, 14 : *Animalia ibant et revertebantur, in similitudinem fulguris coruscantis* , concordant cum istis. ibid. 9 et 14 : *Non revertebantur cum incederent ?*

R. Animalia , seu Cherubini, *ibant* , id est, recta tendebant ad locum, ad quem impetu Spiritus Dei agebantur ; — *et non revertebantur cum incederent* : hoc est , non regrediebantur , sed recta antrorsum usque pergebant , una cum curru , communi motu. — Quibus verbis significatur, angelos recta quo mittuntur properare ; nec desistere , sed perseverare donec jussum Dei perficiant, idque citissime.

Cum autem pervenissent ad terminum missionis, *revertebantur* : nimirum, peracto Dei jussu , statim redibant ut rursus se sisterent Deo, quasi prompti ad nova ejus jussa excipienda, eaque pari rectitudine et fortitudine exsequenda. Deo enim jubente evolabant et revolabant celerrime in *similitudinem fulguris coruscantis.*

Q. 2. — Ezech. III, 1, 4 : *Fili hominis.... comede volumen istud.... Et comedi illud ; et factum est in ore meo sicut mel dulce.* Quo sensu hæc intelligenda ?

R. Non sensu reali et proprio ; sed imaginario et morali. Non res externa peracta narratur, sed visio , qua hæc omnia prophetæ repræsentabantur : *Hæc visio similitudinis gloriæ Domini.* Ezech. II, 11.

Rei autem significationem explicat ipse Dominus (I , 10), dicens : *Omnes sermones meos , quos loquor ad te assume in*

(1) *In chronico*, ad init. commentarii tom. I posito.

corde tuo; quasi diceret : Hæc traditio voluminis symbolum est legationis tuæ, et indicat, infundi tibi spiritum propheticum ; comestio vero significat, ea quæ in hac legatione a Deo audis et vides, intime esse meditanda, ut toto animo et spiritu ea populo proloquaris. — *Et cibavit me volumine illo* : id est, visus est mihi Deus librum instar cibi ingerere in os meum ; simulque reipsa docuit me cuncta quæ in illo erant scripta. — *Et factum est in ore meo sicut mel dulce* : scilicet valde suave est nosse divina mysteria, omniaque verba oris Dei. Amaritudo tamen subsecuta est : nimirum dolor amarus, condolentia et compassio, cum postea propheta vidit hominum ingratitudinem ac peccata, Deique iram et tremenda judicia. (Cf. Apoc. X, 10 ; Ezech. III, 14.)

Q. 3. *Quomodo explicanda quæ de conficiendo pane et animalium fimo dicuntur.* Ezechielis, IV, 12, 15 ?

R. Jubetur duntaxat propheta, panem coquere sub cinere, ex ejusmodi excrementis composito atque succenso. Quibus symbolis Deus portendere voluit famem, sordes et angustias, summamque rerum penuriam, quam passuri essent postea Judæi sub rege Sedecia, obsessi a Chaldæis in Jerusalem.

Q. 4. Ezechiel, cap. XXIII, *utendo parabola duarum meretricum, ut describat fornicationem, id est idololatriam, tam Samariæ quam Jerusalem, nonne sanctitatem et honestatem offendit ?*

R. Minime. Ex fine bono, justisque de causis, propheta, Deo jubente, hujusmodi similitudine usus est. Perfidia populi judaici, quem singulari fœdere Deus quasi desponderat sibi, aptius ob oculos poni non poterat, quam moribus adulteræ perditissimæ. — Accedit quod multa Scripturæ dicta, et imagines, quæ nostris moribus liberiores videntur, nequaquam adeo offenderent simpliciores antiqui temporis animos.

Difficultates Danielis prophetæ.

Q. 1. *An Nabuchodonosor rex, juxta* Dan. IV, *vere in bovem mutatus est ?*

Resp. 1° Constans est communisque Patrum et interpretum, tam nostrorum quam Hebræorum, sententia, veram esse hanc historiam, non allegoriam tantum aut parabolam. — 2° De modo autem aut sensu, quo illa mutatio contigerit, disputatur. Sententia communiore suffragio recepta tenet, Nabuchodonosorem, *ultrice manu Dei*, adeoque extraordinaria providentia percussum, in phrenesin incidisse ; in illud nempe morbi genus, cujus speciem *lycanthropiam* appellant. Hujusmodi morbo quicumque corripitur, febri effervescens, et turbata phantasia

delusus, se belluam reputat, et belluinos induit mores. Sic igitur rex Nabuchodonosor bovino more cœpit curvato dorso manibus pedibusque reptare, herbas carpere, mugire, veluti cornu petere.... Quapropter, vinculis primum constrictus est, ac dein ejectus e consortio hominum ; donec *septem temporibus*, seu annis, revolutis, divinitus quoque liberatus est, et regno restitutus.

Q. 2. *Narratur* (cap. VI, 16-24) *Daniel fuisse in lacu leonum una duntaxat nocte ; alibi vero* (XIV, 39) *legitur usque ad diem septimum ibi fuisse : quomodo hæc inter se concordant ?*

R. Daniel bis in lacum leonum missus est. Prima vice a Babyloniis, quia Belem destruxerat et draconem interfecerat ; et tunc in lacu mansit diebus sex (Dan. XIV). — Secunda vice sub Dario Medo, quia, contra edictum regis, preces vero Deo fuderat : et tunc in lacu una duntaxat nocte remansit (Dan. VI).

Q. 3. Daniel, cap. XIII, 45, exhibetur ut puer junior ; et tamen ibidem, versu 50, ipsi dicitur : *Tibi Deus dedit honorem senectutis :* nonne contradictio ?

Resp. negative. Fuit tunc Daniel adolescens annorum circiter duodecim, vel, ut probabilius censet Tirinus, annorum viginti quatuor (1) ; dicitur autem ei Deus dedisse *honorem senectutis* : puta, dignitatem judicandi, quæ senibus proprie convenit.

Q. 4. *Quomodo intelligendum quod dicitur* (Dan. XIV, 35, 39), *prophetam Habacuc capillo capitis sui fuisse ab angelo portatum ?*

R. Manus angeli ut passim interpretes exponunt, apparuit super caput Habacuc tenens capillos ejus ; simul autem virtus angelica totum hominem sustinebat, et admirabili ac rapidissimo motu in Chaldæam suaviter adduxit. — Utrum autem iste Habacuc propheta, fuerit unus de duodecim minoribus, non constat, et probabilius negatur.

—

Difficultates Prophetarum minorum.

Q. 1. Quonam sensu intelligendum mandatum, quod Deus Oseæ prophetæ dedit (Oseæ I, 2), dicens : *Sume tibi uxorem fornicationum, et fac tibi filios fornicationum ?*

R. Sensus mandati est, ut propheta famosam meretricem *Gomer*, e prava vita eductam, legitimo sibi matrimonio copulet ; et filios ex ea procreet, qui vocantur *filii fornicationum*, propter præteritum statum suæ matris, etsi ipsimet ex legitimo conjugio sunt procreati.

(1) Vid. quæ dicta sunt supra, Part. 1, *de libro Danielis*, pag. 30.

Cum autem unus idemque textus S. Scripturæ plerumque sensus plures contineat, mirandum non est, juxta Patres et interpretes, illud Oseæ matrimonium figuram et typum fuisse connubii spiritualis triplicis. Figuravit enim 1° spirituale conjugium Dei cum populo Israel ; 2° item conjugium Christi cum carne nostra peccaminosa, quam Filius Dei, depuratam tamen, sibi univit et desponsavit per Incarnationem ; 3° item conjugium Christi cum Ecclesia, ex gentibus prius idololatriæ deditis congregata.

Q. 2. Quomodo illud Joelis II, 14 : *Quis scit si* Deus *convertatur et ignoscat ?* conciliatur cum verbis Ezech. XVIII, 21 : *Si impius egerit pœnitentiam... vita vivet et non morietur*, ubi venia pœnitentibus non dubitanter, sed absolute promittitur ?

R. Ezechiel agit de culpa et pœna æterna, quæ sincere pœnitentibus semper remittitur ; Joel vero de pœna temporali, nempe de excidio Judææ per Chaldæos inferendo : cujusmodi pœna non item remittitur semper.

Q. 3. *Vallis Josaphat* (Joel. III, 2 et 12) estne certus et determinatus aliquis locus, an tantum significat *locum Judicii* a Domino instituendi, quicumque demum ille locus erit ?

R. 1° Certum est, locum hunc Joelis agere de judicio extremo, quod Lutherus contra sensum SS. Patrum negavit. — 2° Communius docent contra Calmetum interpretes catholici, *vallem Josaphat* esse nomen proprium, locum determinatum designans, nempe illam vallem quæ jacet ad pedem montis Oliveti, prope urbem Jerusalem. — Imo 3°, ut S. Thomas (1) cum Dominico Soto (2) et aliis docet, probabile aut probabilius est, in præfato loco seu valle, extremum judicium futurum.

Quam tamen assertionem non eo sensu doctores intelligunt, quod vallis Josaphat omnes judicandos homines ambitu suo conclusura sit ; sed solum, quod hæc vallis sit futura veluti centrum immensæ illius multitudinis hominum congregandorum, juxta illud Joel III, 12 : *Consurgant et ascendant gentes in vallem Josaphat ; quia ibi sedebo ut judicem omnes gentes in circuitu.*

Q. 4. Quomodo explicatur illud Jonæ I, 3 : *Et surrexit Jonas, ut fugeret in Tharsis a facie Domini ?*

R. Illud *a facie Domini* significat, ab imperio Dei, et a ministerio quod ipsi Dominus injungebat. Renuit nempe Jonas ire in Niniven, timens, ne Deus infinite clemens, Ninivitarum pœnitentia reconciliatus, pœnam intentatam remitteret ; sicque ipse Jonas quasi falsus propheta irrideretur (Jon. IV, 2). Fugit itaque in dissitas regiones, non quasi putaret se ibi Deum

(1) *In* 4, dist. 48, q. 1, art. 4.
(2) *In* 4, dist. 47, q. 1, art. 4.

latere posse ; sed quod speraret, fore ut ex remotissimis illis locis non revocaretur a Deo, nec remitteretur in Niniven.

Q. 5. *Qualis fuit ille piscis tam grandis, ut Jonam deglutiret, ac postea evomeret in aridam ?* Jon. II, 1. 11.

R. Textu sacro non specifice determinatur piscis, sed tantum generice. Apud Matthæum (XII, 40) vocatur *cetus*, quo nomine quivis piscis grandis significatur. Communior opinio est, fuisse balænam ; alii *carchariam* seu canem marinum ponunt (1). Utraque hypothesis probabilis est, cum exploratum sit, utramque belluam homines deglutire posse.

Fatendum tamen, cum Cornelio A Lapide, Tirino aliisque, hic multa intercurrisse prodigia, communem naturæ ordinem superantia. Eadem scilicet Dei potentia, quæ tres pueros in fornace Babylonica servavit, omnesque infantes in materno utero illæsos fovet, ut Hieronymus et Theophylactus inquiunt ; etiam prophetam Jonam in ventre ceti custodivit incolumem.

De cætero, veritas tanti miraculi statim per totum Orientem divulgata est ; atque inde videntur gentiles fabulam sumpsisse sui Herculis, a balæna devorati, et ex ea incolumis reversi (2).

Q. 6. *Quomodo conservatio urbis Ninive* (Jon. III) *concordat cum prophetia Tobiæ de ejusdem urbis excidio* (Tob. XIV, 15) ?

R. Sententia Dei de Ninive excidio, Ninivitis pœnitentiam agentibus, non fuit penitus abolita, sed suspensa duntaxat. Ipsis enim ad scelera sua postmodum reversis, divina justitia laxavit manum suam, et exitium a Jona intentatum atque a Tobia prædictum, per exercitus Nabopolassar et Astyages inflixit.

Q. 7. Quomodo intelligendum illud Habacuc III, 3 : *Deus ab Austro veniet, et sanctus de monte Pharan ?*

R. Probabilior est expositio S. Hieronymi, Theodoreti et Theophylacti, qui locum hunc de primo adventu Christi ita explicant : *Deus ab Austro veniet,* id est, a Bethlehem, quæ ad Austrum est respectu Jerosolymæ ; spiritualiter vero, *ab Austro*, id est, ex calore charitatis, qua impulsus est ut ad nos descenderet. — Item, *veniet de monte Pharan*, id est, ille idem Deus se ostendet in carne, qui in montibus Seir, Pharan, et Sina olim Patribus apparuit. Alludit nimirum Propheta ad illud Deut. XXXIII, 2 : *Dominus de Sina venit, et de Seir ortus est nobis ; apparuit de monte Pharan, et cum eo sanctorum millia.*

Q. 8. Quomodo Aggæus (cap. II, 7) dicere potuit : *Adhuc unum modicum est... et veniet desideratus cunctis gentibus ;*

(1) Cf. Calmet, dictionn. artic. *Poisson qui engloutit Jonas.*

(2) Theophylact. *in Jon. I;* Salmeron. tom. 8, tract. 17 ; Joseph. *Antiquit.* lib. 9, cap. 11.

cum tamen ab anno secundo Darii Hystaspis, quo hæc prophetia edita est, usque ad Christi adventum fluxerint anni plusquam quingenti ?

R. Hoc spatium *modicum* est, respectu temporis elapsi ab orbe condito ; item *modicum*, respectu legis Christianæ, ad finem usque mundi duraturæ : quæ tamen duratio et ipsa in sacris Litteris *hora* vocatur : *Filioli*, *novissima hora est.* Joan. II, 18.

Q. 9. Illis verbis Malach. IV, 5, 6 : *Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam, antequam veniat dies Domini magnus et horribilis ; et convertet cor patrum ad filios, et cor filiorum ad patres eorum ;* — de quonam *Elia* sermo est ?

R. De Elia Thesbite, qui per turbinem olim vivus assumptus, ante diem extremi judicii venturus est. Nec obstat quod Præcursor Domini in adventu primo, vocetur quoque *Elias;* nam Evangelium apprime distinguit Elias duos : unum imitatione et zelo, qui fuit Joannes Baptista, præcurrens adventum primum ; alterum, Eliam Thesbiten in propria persona, præcessurus adventum Christi secundum. *Et interrogaverunt eum discipuli, dicentes : Quid ergo Scribæ dicunt, quod Eliam oporteat primum venire ? At ille respondens ait eis : Elias quidem venturus est, et restituet omnia. Dico autem vobis, quia Elias jam venit, et non cognoverunt eum.... Tunc intellexerunt discipuli quia de Joanne Baptista dixisset eis.* Matth. XVII, 10 seq.

—

Difficultates libri I et II Machabæorum.

Q. 1. Quomodo *Alexander Philippi Macedo... primus regnavit in Græcia* (I Machab. I, 1) ; cum tamen ante ipsum ejusque patrem Philippum, in Græcia regnaverint principes et reges Lacedæmoniorum, Atheniensium, Corinthiorum et Macedonum ?

R. Alexander Magnus non regnavit primus in Græcia *ut rex;* sed primus *ut monarcha*, et fundator monarchiæ Græcæ, qui solus in tota, vel fere tota Græcia imperavit.

Q. 2. — Lib. I Machab. VIII, 16, de Romanis dicitur, eos *committere uni homini magistratum suum per singulos annos ;* constat tamen, duos quotannis consules Romæ fuisse creatos.

R. 1° Textu sacro non absolute res asseritur, sed tantum prout a Juda fuit audita : *Et audivit Judas nomen Romanorum*, etc. — 2° Etsi duo quotannis Romæ consules erant, *unus* tamen *homo* in æstimatione morali dici possunt : non tantum eo quod instar unius essent, aut esse deberent, unamque haberent summam potestatem ; sed quia imperium quidem penes duos, insignia vero imperii, nempe fasces, penes unum erant.

Q. 3. *Quomodo Jeremias* (II Machab. II, 5) *eripere potuit e manibus Chaldæorum, et abscondere in monte Tabernaculum, et Arcam, et Altare incensi ; cum ipse tempore obsidionis Jerosolymæ in carcere teneretur ?*

R. Dicendum, vel ante oppugnatam Jerosolymam illa fuisse clam ablata, vel post captam hanc urbem concessa Jeremiæ a Nabuchodonosore ; qui quidem rex prophetæ favebat adeo, ut magistro militiæ suæ Nabuzardano, expugnata jam Jerosolyma, de Jeremia diceret : *Tolle illum, nihilque ei mali facias ; sed, ut voluerit, sic facias ei.* Jerem. XXXIX, 12.

Q. 4. Quomodo potuit auctor inspiratus, erratorum quæ scripserit veniam petere, dicens : *In his faciam finem sermonis. Et si quidem bene, et ut historiæ competit, hoc et ipse velim ; sin autem minus digne, concedendum est mihi.* II Machab. XV, 39, 40.

R. Quemadmodum Caiphas, cum de Christi morte loqueretur, nescivit se Spiritu sancto inspirante loqui (Joan. XI, 51) ; ita auctor hujus libri nescire potuit, se divinitus inspiratum scripsisse, ideoque inspirante eodem Spiritu sancto, ex humilitate veniam petere, si scripsisset *minus digne*, id est, minus eleganter. Etenim, si ejus verba recte considerentur, maxime ex originali græco, nequaquam petit veniam de erratis contra veritatem ; sed tantum de sermonis forma, quæ aliquibus minus elegans videri posset.

Antilogiæ et Difficultates Evangeliorum.

Q. 1. Matthæus in genealogia Christi, Cap. I, 8, dicens : *Joram autem genuit Oziam*, nonne errat manifeste? Joram enim, ut ex libris Paralipomenon constat, genuit Ochoziam, Ochozias Joam, Joas Amaziam , Amazias vero Azariam sive Oziam : iste enim binomius erat.

R. Non errat, sed consulto vocem *genuit* sensu *mediato* hic accipit, omittendo tres illos reges, ex impii Achabi sanguine progenitos : ut sic numerum ter quatuordecim quem volebat, in recensione progenitorum Christi proponeret. Cf. Matth. I, 17.

Q. 2. *Cur autem Matthæus* (cap. I, 17), *Christi genealogiam in tres tesseradecadas divisit ?*

Respondent passim Patres et interpretes, voluisse Evangelistam triplicem populi Judaici statum recensere : primum sub Patriarchis et Judicibus ; alterum sub Regibus ; tertium sub Ducibus et Pontificibus, usque ad Christum. Veniente autem Christo, supremo Judice, Rege ac Pontifice, cessavit quilibet status regni temporalis Israel : quod debuit in Christi regno æterno terminari.

Q. 3. *Nonne genealogia Christi secundum Matthæum, contradicit genealogiæ quæ texitur a Luca?* Luc. III, 23 seq.

Resp. negative. Matthæus enim genealogiam recenset sancti Joseph ; Lucas vero, B. Mariæ Virginis : et sic uterque Evangelista originem Christi ex Davide demonstrat : Lucas quidem directe, Matthæus vero indirecte. Hic enim ostendendo sanctum Joseph esse de stirpe David, eo ipso probat Josephi sponsam, Virginem Mariam, Virginisque divinum Filium de eadem stirpe esse : cum per legem cautum esset (Num. XXXVI, 7, 8), ne vir uxorem, aut femina virum ex alia tribu aut familia sumeret, quam ex sua (1).

Nota. Probabilitate tamen non caret systema Cornelii A Lapide et aliorum, juxta quod, non solum Lucas sed etiam Matthæus genealogiam texit Mariæ Matris Jesu : ille per lineam B. Virginis paternam, hic vero per maternam. Sicut enim Mathat genuit Heli (seu Heliacim vel Joachim, quod idem est nomen), patrem B. Virginis ; ita Mathan a S. Matthæo recensitus, genuit, præter Jacobum patrem sancti Joseph, etiam Annam, matrem B. Virginis ; unde Matthæus tum Josephi tum Mariæ genealogiam simul texit (2).

Q. 4. *Juxta* Matth. I, 23, 25, *Christus natus est ex Virgine, quæ, ut catholica fides docet, etiam post partum virgo permansit ; cur tamen alibi sermo est de Christi fratribus, quorum ipsa nomina citantur* Matth. XIII, 55 : *Jacobus, Joseph et Judas ?*

R. Fratres et *sorores* sæpe vocantur in Scriptura, non germani, sed cognati ; sic dicit Abraham ad Loth, nepotem suum : *Ne, quæso, sit jurgium inter me et te... fratres enim sumus* (Gen. XIII, 8). — Porro fratres Christi supra nominati, probabilius erant ejus consobrini, filii nempe Mariæ Cleophæ, quæ vocatur *soror Matris ejus ;* non quidem soror germana, sed consanguinea (3).

Q. 5. *Matthæus duo facta insignia refert, stellæ nimirum insolitæ apparitionem, et infanticidium in Bethlehem, quorum alibi mentio non invenitur ; at quomodo fieri potest ut historia profana de his altum silentium teneat ?*

R. 1° Inverto argumentum : Quomodo fieri potuit, ut hæc duo facta publica Hierosolymitanis coævis Matthæus persuaserit, nisi revera contigissent ? — 2° Hæc facta, utpote respectu historiæ profanæ minoris momenti, facile potuerunt omitti. — 3° Negandum tamen assertum, quod nullus ex historicis profanis de his factis scripserit : nam de stella a Magis visa testa-

(1) Cf. *Evangelia Dominicar.* Tom, I, Luc. I, 26, *in festo Annuntiat.*

(2) Cf. quoque Patrizi, *De Evangeliis*, dissertat. IX, *De genere Christi*, cap. 19, et 20 part. 1.

(3) Cf. *Evangelia Dominic.* tom. I, *Dominica Resurr.* in Marc. XVI, 1.

tur Chalcidius, philosophus Platonicus (1) ; de infanticidio vero Macrobius : auctores ethnici ambo (2).

Q. 6. — Matth. II, 23, dicitur, Jesum habitasse in Nazareth, ut adimpleretur prophetia : *Nazaræus vocabitur ;* atqui hæc prophetia nullibi in V. T. reperitur. — Similiter, idem Evangelista pro *Zacharia* propheta, citat *Jeremiam* (Matth. XXVII, 9) ; Marcus vero (I, 1, 2, 3) pro Malachia citat Isaiam. Quomodo ista explicantur ?

R. Vox *Nazaræus*, secundum duplicem orthographiam hebraicam, duplicem sensum habet ; et significat tum *florem* seu *florentem*, tum *segregatum* seu *sanctum* : jam vero Christus utroque nomine a prophetis appellatur. « *Nazaræus*, inquit « Hieronymus, *sanctus* interpretatur. Sanctum autem Dominum « futurum, omnis Scriptura commemorat. Possumus et aliter « dicere, quod etiam eisdem verbis juxta hebraicam verita- « tem in Isaia scriptum sit. *Exiet virga de radice Jesse, et* « *Nazaræus* (id est, flos) *de radice ejus ascendet.* »

Quoad prophetiam illam, de qua Matthæus (XXVII, 9) ait : *Tunc impletum est quod dictum est per Jeremiam prophetam, dicentem : Et acceperunt triginta argenteos, pretium appretiati...* quæ prophetia non apud Jeremiam, sed apud Zachariam XI, 12, reperitur ; dicendum : vel in Jeremia exstitit olim et intercidit ; vel, quod probabilius plerisque videtur, nomen *Jeremiæ* in citatum Matthæi locum, incuria librariorum irrepsit. Et revera, teste Calmeto, sunt græci codices, latini, syriaci, arabici, persici, in quibus nomen Jeremiæ minime legitur ; sed tantum, *quod dictum est per prophetam dicentem...* prout alibi Matthæus scribere solet.

Quoad initium Marci, si lectio quæ Isaiæ nomen exprimit admittitur (3), sic videtur respondendum : Evangelista verba quidem citat partim Isaiæ partim Malachiæ ; unius tamen Isaiæ nomen memorat, quia antiquior ac celebrior : et quia de cætero idem reapse quasi confirmando dicit Malachias, quod jam prædixerat Isaias.

Q. 7. Scribit Matthæus, IV, 23 : *Circuibat Jesus totam Galilæam, docens in synagogis eorum, et prædicans Evangelium regni, et senans omnem languoram et omnem infirmitatem in populo. Et abiit opinio ejus in totam Syriam...* Si tanta erant Christi miracula, eaque in confirmationem suæ doctrinæ

(1) *Commentario in Timæum Platonis.* — Cf. Patrizi, ibid. Dissertat. 27, cap. 4, *de stella a Magis visa.*

(2) Lib. II *Saturn.* cap. IV. Cf. Veith, part. 7, sect. 2, n. 23. — Patrizi, ibid. Dissert. 33, *de cæde puerorum.*

(3) Probabilius enim nomen *Isaiæ* non fuit scriptum a S. Marco, sed a librario antiquissimo additum, unde lectio id nomen referens evaserit communior. Multi tamen codices habent *in prophetis*, vel *in propheta.*

patrata, cur 1° ethnici auctores ea non memorant? — 2° Cur Judæi et Romani ea videntes, in Christum non crediderunt? — 3° Cur ipsemet Christus ea prohibuit publicari? — 4° Cur dæmones ex iis Christi divinitatem non agnoverunt?

Resp. Ad primum; 1) Si auctores Ethnici et Judæi omnes de Christi miraculis tacerent, ipso suo silentio eorumdem veritatem tacite agnoscerent: cum debuissent, utpote adversarii et persecutores Christianismi, ejusdem fundamentum destruere, patefaciendo miraculorum Christi falsitatem. 2) Nequaquam autem illi auctores solo silentio suo Christi miraculis suffragantur; sed plures ex iis evangelicæ historiæ veritatem positive testantur. Tales sunt Chalcidius et Macrobius (1); talis Phlegon, libertus Neronis (2); talis Flav. Josephus (3). — His autem merito adduntur innumeri scriptores, qui prius Ethnici vel Judæi, deinde sunt ad Christum conversi: ut Justinus, Tertullianus, Quadratus. Hic postremus, teste Eusebio (4), in apologia quam Adriano imperatori obtulit, ita scribit: *Servatoris nostri opera semper conspicua erant, quippe quæ vera essent; ii scilicet, qui morbis liberati, aut qui ex morte ad vitam revocati fuerant... adeo ut nonnulli eorum etiam ad nostra usque tempora pervenerint.*

Ad secundum quæsitum, cur multi Judæi et Romani non crediderint, respondeo: 1) Cur alii multi crediderunt? — 2) Cur non omnes homines sequuntur virtutis viam, cujus tamen pulchritudo et obligatio est manifesta? Nonne quia *ardua ad superos via est, facilis vero et præceps descensus averni?* Eadem ratio est cur multi non crediderint in Christum. — 3) In particulari, respectu Judæorum, ne crederent obstabat voluntaria et ex pravis passionibus orta cæcitas; de regno temporali Messiæ præjudicia; contemptus Jesu Nazareni pauperis, ejusque invidia et odium; ac demum rationes politicæ (5). — 4) Respectu Gentilium, qui Christi miracula plerique non viderant, fidei obstabant eorum vitia, præjudicia, contemptus Judaicæ gentis, etc.

Ad tertium. — Christus non semper, sed aliquando tantum miracula sua propalari vetuit: vel ad præbendum nobis modestiæ exemplum; vel ad declinandam, initio prædicationis, hostium invidiam; vel ad divinam missionem suam paulatim et quasi per gradus demonstrandam: vel demum ob alios peculiares fines, a Salvatore sapientissime intentos.

Ad quartum. — Dæmones quidem, ut ex historia evangelica

(1) De quibus supra, quæst. 5. — (2) *Histor. Olympiadum*, lib. 13.
(3) *Antiq.* l. 18, cap. 4.
(4) *Hist. Eccl.* l. 4, c. 3.
(5) Cf. Evangel. S. Joannis, cap. XI, 47 seqq.

colligitur (1), Christi divinitatem non certo cognoverunt, saltem ab initio prædicationis ejus : quia Deus ex altissimis causis eorum intelligentiam impedivit. *Christus*, inquit Augustinus (2), *dæmonibus innotuit quantum voluit ; tantum autem voluit, quantum oportuit.*

Q. 8. *Matthæus*, cap. VIII, 5 seq. *refert, centurionem ad Christum accessisse, eumque rogasse ut in suam domum non intraret ; cui narrationi nonne Lucas*, cap. VII, *dupliciter contradicere videtur ?*

Resp. Revera duplex hic antilogia occurrit. Nam 1° Matthæus scribit : *Accessit ad eum centurio ;* Lucas vero : *Misit ad eum seniores Judæorum*, ac deinde *amicos*. — 2° Juxta Matthæum, centurio noluit ut Dominus intraret in domum suam, et ait : *Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum ; sed tantum dic verbo, et sanabitur puer meus.* Secundum Lucam e contra, per legatos *rogavit Christum ut veniret ;* et quidem legati addiderunt : *Quia dignus est ut hoc illi præstes.*

Duplicem hanc antilogiam facile solvunt interpretes, dicendo : 1° Quod Matthæus scribit : *Accessit centurio, rogans et dicens :* id est, non per se ipsum accessit, sed primum per seniores Judæorum, deinde per amicos, ab ipso missos. — 2° Quod scribit Lucas : *Misit seniores, rogans ut veniret*, sic intelligendum : centurio, eo quod ethnicus esset, cum non auderet Jesum, hominem Judæum, ipsemet adire, misit suo loco Judæos, qui pro se rogarent ut suum servum sanare dignaretur. Hi autem Judæi, ex mandato quidem centurionis sanationem servi petierunt ; sed insuper suo nomine addiderunt ista : *Ut veniret* Dominus ad centurionis domum ; *quia dignus est : diligit enim gentem nostram, et synagogam ipse ædificavit nobis.* Cumque Christus revera domum ejus adire vellet, centurio tanto favore indignum se reputans, per amicos dixit illi : *Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum...*

Q. 9. *Cur Christus*, Matth. VIII, 32, *ejectos dæmones misit in gregem porcorum ?*

R. Christus, Deus-Homo, cujus sunt creaturæ omnes, non tantum sine injustitia, sed etiam sapientissimas ob causas, brutorum illorum interitum permisit. Hujusmodi causæ, inter alias, assignari possunt sequentes : 1° Ut ostenderet Christus, se dæmonibus dominari, eosque sine sua licentia nihil posse. 2° Ut Sadducæorum, negantium dæmones esse, errorem hoc facto convinceret et confutaret. 3° Ut patefieret quanta esset dæmonum multitudo, vis et malitia ; ideoque quanta esset Christi eos expellentis potestas et gloria.

(1) Cf. *Evangelia Dominic.* t. I, *Dom. I Quadrag.* ad Matth. IV, 3.
(2) *De civit.* l. 9, cap. 21.

Q. 10. *Juxta Matthæum* (X, 10), *prohibet Christus discipulos portare virgam; juxta Marcum vero* (VI, 8), *id expresse permittit; nonne hic aperta contradictio ?*

Respondent multi interpretes negative. Matthæus, inquiunt, loquitur de virga *defensionis*, quæ gladii loco gestabatur; Marcus vero de baculo, seu virga *viatoria* : hanc Dominus discipulis permisit, non illam. — Alii tamen melius cum Maldonato dicunt, Dominum discipulis unicam virgam, sicut unicam tunicam permisisse, non plures : præcipiens nimirum ne quid haberent præter ea, quæ essent in præsentem usum necessaria.

Q. 11. Quomodo intelligenda sententia Christi de efficacia fidei, quæ fuerit *sicut granum sinapis ?*.... Matth. XVII, 19.

R. Non a sola quantitate grani sinapis, similitudo ista ducitur ; sed etiam ab interiori virtute ac energia : ita ut significetur fides, specie minima, fervore maxima. Sensus itaque est : Si haberetis fidem, humilem quidem, sed vivam ac fervidam, instar grani sinapis : quod exiguum quidem et vile oculis est, intus autem plenum fervoris, virtutis et efficaciæ : faceretis maxima miracula, tum in ordine morali, tum in ordine physico, quoties id Dei honor requirat.

Q. 12. *Nonne acerbæ Christi in Pharisæos objurgationes*, Matth. XXIII, 13, *mansuetudini evangelicæ opponuntur ?*

Resp. negative. Non ex odio vel zelo amaro et intemperanti, sed ex ordinata charitate sic egit mansuetus idem ac fortis Dominus. Nam, 1° hypocritis illis larva erat detrahenda, qua Evangelio recipiendo erant obstaculo plebi. 2° Cum nihil homines obdurati mansuetudine moverentur, convenientior ipsis loquendi ratio erat, ut increparentur dure. 3° Quam parum eis Christus fuerit infensus ostendit illa ejus oratio : *Pater, dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt* (Luc. XXIII, 34). Hæc enim oratio non tantum pro militibus crucifixoribus fusa est, verum etiam pro Pharisæis, iisque omnibus qui mortis Domini fuere causa.

Q. 13. *Quomodo circa sanationem cæci, vel cæcorum, prope Jericho, inter se concordant Evangelistæ?* Matth. XX, 30 ; Marc. X, 46 ; Luc. XVIII, 35.

R. Dicit Lucas, cæcum prope Jericho a Domino fuisse sanatum in accessu ad oppidum ; Marcus refert similiter, ibi sanatum cæcum Bartimæum, at in exitu ; Matthæus vero ibi sanatos fuisse, ait, duos cæcos, in exitu. Utrum igitur de eodem an de diverso eventu loquantur Evangelistæ, disputant interpretes. Opinio probabilior tenet, duplicem fuisse ac distinctam sanationem, alteram in aditu, alteram in exitu a Domino peractam ; Matthæum vero, propter rei similitudinem, ambas absque distinctione loci in unam contraxisse. Non enim affirmat, utrumque

cæcum eodem in loco visum a Domino recepisse ; sed sic loquitur : *Et egredientibus illis ab Jericho, secuta est eum turba multa. Et ecce duo cæci, sedentes secus viam, audierunt quia Jesus transiret ; et clamaverunt... Et confestim viderunt, et secuti sunt eum*. Matth. XX, 29 seq.

Q. 14. *Quis ille Zacharias, filius Barachiæ, de quo* Matth. XXIII, 35, *sermo est ?*

R. Sententia probabilior tenet, *Zachariam* fuisse filium Joiadæ pontificis, qui a Joas, rege ingrato, sacrilege occisus est in atrio sacerdotum, seu *inter templum et altare* (II Paralip. XXIV, 22). — Id confirmatur eo, quod 1) Zacharias iste ultimus est cujus Scriptura cædem commemorat ; 2) quod solius Abelis et Zachariæ istius sanguinem, divinitus ulciscendum eadem Scriptura significat. De Abele enim dicit : *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra* (Gen. IV, 10) ; de Zacharia vero, eum morientem hæc pronuntiasse verba : *Videat Dominus et requirat*. II Paral. XXIV, 22.

Nec obstat quod Zacharias ibidem dicitur *filius Joiadæ*, non Barachiæ. Fieri enim potuit, ut *Joiadas* alio nomine vocaretur *Barachias*, prout Hieronymus censet, hæc addens : « In Evan- « gelio quo utuntur Nazareni, pro filio Barachiæ, *filius Joiadæ* « reperimus scriptum. » Vel forte antiquissimus librarius posuit *Barachiæ* pro *Joiadæ* : hypothesis ideo probabilis, quia nomen *Joiadæ* ferebat Evangelium istud Nazarenorum, quod erat ipsum Evangelium aramaicum Matthæi, etsi corruptum. — Fortassis etiam, ut alii putant, Joiadas fuit avus, Barachias vero pater Zachariæ, in Scriptura quidem non memoratus, sed vulgo notus tempore Christi. Alibi enim Scriptura similiter nomen avi ponit pro patre, omisso nomine immediati genitoris. Sic Zacharias propheta (non confundendus cum Zacharia pontifice), qui filius erat Barachiæ et nepos Addo (Zachariæ I, 1), ab Esdra bis vocatur *filius Addo*. I Esd. V, 1 ; et VI, 14.

Q. 15. — Matth. XXVIII, 1 seq. *narratur historia resurrectionis Domini. et iter mulierum ad sepulcrum : quæ res ab Evangelistis aliis diversimode refertur ; quæritur itaque an, et qua ratione hujusmodi narrationes variæ inter se concilientur ?*

R. Hæc quidem historia, præsertim quatenus spectat ad mulieres sepulcrum adeuntes, obscura satis est et intricata. Cujus rei causa est, quod Evangelistæ plurima facta coacervant, quin ea distinguant, aut quin circumstantias, coævis suis passim notissimas, explicent. Nobis autem hujusmodi circumstantias ignorantibus narratio, explicatione destituta, obscurior evasit. Quapropter, ut eam dilucidarent interpretes, varias, nec improbabiles hypotheses protulerunt. Explicatio tamen sequens,

utpote simplex et naturalis, visa est præferenda, juxta quam tota rerum series sic ponitur contigisse (1).

Ipso die mortis Domini, hoc est, feria sexta, vespere, Joanna et quædam aliæ mulieres, cum vidissent *quemadmodum corpus Domini esset positum* in sepulcro, abierunt et *paraverunt aromata*, ut post Sabbatum venirent et ungerent Jesum. Luc. XXIII, 55.

Die Sabbato, omnes juxta legem Moysis quieverunt. Post transactum Sabbatum, quod more Judæorum finiebatur vespere illius diei, circa horam sextam, qua hora incipiebat dies sequens: statim Judæi adiverunt Pilatum, ut juberet custodiri sepulcrum (Matth. XXVII, 62). — Antequam autem venirent milites custodes, eadem fere hora sexta, venit Magdalena cum duabus sociis, nempe Maria Jacobi et Salome, videre sepulcrum : et statim abeuntes, paraverunt etiam aromata, ut primo mane venientes ungerent Jesum. Matth. XXVIII, 1 ; Marc. XVI, 1.

Die Dominica, circa auroram, angelus, tremente terra, descendit de cœlo, terruit custodes, et lapidem revolvit a sepulcro vacuo : Dominus jam resurrexerat.

I. Eodem fere tempore, ad auroram, cum adhuc crepusculi tenebræ essent ; venit Magdalena ejusque sociæ, dicentes : *Quis revolvet lapidem ?* Cumque mox vidissent lapidem revolutum, territæ sunt et substiterunt. Sola Magdalena, præ amore audacior, progressa est, adivit sepulcrum, angelo sese non manifestante ; et cum abesset corpus Domini, putavit ablatum. Rediit turbata ad socias, dixitque, corpus Domini esse ablatum ; simulque suasit eis ut domum se reciperent, donec ipsa ab Apostolis exquireret ubi corpus Domini esset ; cujus locum ubi cognosceret, se reversuram ad eas, ut illuc simul sua aromata ferrent. Duabus ergo milieribus domum abeuntibus, Magdalena currit ad Petrum et Joannem, eisque nuntiat Dominum esse ablatum, seque et suas socias nescire ubi sit positus : *Nescimus ubi posuerunt eum*. Joan. XX ; Marc. XVI, 2, 4.

Petrus et Joannes statim cucurrerunt ad monumentum ; ipsaque Magdalena eos paulo post secuta est. Quæ cum prospexisset plorans locum vacuum, ubi fuerat corpus Domini, vidit duos angelos, quos meros homines arbitrata est ; mox autem, cum paululum recessisset, ipsum Jesum prima videt redivivum (Marc. XVI, 9 ; Joan. XX, 14) ; ab eoque mittitur ut resurrectionem annuntiet discipulis.

II. Altera mulierum turma, Joanna nempe cum sociabus, veniunt etiam valde diluculo, ferentes aromata illa, quæ feria

(1) Giraudeau, *Evangile médité*, tom. 8. — Item, Desmedt, *Vita Jesu Christi*. — Cf. etiam Patrizi, *Evangel.* t. 2. Dissert. 53.

sexta paraverant. Ipsæ ab angelis discunt Domini resurrectionem, et nuntium ferunt discipulis. Luc. XXIV, 1-9.

III. Mariam Jacobi, et Salome, cum domi frustra expectassent Magdalenam, redierunt solæ ad monumentum : et ingressæ, vident angelum sedentem in dextris ; a quo, cognita resurrectione, mittuntur ad Apostolos. Territæ autem valde revertuntur ; et in itinere obvium habent Jesum dicentem : *Avete.* Marc. XVI, 2, 5, 8 ; Matth. XXVIII, 9.

Annuntiarunt resurrectionem Apostolis mulieres hoc ordine : 1° Magdalena sola ; 2° Joanna cum sociabus ; 3° Maria Jacobi et Salome.

Porro, eadem die Dominica, non solum Magdalenæ, et deinde aliis mulieribus sese Dominus redivivum ostendit, primo mane ; sed etiam, interdiu, apparuit Petro : cujus testimonium Apostolis majorem, quam mulierum relatio, fecit fidem ; ita ut vespere redeuntibus ab Emmaus dicerent : *Surrexit Dominus vere, et apparuit Simoni.*

Q. 16. Cur apud Matthæum (XXVIII, 9) mulieres sanctæ pedes Domini venerari permittuntur : *Accesserunt, et tenuerunt pedes ejus ;* apud Joannem vero (XX, 17), Magdalena idem facere prohibetur a Christo, dicente : *Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum ?*

R. Parabat Magdalena in deosculando et venerando pedes Domini morari, Dominus autem volebat ut cito properaret ad annuntiandam suam resurrectionem discipulis ; quare dicit ei : *Noli me tangere*, id est, ne moreris in me venerando, sed cito nuntium defer ; de cætero, postea adhuc meos pedes deosculari poteris : *Nondum enim ascendi*, hoc est, nondum ascendo, vel non ascendam tam cito in cœlum : sed adhuc quadraginta dies in terris versabor. — Quod autem in apparitione alia, *mulieres tenuerunt pedes ejus*, id est : eum adorarunt attactu brevi in signum reverentiæ. Hæc enim locutio *tenere pedes alicujus*, non alium sensum continet.

Q. 17. Marcus dicit, mulieres venisse ad monumentum *orto jam sole.* (XVI, 2) ; Joannes vero (XX, 1) ait, eas venisse *cum adhuc tenebræ essent.*

R. Venerunt mulieres *valde mane*, ut Marcus ibidem inquit, orto quidem jam sole, sed nondum plene : adeoque cum adhuc tenebræ aliquæ essent, quales sunt, quando adhuc diluculum vel aurora est.

Q. 18. — Lucas, XVIII, 32, 33, recitatis Christi verbis, quibus suam prædixit passionem, addit, *nihil horum discipulos intellexisse ;* quomodo fieri potuit, ut non intellexerint verba clarissima ?

R. Non negat Evangelista, illos intellexisse grammaticalem

sensum verborum Domini ; sed solum innuit, illos tunc necdum intellexisse passionis ac mortis Christi mysterium.

Q. 19. Cur Christus, Joan. II, 19 et 21, Judæis signum petentibus tam obscure et ænigmatice respondet : *Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud ?*

R. Non clarius Dominus hic locutus est, quia interrogantium incredulitatem atque nequitiam exploratam habebat. Malo enim animo interrogantes, indigni erant quibus veritas clarius aperiretur (1). — Cæterum, illud Christi effatum fructu non caruit ; ut enim addit Evangelista, *cum resurrexisset a mortuis, recordati sunt discipuli, quia hoc dicebat, et crediderunt Scripturæ, et sermoni quem dixit Jesus.* — Quod autem ad pertinaces Judæos attinet, licet hoc loco non clarius eis divinus Magister locutus sit ; tamen alias talia dixit, tantaque coram eis operatus est, ut prorsus sint inexcusabiles.

Q. 20. Joannes, cap. III, 22, asserit Jesum baptizasse ; infra autem (IV, 2) dicit : *Jesus non baptizabat, sed discipuli ejus.* Nonne contradictio ?

Resp. negative. Sensus enim est, quod Christus baptizarit, non tam per se, quam per suos Apostolos ; quorum tamen aliquos ipse prius baptizavit. Teste enim Enthymio, antiquorum Patrum sententia est, B. Virginem et B. Petrum a Christo ipso fuisse baptizatos. — Porro certum est, Baptismum ante Christi passionem collatum, habuisse jam vim justificandi : hanc enim trahebat a meritis Christi, tum præsentibus tum futuris ; ac præsertim a morte, quam Dominus jam acceptaverat, se in victimam pro nostra salute inde ab initio Incarnationis suæ Deo Patri offerendo. *Ingrediens enim mundum dicit : Hostiam et oblationem noluisti : corpus autem aptasti mihi.... tunc dixi : Ecce venio.* Hebr. X, 5.

Q. 21. *An Christus sacrilego Judæ in ultima Cœna sacram Eucharistiam dedit ? et quomodo id salva sua sanctitate facere potuit ?*

R. Christus Dominus revera sacram Communionem Judæ proditori dedit : hæc enim sententia communis est in Ecclesia, tam latina quam græca. — Quæ quidem sententia sapientiæ et sanctitati Christi nequaquam est contraria. Nam Christus dans Judæ Eucharistiam, proditoris sacrilegium non intendit, sed duntaxat permisit. Causas autem id permittendi justissimas habuit, quales ab interpretibus communiter assignantur hæ duæ : 1° ut sacerdotes exemplo doceret, peccatores occultos non esse a S. Communione repellendos. 2° Ut Judæ auferret omnem male faciendi occasionem, vel prætextum : cujusmodi assumere potuisset, si coram aliis discipulis, ante apertam

(1) Chrysost. *Homil.* 22, in cap. II Joan.

ejus malitiam, fuisset Communione privatus, et hac repulsa exasperatus (S Thom. P. 3, q. 82, art. 2).

Q. 22. *Quod genus hominum erant Pharisæi, Sadducæi et Scribæ, de quibus in Evangelio tam frequens sermo est?*

R. Pharisæi et Sadducæi erant duæ sectæ, quarum origo ad ætatem fere Machabæorum refertur. Cum enim post tempora Alexandri Magni, multi e Judæorum doctoribus philosophia græca essent imbuti; juxta principia aliena Scripturam interpretari aggressi, in diversas veluti scholas abierunt: atque ita Pharisæorum et Sadducæorum sectis originem dederunt.

Pharisæi, inquit Flav. Josephus (1), erant Stoicis simillimi, homines potentes, doctrinæ et sanctitatis opinione conspicui. — At 1° legem Dei suis traditionibus corrumpebant: 2° virtutes internas negligebant, externas duntaxat observantias curantes; 3° bona opera sua faciebant, non propter Deum, sed ut viderentur ab hominibus. — Tempore Christi, Pharisæi erant numerosissimi, eisque maxima pars populi adhærebat.

Sadducæi, homines quoque divites et magnates, juxta eumdem Flav. Josephum (2), sequebantur Epicureos: negabant immortalitatem animæ, angelos, providentiam, et resurrectionem futuram.

Scribæ, qui etiam *Legisperiti* vocantur, erant doctores Synagogæ, qui scribendi et explicandi libros sacros munere fungebantur. Etsi non constituebant peculiarem sectam, tempore tamen Christi Domini, plerique Scribæ pertinuisse videntur ad sectam Pharisæorum.

Nota. Præter Pharisæorum et Sadducæorum sectas, sermo quoque in antiquitate occurrit de Judæis *Essenis* et *Nazaræis*. — Esseni seu Essæi, quos Josephus Pythagoricis assimilat (3), austeram ac monasticam fere vitam agebant; habitabantque partim ad oram maris mortui, partim in Ægypto, ubi *Therapeutæ* vocabantur. — *Nazaræi* erant homines Deo dicati et consecrati, emisso pecculiari voto nazaræatus, quod vel temporarium vel perpetuum esse poterat. Ad votum nazaræatus pertinebant tria: 1° abstinentia a vino; 2° intonsa coma; 3° cautia a contactu mortuorum.

Difficultates libri Actuum.

Q. 1. *Nonne Petrus severius egit erga Ananiam et Saphiram, quos levi, ut videtur, de causa morte punivit?* Act. cap. V.

(1) *Antiquit.* XV.
(2) Ibid. XV.
(3) Ibid. XV.

Resp. negative. Non enim tam ipse Petrus quam divina justitia, Ananiam et Saphiram morte percussit. Cur vero Deus tam severe egerit, non est nostrum curiosius inquirere. Communiter tamen interpretes censent, id factum esse ad confirmandam in Ecclesiæ primordiis Apostolorum auctoritatem, et ad inculcandam fidelibus debitam erga Pastores reverentiam ac sinceritatem, nec non horrorem de peccato. — Peccatum autem hic fuit non merum mendacium, sed violatio voti. Ut enim communiter statuunt doctores, fideles tunc temporis voto paupertatis ultro se passim obstringebant. — Credibile tamen est, Ananiam et Saphiram tantum quoad vitam temporalem sic esse punitos; et ad reprehensionem Petri pœnitentes et contritos obiisse.

Q. 2. — Act. V, 38, Gamaliel, in concilio loquens de Apostolis, dicit principibus Judæorum : *Discedite ab hominibus istis, et sinite illos : quoniam si est ex hominibus consilium hoc, aut opus, dissolvetur ; si vero ex Deo est, non poteritis dissolvere illud, ne forte et Deo repugnare inveniamini.* Quid de hac sententia et ratiocinio dicendum ?

R. 1° In casu isto rectum fuit consilium datum, rectusque sermo Gamalielis. Sciebat enim Apostolorum causam esse sanctam, et opus divinum ; ideoque impiam ab eis removere persecutionem voluit, argumentum adhibendo, quod non tantum in his circumstantiis erat verum, sed etiam *ad hominem,* ut aiunt, efficax.

2° In alio quocumque communi casu, Gamalielis dilemma negari posset, ejusque consilium illud. *Sinite illos :* ut patet, esset illicitum, imprudens, et perniciosum. Tenentur enim Magistratus reorum causas examinare, perturbatores reprimere ; nec *sinere illos* possunt, nisi omni libidini frenum laxare velint.

Q. 3. *An Paulus* (Act. XVI, 3) *licite circumcidit Timotheum, etiamsi Apostoli pleno concilio* (Act. XV) *definierint, legem circumcisionis non obligare Gentes ad Christum conversas ?*

Resp. affirmative. Apostoli definierunt, circumcisionem quidem non esse necessariam, non autem eam esse jam illicitam. Cum igitur circumcisio aliaque legalia Mosaica tunc nondum essent prohibita, licite potuit Paulus circumcidere Timotheum. Quod ut faceret, gravi de cætero causa movebatur : ne offenderet Judæos, qui sciebant Timotheum nondum esse circumcisum, eo quod patrem gentilem haberet.

Lex Mosaica fuit *mortua*, seu cœpit abrogari, et desiit esse necessaria in die Pentecostes, quo lex nova, seu Evangelica cœpit obligare. Quo tempore autem determinato lex vetus facta sit *mortifera,* seu illicita, est incertum ; communiter tamen

dicunt, id contigisse quadragesimo circiter anno a Christi morte, id est, circa tempus excidii Jerosolymæ.

Q. 4. Actuum cap. XX, 22, dicit Paulus : *Alligatus ego Spiritu,* id est, a Spiritu sancto impulsus, *vado in Jerusalem;* quomodo ergo sequenti capite, discipuli *per Spiritum* dicunt Paulo, ne Jerosolymam pergat ?

R. Sensus secundi textus non est, quod discipuli ex impulsu Spiritus sancti dissuaserint Paulo ascensum Jerosolymam ; sed, quod illustratione Spiritus sancti agnoscentes persecutionem, quæ Paulum Jerosolymæ maneret, Apostolo fuerint compassi, et ex compassione humana ascensum hunc dissuaserint.

Q. 5. Quo sensu Act. XXI, 8, Philippus diaconus vocatur *Evangelista ?*

R. Hoc nomen obtinuit Philippus, non quod scripserit Evangelium, sed quod illud primus in Samaria prædicaverit. Quo sensu etiam Paulus Timotheo dicit : *Tu vero vigila, in omnibus labora, opus fac Evangelistæ, ministerium tuum imple.* II Tim. IV, 5.

—

Difficultates Epistolæ ad Romanos.

Q. 1. Quomodo, quod legitur Rom. IV, 18, Abraham in spem et contra spem credere potuit ? *Contra spem,* inquit, *in spem credidit, ut fieret pater multarum gentium.*

R. Sensus est : Credidit *in spem,* id est, per fidem concepit spem divinam, et quidem *contra spem* omnem humanam et naturalem. Speravit scilicet Deo promittente futurum, quod naturali rerum ordine sperare non poterat. Cf. Hebr. XI, 11, 17 seq.

Q. 2. Rom. XII, 20 dicit Apostolus, eum qui benefacit inimico, *carbones ignis congerere super caput ejus :* quo sensu id intelligendum ?

R. Sensus est : Si benefeceris inimico tuo, exstinctam in illo charitatem accendes, ex inimico amicum facies, et tanquam in ardentis charitatis tuæ igne, ferream cordis ejus duritiem emollies.

—

Difficultates Epistolæ I et II ad Corinthios.

Q. 1. Quo sensu dicit Apostolus (I Cor. X, 2) Israelitas *in Moyse baptizatos esse in nube et in mari ?*

R. Significat tantum, Israelitas fuisse baptizatos spiritualiter et typice : in quantum nempe duce Moyse transeuntes per mare Rubrum, et sequentes protectricem nubem, typum gessere Baptismatis Christi : quo hostes nostri, id est, peccata, demer-

guntur ; nosque cœlesti rore gratiæ Spiritus sancti inundamur, et sanguine Christi rubricamur ; sicque a servitute diaboli transimus in regnum Christi.

Q. 2. Illud Pauli : *Omne quod vobis apponitur* (etiamsi idolis immolatum fuerit), *manducate* (I Cor. X, 27), quomodo concordat cum prohibitione Apostolica : *Visum est Spiritui sancto et nobis... ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum ?* Act. XV, 19.

R. Prohibitio quidem Apostolica de carnibus idolothytis generalis erat, ad omnes gentiles conversos pertinens ; et eam enixe tuetur Apostolus (I Cor. X, 20, 21) : sed ita, ut scrupulum removeat. Quapropter versu 27 docet, non esse inquirendum recumbenti, utrum forte carnes appositæ in mensa infidelium, non sint idolis oblatæ ; sed libere eis utendum : nisi quis certiorem faciat recumbentem eas esse oblatas.

Q. 3. Quomodo illud I Cor. XIII, 7 : *Charitas omnia credit,* convenit cum verbis Eccli. XIX, 4 : *Qui cito credit, levis est corde ?*

R. Sensus Apostoli est : Charitas facile proximo assentitur, ubi sine peccato assentiri potest ; non repugnat, non contendit, aut contradicit, non est suspicax, omniaque meliora de proximo credit et sibi persuadet. — Ecclesiasticus vero aliam veritatem proponit, quasi diceret : Qui credit cuilibet, sine justa causa et auctoritate quidvis asserenti, præsertim proximo detrahenti, levis est corde.

Q. 4. Quodnam est illud *tertium cœlum,* in quod Paulus (II Cor. XII, 2) raptus fuisse dicitur ?

R. Cum Cornelio A Lap. et Calmeto dicendum, hic intelligi cœlum *empyreum.* Veteres enim Hebræi, quorum more Paulus loquitur, tres cœlos distinguebant : primum, cœlum aereum, seu atmosphæram ; secundum, cœlum sidereum ; tertium, cœlum empyreum seu lucidum, quod est omnium sublimissimum, sedes Dei ac Beatorum : illuc raptus Apostolus, ineffabilia et arcana verba audivit.

—

Difficultates Epistolæ ad Galatas, et reliquarum Epistolarum B. Pauli.

Q. 1. Quomodo intelligenda hæc verba Pauli (Gal. II, 7) : *Creditum est mihi Evangelium præputii, sicut et Petro circumcisionis ?*

R. Sensus est : Ego a Deo specialiter destinatus sum ad prædicandum Evangelium Gentibus, sicut Petrus Judæis. — Scilicet initio Ecclesiæ, cum Judæi a Gentilibus adhuc valde abhorrerent, Petrus et Paulus partiti sunt operam suam

ita, ut Paulus, Judæis exosus, primo ac præcipue, non tamen unice, Gentibus prædicaret; Petrus vero Judæis.

Q. 2. Quomodo verificatur illud Gal. IV, 25: *Sina mons est in Arabia, qui conjunctus est ei quæ nunc est Jerusalem?*

R. Agitur hic de conjunctione, non quoad locum, sed quoad similitudinem. Sensus est: Sicut in monte Sina, ita et Jerosolymæ, tanquam in sede præcipua Judæorum, traditur Lex vetus servilis: utrobique generantur filii, sed servi veteris Legis; non spirituales, sed carnales (1).

Q. 3. Quomodo illa Pauli de Antichristo prædictio (II Thess. II, 8): *Quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui,* concilianda est cum verbis Apoc. XIX, 20, ubi sub nomine et figura bestiæ, dicitur Antichristus cum suo pseudopropheta, vivus mittendus in infernum?

R. Utrumque hoc fieri poterit. Christus enim vel per se, vel potius per Michaelem archangelum, præcipitabit Antichristum e sublimi aere deorsum in terram: terra autem dehiscente, rapietur ille vivus in gehennam. Et sic a Christo interficietur solo *spiritu oris sui,* id est, solo jussu et nutu.

Sicut autem Core, Dathan et Abiron (Numer. XVI, 33) probabilius in ipso descensu ad tartara sunt mortui; ita probabilius in ipso descensu ad infernum morietur Antichristus; dicitur tamen *vivus mittendus in infernum*, quia vivus eo demitti et descendere incipiet.

Omitto, aliunde certum non esse, nomine *bestiæ* designari Antichristum (2).

Q. 4. Quomodo intelligendum illud Pauli ad Titum I, 15: *Omnia munda mundis; coinquinatis autem et infidelibus nihil est mundum?*

R. Loquitur Apostolus de delectu ciborum, quem Judaizantes inducebant; et sensus proprius hic est: Christianis, qui sanguine Christi in Baptismo mundati sunt, nullus cibus, nulla res, vel natura sua, vel vi legis Mosaicæ, habenda est immunda; sed *omnia eis* sunt *munda*, ut sine scrupulo omnibus uti possint. — *Coinquinatis autem et infidelibus nihil est mundum:* hoc est, judaizantibus et infidelibus nullus ejusmodi cibus est mundus; semperque peccant, sive comedant cibos quos putant prohibitos esse, sive non comedant. In primo enim casu peccant ex conscientia erronea; in secundo, peccant mente superstitiosa.

Q. 5. De Christo, Patrem in horto Olivarum et in cruce

(1) Vox græca συστοιχεῖ, quam vertit Vulgata *qui conjunctus est,* sensum sat latum habet, et significat: *eodem modo se habet ac* hodierna civitas Jerosolyma.

(2) Cfr. Wouters, *In Apoc. dilucidatio*, Cap. XIII, quæst. 2.

orante, dicit Paulus (Hebr. V, 7) : *Exauditus est pro sua reverentia ;* ipse autem Christus id negare videtur, exclamando : *Deus meus , Deus meus , ut quid dereliquisti me ?* Matth. XXVII, 46.

R. Sensus Apostoli non est, quod Christus exauditus fuerit, in petitione sua conditionata : *Si possibile est , transeat a me calix...* verum, in sua petitione absoluta et proprie dicta : qua oravit, non pro fuga crucis et mortis ; sed pro implenda Patris voluntate circa passionem suam hujusque fructum : scilicet, ut sua passione et morte mereretur sibi resurrectionem a morte, nobis autem salutem tam corporis quam animæ. — Dixit tamen in cruce, *se esse a Patre derelictum :* eo tantum sensu, quod Pater eum a morte non eriperet, nec consolatione in carne et parte animæ inferiore afficeret : sed Filium suum doloribus et tormentis cruciari usque ad divisionem animæ a corpore permitteret. Præterea, Tirinus et Corn. A Lapide censent, Dominum ostendere voluisse, se esse illum ipsum, nempe Messiam, de quo agit psalmus XXII, *Deus, Deus meus... quare me dereliquisti?* atque ideo initium illius psalmi, imo psalmum integrum in cruce recitasse.

—

Difficultates Epistolarum catholicarum.

Q. 1. Verba Jacobi, I, 3 : *Probatio patientiam operatur*, nonne contradicunt verbis Pauli, Rom. V, 4 : *Patientia probationem operatur ?*

Resp. negative. Sic enim allati textus sunt exponendi : *Probatio*, hoc est, malorum et ærumnarum quibus a Deo exercemur perpessio, *patientiam operatur*, nosque humiles magis, subjectos, patientesque reddit. — *Patientia* vero, scilicet malorum constans perpessio, *probationem operatur*, probatos efficit et Deo charos.

Q. 2. Quomodo vera sunt verba hæc Jacobi II, 10 : *Quicumque autem totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus ?*

R. Non hoc sensu, quod ille qui unum tantum legis præceptum violavit, tam graviter reus sit quam ille, qui violasset præcepta omnia ; sed quod violans unum præceptum decalogi, culpæ mortalis reus est non minus, quam si aliud quodvis præceptum ejusdem decalogi violasset : quia eadem divina auctoritas, singulis præceptis inest, et in singulis violandis læditur ; prout sequenti versu S. Jacobus explicat. Illud ergo *factus est omnium reus*, non in sensu composito, sed in sensu diviso accipiendum est.

Q. 3. Quonam sensu S. Petrus (1 Pet. III, 19, 20) de Christo

dicit : *His qui in carcere erant, spiritibus veniens prædicavit : qui increduli fuerant aliquando... in diebus Noe ?*

R. Non agitur hic de carcere damnatorum, sed de Limbo Patrum ; et juxta S. Hieronymum ac plerosque interpretes, sensus est : Anima Christi descendens ad inferos, adventum suum annuntiavit etiam animabus eorum, qui ante diluvium credere noluerunt Noe, ipsis proximum malum prædicenti. Quod si tunc non crediderunt , id non obstat quominus postea , ipso diluvio pressi , pœnitentiam egerint et salutariter contriti obierint ; sicut in naufragio sæpe obstinati peccatores compunguntur et agunt pœnitentiam. — Horum ergo animas Salvator in limbum descendens, una cum antiquorum patriarcharum animabus est consolatus.

Q. 4. Quare Petrus in I Epistola, V, 13, scripsit : *Salutat vos Ecclesia quæ est in Babylone?*

R. Re quidem vera Petrus hanc Epistolam scripsit Romæ, sed *Romam* nomine *Babylonis* (1) designat : 1° ratione similitudinis : in utraque enim civitate, horrida errorum ac scelerum confusio regnabat ; utraque hominibus justis infensa, et idololatriæ sedes erat. 2° Ratione prudentiæ : sapienter enim Romam tropico nomine Babylonis texit Petrus, quia nolebat ab infidelibus sciri ubi moraretur, si forte Epistola ejus in ipsorum manus incidisset. Vel etiam, ut suspicatur Baronius, fortasse metuebat ne Claudius Cæsar eum redderet amico suo Herodi Agrippæ, ex cujus vinculis Petrus ab angelo ereptus evaserat. Act. XI, 11.

Atque similis inter cæteras forte causa fuit, cur Paulus in Epistolis suis, Roma scriptis, mentionem de S. Petro nullam fecerit

Q. 5. *Ignis conflagrationis extremæ, de quo agitur* II Pet. III, 7, *præcedetne judicium, an subsequetur ?*

R. Non subsequetur, ut quidam doctores volunt ; sed præcedet, ut SS. Patres communiter docent, secundum hæc verba : *Ignis ante ipsum præcedet* (Ps. XCVI) ; qui quidem ignis , ut addit Psalmista , *inflammabit inimicos ejus* , mundumque expiabit ab omnibus spurcitiis carnalibus et spiritualibus , quibus per tot sæcula inquinatus fuit.

Q. 6. In Epistola I Joan. II, 7, vocatur *vetus* mandatum diligendi proximum ; infra autem, et in Evangelio Joan. XIII, 34, vocatur idem mandatum *novum*. Quomodo ista concordant ?

R. Mandatum illud est vetus et novum, sed diverso sensu. *Vetus*, quia datum fuit ab origine mundi Adæ et omnibus

(1) Cfr. Apoc. XIV, 8 ; XVII, 5 ; XVIII, 2, 10, 21 ; et Wouters, *in Apoc. XVII et XVIII*, quæst. I : *Quid intelligatur per meretricem magnam et Babylonem.*

hominibus : cum sit mandatum legis naturæ. — *Novum* tamen quoque est, ratione novi modi quo illud Christus observandum præcepit, dicens : *Ut diligatis invicem sicut dilexi vos.* Joan. XIII, 34.

Q. 7. Quomodo, I Joan. II, 18, dicitur *antichristos esse multos ;* dum alibi Scriptura clare doceat (II Thess. II, 8) *Antichristum esse tantum unum ?*

R. Unicus est Antichristus antonomastice talis ; sunt autem multi antichristi *late dicti :* videlicet homines Antichristo similes, nempe spiritu malo, quo feruntur ad contradicendum Christo ejusque Ecclesiam impugnandam.

Q. 8. Joannes II Epistola, 10, de hæretico dicit : *Nolite recipere eum in domum, nec Ave ei dixeritis ;* at nonne tenemur proximos, etiam inimicos, diligere ?

R. Tenemur. At vero denegatio hospitii et salutationis hic non præcipitur ex odio adversus proximum ; sed ne videamur hæresi favere. Quare Joannes addit : *Qui enim illi dicit Ave, communicat operibus ejus malignis.*

Q. 9. *Quid dicendum de prophetia Enoch, quam citat Apostolus Judas, versu* 14 ?

R. Desumpta videtur ex *libro Henoch :* qui etsi apocryphus erat, et nonnullis erroribus corruptus, merito tamen ab Apostolo citari poterat, quia vera antiqui Henoch vaticinia continebat. *Prophetavit* enim tempore antediluviano justus Henoch, sive viva voce, sive scripto. Censet Medina cum aliis, prophetiam Henoch traditione non scripta ad posteros manasse ; Augustinus vero, Hieronymus, Tertullianus et Patres passim, existimant eam litteris mandatam fuisse ; usum enim litterarum esse diluvio antiquiorem (1).

Q. 10. Quomodo explicanda hæc verba S. Judæ, versu 9 : *Quum Michael archangelus cum diabolo disputans altercaretur de Moysi corpore, non est ausus judicium inferre blasphemiæ* (diabolo) ?

R. Juxta S. Chrysostomum aliosque interpretes, communior opinio est, S. Michaelem cum diabolo de Moysis corpore altercatum esse, quia Satan volebat Moysen sepeliri loco cognito et publico, ut Hebræi in idololatriam proni, eum quasi deum colerent ; Michael vero ei obstitit, et curavit ut secreto sepeliretur. — Porro Michael *ausus non est* diabolo *judicium inferre blasphemiæ :* id est, blasphemam sententiam, seu maledictum proferre ausus non est ; eo quod maledicum verbum tanquam rem indecoram, et se dedecentem proferre timeret. Non ergo dixit : Abi, maledicte Satan, in gehennam... sed modeste et graviter illum compescuit, dicens : *Imperet tibi*

(1) Cf. Tertull. *De habitu muliebri*, cap. 3.

(græce, increpet te) *Dominus :* id est, tuam, O Satan, insolentiam ac nequitiam comprimat Deus potenti suo imperio.

—

Difficultates libri Apocalypsis.

Q. 1. *An quatuor animalia quæ vidit Joannes*, Apoc. IV, *eadem sunt cum eis quæ vidit Ezechiel ?*

R. Disputatur. Illud certum est, has visiones fuisse symbolicas, non res veras ; unde non mirum, quod hæc animalia, licet eadem fuerint quoad primariam ideam, non tamen eadem fuerint quoad accidentia omnia. Alludit ergo Joannes ad animalia Ezechielis ; non tamen illa ipsa quoad omnia repræsentat.

Q. 2. Quo sensu dicitur Apoc. V, 12, dignum esse *Agnum* seu Christum, *accipere divinitatem ?*

R. Non significatur, Christo post mortem crucis tribuendam esse divinitatem, quam antea non haberet ; sed ipsum dignum esse, ut ob mortem suam ab omnibus adoretur, laudetur et glorificetur tanquam verus Deus.

Q. 3. — Apoc. XIII, 8, de *Agno,* seu Christo, dicitur : *Qui occisus est ab origine mundi ;* quomodo hoc verum esse potest ?

R. 1° *Ab origine mundi*, id est, ab omni ævo, ab æterno, occisus est Christus in actu primo, seu in decreto divino, quo Deus humani generis redemptionem per mortem Christi operandam constituit. — 2° *Ab origine mundi,* id est, a primordiis humani generis, quia mortis Domini merita ab initio sanctis applicata fuere. — 3° *Ab origine mundi*, id est, a primis mundi annis Christus immolatus est, non in se, sed in suis typis et figuris : nempe in Abele, Isaaco, omnibusque sacrificiis.

Q. 4. *An ex* Apoc. XX, *aliisve Scripturæ locis, futura duratio mundi aut tempus extremi judicii determinari potest ?*

R. Etsi non pauci auctores de mundi duratione futura sententias proponunt ; dicendum tamen has mere conjecturales esse, et rem solida probabilitate statui ac determinari nequaquam posse. Etenim aliunde constat, secretum illud sibi Deum reservasse : *De die autem illa et hora nemo scit, neque angeli cælorum, nisi solus Pater*. Matth. XXIV, 36.

Q. 5. *An error Chiliastarum seu Millenariorum fundamentum habet in Apocalypsi ?*

Resp. negative, si modo textus sacer rite intelligatur. Chiliastæ enim ex cap. XX perperam intellecto, suum errorem immerito intulerunt, docentes, post sex millia annorum, quibus stabit hic mundus, devicto Antichristo, justos resurrecturos et cum Christo regnaturos in terra mille annis, ibique fruituros summis deliciis : vel corporalibus, ut volebat impurus Cerinthus ; vel potius spiritualibus, ut voluit S. Irenæus et alii. Hanc

aiebant esse *resurrectionem primam*, de qua, Apoc. XX, loquitur Joannes ; post hanc autem secuturam esse *resurrectionem secundam*, in qua, post transactum regnum illud millenarium, sancti e terra in cœlum ascenderent.

At vero negandum, versu quarto sermonem esse de resurrectione carnis et judicio universali ; deinde animadvertendum, *mille annos* esse numerum certum, pro incerto ac indeterminato positum, quod in SS. Scripturis non est infrequens. Unde genuina interpretatio et analysis Capitis XX hæc est : Ab adventu Christi ligatus est diabolus per mille annos, id est, usque ad ultima Antichristi tempora, quando solvetur paulisper (versib. 2, 3). — Qui interea in statu gratiæ moriuntur, assumentur ad gloriam cœlestem, et usque ad diem judicii jam in cœlo regnabunt (versu 4). Et hæc prima est *animarum* resurrectio, seu assumptio ad vitam æternam. Beatæ illæ animæ immunes erunt timore mortis secundæ, id est, publicæ condemnationis in judicio universali ; *sed erunt sacerdotes Dei et Christi, et regnabunt cum illo mille annis* (versu 6) : nempe usque ad magnum diem resurrectionis *corporum*, atque judicii ; quæ deinde a Joanne describuntur.

—

SECTIO SECUNDA.

EXPOSITIONES SELECTÆ.

—

Exponenda loca desumere placuit ex sacra liturgia, seu ex Missali et Breviario : non tantum quia intelligere juvat ea quæ frequenter legimus ; verum etiam quia lectiones hujusmodi sunt pulcherrimæ, ab ipsa Ecclesia selectæ, et ex ejusdem Ecclesiæ mente præ cæteris intelligendæ.

Series I. *Prophetiæ et Epistolæ selectæ.*
Series II. *Evangelia selecta.*
Series III. *Psalmi selecti.*

SERIES I.

Prophetiæ et Epistolæ selectæ.

—

SABBATO SANCTO, PROPHETIA TERTIA.

Tentavit Deus Abraham. Gen. XXII, 1 — 19.

1. Tentavit Deus Abraham, et dixit ad eum : Abraham, Abraham. At ille respondit : Adsum. — 2. Ait illi : Tolle filium tuum unigenitum, quem diligis, Isaac, et vade in terram visionis : atque ibi offeres eum in holocaustum super unum montium quem monstravero tibi. — 3. Igitur Abraham de nocte consurgens, stravit asinum suum, ducens secum duos juvenes, et Isaac filium suum. Cumque concidisset ligna in holocaustum, abiit ad locum quem præceperat ei Deus. — 4. Die autem tertio, elevatis oculis, vidit locum procul. — 5. Dixitque ad pueros suos : Exspectate hic cum asino : ego et puer illuc usque properantes, postquam adoraverimus, revertemur ad vos. — 6. Tulit quoque ligna holocausti, et imposuit super Isaac filium suum : ipse vero portabat in manibus ignem et gladium. Cumque duo pergerent simul, — 7. dixit Isaac patri suo : Pater mi. At ille respondit : Quid vis, fili ? Ecce, inquit, ignis et ligna : ubi est victima holocausti ? — 8. Dixit autem Abraham : Deus providebit sibi victimam holocausti, fili mi. Pergebant

ergo pariter, — 9. et venerunt ad locum quem ostenderat ei Deus, in quo ædificavit altare, et desuper ligna composuit : cumque alligasset Isaac filium suum, posuit eum in altare super struem lignorum. — 10. Extenditque manum, et arripuit gladium, ut immolaret filium suum; — 11. Et ecce angelus Domini de cœlo clamavit, dicens : Abraham, Abraham. Qui respondit : Adsum. — 12. Dixitque ei : Non extendas manum tuam super puerum, neque facias illi quidquam : nunc cognovi quod times Deum, et non pepercisti unigenito filio tuo propter me. — 13. Levavit Abraham oculos suos, viditque post tergum arietem inter vepres hærentem cornibus, quem assumens obtulit holocaustum pro filio. — 14. Appellavitque nomen loci illius, Dominus videt. Unde usque hodie dicitur : In monte Dominus videbit. — 15. Vocavit autem angelus Domini Abraham secundo de cœlo, dicens : — 16. Per memetipsum juravi, dicit Dominus : quia fecisti hanc rem, et non pepercisti filio tuo unigenito propter me : — 17. benedicam tibi, et multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli, et velut arenam quæ est in littore maris : possidebit semen tuum portas inimicorum suorum, — 18. et benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, quia obedisti voci meæ. — 19. Reversusque est Abraham ad pueros suos, abieruntque Bersabee simul, et habitavit ibi.

—

Explicatio prima.

Historia *tentationis Abrahæ* Sabbato sancto ponitur inter lectiones duodecim, quæ ante benedictionem fontis baptismalis recitantur, et vocantur *prophetiæ*. Hoc autem nomine appellantur, quia partim ex prophetis desumptæ sunt et paschalia mysteria prænuntiant ; partimque res gestas continent quibus eadem mysteria præfigurantur. Omnia enim pertinent ad magnum ac mysticum *transitum*, quo genus humanum per Christi mortem transiit de morte ad vitam, et homines singuli per lavacrum Baptismatis transeunt de peccato ad gratiam.

Ex hujusmodi itaque prophetiis tertia est sacrificium Abrahæ, seu *tentatio*, qua filium Isaac jussus est immolare. Quæ quidem res præclaram figuram continet, non tantum sacrificii Crucis, sed etiam resurrectionis Domini : cum Isaac ita fuerit immolatus, ut e strue lignorum in qua ligatus jacuit victima, surrexerit vivus et divinis benedictionibus impletus.

Tres partes distingui possunt :

I. *Quomodo Abraham se conferat ad montem sacrificii:*
II. *Quomodo sacrificium offerat.*
III. *Quomodo Dei benedictionibus impleatur.*

1. *Tentavit Deus Abraham...*

De tentatione *probationis*, non de tentatione *perditionis* agitur, et sensus est : Probavit Deus Abraham, præbendo illi materiam heroicæ fidei et obedientiæ. — Variis quidem modis probaverat jam antea Deus servum suum : ut, cum jussit eum patria cognatisque relictis peregrinari in terra aliena ; aut cum iterum, premente fame, compulit discedere in Ægyptum, variaque subire discrimina ; hic autem peculiari modo dicitur Deus probasse seu *tentasse* Abraham, quia hæc injunctio immolandi filium fuit probatio quædam gravissima.

Cur autem Deus mandato tam gravi servum suum probare voluit ? — Resp. 1° Ut ejus virtutem exerceret, perficeret et præmiis coronaret. — 2° Ut ejus virtutem, præsertim fidem et obedientiam manifestaret, atque in exemplum omnibus exhiberet. — 3° Ut eodem exemplo doceret, qualis sit perfecta hominis erga Deum devotio : illa nempe, qua corde paratus ad omnes Dei voluntates cum gratiæ adjutorio implendas, dicat : *Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum* (Ps. CVII). — 4° Ut simul significaret, quamvis velit sacrificium totius cordis et affectuum, tamen immolationem humanæ victimæ se nolle ; ideoque detestari sacrificia Chananæorum, qui filios suos et filias idolis immolarent. — 5° Ut figuram insignem maximeque expressam exhiberet passionis Christi, ejusque immolationis in monte Calvariæ.

...Et dixit ad eum : Abraham, Abraham. At ille respondit : Adsum.

Enuntiata Dei intentione probandi Abraham, incipit Moyses ipsam probationem enarrare. Deus scilicet locutus est Abrahamo, qui tunc habitabat in Bersabee. Noctis tempore, ut infra indicatur, cum tranquillus quiesceret sanctus patriarcha, vocavit eum Deus in visione, dicens : *Abraham, Abraham.* — Hanc vocem atque Dei præsentiam subito cognovit Abraham atque indubitanter : non tantum quia sæpius divino alloquio fuerat dignatus ; verum etiam quia tam evidenter Deus suæ creaturæ loqui novit, ut ab ea nequeat non agnosci.

Intelligens itaque Abraham vocem Domini, prompte ut servus paratus respondit : *Adsum ;* hebraice, *ecce ego :* id est, præsto sum, Domine, tanquam famulus tuus, ut corpore et animo tibi obsequar, meque et omnia mea ad nutum tuum impendam. Quid ergo a me poscis ?

2. *Ait illi : Tolle filium tuum unigenitum, quem diligis, Isaac, et vade in terram visionis : atque ibi offeres eum in holocaustum, super unum montium quem monstravero tibi.*

Istis verbis significat Deus, postulare se a servo suo sacrificium filii ejus Isaac. Hunc ipsemet Deus singulari beneficio dederat Abrahamo filium in senectute sua, et stirpem fore promiserat posteritatis amplissimæ, dicens : *Sara uxor tua pariet tibi filium, vocabisque nomen ejus Isaac, et constituam pactum meum illi in fœdus sempiternum, et semini ejus post eum* (Gen. XVII, 19). Jam Isaac ætatem attigerat viginti quinque annorum, eratque patri suo tum dotibus ac moribus singulariter amabilis ; tum divinis, quas in se ferebat, promissionibus charissimus. — Hunc Deus sibi immolandum injungit : et quidem iis verbis, quæ omnino selecta videntur ut mandatum gravius ostendant, et cor paternum acerbius pungant. Quot hic verba, inquit A Lapide, tot sunt stimuli, tot tentationes.

Etenim abrupte ac sine præambulo loquens Dominus, *Tolle*, inquit, *filium tuum :* non oves aut boves ; sed ipsum tuum filium immolandum.

Unigenitum : quo sublato nullus tibi alius pro solatio superest. — Vocatur autem unigenitus Isaac, licet Abrahamo esset alter filius, nempe Ismael ; quia Isaac solus erat filius repromissionis, miraculo genitus, unice dilectus Abrahamo, ejusque stirpis et familiæ hæres ac propagator ; Ismael vero, ex ancilla genitus, exhæres erat, et filius Abrahæ non reputabatur.

Quem diligis... quia omni ratione amabilis, tuaque dilectione dignus ; hunc amori tuo eripere volo.

Isaac... non Ismael ancillæ filium, sed filium promissionis Isaac, cujus nomen tibi hactenus tam suave.

Et... offeres eum... id est, immolabis, ac trucidabis, et quidem tuis ipse manibus.

In holocaustum : ut nec corpus, nec pars ulla tam cari corporis patri relinquatur, sed totus Isaac redigatur in cineres, et quasi annihiletur.

Tolle... nunc, non postea ; sed hac nocte, sine mora sacrificium istud perficere para.

Surgere itaque Abrahamum jubet, ut illico se conferat in locum sacrificio destinatum : *Vade*, inquit, *in terram visionis, atque ibi offeres eum super unum montium quem monstravero tibi.*

Terra *Visionis*, hebraice terra Moria, id est, illa quæ postea ab Abrahamo dicta est *Moria*. — Porro terra seu mons Moria, complectebatur plures colles vel monticulos, quorum unus

postea dictus est *Sion*, alter *Calvaria* et tertius nomen *Moria* servavit : in Sione, civitas David et ara (1) ædificata est ; in Moria, templum ; in monte vero Calvariæ, Christus est pro salute humani generis super ara crucis immolatus.

Ex his porro collibus unum elegerat Deus, quem Abrahamo ut locum sacrificii monstrare volebat. Elegit autem Calvariæ locum, ut S. Augustinus post S. Hieronymum docet. « Hieronymus, inquit, presbyter scripsit, se certissime a senioribus « Judæorum cognovisse, quod ibi immolatus sit Isaac et Adam « sepultus, ubi postea Christus est crucifixus (2). » — Id utique rationem explicat, cur tam singulari diligentia Deus locum sacrificii seligat, eumque longe ab Abrahami habitaculo remotum : *Vade*, inquiens, *in terram visionis, atque ibi offeres eum in holocaustum, super unum montium quem monstravero tibi.*

Cur autem vocavit Abraham locum illum *Moria*, seu *terram visionis ?* — *R.* Intelligenda est *terra visionis Dei :* quo nomine Abraham locum appellavit, 1° quia eum cognovit per visionem Dei, imo quia ibi etiam nova et præclara visione Dei dignatus est. — 2° Quia ibidem Deus ipse respexit Abrahamum suis oculis, tum misericordiæ, dum vetuit immolari filium ; tum beneficentiæ, dum Abrahæ obedientiam amplissime est remuneratus.

Cognito itaque Dei mandato, quid Abraham faciet ?

3. *Igitur Abraham de nocte consurgens stravit asinum suum, ducens secum duos juvenes, et Isaac filium suum. Cumque concidisset ligna in holocaustum, abiit ad locum quem præceperat ei Deus.*

Scriptura memorat duntaxat promptam Abrahæ obedientiam ; internas cogitationes et animi sensus reticet atque intelligendos relinquit. Audita enim Dei injunctione, dubium non est, quin tota rei difficultas Abrahamo sit menti obversata. Sciebat namque Abraham, 1° Deum humanas victimas detestari : et ecce humanam victimam Deus postulat. — 2° Sciebat filium sibi a Deo datum : et ecce nunc eumdem filium, ætate florentem, tollit et eripit. — 3° Sciebat Deum filio huic præclaram posteritatem promisisse : et nunc jubendo eumdem immolari, spem omnem posteritatis præcidit...

Hujusmodi cogitata quales in animo Abrahæ excitaverint commotiones et luctas, ex Scriptura non discimus ; id unum videmus, eum omni humanæ considerationi oculos clausisse, ut unice Dei mandatum respiceret, crederet et impleret. *Credidit Abraham Deo*, inquit Apostolus,... *contra spem*, *in spem*

(1) Cf. II Reg. XXIV, 25.
(2) *De civit.* lib. 16, cap. 32.

credidit... non hæsitavit diffidentia, sed confortatus est fide dans gloriam Deo : plenissime sciens, quia quæcumque promisit, potens est et facere (Rom. IV, 3, 18 seq.). — *Et unigenitum offerebat, qui susceperat repromissiones : ad quem dictum est : Quia in Isaac vocabitur tibi semen ; arbitrans quia et a mortuis suscitare potens est Deus : unde eum et in parabolam accepit.* Hebr. XI, 17 seq.

Igitur, contra spem in spem credens, *Abraham* id unum cogitat, id unum agit ut Dei voci obediat. Statim e lecto surgit : *De nocte consurgens ;* et sine mora, ipsemet, animo minime perturbato, omnia disponit ac præparat ad iter et ad sacrificium. *Duos juvenes*, id est, duos e servis assumit itineris comites ; jumentum sternit ; utque nihil desit ad holocaustum, ligna concidit apta ad comburendum corpus Isaac ; tunc demum ipsum filium suum e somno excitat, jubetque exire secum : causam tamen itineris suo corde abscondens. Omnibus itaque diligenter ac prompte paratis, *abiit ad locum quem præceperat ei Deus.*

De Sara, matre Isaac, cum sacer textus hic mentionem non faciat, quærunt Patres et interpretes, utrum ei Abraham nihil de divino mandato aperuerit ? Dividuntur autem in sententias duas : quarum probabilior est, Abraham tacuisse, satiusque duxisse rei exspectare exitum, quam statim maternum cor acerbissimo nuntio vulnerare. Et quidem, 1° rem Saræ nuntiare nondum erat necessarium ; 2° fieri poterat ut Deus misericors aliquid ageret, quo nuntius postea Saræ accideret minus acerbus ; 3° incommoda non pauca talis manifestatio afferret. Etenim, etsi pietate plena erat Sara et timore Dei, tamen certior facta divini consilii, potuissetne sicut Abraham temperare materno dolori, quin erumperet in fletus et domum ejulatibus impleret, aut saltem filium extremo moraretur amplexu ?... Quapropter probabilius videtur, Abraham non magis Saræ quam Isaaco rem aperuisse, sed secretum suum intimo in corde continuisse ; et quasi vocaretur a Deo de more ad ordinarium quoddam sacrificium offerendum, e Bersabee discessisse : *Abiit ad locum quem præceperat ei Deus.*

4. *Die autem tertio, elevatis oculis, vidit locum procul.* 5. *Dixitque ad pueros suos : Exspectate hic cum asino : ego et puer illuc usque properantes, postquam adoraverimus, revertemur ad vos.*

Die autem tertio... Triduanum istud iter probationem Abrahæ vehementer auxit. Quales enim dies, qualesve noctes transegisse censendus est ? Singuli profecto gressus, quos cum filio figeret, singula filii verba animum patris cruciarunt. Hinc

Theodoretus ait, Abraham tribus illis diebus ac noctibus velut in agonia et morte fuisse ; sicut Christus triduo fuit partim in cruce et passione, partim in morte, sepulcro et inferno.

Post trium itaque dierum iter, Abraham *elevatis oculis vidit locum procul*. Deo nempe sicut promiserat monstrante, seu ex signo divinitus dato, cognovit in quo colle montis Moria sacrificium suum offerre deberet. Signum istud fuisse columnam igneam in monte Calvariæ apparentem, nonnulli juxta traditionem Judæorum existimant.

Cognito autem loco, Abraham solus cum filio ascendere voluit ; assumpto apparatu ad sacrificium necessario, et servos interim cum jumento in valle relinquens. Ad quos vultu constanti conversus : *Exspectate*, inquit, *hic cum asino : ego et puer... postquam adoraverimus*, id est, postquam sacrificaverimus, *revertemur ad vos*.

Non dicit *revertar*, sed *revertemur* : asserens, ut Origenes, Augustinus et plerique interpretes docent, se cum Isaac reversurum ; quia certus erat, certoque credebat fore, ut Deus Isaacum vel a morte liberaret, vel occisum et immolatum resuscitaret. Hoc enim est quod ait Apostolus, Abraham contra spem in spem credidisse, arbitrando *quia a mortuis suscitare potens est Deus*. Hebr. XI, 19.

6. *Tulit quoque ligna holocausti, et imposuit super Isaac filium suum : ipse vero portabat in manibus ignem et gladium. Cumque duo pergerent simul,* 7. *dixit Isaac patri suo : Pater mi. At ille respondit : Quid vis, fili ? Ecce, inquit, ignis et ligna : ub est victima holocausti ?* 8. *Dixit autem Abraham : Deus providebit sibi victimam holocausti, fili mi. Pergebant ergo pariter.*

Imposuit Abraham filii sui humeris ligna holocausti, non tantum ut ipse Isaac ad sacrificium juvaret ; sed multo magis ut typus esset Christi, crucem bajulantis ad eumdem Calvariæ locum. — Cum ergo lignis onustus sequeretur Abrahamum in montem, et videret in manibus patris gladium ad feriendam victimam, et ignem ad eam cremandam ; animal autem de more immolationi destinatum non videret : mirans rogare cœpit patrem *ubi esset victima holocausti ?* — Quam dolorosa quæstio. quamque acerbe patris animum penetrans ! Ille tamen, quasi minime commotus : *Deus*, inquit, Deus ipse, *fili mi*, *providebit sibi victimam holocausti*, quæ placuerit ; nosque totam rei curam Domino relinquere debemus. — Quibus verbis optimus filius perfecte acquiescens, silentio iter pergit cum patre : *Pergebant ergo pariter*. Mox autem ad verticem montis perveniunt.

9. *Et venerunt ad locum quem ostenderat ei Deus, in quo ædificavit altare, et desuper ligna composuit: cumque alligasset Isaac filium suum, posuit eum in altare super struem lignorum.* 10. *Extenditque manum, et arripuit gladium, ut immolaret filium suum.*

Ut primum montis culmen attigerunt, Abraham sine tergiversatione ulla aut perturbatione, altare prout facere solebat, erigit; in eoque ligna ab humeris Isaac sublata, rite disponit, ita ut nihil jam supersit nisi ut adducat victimam immolandam.

Hactenus tacuit Dei famulus: diutius autem tacere ei non licet. Necesse jam est loqui, et filio tremendum secretum revelare. Adstantem ergo et pie rem sacram exspectantem aspiciens, Abraham Dei mandata edocuit.

Quibus hic verbis sit usus pater, quidve responderit filius, in sacro textu non legimus; sed quoniam utriusque novimus pietatem, dicere possumus Abrahamum hoc fere sensu (1) esse locutum: Venit hora, fili mi, ut patri tuo, imo ipsi Deo maximum exhibeas pietatis et obedientiæ argumentum. Deus ecce, qui vitam tibi Dedit, eam nunc reposcit, et quidem mea manu auferendam. . Deo loquenti quis resistat? Equidem ex parte mea obedire paratus sum; tu vero, fili piissime, Deoque placendi studiosissime, quid respondes?...

Huic sermoni Isaac pro pietate filiali, pro sancto Dei timore quo plenus erat, quid, aut quomodo censendus est respondisse? Statim ac intellexit se esse victimam quam vellet Dominus, quin alia patris verba exspectaret, nonne divinæ voluntati generose acquievit? cum gaudio dicens, quod postea psalmista: *Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum!* — Nonne genua flectens Domino Deo Creatori suo libens obtulit semetipsum? Nonne sponte altare conscendit, et sese ligandum præbuit patri?...

Ut enim Scriptura testatur, alligatus est Isaac a patre suo, et super struem lignorum rite compositus. *Alligatus* quidem, non quasi resilire voluisset; sed 1° ne naturalem aliquem et involuntarium motum, rei sacræ minus consentaneum ederet; 2° ut omnino instar victimæ tractaretur: solebant enim victimæ vinciri ne ictum effugerent; 3° præcipue vero, ut esset typus Christi, qui in Crucis altari clavis affixus est.

Ut ergo victimam vidit compositam ac paratam, arreptum gladium Abraham in ejus cervices vibravit, et quidem siccis oculis: nullæ enim ejus leguntur lacrymæ, non gemitus non aversio vultus; sed, sublatis sane ad Deum oculis, *extendit*

(1) Simili modo Josephus, *Antiq. Jud.* narrat, quibus verbis Abraham filio suo Dei voluntatem aperuerit, et Isaac alacri animo sese immolandum obtulerit.

manum et arripuit gladium, ut immolaret filium suum... Jam animo interno, et oculis Dei sacrificium consummavit pater, consummavit et filius ; prius autem quam consummet actu externo, divinitus impeditur.

11. *Et ecce angelus Domini de cœlo clamavit, dicens : Abraham, Abraham. Qui respondit : Adsum.* 12. *Dixitque ei : Non extendas manum tuam super puerum, neque facias illi quidquam : nunc cognovi quod times Deum, et non pepercisti unigenito filio tuo propter me.* 13. *Levavit Abraham oculos suos, viditque post tergum arietem, inter vepres hærentem cornibus, quem assumens obtulit holocaustum pro filio.* 14. *Appellavitque nomen loci illius, Dominus videt. Unde usque hodie dicitur : In monte Dominus videbit.*

Vibrato itaque gladio percussurus Abraham, subito vocem audit de cœlo ingeminantem : *Abraham, Abraham.* Vox erat angeli, nomine Dei loquentis, *quæ*, ut Ambrosius dicit, *tenuit quodammodo manum Abrahæ, et ictum vibrantis occupavit dexteræ. Non semel autem, sed bis clamavit angelus, ne præveniretur studio devotionis, et una vox impetum ferientis revocare non posset.*

Qui respondit : Adsum. Eodem scilicet modo, quo primum respondit, ubi accepit præceptum, nunc ferro levato stans respondet : Ecce, paratus sum...

Non extendas manum... Verbis sistit Abrahamum ne opus perficiat, quasi diceret : Sufficit, nec ultra procedas : voluntate tua contentus sum. Nec id præcepi aut volo, ut filium occidas ; sed ut fides tua et obedientia omnibus sit manifesta.

Nunc cognovi... id est, nunc, ex heroico isto actu, quo *non pepercisti unigenito filio tuo propter me*, experimentaliter cognosco et video, — *quod times Deum* : id est, quod Deum amas et colis, eique per omnia obsequeris et placere studes. — Hæc enim omnia complectitur *timor Dei filialis*, qui hic intelligitur, quique aliud non est quam amor et cultus Dei, Deique legis observantia.

Elevavit Abraham oculos suos : velut novæ vitæ aperuit oculos Abraham, eosque a filio immolando ad cœlum sustulit, corde, non verbis Deo respondens. Simulque circumspiciens, quasi signum Dei voluntatis quæreret, *vidit post tergum arietem inter vepres hærentem cornibus* : quem divinitus adductum intellexit et velut alligatum, ut loco Isaac immolaretur. Hanc itaque victimam *assumens obtulit holocaustum pro filio.*

Novum hic mysterium agnoscunt Patres, novamque Christi

figuram. Sicut pro Isaac aries, ait Augustinus, ita pro nobis immolatus est Christus. — Hic aries, inquit Ambrosius, cornibus hærens et suspensus inter vepres, significat Christum in cruce suspensum. — Idem autem Ambrosius addit, Abraham hic vidisse diem immolationis et passionis Christi, de quo ipse Dominus Judæis ait : *Abraham pater vester exultavit ut videret diem meum : vidit, et gavisus est* (Joan. VIII, 56). Et quidem id confirmari videtur mystico illo nomine, quod Abraham huic loco indidit, et quo præclara quædam et excellentissima visio innuitur : *Apellavit nomen loci illius : Dominus videt... Dominus videbit ;* vel juxta LXX, *Dominus visus est.* Id enim non tantum significat, Dominum in loco illo providisse sibi victimam ; sed. etiam, ut supra explicatum est, per visionem sese Abrahæ manifestasse. — Illud nomen usque ad Moysis tempora perduravit : imo dici potest nomen illud perpetuo mansisse, cum ex eo conflatum sit vocabulum *Jerusalem*, quod idem sonat ac *Visio pacis.*

15. *Vocavit autem angelus Domini Abraham secundo de cœlo, dicens :* 16. *Per memetipsum juravi, dicit Dominus : quia fecisti hanc rem, et non pepercisti filio tuo unigenito propter me :* 17. *benedicam tibi, et multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli, et velut arenam quæ est in littore maris : possidebit semen tuum portas inimicorum suorum,* 18. *et benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, quia obedisti voci meæ.* 19. *Reversusque est Abraham ad pueros suos, abieruntque Bersabee simul, et habitavit ibi.*

Antequam de monte descenderet, et verisimiliter, postquam effuso gaudio suum Isaac, velut e mortuis suscitatum atque iterum sibi a Deo datum, esset amplexus, Abraham nova recreatus est visione : *Vocavit angelus Domini Abraham secundo.* — In visione priore Deus servo suo filium reddidit, ejusque obedientiam laudavit. At non tantum laudis, verum etiam benedictionis plane divinæ præmium vult retribuere. Ideo iterum voce angeli loquens, benedictiones antea jam promissas renovat et juramento confirmat.

Quia fecisti hanc rem.. . quia obedisti voci meæ. Benedictionis causam præmittit, Abrahami obedientiam ; unde intelligimus, sanctum patriarcham per obedientiam suam meruisse, saltem de congruo, patrem fieri Ejus, *in quo benedicendæ essent omnes gentes terræ;* id est, Christi.

(1) Lib. 1 *De Abrah.* cap. 8.

Per memetipsum juravi, *dicit Dominus*... Juramentum adhibet Deus, humano mori se accommodans, ut promissionis solemnitatem et firmitatem significet. *Abundantius*, inquit Apostolus, *volens Deus ostendere pollicitationis hæredibus immobilitatem consilii sui, interposuit jusjurandum*. Hebr. VI, 17.

Quia non pepercisti filio tuo... benedicam tibi, et multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli... scilicet, ut Hieronymus ait, quia unico filio non parcit in terris, stellas pro filiis annumerare jubetur in cœlis.

Multiplicabo semen tuum : intellige posteritatem Abrahæ, tum carnalem, nempe Judæos ; tum spiritualem, nempe Christianos. Sunt enim Christiani Abrahæ posteritas duplici sensu : 1° quia Abrahæ fidem ac pietatem imitantur ; 2° quia Christus, filius Abrahæ secundum carnem, Christianorum omnium est parens.

Possidebit semen tuum portas inimicorum suorum. Per synecdochen *porta* ponitur pro *urbe*, et sensus est : 1° Posteri tui secundum carnem possidebunt urbes inimicorum suorum, puta Chananæorum sub Josue ; Philistinorum, Ammonitarum, Syriorum, etc. sub Davide et Salomone. 2° Posteri tui secundum spiritum similiter triumphabunt. Christus enim portas inferorum occupabit ; Apostoli, eorumque successores Gentium urbes et regna subigent Christo et Ecclesiæ.

Et benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ. Illud *in semine tuo*, designat Abrahæ semen, seu filium, per excellentiam, nempe Christum ; et sensus est : In Christo, qui ex te nascetur quasi semen et quasi proles singulariter benedicta, omnes populi terræ gratiam, justitiam et salutem consequentur. *Ut in gentibus*, inquit Apostolus, *benedictio Abrahæ fieret in Christo Jesu, ut pollicitationem Spiritus accipiamus per fidem.... Abrahæ dictæ sunt promissiones et semini ejus. Non dicit, et seminibus, quasi in multis ; sed quasi in uno : Et semini tuo, qui est Christus*. Gal. III, 14, 16.

His auditis perfusus gaudio, *Abraham reversus est ad pueros suos*. — Quis autem dubitet, quin prius osculis suis et benedictionibus cumulaverit adstantem filium, tot novis titulis sibi charissimum ? Cum ipso descendit ad servos suos, *abieruntque Bersabee simul*, ad Saram, matrem Isaac. Quam si noluerat Abraham participem esse doloris sui, voluit sane nunc sociam fieri tanti sui gaudii, immensæque erga divinam bonitatem gratitudinis.

Explicatio secunda.

—

Mirabilis historia tentationis Abrahæ, filium Isaac immolare jussi, simul figura est et exemplum. Nam 1° adumbrat magnum mysterium, et 2° magnæ exhibet virtutis spectaculum.

I. Si spectetur ut figura, veluti vivis lineamentis exprimit mysterium crucis, ac salutem æternam per Christum universo mundo largiendam.

Etenim 1° Isaac, filius Abrahæ divinitus datus, innocens et amabilis, figuram exhibet Christi Jesu, filii Dei, Agni immaculati.

2° Iter triduanum ad montem sacrificii, vitam Christi mortalem, quæ tota ad Crucis sacrificium fuit præparatio, præcipue vero sacrum triduum passionis ac mortis ejus repræsentat.

3° Isaac onustus lignis holocausti, est Christus bajulans lignum crucis ad eumdem Calvariæ locum.

4° Isaac obediens sub manu paterna contra ipsum armata : est Christus, factus obediens Deo patri, usque ad mortem, mortem autem crucis.

5° Isaac ligatus super altari, est Christus cruci affixus.

6° Isaac quasi occidendus et concremandus in holocaustum : est Christus reipsa in cruce moriens, extrinsecus quidem sanguine perfusus, intus vero charitatis ardore consumptus.

7° Abraham non parcens filio unigenito, est Pater æternus, qui unigenito ac *proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Rom. VIII, 32.

8° Isaac ex altari velut redivivus surgens, est Christus resurgens ex mortuis.

9° Aries immolatus loco Isaac, est Christi immolatio loco nostri, ejusque pro nobis vicaria satisfactio.

10° Promissio posteritatis magnificæ, Abrahamo in præmium obedientiæ confirmata, est humani generis salus, Christo Salvatori pro sanguinis pretio promissa et concessa : *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum.* Isai. LIII, 10.

II. Si tentatio seu probatio Abrahæ consideretur ut exemplum, documenta morum ac virtutes plurimas ante oculos ponit; in quibus præcipue effulget probatio justi, fides, obedientia, spiritus sacrificii, veraque devotio in divino famulatu requisita. Quæ singula generatim proponi possunt sequentibus formis.

1° Probatio justi. — Exemplo Abrahæ a Deo probati, palam fit probationis necessitas, probationis tolerantia sancta, probationis toleratæ præmium.

Etenim, -1) necessaria est probatio, -*a*) ut virtus purificetur

a multis vitiis et terrenis inquinamentis ; -*b*) ut virtus roboretur ; -*c*) ut virtus ad aliorum ædificationem manifestetur.

-2) Probatio toleranda est sicut ab Abrahamo toleratur : -*a*) cum fide ; -*b*) cum fiducia, cum prudentia et cum fortitudine ; -*c*) cum perseverantia usque in finem.

-3) Probationis præmium est, -*a*) superna consolatio Dei ; -*b*) fructus gratiæ, et ædificationis proximi in hac vita ; -*c*) fructus gloriæ in futura.

Iterum, exemplo Abrahæ videmus, ex una parte quomodo Deus servos suos probet ; ex altera vero, quomodo servi Dei probationem debeant sustinere.

-1) Deus enim servos suos probat, -*a*) acerbe quidem et usque ad extremum ; -*b*) paterne tamen, et eorum vires per gratiam suam mirabiliter sustentando ; -*c*) misericorditer, eorum scilicet constantiam magnifice coronando.

-2) Justus debet sicut Abraham, -*a*) probationem accipere de manu Dei, in spiritu fidei ; -*b*) eam subire fiducialiter ac fortiter ; -*c*) eamque sustinere usque in finem constanter.

2° Fides. — Abraham merito vocatus est *credentium pater*, qui *contra spem in spem credidit* (Rom. IV, 18) ; qui *fide obtulit Isaac, quum tentaretur, et unigenitum offerebat qui susceperat repromissiones* (Hebr. XI, 17). — Hæc Abrahami fides prorsus exemplaris est, omniumque oculis proposita : ut intelligamus qualis esse debeat fides nostra, illa, quæ vocatur a Christo *fides Dei* (Marc. XI, 22), et *grano sinapis* dicitur simillima (Matth. XVII, 19).

Est autem hujusmodi fides, -1) bene fundata, -2) immobilis et inconcussa, -3) maxime efficax.

-1) Bene fundata est : nempe in Deo, summa et infallibili veritate, cui omnis intellectus inclinari, omnis contradictio cedere debet. Duo Abraham novit : Deum esse locutum, et Deum fallere aut falli non posse ; quo fundamento innixus, ex parte Dei omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet : sciens, quidquid Deus dixerit esse verum, quidquid promiserit esse futurum, quidquid jusserit esse faciendum....

-2) Fides Abrahæ immobilis est et inconcussa, nempe inter humanæ mentis, fallibilisque rationis dissensiones ac reluctantias. Ubi Dei vocem sanctus patriarcha audiit, eam cæco quodam impetu voluntatis, sine ulla prorsus disquisitione, sed toto animo assensuque suo statim amplexus est. Credit, et juxta fidem agere est paratus, etiamsi -*a*) quod dicitur, non intelligat ; etiamsi -*b*) quod dicitur, judicio carnis videatur contrarium ; etiamsi -*c*) ipse Deus loquens contradictoria dicere videatur. — Novit enim hujusmodi contradictiones esse tantum specie tales, prodeuntes ex tenuitate humani luminis : quod,

sicut res superioris ordinis nequit intelligere, ita neque falsitatis eas convincere unquam potest.

-3) Fides Abrahæ est maxime efficax. — Abraham enim, -a) secundum fidem suam, seu secundum verbum Dei agere promptus est ac paratus ; -b) et quidem etiamsi res injungatur carni contraria, et sacrificium requiratur ; -c) imo etiamsi sacrificium requiratur arduum ac summum, seu rei quam habeat homo pretiosissimam.

3° Obedientia. — Spectari potest obedientia, sive Abrahami, obedientis Deo ; sive Isaaci, qui tum patri suo, tum simul ipsi Deo obsequitur. — In utroque autem exemplo tria distinguuntur ; -1) præceptum injunctum ; -2) impletio præcepti ; -3) retributio....

4° Devotio. — Vera solidaque devotio, sumpta pro speciali virtute, velut ipsa virtus religionis est, in gradu tamen altiore spectata ; consistitque in voluntate, prompta ac parata ad omnia quæ divini sunt obsequii. Devotionis autem actus essentialis ac velut fundamentalis, est quædam suimetipsius Deo donatio, qua homo sese Dei obsequio devoveat.

Hujusmodi devotionis duo sunt gradus : unus est devotionis communis, qua homo se Deo devovet et paratum exhibet ad servanda mandata ; quod fit in Baptismo ; — alter est devotionis perfectæ, qua sese devovet Deo ad servanda etiam consilia, et quæcumque magis grata fuerint divinæ Majestati : quod fit præcipue per professionem religiosam.

Devotionis perfectæ actus fundamentalis vocari potest *holocaustum cordis :* estque integra suimetipsius in Dei obsequium oblatio ac traditio, qua homo semetipsum cum omnibus quæcumque habet aut possidet, penitus Deo devoveat : adeo ut plenissimo sensu Deo *devotus* existat. Hujusmodi devotionis habitus, seu cordis devoti permanens dispositio, *spiritus sacrificii* appellatur.

Jam vero devotionis, et quidem devotionis perfectæ exemplum exhibet Abraham patriarcha. Nam omnia Deo devovet, omnia Deo reddit, omniaque vicissim a Deo recipit.

-1) Omnia Deo devovet. Cor scilicet totum Deo pridem tradidit : id est, -a) se suaque omnia obtulit, ut Deus disponat de iis pro omni voluntate sua ; proinde, -b) paratus est ad abstinendum, ad agendum, ad patiendum prout Dominus voluerit : seu, ad Dei prohibitiones servandas, ad labores quoslibet sustinendos, ad sacrificia quælibet præstanda, quæ postulaverit Dominus. Quæ quidem Abrahami dispositio manifestatur simplici verbo, quo vocanti Domino respondet : *Adsum...*

-2) Omnia Deo reddit, secundum illud : *Vovete et reddite* (Ps. LXXV). — Reddit quidquid Deus petierit, et quo modo, quove

tempore voluerit... Petit autem Deus id, quod Abrahamo charissimum est, ipsaque vita pretiosius : nempe unigenitum..... et quidem hunc reposcit modo dolorosissimo, ipsa nempe patris manu mactandum... — Petit autem hujusmodi holocaustum animo potius et interne, quam re externa perficiendum... Ut intelligamus, quid Deus a devoto servo requirat, nempe holocaustum cordis, quo totus homo Creatori suo in charitatis igne immolatur.

-3) Omnia vicissim a Deo recipit, sed meliore modo : quandoquidem Deus liberalitate non vincatur, et quodvis servorum suorum obsequium divina magnificentia rependat. — Itaque Abraham a Deo recipit, non tantum ipsum Isaac, nunc longe sibi chariorem ; sed progeniem ut stellas cœli splendidam atque innumerabilem... Ut intelligam quid sit illud : *Dare totum pro toto ; relinquere me, ut Deum possideam ; perdere animam, ut eam inveniam ; vendere quæcumque habeo, ut margaritam evangelicam acquiram.....*

5° Spiritus sacrificii. — Ex Abrahami exemplo et illud luculenter docemur, totum opus et œconomiam salutis reduci ad sacrificium et spiritum sacrificii : idque commode intelligetur considerando, -1) quodnam Deus a servis suis sacrificium requirat ; -2) quomodo sacrificium requisitum offerendum sit ; -3) quanam remuneratione coronandum....

His in genere indicatis, superest ut nonnulla verba textus sacri in particulari perpendamus.

Tentavit Deus Abraham.

Aliter tentat Deus, aliter diabolus ; tentationes autem diaboli Deus justis de causis permittit.

1° Deus proprie non tentat : *Deus enim intentator malorum est* (i. e. Deus nullo affectu malo sollicitatur : est enim essentialis bonitas ; unde et) *ipse autem neminem tentat* (Jac. I, 13). — Non tentat, sed probat servos suos : *Tanquam aurum in fornace probavit justos Dominus* (Sap. III, 16). — *Quia acceptus eras Deo*, aiebat angelus Raphael Tobiæ cæco, *necesse fuit ut tentatio probaret te.* Tob. XII, 13.

Probat autem Dominus nos, sive præcipiendo labores, — sive imponendo tribulationes, aut permittendo tentationes proprie dictas, sive requirendo sacrificia.

Porro fine sanctissimo probat suos famulos, fine nempe misericordiæ, ut eos ad gratiam et ad gloriam promoveat ; ut eorum virtutem exercendo perficiat, manifestet et coronet.

2° Diabolus proprie tentat : id est, sollicitat ad malum, objiciendo illecebras hoc fine, ut homines pertrahat ad peccatum, et per peccatum ad gehennam (1). — Hujusmodi tentationes

(1) *Adjumenta oratoris sacri*, Argum. XIII, *de tentationibus*.

periculum continent, quod fugiendum est quoad fieri potest, quodque tanquam malum est deprecandum, prout Dominus docuit : *Ne nos inducas in tentationem, sed libera nos a malo* (Matth. VI, 13). — Interim autem tentationi fortiter resistere oportet, utendo armatura Dei, quæ est oratio.

3° Deus diabolicas tentationes permittit, justis de causis : nimirum. -1) ex justitia, ad puniendam hominis negligentiam vel temeritatem ; ideoque monet nos, dicens : *Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem* (Matth. XXVI, 41). -2) Ex misericordia, ut justos exerceat, humiliet ac probet. *Fili, accedens ad servitutem Dei, præpara animam tuam ad tentationem* (Eccli. II, 1). — At vero semper adest ipse Dominus, ut servos suos auxilium petentes adjuvet ; nec supra vires eos tentationibus premi permittet : *Fidelis Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis ; sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere.* I Cor. X, 13.

Tolle filium tuum unigenitum, quem diligis, Isaac... et offeres eum in holocaustum.

Requirit Deus a servo suo Abraham sacrificium filii unigeniti Isaac ; i. e. sacrificium rei Abrahamo charissimæ ac pretiosissimæ : ut intelligamus, quomodo ab omnibus creaturis suis oblationem similem ac holocaustum requirat, licet nequaquam id ab omnibus offeratur.

1° Petit a nobis spiritualem quemdam Isaac, id est, -1) cor nostrum, omnemque nostram voluntatem, ut ipse nos tanquam Dominus regat : *Præbe, fili mi, cor tuum mihi* (Prov. XXIII, 26). -2) Petit a nobis Isaac, id est, creaturam prohibitam, si quam forte culpabiliter amemus. -3) Petit a nobis Isaac, id est, creaturam quamlibet, cui honesto etiam amore adhæremus : puta fortunam, amicum. Hujusmodi creaturæ sacrificium petere solet, vel requirendo tantum, ut eam corde et affectu amittere pro ipsius amore parati simus ; vel etiam faciendo ut eam reapse amittamus...

2° Non ab omnibus quod petitur sacrificium offertur. -1) Alii quidem sicut Abraham obediunt, et generose offerunt omnia Deo, qui generositate non vincitur... -2) Alii vero non obediunt, et quod a Deo requiritur sibi reservant : mox tamen amissuri coacte et absque mercede, quod pro centuplo dare potuissent...

Vade in terram visionis.

Omnes nos fideles, cum Abrahamo credentium patre, vocamur a Deo, et exire debemus *in terram visionis*.

Est autem terra seu mons visionis, 1° mons Calvariæ, ubi videmus spectaculum divinum, Christum Dei Filium, pro

nobis crucifixum ; et ubi vicissim a Deo aspicimur oculo misericordiæ...

2° Altare Eucharisticum, ubi oculo fidei videmus eumdem Christum incruente immolatum ; et vicissim a Deo Patre benigno vultu aspicimur et benedictionibus ditamur....

3° Cœlum, ubi in lumine gloriæ videbimus Deum facie ad faciem ; et vicissim ab ipso tanquam filii dilectissimi aspiciemur....

4° Præterea, mons visionis est mortificatio christiana et spiritus sacrificii...

5° Demum est spiritus orationis, quo ascendens ad colloquendum cum Deo suo, anima divino lumine illustratur : *Accedite ad eum et illuminamini.* Ps. XXXIII.

Abraham de nocte consurgens... abiit in locum quem præceperat ei Deus.

En obedientia Abrahæ. Quare et quomodo obedit ? Quonam autem pacto exemplum istud imitari debemus ?

1° Obedit Abraham quia credit. Fide scilicet vivida apprehendit non hominis sibi mandatum proponi, sed Dei ; proinde simpliciter obediendum esse intelligit : -1) quia obedientia Deo præstita, summa hominis sapientia est. -2) Quia Deus summus Dominus est, et pro arbitrio suo, tum persona tum rebus nostris uti potest. -3) Quia quidquid injungat, vel adimat nobis, nunquam ad malum, sed certissime ad bonum nobis confert...

2° Obedit autem Abraham perfecte : interne nempe et externe. -1) Interne Deo subjicit intelligentiam suam et voluntatem, obsequiturque Deo suo cæce, fiducialiter et libenter ; -2) externe autem, mandatum exsequitur prompte, — sine murmuratione aut tergiversatione, — fortiter et constanter, donec injunctum opus omnibus numeris secundum Domini voluntatem perfecerit. Quæ quidem figura fuit obedientiæ divinæ Christi Domini, dicentis : *Pater... opus consummavi quod dedisti mihi ut faciam.* Joan. XVII, 4.

3° Obedientiam Abrahæ imitari debemus, -1) surgendo statim, nostramque quietem et omnia relinquendo, ubi Deus loquitur. -2) Abeundo *in locum quem præcepit nobis Deus*..... quin declinemus alio, quacumque illecebra tracti aut seducti....

Deus providebit sibi victimam holocausti, fili mi.

His verbis Abraham fiduciam suam in Deo firmissimam manifestat ; et docet nos, quomodo in divino obsequio similem fiduciam servare debeamus. Quicumque sicut Abraham Deo obedit, ille 1° in omni angustia, ubi humana subsidia defuerint, fidenter dicat : *Deus providebit*...

2° In omni perplexitate, ubi humana prudentia deficit, fidenter dicat : *Deus providebit...* certus, fore ut Deus auxilietur sibi in tempore opportuno. — Idipsum Christus Dominus docuit his verbis : *Dico vobis*, discipulis meis, qui Deo ex toto corde, tanquam soli Domino vestro servire vultis, *ne solliciti sitis animæ vestræ... Quærite primum regnum Dei et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis* (Matt. VI, 25, 33). — *Scitote*, inquit Ecclesiasticus, *quia nullus speravit in Domino, et confusus est Quis enim permansit in mandatis ejus, et derelictus est ?* Eccli. II, 11, 12.

Extenditque manum et arripuit gladium, ut immolaret filium suum.

Mirabilis Abrahæ virtus, mirabilis virtus Isaac!... Utrum major fuerit actus Abrahæ immolantis, an Isaac immolati, quærunt SS. Patres et expendunt.

1° Tanta est utriusque præstantia, ut multi ambos pariter mirantes hæreant. « O religiosam animam, exclamat Chrysos« tomus, o fortem mentem ! O ingens robur animi ! Utrum « admirer, fortemne spiritum patriarchæ ? an tam constantem « pueri obedientiam : quod neque reluctatus est, nec factum « ægre tulit ; sed cessit, et obtemperavit iis quæ a patre fie« bant, et sicut agnus cum silentio super altare decubuit, « exspectans patris dexteram ? »

2° Si spectetur Isaac, -1) eminere ipse videtur eo splendidius, quod mortem sibi inferendam acceperit, ipsamque vitam propter Deum et propter obedientiam obtulerit. Atqui *majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis* (Joan. XV, 13) ; et majoris fortitudinis est mortem pro Deo subire, quam alteri eam inferre. -2) Isaac subito, nec ulla præparatione inductus, sanguinem suum quasi guttam aquæ effundere paratus est. Etenim parato altari adstans, nec quidquam tale cogitans, repente a patre ad immolationem postulatus, illico alacer sese obtulit. -3) Isaac viginti quinque annos natus, in flore ætatis, longam prospiciens vitam, multamque sobolem, omnia hæc, omnemque spem hujus mundi Deo libenter sacrificat. Atqui majus est sacrificare omnia, quam partem. -4) Isaac a patre ligari voluit, aram conscendit, cervicem obtulit, ictum certissimum expectavit, quin sicut Abraham sese divinitus servandum aut a mortuis suscitandum cogitaret....

3° His tamen opponi videntur rationes potiores ex parte Abrahæ. Nam -1) Abraham plus diligebat vitam amabilissimi sui Isaac, quam suam ; imo quam ipse Isaac vitam diligeret. -2) Abraham per integrum triduum atroci cogitatione discru-

ciatus est ; quare, si dolor ejus ratione prævisionis fuerit mitior, ratione durationis fuit gravior. -3) Abraham maximas circa fidem vincendas habuit tentationes, eo quod viderentur promissa Dei sibi facta, per injunctam immolationem Isaac penitus aboleri. *Fide obtulit Abraham Isaac cum tentaretur, et unigenitum offerebat qui susceperat repromissiones* (Hebr. XI, 17). — 4) Atrocius erat patri necare filium, quam filio necari. Is enim uno ictu mortem hausisset ; Abraham vero multiplicem et longam velut agoniam sustinuisset : -*a*) jugulando filium ; -*b*) sacrificali ritu eum membratim concidendo ; deinde -*c*) cremando, omnesque reliquias ejus in cineres redigendo ; denique -*d*) perpetua memoria recolendo se talem immolasse et perdidisse filium....
Quapropter Deus ipse, non Isaaci, sed Abrahæ obedientiam commendat, ejusque causa se Isaaco benedicturum promittit.

Et ecce angelus Domini de cœlo clamavit.

1° Deus per miraculum fidelem Abraham a tribulatione liberat : ut doceat nos, potius se miracula patrare, quam derelinquere servos suos....

2° Deus noluit externam immolationem, sed potius internum sacrificium Isaaci et Abrahæ : ut intelligamus, sacrificium internum cordis ipsi principaliter placere....

3° Deus noluit sacrificium, sed tantum obedientiam : ut discamus *meliorem esse obedientiam quam victimas.* I Reg. XV, 22.

4° Deus, etsi viderat jam a triduo animum Abrahæ paratissimum, non tamen liberatorem angelum misit, nisi in fine atque in puncto extremo : quia solet servos suos deducere in angustias, ubi omni spe humana destituantur, eosque ponere in discrimine extremo ; ut tunc usque in finem perseverantes melius liberet et coronet. *Deducit ad inferos, et reducit.* I Reg. II, 6.

Quia fecisti hanc rem, et non pepercisti filio tuo unigenito propter me : benedicam tibi... quia obedisti voci meæ.

1° Hinc discimus quanti pretii oculis Dei sit obedientia...

2° Discimus, obedientiam veram, illam quam Deus laudat, procedere debere usque ad immolationem Isaac... id est, usque ad sacrificium summum ; nullique rei parcere posse : *Quia obedisti... et non pepercisti...* His consonant verba Christi : *Sic omnis ex vobis, qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Luc. XIV, 33.

3° Discimus benedictiones Dei tribui obedientibus : *Vir obediens loquetur victoriam.* Prov. XXI, 28.

Benedicam tibi, et multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli, et velut arenam quæ est in littore maris.

1° En retributio magnifica et plane divina : pro uno filio Abraham obediens recipit filios innumerabiles ; ut intelligamus quomodo Deus centuplum rependat....

2° Abrahæ filii, id est, filii fidei et obedientiæ, erunt sicut stellæ sublimes : si tamen simul fuerint sicut arena humiles.

3° *Multiplicabo semen tuum*... en progenies spiritualis, viris apostolicis promissa ; sed quæ fructus esse debet fidei, fiduciæ, spiritus sacrificii et obedientiæ... Quod quidem præclarissime patet in ipso *Apostolo et Pontifice confessionis nostræ Jesu* (Hebr. III, 1), qui idcirco *vidit semen longævum, quia posuit pro peccato animam suam, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* Isai. LIII, 10 ; Phil. II, 18.

—

IN OFFICIO DEFUNCTORUM AD MATUTINUM, LECTIO I.

Parce mihi, Domine. Job. VII, 16—21.

16. Parce mihi, nihil enim sunt dies mei. — 17. Quid est homo quia magnificas eum ? aut quid apponis erga eum cor tuum ? — 18. Visitas eum diluculo, et subito probas illum. — 19. Usquequo non parcis mihi, nec dimittis me ut glutiam salivam meam ? — 20. Peccavi, quid faciam tibi, o custos hominum ? quare posuisti me contrarium tibi, et factus sum mihimetipsi gravis ? — 21. Cur non tollis peccatum meum. et quare non aufers iniquitatem meam ? Ecce nunc in pulvere dormiam ; et si mane me quæsieris, non subsistam.

—

Explicatio prima.

Job tribulationibus pressus Deum deprecatur, ne permittat ipsum ita doloribus urgeri, ut nullus ei respirandi locus aut facultas relinquatur ; sed quam primum ipsum liberet, vel saltem soletur.

Duæ partes hic distingui possunt : nam Job divinam indulgentiam humiliter implorando,

I. *Confitetur suam miseriam corporalem, sive brevitatem vitæ.*

II. *Confitetur suam miseriam spiritualem, sive peccatum.*

—

16. *Parce mihi, nihil enim sunt dies mei.*

Petit ut Deus *parcat sibi* in doloribus infligendis ; et sensus est : Utere, Domine, indulgentia ac bonitate erga me, mitigando dolores meos. — Rationem autem seu motivum addit : *Nihil enim sunt dies mei :* id est, tam pauci ac breves sunt dies vitæ meæ, ut quasi nihil sint ; aliis verbis : exigua valde est vita mea in hoc mundo. — Scilicet ut Deum moveat ad misericordiam , brevitatem memorat vitæ suæ : quia 1° sic humiliando se coram Creatore, ejus misericordiam meretur ; 2° quia sic Deo significat, mox tempus non fore, ut misericordiam suam erga mortalem creaturam suam exerceat.

17. *Quid est homo quia magnificas eum ? aut quid apponis erga eum cor tuum ?* 18. *Visitas eum diluculo, et subito probas illum.*

Motivum exiguitatis suæ et miseriæ modo allatum complet et corroborat, apponendo Dei misericordiam, quasi diceret : Quamvis misella creatura sit homo, tu tamen misericordissime eum nobilitas et curas : quasi hunc in finem creasses, ut in eo misericordiam insigniter exerceas.

Quid est homo, quia magnificas eum ? Mirum in modum scilicet creaturam tam modicam *magnificas* , dans ei gratiam, et gloriam ; — faciens eum templum vivum majestatis tuæ... adoptans in filium, et animam ejus assumens in sponsam...

Aut quid apponis erga eum cor tuum ? id est, cur mentem et affectum in eum impendis ? Aliis verbis : cur sollicitudine et dilectione paterna eum prosequeris ?

Visitas eum diluculo et subito probas illum : id est , vi amoris illius paterni misericorditer eum prævenis visitando consolationibus ; et ex eodem amore mox eum probas, visitando afflictionibus. — Varia enim est visitatio Dei : alia nempe visitatio misericordiæ, et alia justitiæ. — Visitatio autem misericordiæ est iterum, modo visitatio consolationis, modo probationis.

Job de utraque visitatione loquendo respicere videtur vicissitudinem, quam ipsemet expertus est : primum donatus a Deo maxima prosperitate, nunc autem acerbissime probatus. Tribulationem enim quam patitur, ut probationem sanctam de manu paterna Dei accipit ; petit tamen, si fieri possit, aliquod levamen, addens :

19. *Usquequo non parcis mihi,*
nec dimittis me ut glutiam salivam meam ?

Sensus est : Quandonam ærumnas meas tolles, vel mitigabis paululum, ut saltem mihi respirandi sit locus ? — Interrogatio est deprecativa, per modum fiducialiter conquerentis , quasi

dicat : Scio quidem, Domine, probationes a te infligi nobis misericorditer , teque paterna manu castigare quos amas ; verumtamen, si fieri potest, parce infirmitati meæ et remissius age cum servo tuo. — Hæc Jobi oratio eumdem fere continet sensum ac oratio Christi Domini in horto : *Pater , si possibile est, transeat a me calix iste.*

Quod dicit *ut glutiam salivam meam* , locutione proverbiali aliquam remissionem, relaxationem , seu levamen oppressionis significat.

20. *Peccavi , quid faciam tibi , o custos hominum ? Quare posuisti me contrarium tibi, et factus sum mihimetipsi gravis ?*

Indulgentiæ quam petit obstare videtur , quod peccator sit , et tribulationes suas pati debeat tanquam pœnas ; sed peccata hominis non excludunt Dei misericordiam , quæ iniquitates condonat et tollit. Sensus verborum est quasi diceret : Peccator utique sum , et in peccatis misere conceptus : at etiam et præcipue erga peccatorem, o Deus , misericordiam tuam exercere debes.

Peccavi : esto, peccaverim, ut amici mei objiciunt ; non enim diffiteor me peccasse , iis saltem culpis , quas etiam justi committunt ; ac proinde me justas pœnas meruisse : imo quoniam tibi , o Deus, debitor sum, plene satisfacere non possum , nisi tu condones.

Quid faciam tibi, id est, quomodo ego satisfaciam tibi ? tibi , inquam, *o custos hominum !* o judex et testis , Deus , qui scrutaris abscondita cordium ! Solvendo tibi impar sum omnino. Licet enim infinitas de me pœnas sumpseris , tamen a me nunquam satis , quia Deus meus es , habebis , nisi mihi precanti ignoscas pro tua clementia : hæc enim in omni merito et satisfactione interveniat necesse est.

Quare posuisti me contrarium tibi ? id est , cur mecum agis tam severe ac velut cum inimico capitali ? Nonne multi alii peccaverunt ? Cur ego solus tam acerbe punior ? — *Et factus sum mihimetipsi gravis ?* nempe pondere miseriarum oppressus ac gravatus. — Interrogatio ista , reverens querimonia est , et forma doloris, quasi diceret : Me miserum ! Propter peccata , quæ tu, Domine , ex rigore justitiæ in me vindicare statuisti , velut exosus inimicus tibi sum et mihimetipsi cruciatus. — Hinc supplex veniam petit :

21. *Cur non tollis peccatum meum , et quare non aufers iniquitatem meam ? Ecce , nunc in pulvere dormiam ; et si mane me quæsieris, non subsistam.*

Ergo, inquit, instanter precor , misericorditer mihi condona peccata mea ; idque cito et sine mora facere digneris : instat enim finis vitæ meæ.

Cur non tollis... — et quare non aufers ?... interrogatio deprecativa est, et repetitio fervoris. — *Ecce nunc in pulvere dormiam*, id est, mox, quasi jam hodie, descendam in sepulcrum ac in pulverem revertar ; — cras mane deprehendar mortuus : *Si mane*, inquit Deo, *me quæsieris, non subsistam :* id est, non invenies me vivum. Respicere videtur metaphoram somni corporalis, quasi diceret : Ita in pulvere dormiam, ut mane non surgam ; et si mane me quæsieris, ut mihi sicut reliquis creaturis benefacias et lumen solis largiaris, non ero jam tuæ beneficentiæ capax. — Sic fere Corderus et Pineda.

Ab aliis postrema verba sic exponuntur : Si moraris tollere et condonare peccatum meum ; et *mane,* id est, prompte et ante concessam remissionem, veneris ad rationem vitæ operumque meorum expostulandam ; *non subsistam* : id est, te judice causa cadam. Aliis verbis : Fac mihi misericordiam priusquam moriar et judicium subeam ; si enim me judices in rigore justitiæ, fateor, non inveniar justus. — Ut patet, hoc sensu continetur humilis confessio peccatorum, quæ etiam in hominibus justis Deo grata est.

—

Explicatio secunda.

—

Propheta Job, non tantum insignis patientiæ exemplum præbuit (Tob. II, 12) ; sed etiam Christi Domini typum gessit, tum olim in corpore suo reali, tum nunc porro in corpore suo mystico patientis.Propterea Jobi verba membris Christi patientibus , quæ sunt præcipue animæ in Purgatorio detentæ , Ecclesia accommodat, et in officio Defunctorum recitare consuevit. At vero dum verba itsa sensus exhibent et lamenta fidelium defunctorum , simul eximia documenta tradunt ad eruditionem viventium.

Parce mihi....

Verbum illud continet humilem petitionem indulgentiæ et veniæ.

1° Hæc oratio Deo est gratissima, quia oratio humilitatis est,

qua homo suam miseriam agnoscit, seque fatetur pœnis esse dignum; nec fiduciam habere nisi in misericordia Dei. Hujusmodi orationem frequentissime variisque modis Ecclesia repetit, dicens : *Kyrie eleison*, — *parce nobis Domine*, — *miserere nobis*... Quia Spiritus sanctus dixit : *Oratio humiliantis se nubes penetrabit ; et donec propinquet non consolabitur ; et non discedet, donec Altissimus aspiciat*. Eccli. XXXV, 21.

2° Hæc oratio omnibus necessaria est. Omnes enim divina indulgentia indigemus, -1) tum ratione miseriæ corporalis et ærumnarum hujus vitæ ; -2) tum præcipue ratione culparum. Quapropter divinam misericordiam assidue implorare debemus, ut parcat nobis tum in hac, tum in futura vita. — Ut autem plene et efficaciter exaudiamur, oportet ut et ipsi misericordiam præstemus, condonando offensas fratribus nostris viventibus, et orando pro defunctis.

3° Hæc oratio tunc præcipue fundenda est, cum tribulationes patimur. His enim a Deo affligimur ut salubriter humiliemur : *Humiliamini sub potenti manu Dei*. I Pet. V, 6.

Nihil enim sunt dies mei.

En vitæ humanæ brevitas, cujus salutaris consideratio humilitatem parit, et conversionem ad Deum.

1° Vitæ brevitas. Vere *nihil sunt dies mei*, -1) si in se spectentur. Quocumque enim numero fuerint mihi a Creatore definiti, cito transibunt, et recident in nihilum ; sicut dies eorum qui ante me exstiterunt -2) *Nihil sunt*, si considerentur respectu æternitatis : cui comparatum tempus longissimum, nihil omnino est ; sicut umbra ædificii nihil est, ne minima quidem pars ejusdem ædificii.

2° Vitæ brevitas rite considerata, parit humilitatem. Etenim ostendit homini, quantumvis videatur magnus, exiguitatem suam, et quasi pulverem suum Quomodo autem homo, considerans se ex pulvere factum et in pulverem mox reversurum, gloriari posset ? *Quid superbit terra et cinis ?* Eccli. X, 9.. — Quapropter ut id recogitemus Ecclesiæ voce monemur : *Memento homo quia pulvis es, et in pulverem reverteris.*

3° Parit conversionem ad Deum. Videns enim homo suam exiguitatem, sibique non esse quidquam ex se, nisi originalem pulverem ac nihilum, et mortem ; ad Deum, principium vitæ sponte convertitur, totamque spem suam in divina misericordia constituit : *Quoniam tu es, Domine, spes mea*. Ps. 90.

Quid est homo quia magnificas eum ?

Cum consideratione suæ exiguitatis, qua nihil est ex se, conjungit considerationem suæ magnitudinis ex Deo : quæ duo

veram hominis conditionem integre continent. Quænam autem est magnitudo, quam homini Deus conferre dignatur? Et quas ad hoc conditiones Deus ex parte hominis requirit?

1° Deus hominem extollit ad dignitatem filii sui adoptivi: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri* (Joan. I, 12). Hujusmodi autem adoptionis vi, hominem ut filium suum dilectum curat et exornat: primum in hac vita, per beneficia gratiæ, per doctrinam, sacramenta, virtutes... deinde vero, per thesauros gloriæ: *Suscitans a terra inopem, et de stercore erigens pauperem: ut collocet eum cum principibus, cum principibus populi sui.* Ps. CXII.

2° Conditiones ad hanc exaltationem requisitæ, reducuntur omnes ad humilitatem: *Exaltavit humiles*... (Luc. I, 52). — *Qui se humiliat exaltabitur* (Luc. XIV, 11). — *Superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* I Pet. V, 5.

Practice autem humilitas consistit in agnitione suorum peccatorum; in corde per veram pœnitentiam contrito et humiliato; in obedientia et observantia mandatorum; in patientia et misericordia erga proximum...

Peccavi, quid faciam tibi, o custos hominum?

His prophetæ verbis confessio peccati, et expiatoria satisfactio enuntiatur.

1° Confessio peccatorum necessaria est, non modo interna et coram Deo; sed etiam externa et coram Dei ministro, in sacramento Pœnitentiæ.

Etenim -1) omnes sumus peccatores: *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est* (I Joan. I, 8). Commisimus enim peccata mortalia, quibus rei facti sumus æterni supplicii; vel saltem venialia, quibus contraximus animæ maculas, et meruimus pœnas temporales....

-2) Sine humili confessione non datur remissio. Peccata enim gravia ut condonentur, declaranda sunt in sacramento Pœnitentiæ; venialia vero confitenda in sacramento, vel saltem in corde coram Deo. — Quod si humilis confessio fiat, peccata delentur. *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est et justus ut remittat nobis peccata nostra, et emundet nos ab omni iniquitate.* I Joan. I, 9.

2° *Quid faciam tibi?*... Quomodo tibi, Deus, pro peccatis satisfaciam? Hoc verbum ab omnibus nobis, peccatoribus, usurpandum est; cogitandum enim de satisfactione, seu de debito pœnarum temporalium quod erga divinam justitiam contraximus. Etenim

-1) Satisfactio solvenda est, et expiatio a divina justitia requisita necessario præstanda: vel in hac vita, vel in futura; facilius quidem nunc, severius postea. .

-2) Quomodo satisfactio præstanda? — Possumus in hac vita satisfacere pro nobis, et pro aliis. Satisfacimus pro nobis, si corde contrito et vere pœnitente bona opera Deo offerimus: qualia sunt preces, sacrificium Missæ, sacramentorum frequentatio, indulgentiarum usus, elemosynæ, jejunia, aliaque exercitia sancta, præsertim pœnosa. —Alios vero, nempe defunctos, seu animas piacularibus flammis addictas juvare possumus, eadem opera satisfactoria eis applicando...

Quare posuisti me contrarium tibi, et factus sum mihimetipsi gravis?

En duo effectus peccati: ponit hominem Deo contrarium, et sibimetipsi gravem.

1° Homo per peccatum, obedientiam violat Deo debitam; adversus Deum ac Dominum suum rebellis et inimicus insurgit: et eo ipso Deus vicissim ei contrarius atque inimicus efficitur. Hinc quamdiu homo peccat et in peccato manet, -1) Dei suavi amicitia et benedictionibus caret... Gratiæ tamen adjutorio non omnino privatur; sed donec vivit, misericorditer ad pœnitentiam revocatur. -2) Subjacet Dei maledictionibus, quas, nisi tempestive pœnitentiam agat, ineluctabiliter incurret: *Maledicti qui declinant a mandatis tuis.* Ps. CXVIII.

2° Homo per peccatum efficitur sibimet gravis, molestus, et crudelis: adeo ut Spiritus sanctus dicat: *Qui diligit iniquitatem, odit animam suam* (Ps. X). Inducit enim in semetipsum triplex onus gravissimum: -1) remorsus conscientiæ; -2) rebellionem tyrannicam passionum; -3) vindictam Dei....

Ecce nunc in pulvere dormiam.

Mortis tum effectus tum natura hic innuitur et spectari potest.

1° Quod dicit *in pulvere* se fore, effectum mortis indicat, quæ hominem quoad corpus, et corporalia omnia, in pulverem redigit; solamque animam ejusque spiritualia bona non attingit. Itaque, -1) humanum corpus, ejusque bona, voluptates, honores, divitias, mors dejicit in sepulcrum... *Pulvis es et in pulverem reverteris* (Gen. III, 19). — 2) Anima autem quæ spiritualis est, ejusque spiritualia bona, merita, virtutes... vel etiam ejus demerita et peccata... evadunt e manibus mortis, et in æternitatem transeunt...

2° Quod dicit in pulvere *dormiam*, naturam mortis indicat, quæ quies est et somnus. -1) *Quies* est a laboribus, tum bonis tum malis: *Venit nox, quando nemo potest operari* (Joan. IX, 4). — 2) *Somnus* est, non interitus; somnus, a quo resurget homo in novissimo die, sive ad gloriam, sive ad supplicium

æternum. *Venit hora, in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei : et procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ : qui vero mala egerunt, in resurrectionem judicii.* Joan. V, 28, 29.

—

IN OFFICIO DEFUNCTORUM, LECTIO VIII.

Pelli meæ, consumptis carnibus. Job. XIX, 20-27.

20. Pelli meæ, consumptis carnibus, adhæsit os meum,
et derelicta sunt tantummodo labia circa dentes meos. —
21. Misereminі mei, misereminі mei, saltem vos amici
mei, quia manus Domini tetigit me. — 22 Quare perse-
quimini me sicut Deus, et carnibus meis saturamini? —
23. Quis mihi tribuat ut scribantur sermones mei? Quis
mihi det ut exarentur in libro? — 24. stylo ferreo, et
plumbi lamina; vel celte sculpantur in silice? — 25. Scio
enim quod Redemptor meus vivit, et in novissimo die de
terra surrecturus sum; — 26. et rursum circumdabor pelle
mea, et in carne mea videbo Deum meum. — 27. Quem
visurus sum ego ipse, et oculi mei conspecturi sunt, et non
alius; reposita et hæc spes mea in sinu meo.

—

Explicatio primo.

Locus iste præclarum continet testimonium antiquæ humani generis fidei de resurrectione mortuorum; in quod hæc scribit Hieronymus : *Job resurrectionem corporum sic prophetat, ut nullus de ea vel manifestius vel cautius scripserit* (1). — Et alibi : *Job*, ait, *miserias suas resurrectionis spe et veritate solatur. Quis mihi det, inquit, ut scribantur sermones mei?... Quid hac prophetia manifestius? Nullus tam aperte post Christum, quam iste ante Christum de resurrectione loquitur* (2).

Argumentum. — In præcitato loco, Job, acerbissima miseria afflictus, simulque amicorum maledictis et calumniis vexatus, se macie extrema confectum ac pene enectum amare luget; duros socios ut ipsi saltem misereantur, iterum obsecrat; et demum, ad unum quod superest solatium confugit, spem certam resurrectionis futuræ.

Triplex pars distingui potest :

(1) *Ad Paulin.* epist. 53, § 8.
(2) *Contra Joan. Hieros.* § 30.

I. *Descriptio Jobi maciei.*
II. *Apostrophe ad amicos.*
III. *Præconium resurrectionis.*

—

20. *Pelli meæ consumptis carnibus adhæsit os meum, et derelicta sunt tantummodo labia circa dentes meos.*

Postquam se ab omnibus derelictum et exosum fuisse pluribus disseruit Job ; nunc, ut sui commiserationem excitet, iterum ob oculos ponit lacrymabilem sui corporis tabem. Sensus verborum est quasi dicat : Præter mala externa, intus crucior implacabili morbo, quo ad maciem extremam sum redactus ; adeo ut consumptis carnibus, sola mihi cutis ossibus adhærens remaneat, et relicta sint duntaxat labia circa dentes meos.

Labia dicit esse *relicta* : vel quia, Deo volente, sic integra sibi sunt et sana, ut loqui possit et orare Dominum ; vel quia ipsa labia ita quoque extenuata sunt, ut vix dentes contegant. Quæ posterior explicatio magis consonat cum hebræo, ubi legitur : *Evasi cum cute dentium meorum.*

22. *Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei : quia manus Domini tetigit me.*

Sensus est : Vos itaque, o adstantes socii, supplex obsecro et obtestor, ut vos saltem, pro amicitia vestra, tanta mea miseria moti, aliquod mihi levamen afferatis, quem videtis Dei manu tam severe percussum.

Illa repetitio : *Miseremini mei, miseremini mei*, affectum enuntiat vehementem ac desiderium solatii.

Saltem vos, oppositionem innuit ad alios omnes, a quibus se derelictum esse supra testatus est.

Amici mei... Amicos vocat duros socios : 1° ut nomine amicitiæ eos moveat ; 2° ut, non obstantibus eorum contumeliis, se amicum erga eos animum gerere significet. Sic etiam Christus Dominus discipulum proditorem nomine amici compellavit dicens : *Amice, ad quid venisti ?*

Duplex hic exemplum nobis dari S. Gregorius indicat. 1° *Hoc*, inquit, *habere solet proprium mens piorum, quod cum injusta ab adversariis patiantur, potius deprecari eligant quam irasci. — 2° Eos a quibus se per contumelias affligi Job considerat, amicos vocat : quia bonis mentibus etiam ipsa fiunt prospera, quæ videantur adversa.*

Quod addit Job : *Quia manus Domini tetigit mei*, se vehementer a Deo percussum significat. Vox enim *manus Dei* hebræo sermone usurpatur pro afflictione et plaga vehemen-

tiore. *Die ac nocte*, ait David, *gravata est super me manus tua* (Ps. XXXI). — Quod dicitur hic *tetigit*, sensum non mitigat; sed simpliciter significat *attigit me*, tanquam objectum percussionis cui Deus ictum infligere intendit.

Manus Domini tetigit me... Ideo hac periphrasi utitur ut suam miseriam enuntiet, quia oculo fidei Dei manum, seu voluntatem Dei in ea considerat. Non enim Chaldæos, non Sabæos, bonorum suorum direptores; neque diabolum ipsum, sui corporis percussorem, incusat aut exsecratur: sed in malis æque ac in bonis, benignissimi manum Domini agnoscit.

Præterea non dicit se flagello tactum esse, sed *manu* Domini: ut intelligamus, viros perfectos non percuti flagello instar servorum; sed instar filiorum manu patris benignissimi castigari.

22. *Quare persequimini me sicut Deus, et carnibus meis saturamini?*

Sensus est quasi diceret: Cum ipsa manus Domini me tam severe castigaverit, cur adhuc vos, Dei judiciarium munus usurpantes, me tam immaniter vexatis et insequimini? Cur verbis et calumniis me dilacerando delectamini?

Quod dicit: *Quare persequimini me* SICUT DEUS, intelligit solius Dei proprium esse, hoc modo creaturas suas, sive sontes plectere, sive insontes exercere atque probare: hominibus autem incumbere, ut fratres suos miseros solentur, eorumque mitigent dolorem. Et revera magnæ crudelitatis est afflictum affligere; de quo David etiam conquestus est, dicens: *Quoniam quem tu percussisti persecuti sunt, et super dolorem vulnerum meorum addiderunt.* Ps. LXVIII.

Quod autem addit: *Et carnibus meis saturamini?* id est: Ita me vexatis et conviciis proscinditis, quasi vobis voluptati sit mea ista miseria, ut videamini meis carnibus saturari et pœnis delectari. — Qua hyperbolica locutione summam crudelitatem significat.

Tropologice, *alienis carnibus vesci* aut *saturari*, juxta S. Gregorium, idem est atque alicui obtrectare. *Quorum*, inquit, *mens proximorum pœnas esurit, saturari procul dubio alienis carnibus quærit. Sciendum quoque est, quia hi etiam qui alienæ vitæ detractione pascuntur, alienis procul dubio carnibus saturantur* (1).

(1) *Moral.* lib. 14, cap. 25.

23. Quis mihi tribuat ut scribantur sermones mei? Quis mihi det ut exarentur in libro? 24. stylo ferreo, et plumbi lamina; vel celte sculpantur in silice? 25. Scio enim quod Redemptor meus vivit...

Postquam frustra vir patiens misericordiam amicorum imploravit, nullam spem in hoc mundo reliquam videns, convertit se ad Deum et ad spem futuræ resurrectionis. Quæ autem de tanto mysterio dicturus est, solemni præloquio litterarum monumentis desiderat commendari, ad memoriam posteritatis sempiternam. — Sensus est quasi dicat : Si nullum mihi levamen datur ab hominibus, nec ulla spes remanet in terra ; at grande superest solatium in Deo, et in fide ac spe futuræ resurrectionis. Utinam quæ de hac re dicturus sum scripto consignentur, et publico codice exarata permaneant ! Utinam stylo ferreo sculpantur in plumbi lamina, aut celte cælatorio incidantur in saxo durissimo !

Ut scripturam significet quam firmissimam, adeoque indelebilem, varios scribendi modos recenset. 1° *Ut scribantur*, inquit. *sermones mei* : hic est modus vulgaris scribendi.

2° *Ut exarentur* : hoc verbum (hebraice CHAKAK) ad ea pertinet, quæ tanquam firma perscribuntur ad publicam memoriam, cujusmodi sunt statuta et leges. Quare (Dan. VI, 8) Persarum satrapæ Dario regi dicunt : *Nunc rex confirma sententiam, et scribe decretum.*

3° *Ut exarentur in libro* : crescit scribendi firmitas ex adjuncto *libro*. Nam *liber* est instrumentum publicum, quo res gestæ regum, aut annales, vel genealogiæ olim describebantur a publicis scribis seu notariis. Sic dicitur : *Liber generationis Adam... Liber generationis Jesu Christi...* (Gen. V, 1 ; Matth. I, 1). — Publica igitur fide scribi, signari et conservari sermones suos vult Job ; sed neque hoc contentus, diuturnitatem adhuc firmiorem quærit. Optat enim ut exarentur.

4° *Stylo ferreo et plumbi lamina* (in hebræo, *stylo ferri et plumbo*)... sensus est : Quoniam librum papyraceum aut membraneum arrodere solet tinea, et consumere vetustas ; stylum ferreum requiro et plumbi laminam, ut ex meis sermonibus publicum monumentum conficiatur in volumine plumbeo.

5° At vero, quia dantur litteraria monumenta etiam plumbo durabiliora, inscriptiones nempe lapideæ, addit demum : *Vel celte sculpantur in silice*, nempe in petra omnium durissima.

Cur autem Job tantam verbis suis tribuendam cupit vim prolatitiam? — R. 1° Ut solemniter enuntiet veritatem grandem, qua tota humani generis spes continetur. — 2° Quia digna est hæc veritas ut nunquam oblivioni tradatur, sed semper præ oculis maneat mortalium. — 3° Ut Job, consolationis suæ causa,

vehementer atque intense hanc fidem et spem eliciat. — 4° Ut quam gravissime eamdem fidem suam profiteatur, quæ etiam testimonium conscientiæ atque innocentiæ ejus continet.

Obtinuit profecto Job quod exoptavit : nam libro Scripturarum longe firmius quam plumbo vel saxo siliceo verba ejus consignata sunt æternitati.

25. *Scio enim quod Redemptor meus vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sum ; — 26. et rursum circumdabor pelle mea, et in carne mea videbo Deum meum. — 27. Quem visurus sum ego ipse, et oculi mei conspecturi sunt, et non alius ; reposita est hæc spes mea in sinu meo.*

Profert jam, quos solemni præambulo annuntiavit sermones : quique non aliud sunt, quam clara fidei ac spei professio de futura corporum resurrectione, per Redemptorem Christum operanda. — Firmiter enim credo, inquit, et certissime scio quod Deus Redemptor meus vivit : ipso suscitante, in novissimo die, de terra sepulcri mei surrecturus sum ; rursusque induar carne mea ; et in eadem carne existens (vel existentem) videbo Deum meum ac Judicem. Quem ego ipse, quantumvis miser nunc, in illa die contemplabor ; neque ex alio teste cognoscam, sed hisce oculis meis conspecturus sum. Hæc spes mea magna et firmissima reposita manet in sinu et intimo corde meo.

In hebræo textu quædam occurrunt differentiæ explicandæ (1). Sic enim legimus :

1° *Ego novi Redemptorem meum viventem ; et postremus super pulverem surget ;* vel, *novissime super pulverem suscitabit.* Sensus est : Redemptor meus super pulverem sepulcri suscitabit me ; — vel : Redemptor ipse super pulverem surget, ut me ad vitam revocet ; — vel : Ipse a mortuis resurget, ac proinde et ego resurgam... Quod quidem recte concluditur, ut ostendit Paulus, scribens : *Si Christus resurrexit, et nos resurgemus.* I Cor. XV, 12, seq.

2° Iterum hebræus textus sic habet : *Et postea pelle mea circumdabuntur hæc, et de carne mea intuebor Deum.* Sensus autem est : Cute mea, quæ est complementum carnis, circumdabuntur hæc membra mea, postquam fuerint putrefacta ; et sic redivivus in carne videbo Deum meum.

3° Ultima verba in hebræo sunt hæc : *Consumpti sunt renes mei in sinu meo,* scilicet præ vehementi Deum meum videndi desiderio. Bene igitur Hieronymus ea vertit : *Reposita est hæc spes mea in sinu meo.*

(1) Cfr. Patritii *De interpret. Script.* lib. 2. quæst. 10.

Ex dictis liquet, perperam prorsus heterodoxos interpretes verba Jobi ad metaphoricam resurrectionem detorquere voluisse : quasi resurrectionis nomine nihil aliud intelligeret, quam sui restitutionem in pristinam sanitatem ac prosperitatem. Etenim, 1° petitio monumenti æterni, 2° dies novissimus, 3° secunda cutis circumductio, 4° visio Dei, — de quibus hic sermo est, — istiusmodi hypothesim omnino excludunt.

Quonam autem sensu dicit Job, *Redemptorem suum vivere?* R. Sensu copiosissimo. Vivit enim 1° quia Deus est, semper et ab æterno vivens. — 2° Vivit etiam ut Deus-Homo, jam olim ex Patris decreto incarnatus. — 3° Vivit ut Redemptor in acceptatione ejusdem Patris, apud quem ab æterno vivunt ejus merita, ejusque sanguis, in pretium redemptionis effundendus. Qui pretiosus sanguis, etiam ante legem scriptam, ab initio mundi, profuit electis quasi effusus esset. Quare Joannes Christum vocat *Agnum qui occisus est ab origine mundi.* Apoc. XIII, 8.

Quod dicit : *De terra surrecturus sum, et rursum circumdabor* (hac) *pelle mea ;* — Septuaginta Interpretes addunt, *pelle mea quæ perpetitur hæc ;* — indicat carnem suam, nunc ulceribus plenam, putrescentem et morientem, resurrectione peracta, eamdem quidem fore quoad substantiam ; sed in melius utique mutatam ac renovatam : imo propterea beate renovatum iri, quia nunc tam acerbe patitur, et usque ad mortis pulverem humiliatur : quasi nesciat immortalitas inveniri nisi in ipsa corruptionis materia, nec vitæ flos nisi a putredine mortis exoriri.

Quod demum dicit, *repositam esse hanc spem in sinu suo,* innuit ejusdem spei firmam inhæsionem, pretium summum, efficaciam certissimam ; quasi dicat : Hanc spem resurrectionis ita teneo, ut assidua ejus memoria in meis tribulationibus sustenter ; — ut eam tanquam rem charissimam omni affectu ac desiderio complectar ; — ut in ea tanquam in radice infallibili, ejus fructum jam secure possideam.

—

Explicatio secunda.

Derelicta sunt tantummodo labia circa dentes meos.

Documentum hic insinuatur de bono usu linguæ tempore adversitatis, et de orandi necessitate.

1° Satanas, qui *percussit Job ulcere pessimo, a planta pedis usque ad verticem ejus,* ita pepercit, Deo volente, labiis ejus, ut ei loquendi facultatem relinqueret. Qua in re alia fuit intentio Satanæ, alia intentio Dei.

-1) Intentio Satanæ fuit, ut Job doloribus pressus, labiis suis prava verba proferret : verba scilicet iracundiæ, verba contumeliarum adversus homines, verba murmurationis, blasphemiæ et maledictionis adversus Deum. Quæ intentio inimici ex ejus ad Deum verbis satis manifesta est : *Alioquin mitte manum tuam*, inquit, *et tange os ejus et carnem : tunc videbis quod in faciem benedicat* (id est, maledicat) *tibi*. Job II, 5. Idem illud quærit inimicus in omnibus hominum infortuniis ac tribulationibus, ut contra Deum aut contra proximos murmurent et insurgant. Atque huic pessimo proposito ejus multi respondent....

-2) Intentio Dei fuit, ut Job in dura probatione positus, verba sancta, verba resignationis ac benedictionis proferret : atque ita sibi magnum acquireret meritum, et nobis præclarum relinqueret patientiæ exemplum. Quod quidem Dei consilium B. Job perfecte implevit. Etenim *in omnibus his non peccavit Job labiis suis, neque stultum quid contra Deum locutus est. Dominus*, inquit, *dedit, Dominus abstulit : sicut Domino placuit ita factum est : sit nomen Domini benedictum*..... Job I, 21, 22.

2° Quod Jobo rebus omnibus destituto relinquantur labia, ut Deum invocare et exorare possit : divinam innuit misericordiam, quæ nobis semper in omnibus miseriis nostris et angustiis, gratiam orationis relinquit.

Quæ quidem orandi gratia quandoque unica est quæ remaneat ; sed magna illa est et sufficiens. *Domine Deus*, aiebat rex Josaphat, *cum ignoremus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te* (II Paral. XX, 12). — Si ergo gratia orationis non raro unicum est præsidium, necesse omnino est, ut eo utatur quicumque vult tentationes vincere, et animam salvare...

Est autem hæc gratia sufficiens et magna, quia per eam auxilia reliqua consequimur. Est enim oratio radix sanctitatis, clavis thesaurorum cœlestium. Nemo igitur dicat, se peccata cavere, passiones domare, virtutes consequi non posse...

Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei.

1° Job amicos suos implorat frustra ; solamen non in ipsis, sed in solo Deo invenit : ut intelligamus, fiduciam non tam in hominibus quam in Deo esse ponendam ; nec proinde quærendam esse tam hominum amicitiam, quam Dei. — Humani scilicet amici plerumque nobis adsunt in rebus prosperis ; desunt vero in adversis : sive quia nos deserunt, sive quia juvare non possunt... Deus autem ac Pater noster cœlestis ita est paratus, ut in nulla unquam adversitate nos deserat, imo

tunc præcipue soletur : *Cum ipso*, inquit, *sum in tribulatione*. Ps. XC.

2° Cavendum nobis est, ne infideles Jobi amicos imitemur. Ad nos enim etiam ingeminatur clamor ille : *Miseremini mei, saltem vos amici mei...* -1) Hæc vox est fidelium defunctorum, in flammis Purgatorii ad nos clamantium : ipsi sunt fratres et amici nostri, omni commiseratione dignissimi, quos adjuvare possumus et debemus.

-2) Hæc vox est pauperum, qui etiam fratres nostri sunt ac proximi : et quos *amicos nobis facere debemus de mammona iniquitatis ; ut cum defecerimus, recipiant nos in æterna tabernacula*. Luc. XVI, 9.

Quia manus Domini tetigit me.

1° Jobi ærumnæ ab hominibus et a dæmone erant inflictæ, Deo duntaxat permittente ; eas tamen vir sanctus Deo tanquam causæ principali tribuit, quia revera Deo ut eas patiatur placuit : *Sicut Domino placuit*, inquit, *ita factum est* (Job I, 21). — Quapropter omnia recipit de manu Dei : exemplum nobis præbens, ut similiter tribulationes quascumque de manu Domini recipiamus. — Quidquid enim adversi accidat nobis, sive a rerum natura, sive ab hominibus, sive a nobismetipsis proveniat, non nisi permittente Deo accidit : Deoque placet ut id patiamur.

2° Dupliciter manus Domini homines tangit : nimirum vel in misericordia, vel in justitia.

-1) Tangit homines in misericordia, per tribulationes et flagella hujus vitæ. Si enim peccatores punit et percutit flagellis, nequaquam vult eos perdere, sed sanare, et ad resipiscentiam reducere : *Vexatio intellectum dabit* (Isai. XXVIII, 19). — Quod si justos affligit, eos augere vult justitia et meritis : *Nam virtus in infirmitate perficitur*. II Cor. XII, 9.

-2) Tangit homines in justitia, quum hi, tempore misericordiæ elapso, ante tribunal ejus comparent, ut recipiant secundum opera sua. Tunc illi qui in statu quidem gratiæ inveniuntur, sed ita ut debita sua venialia non persolverint, mittuntur ad flammas expiatorias... — Illi vero, qui in statu peccati mortalis existunt, dejiciuntur in ignem æternum terribili manu irati Dei. *Horrendum est incidere in manus Dei viventis*. Hebr. X, 31.

Scio quod Redemptor meus vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sum.

En dogma resurrectionis futuræ, magnum animæ solatium, efficax patientiæ ac fortitudinis principium.

1° Fidei dogma est resurrectio carnis. Omnes scilicet homines, sive jamjam mortui, sive posthac morituri, in novissimo die resurgent cum corporibus suis propriis; ut in suis corporibus retributionem recipiant eorum, quæ in iisdem corporibus gesserint... Qui mala egerint pœnam, qui egerint bona, præmia digna referent. — Hinc duplex erit resurgentium classis : peccatorum et justorum.

-1) Peccatores, quicumque fuerint in vita, resurgent in ignominia et confusione summa : specieque horribiles apparebunt sicut Satanas, quem ducem secuti sunt, et sicut infernus quem in æternum habitabunt....

-2) Justi autem resurgent in gloria. Olim illi despecti et humiliati, *tunc fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum* (Matth. XIII, 43). — Secuti sunt Christum olim in passione, eum sequuntur nunc in resurrectione gloriosa : *Qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ.* Phil. III, 21. Cf. I Cor. XV.

2° Magnum animæ solatium est resurrectio futura, in tribulationibus hujus vitæ.

Duplex distinguitur tribulatio et tristitia : alia, quam experitur homo in obitu parentum vel amicorum ; alia, quam invenit in semetipso et in rebus suis : in utraque solamen verum ac solidum præbet futura resurrectio.

-1) Hæc enim ostendit, defunctum amicum non ablatum esse sine spe, et in perpetuum ; sed aliquando reddendum nobis, imo reddendum in statu ac mundo meliore. *Nolumus vos ignorare, fratres, de dormientibus,* inquit Apostolus, *ut non contristemini sicut et cæteri qui spem non habent. Si enim credimus quod Jesus mortuus est et resurrexit, ita et Deus eos qui dormierunt per Jesum adducet cum eo.* I Thess. IV, 12.

-2) Quod si ærumnis hujus vitæ, sive in bonis externis, sive in corpore nostro affligimur, instar Job : ne duro pondere penitus opprimamur, sicut impii opprimi solent, facit futuræ resurrectionis cogitatio. Hac enim intelligimus, tribulationes nostras non perpetuo duraturas ; sed mox vertendas in gaudium. Prospectus scilicet novæ ac melioris vitæ, solatium est nunquam deficiens, et lux quædam divina, quæ vel densissimas hujus vitæ tenebras suis radiis dissipat.

3° Patientiæ et fortitudinis principium. — Ipsæ namque tribulationes sancte toleratæ, causa sunt meritoria resurrectionis gloriosæ. Quanto profundius homo humiliatur in hac vita, tanto sublimius exaltabitur in futura... Quæcumque accidunt gravamina, quæcumque tormenta, totidem sunt immortalis felicitatis gaudiique semina...

Pretiosa utique, quantumvis amara, semina : idéoque non

æquanimiter tantum, sed libenti animo acceptanda et toleranda. — Hinc Apostolorum, Martyrum, omniumque justorum constantia, ab unoquoque nostrum imitanda : *Id enim quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* II Cor. IV, 17.

—

FER. IV QUATUOR TEMPORUM ADVENTUS. IN MISSA.

Lectio Isaiæ prophetæ : *Erit in novissimis diebus.* Isai. II, 2–5.

2. Erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, et elevabitur super colles, et fluent ad eum omnes gentes. — 3. Et ibunt populi multi, et dicent : Venite et ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Jacob, et docebit nos vias suas, et ambulabimus in semitis ejus ; quia de Sion exibit lex, et verbum Domini de Jerusalem. — 4. Et judicabit gentes, et arguet populos multos ; et conflabunt gladios suos in vomeres, et lanceas suas in falces ; non levabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur ultra ad prælium. — 5. Domus Jacob, venite, et ambulemus in lumine Domini.

—

Explicatio prima.

In recitata Isaiæ lectione agitur de Christo, deque religione seu Ecclesia universali et pacifica, ab ipso constituenda. Duæ partes distingui possunt :

I. *Ecclesia Christi erit universalis.*
II. *Ecclesia christi erit pacifica.*

—

2. *Erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, et elevabitur super colles.*

Sensus est : In novissimo tempore, nempe in tempore Messiæ, mons ædificandæ domui Domini destinatus, constituetur supra verticem aliorum montium. — Hæc autem sententia metaphorica est, et proprie significat, fore ut Ecclesia Christi firmitate et claritate sua omnes alias religiones, imo omnes humanas societates ac regna superet.

In novissimis, inquit, *diebus* : ut ætatem illam significet quæ incipiet ab adventu Messiæ, et durabit usque ad finem mundi.

Novissimi sunt dies a Xto ad finem mundi. —

Etenim -1) non tantum SS. Patres, sed ipsi Hebræi docent, ubi in prophetis invenitur *in diebus novissimis*, vel *in tempore novissimo*, id de tempore Messiæ esse intelligendum. -2) Hoc tempus novissimum, est tempus religionis universalis seu catholicæ, quæ iterum semper tribuitur Messiæ. -3) Eadem ista Isaiæ prophetia reperitur in Michæa, ubi de Messia esse manifestius declaratur (Mich. IV, 1-7 ; V, 2).

Porro tempus Messiæ seu Christi vocatur *novissimum* : -1) Quia Christus est finis legis et prophetarum, ejusque Ecclesia ultimum veræ religionis complementum. -2) Quia tempus quod adventum ejus subsequetur, revera novissimum est respectu originis et durationis mundi, seu respectu præcedentium ætatum ac statuum. Etenim, sive tempus mundi dividas in *primum, medium* et *novissimum* : sive distinguas in periodum *legis naturæ*, *Mosaicæ* et *Evangelicæ* : ultima semper pars exorditur a Christo, et usque ad finem perdurat.

Erit præparatus, id est, erectus et stabilitus, *mons domus Domini*.. Hoc nomine designat Ecclesiam Christi, metaphora ducta a monte Sion, in quo exstabat domus Domini, id est, Tabernaculum a Davide exstructum et Arca fœderis in eo collocata (II Reg. VI, 17). — Porro hanc metaphoram adhibet, -1) quia mons Sion cum Tabernaculo et Arca sancta figura erat Ecclesiæ ; -2) quia revera Tabernaculum, seu domus Domini in monte posita, aptissime repræsentat Ecclesiam, spirituale templum, fundatum in monte, qui Christus est.

Illud *in vertice montium*, celsitudinem indicat et præeminentiam Ecclesiæ Christi in mundo, cum respectu ad alios montes seu altitudines ; quare additur : *Et elevabitur super colles*. — Porro reliqui montes, colles et altitudines, quos transcendet, quos superabit et sibi subjiciet Ecclesia Christi : sunt religio Judaica et reliquæ religiones, sunt scholæ philosophicæ, imo sunt potentissima regna et imperia.

Præeminentia illa et elevatio Ecclesiæ instar ædificii super montem, inter alias Ecclesiæ proprietates, indicat eam fore visibilem et conspicuam : *Non potest civitas abscondi supra montem posita*. Matth. V, 14.

Et fluent ad eum omnes gentes. 3. Et ibunt populi multi, et dicent : Venite, et ascendamus ad montem Domini et ad domum Dei Jacob.

Non tantum Ecclesia a Christo constituetur ut civitas ; sed hæc civitas frequentabitur : et quidem non a judæis tantum, sed ab omnibus gentibus, quæ simul voluntario et concordi animo eam ingredientur.

Fluent, inquit, *ad eum omnes gentes* : id est, ad montem

Christi venient instar fluminum. Quibus verbis significatur, -1) affluentia et multitudo venientium ; -2) spontanea eorum et minime coacta voluntas ; -3) divinæ gratiæ virtus, qua sursum moventur. Ad Ecclesiam scilicet, quasi ad montem sapientiæ et virtutum, contra naturæ corruptæ inclinationem, vi gratiæ cœlestis ascendent ; et ex omni natione homines aggregabunt se, eo animi impetu quo solent flumina non sursum, sed deorsum in valles defluere. Hoc est quod Christus ait, se daturum *aquam salientem* sursum, puta *in vitam æternam* (Joan. IV, 14) ; et alibi : *Ego si exaltatus fuero a terra omnia traham ad meipsum* (Joan. XII, 32). -4) Voce *fluent* etiam innui videtur conversio gentium successiva. Et revera vidimus ad Christum accessisse primum Judæos, dein Samaritanos, mox Syros, Græcos, Romanos, Indos, etc.

Venite et ascendamus... Per mimesin indicantur gentes diversæ inter se loquentes, et sese mutuo adhortantes ad ingrediendum in Ecclesiam : ut significetur, -1) ingens commotio per Evangelii prædicationem excitata in mundo, ac talis, ut omnes populi de re tanta inter se loquantur ; -2) fraternus consensus, quo homines in Christi fide coadunantur.

Ascendamus ad montem Domini, id est, ad Christum atque ad Ecclesiam ; *et ad domum Dei Jacob*, id est, ad templum Dei quem coluit Jacob et populus Israel. — Porro templum significatur illud novum ac præclarum, a Christo ædificatum, cujus Salomonicum templum umbra tantum ac figura fuit.

Et docebit nos vias suas, et ambulabimus in semitis ejus.

Rationem dant sui concursus ad Ecclesiam : ut fiant discipuli ipsius Dei, qui per Christum docebit eos, et quidem efficaciter, vias suas.

Docebit nos... Hoc verbo insinuant, se doctorem bonum hactenus non habuisse ; quasi dicerent : Docuit nos Plato, docuit Socrates, Aristoteles, Diogenes, Pythagoras, et alii ; sed veram sapientiam, et viam ad salutem nobis ostendere non potuerunt. Nunc autem ipsa Sapientia æterna, ipse Deus adest ut doceat nos... Quid autem docebit ?

Vias suas : id est, leges ac voluntates suas, seu vitam sapientiæ ac voluntati Dei conformem, qua tanquam via recta perveniat homo ad beatum terminum salutis. — *Via Domini* est vivendi ratio placens Deo ; vel etiam, voluntas ejus homini per revelationem innotescens. Opponitur viæ mere humanæ, qua homo ambulat, quin ducatur a Deo.

Quod addit : *Et ambulabimus in semitis ejus*, significat efficaciam Christi doctrinæ cum gratia conjunctæ : qua fiet, ut

discipuli non tantum cognoscant virtutem ac sanctitatem, sed etiam opere eam exerceant et colant perseveranter.

Sensus itaque totius sententiæ est quasi diceretur : Ascendamus ad Christum, verum orbis Doctorem : ille nos in Ecclesia docebit viam sanctitatis ; simulque gratiam conferet, ut facile hanc viam ineamus, et percurramus : non passibus corporis, sed mentis : puta credendo, sperando, pœnitendo, amando, obediendo, et pie casteque vivendo.

Iisdem verbis : *Et ambulabimus in semitis ejus*, indicatur iterum consensus variarum gentium, pariter in viis Domini ambulantium ; adeoque Christiana unitas et fraternitas.

Quia de Sion exibit lex, et verbum Domini de Jerusalem.

Verba sunt prophetæ, qui rationem reddit concursus populorum ad Christi Ecclesiam : quia nempe Christi religio ex Jerusalem in universum orbem est propaganda. Scilicet sensus est quasi diceret : Omnes gentes erudientur a Christo, et discent ab eo viam ac legem Dei ; quia lex et doctrina evangelica, a Jerusalem oriunda, prædicabitur per orbem.

Lex intelligitur hic, non antiqua illa timoris, quæ data est in monte Sinai ; sed lex nova, lex gratiæ, quæ data est in monte Sion. — *Verbum Domini,* est verbum evangelicum, quod eamdem legem gratiæ constituit. Porro hæc lex, prædicata per Christum in Judæa, præcipue promulgata est, et a Spiritu sancto Apostolorum cordibus inscripta die Pentecostes, in monte Sion, ubi erat cœnaculum, et in Jerusalem ; unde Apostoli exeuntes, in mundum universum eam prædicarunt.

4. *Et judicabit gentes, et arguet populos multos ; et conflabunt gladios suos in vomeres, et lanceas suas in falces ; non levabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur ultra ad prælium.*

Explicat propheta effectus prædicationis Evangelicæ : per eam Deus, ut infallibilis Judex, manifestabit, condemnabit, ac tollet gentium errores et vitia ; unaque cum erroribus ac vitiis bella tollet, pacemque constituet.

Judicabit gentes : scilicet Deus Jacob, reget, docebit, corripiet, omnique modo tanquam subditos gubernabit illos, qui ejus potestati sese subjecerint.

Judicabit et arguet : hæc verba innuunt judicium contentiosum, seu correptionem et emendationem morum. Verbum scilicet evangelicum pravos gentium mores transformabit in sanctos, non sine luctamine. Vincet tamen ita, ut gentes conversæ velut mutentur in alias, et novam vitam incipiant, pristinæ prorsus contrariam.

Conflabunt gladios suos in vomeres... instrumenta belli et mortis mutabunt in instrumenta pacis et vitæ : scilicet homines a Christo edocti, derelictis bellis et discordiis, tranquille sese tradent artibus pacis et operibus bonis. Quæ significant, Evangelio auferenda esse bella, et inducendam pacem, illam nempe de qua angeli cecinerunt : *In terra pax hominibus bonæ voluntatis* (Luc. II, 14) ; et Christus dixit : *Pax vobis... pacem relinquo vobis*. Joan. XX, 19 ; XIV, 27.

Non levabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur ultra ad prælium. Quod modo figurate dixit, apertius jam et propriis verbis repetit : fore ut Christus auferat omnia bella. — Hic autem quæritur quænam sint illa bella, et quomodo sint a Christo sublata ?

1° Bella intelliguntur, -1) bella et prælia proprie dicta, sed injusta, ambitiosa, tyrannica. -2) Omnia odia, dissidia et discordiæ hominum inter se. -3) Dissidia et inimicitiæ inter homines et Deum. -4) Bella interna tentationum, quæ suscitantur ab inimicis animæ.

2° Ista omnia Christus tollit et sustulit, -1) virtualiter : dando remedium efficax, dummodo adhibeatur ; et ponendo principium, ex quo, nisi ex parte hominum opponatur impedimentum, sequetur exstinctio belli et pax perfecta. Scilicet lex evangelica charitatis, modestiæ, justitiæ, mansuetudinis et patientiæ, lites omnes ac dissidia componet : dummodo ab hominibus rite servetur. -2) Actu, et revera, bella abstulit multa, populosque mitiores atque humaniores effecit. -3) Justis omnibus dat internam pacem in hac vita, cum triumpho de tentationibus pravisque animi cupiditatibus. -4) In vita futura, dat omnibus legis evangelicæ observatoribus pacem, interne externeque perfectam.

5. *Domus Jacob, venite, et ambulemus in lumine Domini.*

Forsan hic agitur de conversione Judaeorum in fine mundi

Vox prophetæ, per apostrophen Judæos tum coævos tum posteros alloquentis. Exposita enim jucundissima pace, per Christum Judæis primum, ac deinde omnibus gentibus afferenda, invitat Israel, ut sese per legis observantiam ad tantum beneficium recipiendum digne disponant ; imo, ubi venerit Christus, eum sequi festinent.

Domus Jacob, inquit, *venite* : id est, relinquite vias pravas vitiorum ; *et ambulemus in lumine Domini,* id est, recipite Evangelium Messiæ.

—

Explicatio secunda.

Erit præparatus mons domus Domini.

Quod Isaias futurum prædixit, nos feliciter impletum videmus : nobis enim exstat præparatus mons domus Domini, id est, Christiana religio, et salus omnibus oblata, quæ merito *mons* vocatur ac *domus Domini.*

1° Christiana religio, seu lex evangelica mons est : ratione firmitatis, et ratione altitudinis.

—1) Ratione firmitatis. Nam -*a*) firmissima est, instar montis, quippe quæ non ab hominibus, sed a Deo est fundata ; nec ab ulla humana vi movebitur, sed in æternum stabit. -*b*) Firmissima est in se, nempe in suo dogmate et in suis promissionibus... et -*c*) firmitatem communicat fidelibus sibi adhærentibus : ut non sint fluctuantes omni vento doctrinæ, nec agitentur amore terrenorum et passionibus humani cordis...

—2) Ratione altitudinis. Etenim sublimis -*a*) in se, in suis dogmatibus, ac mysteriis, in suis virtutibus, in suis præmiis... -*b*) sublimis est et excelsa in suis effectibus : evehit enim hominem ad cœlestia : ad cogitationes cœlestes, —ad cœlestes et angelicos mores, — ad cœlestem vitam et existentiam : nam ex monte evangelico Christianus quamvis humilis assumitur in cœlum, ut sedeat cum principibus populi Dei...

2° Religio seu Ecclesia Christi, domus Dei est. Qua ratione? et quotuplex distinguitur?

—1) Hac ratione est domus Dei, quod -*a*) ab ipso Deo ac Domino nostro Jesu Christo, instar domus ex spiritualibus lapidibus ædificata est : cujus fundamentum Petrus, Apostoli columnæ, omnesque fideles lapides vivi ; imo unusquisque fidelium non tantum lapis vivus, sed templum est ac sanctuarium vivum Dei. *Ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus* (Joan. XIV, 23). — *Nescitis quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis ?* (I Cor. III, 16.) — Hac quoque ratione -*b*) est domus Dei, quod Deus ipse in ea tanquam in propria domo, velut pater cum filiis habitat : *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus et habitabit cum eis.* Apoc. XXI, 3.

— 2) Hujusmodi autem domus Dei distinguitur duplex : domus gratiæ, in hac vita... domus gloriæ in futura... Utrique convenit illud : *Domum Dei decet sanctitudo in longitudinem dierum.* Ps. XCII.

Venite et ascendamus ad montem Domini.

1° Quicumque domum Dei ingredi et in ea feliciter habitare

volunt, ascendere debent et eniti in montem, ubi est posita : -1) surgendo ex profundo peccatorum, per veram pœnitentiam et periculorum fugam.... -2) Elevando mentem, per orationis frequentiam.... -3) Ascendendo de virtute in virtutem, per quotidiana exercitia.... -4) Separando se a rebus infimis et ab amore terrenorum, per evangelicam abnegationem perfectam : *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite.* Coloss. III. 1.

2° Omnes Christiani hæc verba usurpare debent : *Venite et ascendamus,* -1) tum alloquendo semetipsos, ut quotidie et semper, sive in prosperis sive in adversis, usque ad finem vitæ ad ascendendum se excitent ; nec unquam ad sistendum gradum, vel ad descendendum, sese remittant... -2) Tum alloquendo sese invicem, ut sese mutuo adhortentur et juvent ad bonum, et ad progrediendum constanter in virtute...

3° Quoniam ascensio ardua est, ipse Christus cum adjutrice gratia sua adest tanquam divinus dux et socius, dicens : *Venite et ascendamus* : sicut ego præcessi, et ascendi in Calvariam et inde in cœlum ; ita eodem te deducam, dummodo dexteram mihi dare volueris, et mecum ire : *Venite et ascendamus....*

Et docebit nos vias suas.

Christi fideles omnes sunt *discipuli*, qui docentur, et quidem ab ipso Deo, vias Dei.

1° Docentur, id est, mente illuminantur, et ab ignorantiæ et errorum tenebris liberantur. Ignorantiam præsertim dicimus et errores illos, qui circa magnas, et maxime scitu necessarias quæstiones versantur : nempe quæ sit hominis origo, quæ destinatio ac finis, quæ via ut ad finem suum feliciter perveniat ? Hujusmodi quæstiones humana sapientia solvere nequit ; — spiritus autem mendacii solvit funestissimis erroribus... A quibus liberantur soli Christi fideles, qui in Ecclesia catholica doctrinam sanctam ac infallibilem inveniunt, qua omnes mentis tenebræ dissipentur.

2° Docentur enim ab ipso Deo, ab incarnata Sapientia : *Erunt omnes docibiles Dei* (Joan. VI, 45). Unigenitus enim Dei Filius humani generis Magister factus est : *Multifariam multisque modis olim Deus loquens patribus in prophetis : novissime diebus istis locutus est nobis in Filio* (Hebr. I, 1, 2). — Nec dicat quispiam, ipsum jam Dei Filium, ex quo in cœlum ascendit, a fidelibus non audiri ; nam idem ipse docere pergit per os Ecclesiæ suæ, ac per ministros verbi, quos suo loco constituit : *Docete omnes gentes... quæcumque mandavi vobis... usque ad consummationem sæculi* (Matth. ult.). — *Qui vos audit*

me audit (Luc. X, 16). — Jam vero docet Verbum incarnatum, non tantum infallibiliter, sed etiam efficaciter : præstando nempe per internam gratiam, ut documenta proposita intelligantur et opere impleantur... — Quanta felicitas, Deum ipsum habere doctorem, et ore ipsius Sapientiæ erudiri !

3° Quid autem divinus ille Magister docet ? — Nonne scientiam illam, quæ homini maxime conveniens est maximeque pretiosa, scientiam bene vivendi, seu sapientiam ? Hæc autem sita est in cognoscendis et percurrendis viis Dei : *Docebit nos vias suas.* Sunt autem viæ Dei, -1) illæ actiones ac mores, qui ab ipso præscribuntur nobis, et ipsi placent ; -2) sunt viæ quibus ipse Christus ambulavit ; seu exempla et vestigia ejus ; -3) sunt illæ viæ quibus Christus ambularet, seu agendi ratio quam sequeretur, si ipse in nostro loco ac statu esset constitutus... -4) Viæ Dei, sunt viæ legis, virtutis, felicitatis et pacis... quarum terminus est æterna salus. — His oppositæ sunt viæ iniquitatis, carnis, mundi, diaboli...

Arguet populos multos.

En correptio salutaris, qua Christus hominum vitia reprehendit ut emendentur. — Non enim blanditur naturæ nostræ corruptæ, sed contradicit, ut medeatur per verbum evangelicum : quod idcirco etiam grano sinapis comparatur.

Porro corripit Christus homines *misericorditer*, et corripit *omnes*, tam justos quam peccatores.

1° Corripit eos *misericorditer*, ut liberet eos a vitiis, nec non a pœnis ac miseriis quæ vitia consequuntur. *Quos amo, arguo et castigo* (Apoc. III, 19). — Quapropter salutaris correptio Domini, quomodocumque fiat, sive per flagella et tribulationes severas, sive per paterna superiorum monita, grato semper animo recipienda est.

2° Corripit *omnes* : -1) peccatores, ut a peccatis recipiscant, et ne æternam mortem incurrant. Corripit autem eos præsertim tripliciter : *a*) docendo, ac veritates æternas proponendo ; -*b*) remorsibus conscientiam stimulando ; -*c*) tribulationibus eos humiliando ac vexando. *Vexatio intellectum dabit.* Isai. XXVIII, 19.

-2) Corripit justos, *ut justificentur adhuc* (Apoc. XXII, 11). Correptio autem justorum efficitur dupliciter : -*a*) internis monitis ; -*b*) adversitatibus ac probationibus variis.

Conflabunt gladios suos in vomeres.

En effectus Evangelii : mutatio morum et pax.

1° Quicumque Christi doctrinam audiunt et sequuntur, mutant instrumenta mortis in instrumenta vitæ : id est, ea

quibus abusi sunt hactenus ad peccandum, jam adhibent ad serviendum Deo. Quare Apostolus scribit : *Liberati a peccato, servi facti estis justitiæ... Sicut exhibuistis membra vestra servire immunditiæ et iniquitati ad iniquitatem. ita nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem... Neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato : sed exhibete vos Deo, tanquam ex mortuis viventes, et membra vestra arma justitiæ Dei* (Rom. VI, 18, 19, 13). — Porro arma hujusmodi mutanda, non tantum sunt, -1) membra nostra et sensus externi ; sed etiam, -2) facultates nostræ internæ, intellectus, voluntas et memoria atque phantasia ; -3) bona temporalia ; -4) tempus nobis datum ut Deo in hac vita serviamus ; -5) opera nostra omnia quibus merita multa æternæ vitæ possumus comparare.

2° Alter Evangelii effectus est pax. illa nimirum quam mundus dare non potest, sed quam Christus discipulis suis promisit et largitur fideliter, tantoque uberiorem quanto ipsi fidelius Domino serviunt.

Pax autem Christi discipulis datur, tum imperfecta in hac vita, tum perfecta in futura.

-1) In hac vita est pax -*a*) interna : quæ est pax conscientiæ, pax amicitiæ cum Deo, et pax charitatis cum proximo. -*b*) Ad pacem externam quod attinet, quæ in prosperitate ac tranquillitate corporali consistit, hæc nequaquam promittitur ; imo potius tribulationes et persecutiones prædicuntur : at vero tribulationibus externis interna pax non tollitur sed confirmatur : *Gaudete in illa die et exultate : ecce enim merces vestra multa est in cœlo.* Luc. VI, 23.

-2) Pax in futura vita erit undequaque perfecta : æterna nempe beatitudo, quæ a nullo jam inimico, sive visibili sive invisibili, nec peccato, nec tentatione, nec morte, nec timore poterit turbari...

Venite, et ambulemus in lumine Domini.

Quodnam est lumen Dei, et quomodo in eo ambulandum ? — 1° Lumen Dei, quod opponitur tenebris mundi et diaboli, aliud dicitur lumen gratiæ, aliud lumen gloriæ.

-1) Lumen *gratiæ* est, -*a*) fides ; -*b*) gratia sanctificans ; -*c*) est virtus quælibet, præsertim vero charitas ; -*d*) lex et voluntas Dei, nec non exemplum Christi, ut *sicut ille* (Christus) *ambulavit et ipsi ambulemus.* Joan. II, 6.

-2) Lumen *gloriæ*, est illa lux perpetua qua fruemur in cœlis, qua illustrati *similes ei erimus et videbimus eum sicuti est, facie ad faciem* (I Joan. III, 2 ; I Cor. XIII, 12).

2° Quomodo in lumine Dei ambulandum ? — Perseveranter : seu ita ut, -1) nunquam revertamur ad tenebras ; 2) nunquam gressum sistamus ; -3) sed progrediamur semper usque

ad perfectam diem. *Justorum semita quasi lux splendens, procedit et crescit usque ad perfectam diem.* Prov. IV, 18.

SABBATO QUATUOR TEMPORUM ADVENTUS.

Lectio Isaiæ. *Hæc dicit Dominus christo meo Cyro.* Isai. XLV, 1-8.

1. Hæc dicit Dominus christo meo Cyro, cujus apprehendi dexteram, ut subjiciam ante faciem ejus gentes, et dorsa regum vertam, et aperiam coram eo januas, et portæ non claudentur. — 2. Ego ante te ibo; et gloriosos terræ humiliabo; portas æreas conteram, et vectes ferreos confringam. — 3. Et dabo tibi thesauros absconditos, et arcana secretorum: ut scias quia ego Dominus qui voco nomen tuum, Deus Israel. — 4. Propter servum meum Jacob, et Israel electum meum, et vocavi te nomine tuo; assimilavi te, et non cognovisti me. — 5. Ego Dominus, et non est amplius; extra me non est Deus; accinxi te, et non cognovisti me. — 6. Ut sciant hi qui ab ortu solis, et qui ab occidente, quoniam absque me non est: ego Dominus, et non est alter, — 7. formans lucem, et creans tenebras, faciens pacem et creans malum; ego Dominus faciens omnia hæc. — 8. Rorate cœli desuper, et nubes pluant justum; aperiatur terra et germinet salvatorem; et justitia oriatur simul; ego Dominus creavi eum.

Explicatio prima.

De Cyro hic loquitur Isaias, gentis Hebræorum futuro liberatore, et Christi Redemptoris typo seu figura; quapropter sermo desinit in ipsum antitypum, Christum Salvatorem. Tria distingui possunt:

I. *Dei dona Cyro largienda.*
II. *Hujusmodi largitionis finis.*
III. *Vota de Messia ardenter desiderato.*

Hæc dicit Dominus christo meo Cyro...

Sensu litterali de Cyro, futuro Persarum rege, agitur. Hunc ducentis et decem annis antequam nasceretur, Isaias nomine vocat; et a Deo electum dicit ut Chaldæorum imperium evertat, Judæosque Babylone captivos Jerosolymam dimittat. Cyrum istud de se oraculum postea legisse testatur Jose-

phus (1) ; idque sat clare patet ex ipso edicto, quo Judæos libertati et patriæ restituit. *Omnia*, ait, *regna terræ dedit mihi Dominus Deus cœli, et ipse præcepit mihi, ut ædificarem ei domum in Jerusalem.* — Voluit autem Deus hæc de Cyro prædici, inter alios fines, ut ex vaticinio tam præclaro, tamque insigniter implendo, certissimam fidem faceret aliis Isaiæ oraculis : scilicet de remissione peccatorum, deque spiritualibus donis per Salvatorem afferendis, quorum illa erant typus.

Sensu allegorico, loquitur Isaias de Messia Salvatore. Cyrus enim typus fuit illius, qui Judæos omnesque homines e captivitate peccati, mortis et diaboli liberavit ; quique vectes inferni confregit, ut inde sanctos Patriarchas educeret, ut SS. Patres docent.

Hæc dicit Dominus christo meo Cyro. Rex Persarum Cyrus, a Deo electus cognominatur *christus,* seu *unctus :* hebraice *Messias*, 1° quia reges apud Hebræos unctione consecrabantur, Cyrus autem rex erat futurus, imo rex electus et quasi inunctus a Deo : unde Deus eum hic *suum* vocat : *Christo meo.* 2° Præsertim, quia Cyrus typus fuit et imago Christi Salvatoris, imago autem nomen sortitur sui archetypi, sive exemplaris.

Cujus apprehendi dexteram, ut subjiciam ante faciem ejus gentes, et dorsa regum vertam, et aperiam coram eo januas, et portæ non claudentur.

His et sequentibus verbis prædicitur Cyrus tanta potestate a Deo donandus, ut nulla vi opposita arceri valeat, ut reges potentissimos et urbes munitissimas expugnet, ut opes, victorias et gloriam stupendam obtineat : idque *propter Jacob*, nempe in gratiam populi Dei.

Cujus, inquit Deus, *apprehendi dexteram :* 1° Quia ejus dextera usus est ad feriendos Chaldæos, et liberandos captivos Israel. 2° Quia eum velut dextera deduxit per hostes et obices, eum dirigens, roborans, protegens, victorem efficiens, usque ad Babylonis excidium. Ideo additur : *Ut subjiciam ante faciem ejus gentes*, *et dorsa regum vertam :* id est, ut reges in fugam ante ipsum conjiciam. — Revera, Xenophonte teste (2), non tantum Cyrus subjugavit Syros, Assyrios, Arabes, Phœnices, Babylonios ; sed et dominatus est Asiaticis, Græcis, Cypriis et Ægyptiis ; imo potitus est etiam Bactrianis et Indis, atque aliis quam plurimis gentibus, quarum ne nomina quidem quis dixerit.

(1) Joseph. *Antiq.* lib. XI, c. 1.
(2) *Cyropæd.* lib. I. Cfr. Herodot. lib. I.

Et aperiam coram eo januas, et portæ non claudentur : intellige, arcium munitarum et urbium, speciatim vero Babylonis. Portas enim canalium, quæ ex urbe ad flumen deducebant, Babylonii, festivis epulis indulgentes hac ipsa nocte apertas reliquerant. Quas si claudendas curassent, Persas et Medos, per easdem ingressos, veluti in laqueo comprehensos, ad internecionem occidissent. Ipsæ palatii portæ jussu regis apertæ sunt, ut causa tumultus qui audiebatur, innotesceret : et eo ipso momento Gobrias et Gadatas, Cyri duces, in ædem regiam irrumpentes, omnes quos obviam habuerunt, ipsumque regem trucidarunt (1).

2. *Ego ante te ibo, et gloriosos terræ humiliabo : portas æreas conteram, et vectes ferreos confringam.*

Quæ modo dixit propheta, aliis verbis repetit : ut gravius rem affirmet, distinctius explicet, et magis inculcet opus illud fore Dei, non ipsius Cyri aut hominum.

Ego, inquit, *ante te ibo* : nempe quasi dux et antesignanus, et multo magis quasi bellator prævius, hostes pellens, et vias aperiens Cyro, qui ipsemet quasi sine pugna victor incedet.

Ego, inquit cum emphasi, *ego*, non tu... *gloriosos terræ humiliabo* : id est, reges vincam et prosternam, in pœnam superbiæ eorum ; quia secundum regulam justissimæ providentiæ meæ, qui se exaltant humiliandi sunt. — *Portas æreas conteram, et vectes ferreos confringam* : id est, claustra quæcumque fortissima, quibus homines conabuntur resistere, et semetipsos ac thesauros suos tueri, perrumpam facillime. — Speciatim hic respicere videtur thesauros, quos ex intimis latebris eruet et aperiet Cyro ; ideo addit :

3. *Et dabo tibi thesauros absconditos, et arcana secretorum : ut scias...*

Quod dicit, daturum se *thesauros absconditos et arcana secretorum* : significat divitias maxime occultas, quasque hostes secretissime abdiderunt, sicut tempore belli fieri solet. Has, inquit, nec tantum communia spolia, dabo tibi. — Revera in urbibus, præsertim Sardi, ubi opulentissimus Crœsus regnabat, et Babylone, ubi Chaldæi ingentes thesauros coacervaverant, Cyrus immensas divitias invenit.

Ut scias quia ego Dominus qui voco nomen tuum, Deus Israel.

Consequentiam et finem proximum jam indicat tam insignis favoris ac auxilii : ut Cyrus facile agnoscere possit, et agnoscat revera manum Dei ; et quidem non Dei sui vel idoli, sed

(1) Lowthus, in Isai. cap. XLV.

Dei Israel, qui per os Isaiæ hæc omnia ipsi nominatim promittit. Hinc liquet, Deum voluisse, ut hæc Isaiæ de Cyro prophetia, ipsi Cyro innotesceret : quatenus per eam Deum Israel cognosceret, et ad favendum Israelitis captivis induceretur.

Diximus indicari finem proximum, nempe respectu Cyri, ut Cyrus agnoscat Deum Judæorum ; at vero ille finis proximus subordinabatur fini ulteriori et principali, qui erat liberatio Judæorum ut in sequentibus declaratur.

4. *Propter servum meum Jacob, et Israel electum meum, et vocavi te nomine tuo ; assimilavi te, et non cognovisti me.*

En finis cur Deus elegerit Cyrum, seseque ei manifestaverit : Propter Jacob seu Israel, quem altiore ordine elegit.

Propter servum meum Jacob, inquit, *et Israel electum meum* : id est, propter populum Israel, qui peculiariter mihi servit, quemque ego peculiariter elegi, ut ex eo producam servum meum et electum per excellentiam, Salvatorem mundi : ideo,

Et vocavi te nomine tuo : id est, elegi te, ipso nomine te appellans, nempe *Cyrum* ; — et insuper imposui tibi cognomen figurativum : *Et assimilavi te*, id est, vi vocis hebraicæ, *et blande cognominavi te*, nempe christum et pastorem (1) : quia insuper elegi te, ut similitudinem ac typum geras ejusdem Salvatoris, Christi, Regis mei et Pastoris. Sicut enim tu Judæos Babylone, ita Christus homines inferno liberabit. — At vero hoc mysterium Cyrus inscius implebit : ideo additur :

Et non cognovisti me. Duplici modo Cyrus non cognovit Dominum, a quo electus et vocatus est ; quod sic declaratur :

1° *Non cognovisti me,* id est, non cognosces me, verum Deum, nisi imperfecte. — Etenim licet Cyrus agnoverit Deum Hebræorum, eumque publicis litteris confessus sit ; tamen, a sua idololatria non recessisse videtur (2) : quare misere periit in tyrannica invasione Scytarum.

2° *Non cognovisti me,* i. e. ignorasti te gerere vices et speciem Salvatoris. Ego te exaltavi ; sed *tu non cognovisti me,* id occulte alto quodam consilio molientem, ut tu Judæos Babylonica captivitate liberando, formam et typum geras Christi mei. — Qui sensus Sanctio et Alvarezio videtur præcipuus. — Perinde, ait Sanctius, accidit Cyro, ac si quis pingendi inexpertus, imaginem regis quem nunquam vidisset, perfectissime et ad vivum expingeret. Omnes enim dicerent, altiorem hic et divinam intervenisse manum, quæ dexteram pingentis direxerit. Ita Dei manus Cyri

(1) Supra, versu 1, et cap. XLIV, 28.
(2) Xenoph. lib. VIII.

personam et actiones composuit ac direxit, ut in se, quamvis inscius, imaginem Salvatoris ad vivum exprimeret. — At vero, quod Cyrus ignoravit, alii intelligent.

5. Ego Dominus, et non est amplius : extra me non est Deus : accinxi te, et non cognovisti me. 6. Ut sciant hi qui ab ortu solis, et qui ab occidente, quoniam absque me non est.

Sensus est quasi diceret : Non cognovisti me, etsi Ego sum Deus summus super omnes deos, Creator ac Dominus cœli et terræ ; etsi te tam mire mea manu ornavi, non cognovisti me : at vero alii cognoscent ; et hunc finem intendo, ut ex mea erga te providentia cognoscat universus orbis, me Deum Israel, esse solum ac summum Deum : *Quoniam absque me non est, non est amplius, extra me non est Deus.*

Quod dicit : *Accinxi te*, id est, velut accingam te gladio et armis, potentia, consilio et fortitudine : instruam te internis externisque viribus, ut magna mediteris, audeas, et exsequaris. Quod quidem tam manifeste faciam, ut velut mea manu te armis videar induisse.

Ut sciant homines universi... Quoniam scilicet cognitio veri Dei est ad salutem necessaria, ideo misericordissimus Deus hunc finem semper intendit.

Ego Dominus, et non est alter, — 7. formans lucem, et creans tenebras, faciens pacem et creans malum : ego Dominus faciens omnia hæc.

Explicat magis illam, quam modo dedit, notionem veri Dei : Ego, inquit, summus et unicus Deus sum, principium omnium creaturarum, sive bonæ sive malæ existimentur. — Videtur hic Spiritus sanctus respexisse, et confutare voluisse antiquam Persarum doctrinam de duobus principiis, uno malo, altero bono, mundi auctoribus et gubernatoribus.

Formans lucem, et creans tenebras : est synecdoche, qua *lux* et *tenebræ* ponuntur pro omnibus creaturis. Memorat autem lucem et tenebras potius quam alias creaturas, quia lux est symbolum *pacis*, et tenebræ symbolum *mali* : quæ sequentibus verbis profert.

Faciens pacem et creans malum. — *Pax* Hebræis est quies, opulentia, libertas, felicitas et bonorum omnium affluentia ; huic autem oppositum *malum*, est rerum turbatio, bellum, inopia, servitus, et quidquid hominem affligit aut miserum facit. — Ut patet, malum *pœnæ* intelligitur, cujus Deus auctor est ; nequaquam *culpæ*.

Ego Dominus faciens omnia hæc. Scilicet Deus omnia a se

creata, sua sapientia et potentia gubernat : ipse, non creatura ulla, Judæis prius induxit tenebras et malum, Chaldæis vero lucem et pacem ; deinde, vice versa, per Cyrum Judæis creavit lucem et pacem, Chaldæis tenebras et malum. Quod idem omni tempore facit : in regnis singulis alternando vices, nunc dando lucem, nunc tenebras.

8. *Rorate cœli desuper, et nubes pluant justum ; aperiatur terra et germinet Salvatorem ; et justitia oriatur simul ; ego Dominus creavi eum.*

Ex typo seu figura Christi, jam transit propheta ad antitypum, seu ad ipsum Christum in se spectatum. — Hactenus enim de liberatore terrestri locutus est, quanquam iis verbis quæ indicent eumdem esse figuram Liberatoris cœlestis ; nunc autem, quod prophetis solemne est, a figura ad rem sese attollens, Christum Salvatorem ardentissimis votis appellat. Ita ut non jam allegorice, sed litteraliter hæc de Christo dicantur : quæ communis SS. Patrum, et ipsius Ecclesiæ in sua liturgia, hujus loci interpretatio est. — De cætero, Verbi incarnatio, quæ, ut Augustinus loquitur, simul cœli et terræ operatio est, tam perspicue hic enuntiatur, ut explicatione vix opus sit.

Jus vero ut... nos cœli et germen terræ quod non potest dici de Cyro. Ergo hic agitur de Xo et quidem incarnato

Per apostrophen duplicem alloquitur cœlum et terram, ut tam unum quam altera mittat Salvatorem. Quod quidem utrumque de humana Christi generatione ac natura dicitur, de qua totus hic prophetæ est sermo. Scilicet Christus, qua homo, vocatur germen cœli, quia ex rore cœlesti, id est, ex Spiritu sancto conceptus est ; et germen terræ, quia ex B. Virgine formatus et natus.

Rorate, inquit, *cœli desuper, et nubes pluant justum* : id est, cœli desuper Justum per excellentiam ac Salvatorem, tanquam rorem et pluviam effundant. — Quibus verbis humana Christi generatio comparatur rori ac pluviæ, idque aptissime : 1° Comparatur rori, -1) quia sicut roris, ita ortus Christi fuit de cœlo, deque Spiritu sancto ; -2) quia idem latens fuit et occultus ; -3) quia noctu descendit, suaviter ac sine strepitu ; -4) quia terram refrigerat et fecundat. — 2° Comparatur pluviæ, -1) propter abundantiam ; -2) quia pluvia quoque symbolum est fecunditatis et beneficentiæ ; -3) quia alius propheta dixerat : *Descendet sicut pluvia in vellus.* Ps. LXXI.

Christus hic vocatur *justus,* hebraice *justitia,* -1) quia in se justissimus est, imo ipsa justitia ; -2) quia alios justos efficit, et justitiam spargit in terram.

Aperiatur terra et germinet Salvatorem. Hic Salvator exhibetur ut germen terræ, quo sensu quoque David cecinit : *Terra*

dedit fructum suum. Quia revera Salvator, secundum humanam naturam ortus est, non tantum de cœlo sed etiam de terra : scilicet natus est cœlitus in terra.

Terra itaque hic intelligi potest, 1° generice, pro orbe terrarum, vel pro humano genere ex quo Christus erat oriundus ; — 2° specifice, pro B. V. Maria, quæ rorem Spiritus sancti excipiens, concepit et germinavit Salvatorem. Ut enim communiter Patres docent, ipsa est *terra*, seu filia Adæ, ad hoc electa et specialiter benedicta, ut proferret semen vitæ, alterum Adam, justitiæ auctorem. Quapropter, sicut primus Adam ex virgine terra, id est, ex limo primævo formatus est ; ita oportuit ut secundus Adam ex virgine terra, sed altioris ordinis, nempe ex sanctissima carne immaculatæ Virginis Mariæ nasceretur.

Illud *germinet Salvatorem* metaphoram continet, qua exhibetur Salvator ut planta quædam gradatim crescens : quia revera ortus ille est per modum seminis, quod prius in summa humilitate latuit, ac deinde sensim excrevit in arborem mirabilem : *Ita ut volucres cœli veniant et habitent in ramis ejus.* Matth. XIII, 32.

Et justitia oriatur simul : en effectus et velut fructus Salvatoris : justitia, quæ una cum ipso, etsi ex ipso, sicut lux cum sole orietur. — Per totam hanc Messiæ appellationem et invocationem, alludere videtur Isaias ad illud Davidis : *Descendet sicut pluvia in vellus, et sicut stillicidia stillantia super terram. Orietur in diebus ejus justitia* (Ps. LXXI) ; et sensus est quasi diceret : Ab Adamo usque ad Christum, terra germinavit spinas et tribulos peccatorum ; veniat ergo Christus justificator, ut terra per ipsum benedicta, germinare incipiat justitiam et justos, Apostolos, Martyres, Confessores, Virgines....

Quod additur : *Ego Dominus creavi* (id est, creabo) *eum*, vox Dei est, votis Isaiæ respondentis, quasi diceret : Quod tu adeo exoptas, Isaia, æque ac terra arida et sitiens optat e cœlo pluviam : hoc ego suo tempore præstabo et creabo, id est, producam hunc Justum. Meum enim opus, meum donum ac beneficium est ejus nativitas, quæ est incarnatio et nativitas ipsius Filii mei unigeniti futura.

—

Explicatio secunda.

Ego ante te ibo, et gloriosos terræ humiliabo.

His verbis alloquitur ipse Christus Dominus unumquemque discipulorum suorum, qui Magistri sui ac Ducis divini vestigia

sequi voluerit. Idem enim hic significat, quod postea docuit dicendo : *Ego sum via, et veritas, et vita... qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ* (Joan. XIV, 6 ; VIII, 12). — Promittit scilicet, se fore ducem et adjutorem in via salutis ac vitæ æternæ.

1° Quomodo Christus discipulos suos ducit ? -1) Ducit eos per se ipsum : tum verbis evangelicis exemplisque prælucens ; tum internis gratiæ illustrationibus viam bonam ostendens... -2) Ducit per vicarios suos, nempe per pastores ac ministros, suo loco constitutos.... -3) Ducit ad pœnitentiam et humilitatem, ad patientiam, et crucem in hac vita.... et ad gloriam in futura...

2° Quomodo sequentes se adjuvat ? — Mirabiliter eos adjuvat, tum in opere salutis propriæ, tum in opere salutis alienæ.

-1) In opere salutis propriæ : -*a*) *Gloriosos*, inquit, *terræ humiliabo...* scilicet inimicos animæ nostræ, principes tenebrarum, mundum, carnem, diabolum prosternit... -*b*) *Portas*, inquit, *æreas conteram* : scilicet obstacula quævis, nempe passiones nostras, scandala, peccatorum occasiones veluti tollet, faciendo ut ea superare valeamus... — Nemo ergo desperet, neque timeat, quasi e peccatis erumpere, aut arduam salutis viam conscendere nequeat ; ipse enim Omnipotens juvabit et faciet. *Dominus illuminatio mea et salus mea : quem timebo ?... Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum.* Ps. XXVI.

-2) Adjuvat suos in opere salutis aliorum, et in omni negotio Dei ac Domini causa suscepto. -*a*) Hic etiam quoscumque adversarios, quamvis superbos ac potentes, avertere ac humiliare facillime potest ; idque revera faciet, dummodo firmissima fiducia eum sequi pergamus... -*b*) Hic etiam quælibet obstacula tollere, corda peccatorum quantumvis obdurata vi gratiæ suæ expugnare et perfringere potest ; idque revera facere paratus est, dummodo in ipso non in nobis humiliter confidamus. *Portas æreas conteram, et vectes ferreos confringam.*

Dabo tibi thesauros absconditos et arcana secretorum.

Quosnam thesauros Christus aperit, et quibus ?

1° Thesauros aperit absconditos in se Christo, et in nobis. -1) In semetipso : *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi* (Col. II, 3), nempe in Corde suo sanctissimo,... in sua passione et cruce... in suis promissionibus... ostendit thesauros absconditos misericordiæ, — luminis, — roboris, — meritorum, — consolationis, — pacis ac felicitatis, — et demum gloriæ nobis communicandæ ...

-2) In nobis quoque sunt thesauri absconditi, et a Christo nobis manifestandi : nempe anima nostra, — gratia sanctifi-

cans, — imo ipsæ tribulationes nostræ, nostræque miseriæ totidem thesauri sunt : thesauri, inquam, qui vel jam actu pretium suum continent ; vel saltem tales sunt, ut pretiosi fieri possint. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum* (Rom. VIII, 28). — *Thesaurizate vobis thesauros in cœlo* (Matth. VI, 20). — *Momentaneum et leve tribulationis nostræ. . æternum gloriæ pondus operatur in nobis* (II Cor. IV, 17). — *Habemus autem thesaurum istum in vasis fictilibus.* II Cor. IV, 7.

2° Aperit autem Christus thesauros suos sequentibus se discipulis ; eo tamen magis ac plenius, quo ipsi propius ac fidelius sequuntur. Porro eo melius homo sequitur Christum, quo magis, -1) a peccato... -2) a mundo ac vanitate... -3) a se ipso atque ab amore suimetipsius discedit. *Si quis vult post me*, inquit, *venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me* (Matth. XVI, 24). — *Omnis ex vobis, qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus* (perfectus). Luc. XIV, 33.

Qui sic discedunt a semetipsis per abnegationem sui et patientiam, sunt vere humiles ; quare et humilibus revelari arcana sua significat . *Quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis.* Matth. XI, 25.

Ut scias quia ego Dominus.

En cognitio Dei, in qua omne bonum ac vita æterna continetur : *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te, solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum.* Joan. XVII, 3.

Atqui cognoscere Dominum, est viva fide credere, Deum ac Dominum nostrum Jesum Christum omnia habere in manu : *Omnia dedit ei Pater in manus* (Joan. XIII, 3). — Quod autem dicitur habere omnia in manu, intelligitur tenere omnia tum in possessione sua, tum in potestate ac imperio.

1° Christus Dominus tenet *in manu*, id est, *in possessione sua* omnia, adeo ut bonum quodlibet ab ipso accipiendum sit. — Itaque in manu tenet, -1) nostram salutem ac felicitatem æternam : quam promeruit, et dabit nobis, si vere discipuli ejus esse voluerimus... -2) In manu tenet nostrum progressum in spiritu... -3) nostram vitam ac bona temporalia... -4) nostrum successum in laboribus... -5) omnes quoque eventus ac vicissitudines hujus mundi... -6) impiorum denique pœnam, nisi convertantur...

2° Tenet omnia in imperio, ita ut omnes et in omnibus ei debeant servire et obedire : *Quoniam omnia serviunt tibi.* Ps. CXVIII.

-1) Omnes homines recipere tenentur Evangelium, et Ecclesiam intrare, sub pœna æternæ damnationis. Hæc enim lex ab

Omnipotenti ineluctabiliter constituta est. *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ* (Ps. II). — *Qui non crediderit condemnabitur.* Marc. XVI, 16.

-2) Omnes Christiani tenentur obedire Ecclesiæ ac ministris ejus a Christo constitutis. *Qui vos audit, me audit : et qui vos spernit, me spernit.* Luc. X, 16.

-3) Omnes clerici, omnesque religiosi tenentur obedire prælatis suis, iterum tanquam Christo.

-4) Similiter omnes, quicumque sint subditi, suis superioribus obedientiam debent sicut Christo. *Filii, obedite parentibus... servi, obedite dominis carnalibus... sicut Christo.* Coloss. III, 20 ; Eph. VI, 5.

Vocavi te nomine tuo, assimilavi te... accinxi te, et non cognovisti me.

Ad nos iterum hæc Domini verba pertinent ; non tamen eodem modo ad singulos. Ad quos pertinet sententia prima ? Ad quos altera ?

1° Sententia prima pertinet ad omnes, etsi non eodem gradu. *Vocavit* enim Deus unumquemque nostrum, -1) ad existentiam... -2) ad salutem æternam et fidem catholicam... -3) forte ad statum nobiliorem, nempe sacerdotii, vel perfectionis evangelicæ in religioso Ordine... -4) Vocavit et revocavit unumquemque nostrum sæpius, ut ex peccatis, aut ex tepore surgentes, propius ad ipsum accederemus... Sic autem vocavit nos, tum internis, tum externis monitis ; tum beneficiis, tum flagellis... -5) Vocat nos omnes ad se, ut gratiam in hac vita, et gloriam in futura nobis misericorditer largiatur : *Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis : et ego reficiam vos.* Matth. XI, 28.

2° Ad quos pertinet sententia secunda : *Non cognovisti me ?* -1) Ad omnes generatim peccatores, qui Deum ac Dominum suum agnoscere nolunt ut ei serviant. -2) Ad eos, qui divinæ gratiæ monitis atque inspirationibus non respondent , quasi Deum vocantem non cognoscentes. -3) Ad homines ingratos , qui Dei beneficiis, tum in ordine naturæ, tum in ordine gratiæ cumulati, benefactorem Deum non cogitant, imo peccatis offendunt... -4) Ad eos, qui Deum non recte cognoscunt ; eumque vel minus misericordem, vel minus justum existimant : ideoque vel in desperationem, vel in præsumptionem proclives sunt... -5) Ad eos demum, qui tribulationibus vexati, manum Dei paterne castigantis non agnoscunt....

Quoniam absque me non est.

Utinam bene intelligamus verbum istud, ut Deo soli feliciter adhæreamus.

1° Quid his verbis docemur : *Absque me non est ?* — Docemur

-1) Deum solum esse Dominum, cui omnes creaturæ servire tenentur... ac fontem omnis boni, ex quo creaturæ haurire debent.... ex quo omne verum, omne pulchrum, omne jucundum emanat, sicut e sole radii... -2) Absque ipso, absque ejus servitio, absque ejus dono, non esse veram libertatem aut felicitatem....

2° Quænam inde conclusio fluit ? -1) Deo soli serviendum, non autem alieno Deo cuicumque : mundo, carni, diabolo... -2) In Deo solo quærenda felicitas et quies, tum intelligentiæ, tum cordis. *Fecisti nos ad te : et irrequietum est cor nostrum, donec requiescat in te* (Aug. Confess. 1). — *Quid mihi est in cœlo ? et a te quid volui super terram ?... Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum.* Ps. LXXII.

Formans lucem et creans tenebras.

1° Deus principium et auctor est rerum omnium et eventuum hujus mundi : ita nimirum, ut nihil sine Deo in mundo sit aut agatur ; nihil sine Deo, sive efficiente, sive imperante, sive sancto atque inscrutabili consilio id permittente...

2° Deus est auctor lucis, sensu maxime stricto ac proprio : quia lux omnis bona est, sive proprie sive figurate accipiatur. — Lux enim est multiplex.

-1) Proprie accepta lux est, -*a*) corporalis, solis nempe vel diei ; -*b*) lux rationis ; -*c*) lux gratiæ, fidei scilicet et charitatis ; -*d*) lux gloriæ, quæ et lux perpetua vocatur....

-2) Accepta metaphorice, lux est consolatio interna et externa, gaudium, quæcumque prosperitas... Cuncta hæc largitur Deus, omnium largitor bonorum, *formans lucem.*

3° Deus est auctor tenebrarum, non tamen omnium. — Dantur enim tenebræ variæ, in ordine nempe naturali vel supernaturali, in sensu proprio vel metaphorico spectatæ. Sunt nimirum tenebræ : 1) noctis ; -2) errorum ; -3) vitiorum et peccatorum ; -4) tenebræ internæ cordis, quæ etiam desolationes vocantur ; -5) tenebræ mortis et adversitatis cujuslibet in hoc mundo ; -6) tenebræ mortis æternæ, seu *tenebræ exteriores* in gehenna....

Jam vero ex his tenebrarum speciebus, si quæ sunt bonæ, opus Dei sunt ; quæ vero malæ, quatenus continent malum pœnæ, sunt opus justitiæ Dei ; quatenus vero continent malum culpæ, nequaquam sunt Dei, sed solius opus creaturæ.

Rorate cœli desuper, et nubes pluant justum : aperiatur terra et germinet Salvatorem.

Quo sensu Ecclesia prophetæ verba usurpat, et Salvatoris adventum appellat ? — Non quidem eo sensu ut Salvator promissus in terram descendat et Incarnationis mysterium impleat:

quandoquidem id dudum feliciter impletum est ; sed ut modis aliis veris quidem, etsi spiritualibus, idem mysterium renovet, nobisque salutariter applicet. Itaque Salvatorem invocat Ecclesia,

1° Ut veniat realiter et *quoad substantiam*, in sua humanitate : non quidem visibiliter, ut olim in Bethlehem ; sed invisibiliter, in Sacramento...

2° Ut veniat *quoad effectum*, nempe per gratiam : sicut sol venit per radios et calorem...

3° Ut sit ros animarum nostrarum...

4° Ut gratia juvante, terra cordis nostri bene aperiatur, seseque rite disponat ad divinum rorem excipiendum...

5° Ut Salvator spiritualiter nascatur et crescat in animabus nostris ; quod quidem contingit, dum nos, secundum exemplum Christi infantis, spiritualiter nascimur et crescimus in virtute. *Puer crescebat... et proficiebat sapientia, et ætate, et gratia, apud Deum et homines.* Luc. II, 40, 52.

—

FERIA V IN CŒNA DOMINI, AD MATUTINUM.

Lectiones : *Quomodo sedet sola civitas...* Jerem. Thren. I, 1-14.

1. Aleph. Quomodo sedet sola civitas plena populo; facta est quasi vidua domina gentium, princeps provinciarum facta est sub tributo.

2. Beth. Plorans ploravit in nocte, et lacrymæ ejus in maxillis ejus; non est qui consoletur eam ex omnibus charis ejus ; omnes amici ejus spreverunt eam , et facti sunt ei inimici.

3. Ghimel. Migravit Judas propter afflictionem , et multitudinem servitutis ; habitavit inter gentes , nec invenit requiem ; omnes persecutores ejus apprehenderunt eam inter angustias.

4. Daleth. Viæ Sion lugent, eo quod non sint qui veniant ad solemnitatem : omnes portæ ejus destructæ ; sacerdotes ejus gementes, virgines ejus squalidæ, et ipsa oppressa amaritudine.

5. He. Facti sunt hostes ejus in capite, inimici ejus locupletati sunt; quia Dominus locutus est super eam propter multitudinem iniquitatum ejus; parvuli ejus ducti sunt in captivitatem ante faciem tribulantis.

6. Vau. Et egressus est a filia Sion omnis decor ejus :

facti sunt principes ejus velut arietes non invenientes pascua ; et abierunt absque fortitudine ante faciem subsequentis.

7. Zain. Recordata est Jerusalem dierum afflictionis suæ et prævaricationis, omnium desiderabilium suorum, quæ habuerat a diebus antiquis : cum caderet populus ejus in manu hostili, et non esset auxiliator ; viderunt eam hostes, et deriserunt sabbata ejus.

8. Heth. Peccatum peccavit Jerusalem, propterea instabilis facta est ; omnes qui glorificabant eam, spreverunt illam, quia viderunt ignominiam ejus ; ipsa autem gemens conversa est retrorsum.

9. Theth. Sordes ejus in pedibus ejus, nec recordata est finis sui ; deposita est vehementer, non habens consolatorem. Vide, Domine, afflictionem meam, quoniam erectus est inimicus.

10. Iod. Manum suam misit hostis ad omnia desiderabilia ejus, quia vidit gentes ingressas sanctuarium suum, de quibus præceperas ne intrarent in ecclesiam tuam.

11. Caph. Omnis populus ejus gemens, et quærens panem ; dederunt pretiosa quæque pro cibo ad refocillandam animam ; vide, Domine, et considera, quoniam facta sum vilis.

12. Lamed. O vos omnes qui transitis per viam, attendite, et videte si est dolor sicut dolor meus ; quoniam vindemiavit me, ut locutus est Dominus in die iræ furoris sui.

13. Mem. De excelso misit ignem in ossibus meis, et erudivit me ; expandit rete pedibus meis, convertit me retrorsum ; posuit me desolatam, tota die mœrore confectam.

14. Nun. Vigilavit jugum iniquitatum mearum ; in manu ejus convolutæ sunt et impositæ collo meo ; infirmata est virtus mea ; dedit me Dominus in manu, de qua non potero surgere.

Explicatio prima.

Threni seu *Lamentationes* Jeremiæ sunt planctus sacer, quo propheta Jerosolymæ vastatæ vices dolet.

Etenim cum dudum Jerusalem iram Dei peccatis suis provocasset, et Jeremiæ prophetæ monita respuisset ; tandem

Nabuchodonosor cum exercitu Chaldæorum, divinæ vindictæ instrumentum, Jerusalem obsidione conclusit; moxque expugnatam vastavit, ejus templum incendit, regem Sedeciam cum superstite populo abduxit in captivitatem, paucis tantum inter ruinas patriæ relictis. Inter istos residuus Jeremias, videns deplorata omnia, urbem, rempublicam, ac præsertim templum populi Dei destructum: nihil reliquum habuit quàm ut tantas calamitates defleret. Ingenti ergo dolore pressus, divinoque Spiritu correptus, hunc planctum seu lamentationes edidit, quinque capitibus distinctas.

Capite I et II, præcipue urbis expugnatæ miserrimus status defletur; cap. III, ipsius prophetæ totiusque populi calamitates; IV, vastatio urbis ac templi, regisque Sedeciæ captivitas; V demum, oratio fervida funditur pro rei Judaicæ restitutione.

Hunc autem in finem lamentationes scripsit Jeremias, 1° ut hoc carmine charitatem suam et commiserationem erga patriam testaretur. — 2° Ut suum civiumque suorum dolorem leniret. — 3° Ut alios ad commiserationem flecteret. — 4° Ut omnes ad pœnitentiam, ad fugam peccatorum, humilesque preces incitaret, quibus a Deo veniam et reipublicæ restitutionem impetrarent.

Ad formam litterariam hujus cantus quod spectat, affectus spirat vehementissimos; sententiis texitur, ut in planctu solet, non multo ordine cohærentibus; imaginibus autem fulget vividissimis simul et suavissimis, quibus intima viscera commoventur. Propheta scilicet dolori suo sancto indulgens, sententias quasi tumultarie congerit, prout eas dolor effundit. — Quod tamen non ita est intelligendum, quasi nulla omnino ordinis ratio haberetur; ac non plerumque ab una, vel re, vel imagine, vel persona in aliam, satis facilis transitus fiat (1).

Alio tamen sub respectu, artificio hic usus est peculiari Jeremias, sicut David in Psalmo CXVIII: versibus nempe acrostichis, quorum singuli a singulis aphabeti litteris incipiunt. Quod quidem, præscindendo a profundiore mysterio, ideo fecisse videtur, ut versuum series facile Hebræorum memoriæ inhæreret.

Quod dictum est, Lamentationes respicere urbem Jerosolymam ejusque excidium, *de sensu litterali* est intelligendum. — Sensu enim spirituali, sunt luctus Ecclesiæ militantis, imo ipsius Christi lamentum, propter mala innumera per peccatum inducta, et spiritualem vastationem animarum. Quare Ecclesia in hebdomada Majori, ut Salvatoris propter peccatum immolati dolores celebret, Jeremiæ lugubres cantus usurpat.

His præmissis, ad explicandam in particulari lectionem

(1) Lowthus, *De sacra Hebræorum poesi*, prælect. 22.

propositam accedamus. Hæc autem lectio ex ipso initio Lamentationum desumpta, in tres partes distingui potest :

I. *Stupens propheta miseriam urbis considerat, et rei causam exquirit.*
II. *Respondet, causam esse in peccatis.*
III. *Supplicat Deo, ipsamque Jerusalem inducit humiliter supplicantem.*

1. *Quomodo sedet sola civitas plena populo ; facta est quasi vidua domina gentium, princeps provinciarum facta est sub tributo.*

Exclamatio potius obstupescentis hæc est, quam interrogatio quærentis : miratur enim Jerosolymæ cladem, cujus tamen stupendi effectus implicite causam exquirit. Sensus est : Fierine potuit, ut inclyta civitas et frequentissima populo, sic dejecta sit et fere deserta, similis desolatæ viduæ, subjecta servituti !

Per prosopopœiam Hebræis consuetam, spectat Jerusalem ut mulierem præclaram, quæ matronæ ac virginis dotibus est conspicua : *Virgo filia Sion, filia Jerusalem, Domina gentium.*

Hanc imprimis miserabiliter exutam miratur triplici decore : frequentia populi, suo principatu, sua libertate.

Quomodo, inquit, *sedet sola civitas plena populo !* illa scilicet civitas olim *plena populo*, tum incolarum, tum affluentium peregrinorum, jam prope solitaria ac desolata sedet. Dicit *sedet*, quia de Jerusalem loquitur tanquam de matrona malis afflicta, quæ præ mœrore sedere solet ut lugeat. Ex eadem idea, Vespasianus post alterum Jerosolymæ excidium, numisma cudit, in quo Judæa devicta quasi mulier pingebatur sedens.

Facta est quasi vidua domina gentium. — Vocatur Jerusalem *Domina gentium*, -1) quia antea, tempore David præsertim et Salomonis, in gentes vicinas dominabatur ; -2) quia inter gentium civitates, tanquam Domina inter ancillas eminebat. — Dicitur *quasi vidua*, -1) quia derelicta est ad tempus a sponso suo, Deo ; -2) quia orbata est rege suo, pontifice ac principibus ; -3) quia ornatu suo spoliata et velut indumento luctus cooperta est.

Princeps provinciarum facta est sub tributo. — Dicitur Jerusalem *princeps* seu regina *provinciarum* : quia gentes olim ipsi subditæ, Philistæi, Moabitæ, Syri, Ammonitæ, Idumæi, et aliæ, totidem imperii ejus provinciæ erant, e quibus percipiebat tributa. — *Facta est sub tributo* : scilicet non tantum imperio, sed ipsa libertate jam carens, servit Chaldæis barbaris et infidelibus, iisque pendit tributum.

2. *Plorans ploravit in nocte, et lacrymæ ejus in maxillis ejus; non est qui consoletur eam ex omnibus charis ejus; omnes amici ejus spreverunt eam, et facti sunt ei inimici.*

A causa transit ad effectum, ab ærumnis ad luctum : Jerusalem, omnibus spoliata et servituti addicta sedens, fletibus indulget, et vim lacrymarum effundit jugiter manantium : *Plorans ploravit in nocte, et lacrymæ ejus in maxillis ejus.* — Dicitur plorare *in nocte*, -1) quia nox ob silentium, solitudinem, vacationem a labore, aptior est meditationi, luctui ac lacrymis; -2) quia nox est symbolum adversitatis et infortunii.

Addit autem, ploranti nullum esse consolatorem, aut amicum ; imo amicos omnes factos esse adversarios : ita ut dolori cumulus accesserit.

Non est qui consoletur eam : en cumulus dolori accedens, quod ploranti nullus sit consolator, totumque miseriæ onus incumbat portandum absque levamine. — Consolatio enim condolentis amici velut adjutorium est, onus ejus allevians ; oblivio vero et contemptus ex parte amicorum, non tantum onus totum afflicto relinquit, sed illum insuper maxime aggravat ; præsertim, si ille qui afflictionem patitur, antea amicos multos habuerit, a quibus nunc derelinquitur ; aut quod pejus est, a quibus nunc spernitur et opprimitur. Hoc autem extremum malum Jerosolymæ accidit ; dicitur enim : *Non est qui consoletur eam ex omnibus charis ejus : omnes amici ejus spreverunt eam, et facti sunt ei inimici.*

Quinam *chari* et *amici* Jerosolymæ hic vocantur ? — *R.* Vicini populi, ut Idumæi ~~et Ægyptii~~, quibuscum Jerusalem junxit amicitiam pessimam, qua in idololatriam omniaque vitia pertracta est. Amici et futuri auxiliatores illi videbantur ; sed tempore belli hostes facti sunt perfidi, et una cum Chaldæis miseram Jerusalem oppresserunt.

3. *Migravit Judas propter afflictionem et multitudinem servitutis ; habitavit inter gentes, nec invenit requiem ; omnes persecutores ejus apprehenderunt eam inter angustias.*

Ab ipsa urbe oculos vertit in ejus incolas, fugitivos, exules et dispersos inter barbaras gentes. *Migravit*, inquit, *Judas propter afflictionem, et multitudinem servitutis* : id est, tribus Juda, seu Judæi Jerosolymitani, magna ex parte, ut afflictionem oneraque durissima Chaldaicæ servitutis effugerent, partim ante excidium Jerusalem, partim ipso excidii tempore, partim postea, migrarunt ad vicinas gentes, præsertim in Ægyptum : *Habitavit inter gentes.*

Non agitur hic de pro captivitate babyl. sed de fuga Judaeorum in Aegyptum ad vitandam captivitatem chaldaeorum timentes, hic! et ibi etiam chaldaei persecuti sunt eos in Aegypto

Sed *afflictionem* non evasit : *Nec invenit requiem : omnes persecutores ejus apprehenderunt eam inter angustias.* Scilicet hostes ejus Chaldæi persequentes gentem Judaicam in vicinas regiones, *apprehenderunt eam.*

4. *Viæ Sion lugent, eo quod non sint qui veniant ad solemnitatem : omnes portæ ejus destructæ , sacerdotes ejus gementes, virgines ejus squalidæ, et ipsa oppressa amaritudine.*

Revertitur ad spectaculum ipsius civitatis, cujus considerat vias, portas, sacerdotes, virgines : totidem amaritudinis causas.

Viæ, inquit, *Sion*, id est viæ Jerusalem, cujus potior pars erat arx et mons Sion. Intelligit autem vias ad Jerusalem ducentes ; quas lugere dicit, quia privatæ sunt velut ornatu et gaudio suo, quod est frequentia populi : *Eo quod non sint qui veniant ad solemnitatem.* Antea enim ad solemnitates, scilicet Paschæ, Pentecostes et Tabernaculorum, Judæi et etiam Gentiles undique magno concursu confluebant ; nunc autem solemnitatibus sublatis solitudo successit et silentium.

Omnes portæ ejus destructæ. Aliud miseriæ signum, portarum ruina. Portæ urbibus sunt , et præsertim antiquitus erant -1) decor et ornatus, -2) munimen, -3) locus senatus et judiciorum, -4) locus conventuum populi ad festa celebranda et ludos. In portis ergo destructis hæc omnia pariter destructa et eversa esse, propheta significat.

Sacerdotes ejus gementes : quia nempe cessant sacrificia et sacra omnia. Dum enim ea vigerent, læti cantabant Dei laudes; nunc autem altaribus eversis, silent et gemunt.

Virgines ejus squalidæ. Intelliguntur, -1) virgines quælibet Hierosolymitanæ, antea nitoris et cultus studiosissimæ ; -2) illæ præcipue, quæ in urbis et templi festis choros ducere, Deique laudes canere solebant (I Reg. XVIII , 6). Omnes itaque virgines , olim Jerosolymæ decus , jam sunt opprobrium ejus et dolor, utpote *squalidæ :* id est, ignominia affectæ, omni nitore et ornatu spoliatæ, in Chaldæorum servitutem redactæ.

Et ipsa oppressa amaritudine : ipsa scilicet mater Jerusalem , suarum filiarum amantissima, videns earum dedecus et squalorem, dolore premitur amarissimo : *Oppressa amaritudine.*

5. *Facti sunt hostes ejus in capite, inimici ejus locupletati sunt ; quia Dominus locutus est super eam propter multitudinem iniquitatum ejus ; parvuli ejus ducti sunt in captivitatem ante faciem tribulantis.*

Jam incipit indicare tot malorum causam : Ideo, inquit , tota civitas cum ipsis parvulis filiis tradita est hostibus quia multum peccavit.

Facti sunt hostes ejus in capite, id est, in caput, in dominos Jerosolymæ : quæ eorum arbitrio est subjecta tanquam serva, et simul tanquam præda, qua *inimici ejus locupletati sunt*.

Quia Dominus locutus est super eam. En explicatio mysterii : Dominus contra eam locutus est, et hoc pronuntiavit judicium *propter multitudinem iniquitatum ejus*. Implicite innuit, Deum tolerasse diu ejus peccata, et ad eam locutum esse in sua misericordia, monendo et comminando per prophetas ; sed tandem obstinatione ac *multitudine* peccatorum coactum, locutum esse in sua justitia.

Parvuli ejus, qui vix fari et incedere cœperant, et quibus proinde hostes licet barbari parcere solent, pœna parentum fuere divinitus involuti ; et sine misericordia *ducti sunt in captivitatem ante faciem tribulantis* : id est, pulsi tanquam rapta pecora ante sævum victorem ; qui eos non pastoris, sed prædonis instar ageret in Babylonicam captivitatem.

6. *Et egressus est a filia Sion omnis decor ejus ; facti sunt principes ejus velut arietes non invenientes pascua ; et abierunt absque fortitudine ante faciem subsequentis.*

A minimis transit ad maxima, quasi diceret : Sicut abrepti sunt a Jerusalem parvuli, ita et potentes ac gloriosi principes ejus.

Egressus est, inquit, id est, ablatus est *a filia Sion omnis decor ejus*. Sion seu Jerusalem hic considerat sub ratione pulchritudinis et amabilitatis, ut filiam quamdam regiam et ornatissimam ; sed cui ademptus est *omnis decor* : id est, ornatus templi et sacerdotum, domorum et civium, præcipue vero magistratuum et principum.

Facti sunt principes ejus velut arietes non invenientes pascua : principes scilicet e palatiis pulsi, viam exilii misere inire coacti sunt ; ipsique duces ac pastores populi, velut arietes pastore ac pastu carentes, fame et lassitudine fuerunt confecti ; ita ut, Chaldæis ad festine gradiendum impellentibus, vix possent ingredi : *Et abierunt absque fortitudine ante faciem subsequentis.*

7. *Recordata est Jerusalem dierum afflictionis suæ et prævaricationis, omnium desiderabilium suorum, quæ habuerat a diebus antiquis : cum caderet populus ejus in manu hostili, et non esset auxiliator ; viderunt eam hostes, et deriserunt sabbata ejus.*

Quoniam vexatio dat intellectum, Jerusalem tribulationibus afflicta, vicissitudines suas salutariter recogitavit.

Contulit scilicet antiquam prosperitatem suam cum infidelitate sua erga Deum, et cum miseria præsenti ; ita ut tria

consideret, quæ sic, inversa nonnihil constructione textus, ordinanda videntur et exponenda :

1° Jerusalem recordata est dierum recentis expugnationis suæ, quibus omnino afflicta est et prostrata : cum videlicet caderet populus ejus in manus Chaldæorum, absque auxilio, sive ex parte Dei, sive ex parte hominum ; cumque videntes eam hostes a Deo derelictam, deriseruntcultum et sabbata ejus.

2° Recordata est causæ tanti exitii, videlicet *suæ prævaricationis.*

3° Recordata est *omnium desiderabilium suorum :* quo nomine intelliguntur thesauri et ornamenta, quæ in urbe et templo fuerunt *a diebus antiquis,* nempe a tempore Davidis et Salomonis.

Ex hac consideratione sequitur humilis agnitio et confessio peccati : quam tum propheta pronuntiat pro Jerusalem, tum ipsa Jerusalem contrita et humiliata, pronuntians inducitur.

8. *Peccatum peccavit Jerusalem, propterea instabilis facta est ; omnes qui glorificabant eam, spreverunt illam, quia viderunt ignominiam ejus ; ipsa autem gemens conversa est retrorsum.*

Merito, inquit, magnam patitur pœnam, quia magnum patravit peccatum ; peccatum omnibus manifestum, cooperiens eam contemptu et confusione.

Peccatum peccavit, id est graviter, multum, perpetuo peccavit. — Peccatum autem intelligit antonomastice, nempe idololatriam, quasi fornicationem spiritualem : loquitur enim de Jerusalem quasi de filia meretrice et adultera.

Propterea instabilis facta est : stare non potuit, sed vacillavit, corruit et e fundamentis est ejecta.

Idololatria autem ejus omnisque iniquitas omnibus fuit manifesta, Deo, angelis et hominibus ; quapropter *omnes qui glorificabant eam* olim, cum ambularet in justitia, jam *spreverunt illam, quia viderunt ignominiam ejus :* id est, turpitudinem peccatorum. Hinc misera peccatrix præ pudore faciem avertit, seseque abscondere conatur et gemit : *Ipsa autem gemens conversa est retrorsum.*

9. *Sordes ejus in pedibus ejus, nec recordata est finis sui ; deposita est vehementer, non habens consolatorem. Vide, Domine, afflictionem meam, quoniam erectus est inimicus.*

Distinctius ostendit peccatricis turpitudinem et humiliationem. *Sordes*, inquit, *ejus in pedibus ejus*, id est, sicut immunda meretrix, pedibus apparet polluta fœdo sanguine ; vel sicut

matrona, quæ lutosis viis ambulavit, pedes gerit sordibus inquinatos : quæ peccatorum inquinamenta significant. — In hebræo, eodem fere sensu habetur : *Sordes ejus in ora vestis ejus.*

Nec recordata est finis sui, id est, extremæ pœnæ quam esset incursura. Cum se traderet peccatis, non cogitavit quem finem habitura essent tot iniquitates ; quamvis toties a prophetis instantis vindictæ præmonita.

Deposita est vehementer : id est humiliata, prostrata et collapsa est gravissimo casu, in quo quidem ab omnibus derelicta jacet : *Non habens consolatorem.*

Hoc solum habet residui, ut oculos suos ad cœlum dirigat (II Paral. XX, 12) et ad Deum suum clamet.

Vide, Domine, afflictionem meam : id est, eam respice oculo misericordiæ, ut consoleris, adjuves ac liberes me : *Quoniam erectus est inimicus*, id est, quoniam erectus est superbe, de mea clade, deque ruina templi tui triumphans, et extollens se : quasi non tanquam instrumentum tuæ justitiæ, sed propria virtute populum tuum dejecerit.

10. *Manum suam misit hostis ad omnia desiderabilia ejus, quia vidit gentes ingressas sanctuarium suum, de quibus præceperas ne intrarent in ecclesiam tuam.*

Superbiam inimici, Dei sanctuarium impie profanantem magis explicat.

Manum suam misit hostis ad omnia desiderabilia ejus, ad pretiosa quæque et sancta, maxime ad vasa templi, ut ea profanaret ac diriperet.

Quia vidit, scilicet Jerusalem videre coacta est *gentes ingressas sanctuarium suum :* intellige non tantum Chaldæos, sed illas gentes insigniter impias et impuras, Ammonitas nempe et Moabitas, quibus ob scelera sua et odium in Judæos, interdictus erat ingressus *in ecclesiam*, id est in cœtum et congregationem Judæorum, ut essent incolæ et cives Jerosolymæ : *De quibus præceperas ne intrarent in ecclesiam tuam.* Gentes istas non tantum ecclesiam ac civitatem ; sed quod multo indignius, ipsum templum ac sanctuarium Dei libere et insolenter ingredi vidit.

11. *Omnis populus ejus gemens, et quærens panem ; dederunt pretiosa quæque pro cibo ad refocillandam animam : vide, Domine, et considera, quoniam facta sum vilis.*

A profanatione templi redit ad miseriam incolarum, et famem memorat quam tempore obsidionis passi sunt : *Omnis populus ejus gemens et quærens panem.* Omnes, tam divites quam

pauperes, penuria pressi discurrerunt gementes, et quovis pretio quærentes fragmentum panis vel cibum vilissimum. *Dederunt* enim *pretiosa quæque pro cibo ad refocillandam animam :* id est, non jam ad comparandas sibi dapes et delicias; sed ad sustentandam vitam. — Ad hanc vilitatem nobilis filia Sion descendit, ut animalium instar circuire debuerit abjectissima quærens alimenta : *Vide, Domine, et considera, quoniam facta sum vilis.*

12. *O vos omnes qui transitis per viam, attendite, et videte si est dolor sicut dolor meus ; quoniam vindemiavit me, ut locutus est Dominus in die iræ furoris sui.*

A cœlo sese convertit ad terram, ut non tantum Deo, sed et omnibus hominibus suum dolorem ostendat. Transeuntes invitat ad considerandas ruinas suas ac cineres, ut intelligant miseriam suam esse quavis alia majorem : *Si est dolor sicut dolor meus.* Merito hæc verba in ore Christi ponuntur, qui pro humano genere reo, cujus Jerusalem typum gessit, dolores infandos est passus.

Quoniam vindemiavit me : id est, Deus per manus Chaldæorum spoliavit me bonis omnibus, uti vinea in vindemia spoliatur omni suo fructu et bono (1). — Sic punivit me *Dominus in die iræ furoris sui*, prout prædixit sæpius et misericorditer erat comminatus : *Ut locutus est.*

13. *De excelso misit ignem in ossibus meis, et erudivit me; expandit rete pedibus meis, convertit me retrorsum; posuit me desolatam, tota die mœrore confectam.*

Explicat quomodo Deus, secundum prophetias, sibi pœnas inflixerit; adhibetque similitudines quatuor : ignis, retis, hostis, et sponsi sponsam repudiantis ; quibus iræ divinæ atrocitatem vario modo significat.

1° *De excelso*, inquit, *misit ignem in ossibus meis : et erudivit me* : id est, castigavit, punivit me Deus, velut mittens de cœlo ignem in intima mea : hoc est, mittens acerrimum cruciatum in omnia interiora et viscera mea. — Juxta alios, sensus sic videtur explicandus : Vindicta Dei hostibus meis quasi faces suppeditavit, quibus non modo carnem et cutem, id est agros et villas ; sed ossa quoque mea, id est, munitissimas quasque arces, turres, templum, palatia, quæ urbem quasi ossa firmabant, expugnaret, succenderet, et in cinerem redigeret.

2° *Expandit rete pedibus meis* : rete a Deo expansum vocat

(1) Juxta hebræum : ... *sicut dolor meus, quo vindemiavit* (afflixit) *me Dominus in die iræ furoris sui.*

insidias, quas Chaldæi quasi venatores, in omnibus viis tetenderant Judæis, ut nullum eis pateret effugium.

3° Velut armatus contra Jerusalem Dominus, judæos milites *convertit retrorsum.*

4° Demum eam ut indignam sponsam repudiavit, et luctui tradidit : *Posuit me desolatam, tota die mœrore confectam.*

14. *Vigilavit jugum iniquitatum mearum ; in manu ejus convolutæ sunt et impositæ collo meo ; infirmata est virtus mea ; dedit me Dominus in manu, de qua non potero surgere.*

Humiliter fatetur, hæc omnia esse tam opus Dei quam suum, seu suarum iniquitatum : has enim induxisse sibi cladem et captivitatem, imo ipsas iniquitates conflatas sibi esse in jugum et in vincula servitutis.

Vigilavit jugum iniquitatum mearum, id est, jugum ob iniquitates meas mihi imponendum, me velut in peccatis dormiente, vigilavit ; ut, cum impleta esset peccatorum mensura, mihi incumberet. Aliis verbis : Deus, et justitia divina vigilavit ut me puniret, si elapso tempore misericordiæ, pœnitentiam non egissem. — Hic quidem sensus juxta Vulgatam. Quod autem vertit S. Hieronymus *vigilavit jugum*, rectius videtur vertendum : *colligatum, compactum est jugum...*

Iniquitates illa vertuntur manu Dei, et recidunt in caput peccatricis : *In manu ejus convolutæ sunt, et impositæ collo meo*, nempe tanquam jugum et catenæ.

Quod quidem onus catenarum tam grave est, ut vires ejus frangat, eamque dejiciat penitus sine spe surgendi : *Infirmata est virtus mea.* Et sic tradidit eam Dominus in potestatem inimici, a quo prostrata ita opprimitur ut surgere nequeat nisi a Deo juvetur : *Dedit me Dominus in manu, de qua non potero surgere.*

—

Explicatio secunda.

Lamentationes Jeremiæ, uti supra dictum est, sensu spirituali acceptæ, gemitus sunt Ecclesiæ, imo ipsius Christi Domini, de luctuosis effectibus peccati. — Hæc autem quo melius intelligantur, sequentia sunt animadvertenda.

1° Jerusalem a Nabuchodonosor expugnata, prophetica figura est futuri excidii reipublicæ judaicæ, propter deicidium in occidendo Christo patratum.

2° Jerusalem vastata mystice repræsentat humanum genus,

Adami peccato et diaboli fraude perditum, atque de primæva felicitate, paradiso et originali innocentia dejectum.

3° Iterum et magis proprie, eadem sancta civitas expugnata ac diruta, est anima christiana : quæ peccato mortali consentiens, justitia regnoque Dei privatur, dæmonis jugum ac tyrannidem subit, et clades longe majores quam olim misera Jerusalem patitur.

4° Jerusalem desolata figuram quoque refert Ecclesiæ militantis : quatenus et ipsa, tum persecutorum vexationibus, tum filiorum suorum peccatis, non quidem ruinam, sed calamitates patitur et angustias.

5° Ipse Jeremias lugens, figura est Christi patientis : cujus affectus et dolorum acerbitatem ita in se graphice exprimit ac depingit, ut ipsum Salvatorem in cruce gementem, loquentem, lamentantem audire tibi videaris.

6° Qui verba Jeremiæ applicant B. V. Mariæ, Matri dolorosæ, sensum accipiunt accommodatitium.

Quomodo sedet sola civitas plena populo.

Civitas illa, ex pristino splendore misere delapsa, incolis vacua, rege viduata, servituti subjecta, quænam est ?

1° Quæcumque Ecclesiæ pars vel provincia, quæ excidit a fide, seu quæcumque regio in schisma vel hæresim lapsa, ut Asia, Africa, Græcia, Anglia, etc.

2° Anima peccatrix, quæ post acceptam gratiam sanctificantem, subiit servitutem diaboli. — 1) Anima illa prius habitatio vitæ, plena virtutibus, sanctisque cogitationibus et affectibus ; per peccatum iis omnibus est orbata. — 2) Erat autem velut *domina gentium*, id est, vitiorum et passionum ; imo erat regina, sponsa Christi ; nunc autem suo dominio, et sponso suo rege est viduata. — 3) *Princeps provinciarum*, id est, anima prius potentiis suis et membris imperans, facta est mancipium dæmonis ; et ut S. Hieronymus dicit, *tot sceptris serviens, quot dedita vitiis.* Et revera in corde peccatoris, non jam ratio sceptrum tenet, sed superbia, sed avaritia, libido aliaque vitia, quibus tanquam totidem tyrannis serviens tributum solvit, omnes nempe suas opes et vires impendens.

Plorans ploravit in nocte...

1° En lacrymæ amaræ, quæ sunt necessaria sequela peccati. Peccatum enim incipere solet a gaudio, sed desinit in luctum : *Risus dolore miscebitur, et extrema gaudii luctus occupat.* Prov. XIV, 13.

2° Lacrymæ esse possunt, vel salutares, — vel inanes ac steriles.

1) Salutares sunt in hac vita lacrymæ pœnitentiæ, quæ peccata abluunt, animamque fecundant virtutibus. Tales fuerunt lacrymæ Davidis, Petri et Magdalenæ. *Beati qui lugent... Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum.* Matth. V, 5 ; Apoc. XXI, 4.

2) Lacrymæ steriles sunt eorum, qui vel in inferno lamentantur ; — vel in hac vita peccatorum pœnas luentes, nolunt sese sub potenti manu Dei humiliare, nec ad pœnitentiam reverti.

3° Hæc verba : *Plorans ploravit in nocte...* merito accommodantur afflictæ et lacrymabundæ Matri Jesu, cum in nocte passionis Filii sui, tansfixa doloris gladio, lacrymis veluti tota demersa est.

Non est qui consoletur eam ex omnibus charis ejus.

Consolatio est officium, quod aliis præstare debemus ; et simul remedium, quo ipsimet indigemus.

1° Consolatio præstanda est afflictis et miseris, qui vel corporali vel spirituali dolore premuntur... Consolatio ingerenda est, tum per verba, tum per opera charitatis. *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Matth. V, 7.

2° Consolatio necessaria nobis est in hac lacrymarum valle, ubi tribulationibus multis subjacemus. Petenda est autem non a creaturis, præsertim ab iis, quæ vanæ sunt et noxiæ : *Non est qui consoletur eam ex omnibus charis ejus.* — Petenda est a *Deo totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra* (II Cor. III, 4), tum in præsenti vita, tum in futura : *Neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra.* Apoc. XXI, 4.

Viæ Sion lugent...

Lugubris Jerosolymæ status, quem viarum luctus, portarum ruina, sacerdotum gemitus, squalor virginum ostendunt, imaginem exhibet animæ peccatricis.

1° Viæ sanctæ, ducentes ad vitam, sunt virtutes et mandata Dei : hæ viæ lugent, ubi ab anima derelictæ sunt.

2° Portæ sunt destructæ, quando per sensus, quæ animæ veluti portæ sunt, hostis, peccatum et mors libere ingrediuntur....

3° Sacerdotes gemunt, quando spirituales hostiæ abnegationis et precum, quæ super altare cordis solebant offerri, deficiunt...

4° Virgines sunt squalidæ, quando puritas mentis et corporis obscurata est et inquinata.

Egressus est a filia Sion omnis decor ejus.

1° Filia Sion est anima justa ac sancta, filia nobilis, sponsa Christi, regina pulcherrima ; quæ etiamsi corpore infirmo et specie humillima induta sit, oculis tamen Dei et Angelorum præ omni humana magnificentia placet.

2° Decor ejus est gratia sanctificans, quæ omnem materialem pulchritudinem superat : per eam enim efficimur *divinæ consortes naturæ* (II Pet. I, 4), et consequenter excellentissime ac proxime participamus supernaturalem et summam Dei pulchritudinem, quæ omnem naturalem et creatum decorem immense transcendit.

3° Hic decor amittitur per peccatum : *Egressus est omnis decor.* Peccato enim lux animæ mutatur in tenebras, reginæ purpura in squalorem servæ, pulchritudo angelica in turpitudinem spirituum tenebrarum.

Peccatum peccavit Jerusalem : propterea instabilis facta est.

Quomodo per peccatum homo fit instabilis ? et quænam hujusmodi instabilitatis causæ ?

1° Homo per peccatum fit instabilis, -1) quia in peccato existens, velut super oram abyssi æternæ hæret : in eam ruiturus si moriatur. -2) Quia non amplius in spe, aut tranquilla conscientia quiescit ; sed timoribus agitatur. -3) Quia peccando labilis evadit magis et infirmus, ita ut a peccato in peccatum propensius decidat....

2° Instabilitatis hujusmodi ratio est, tum ex parte Dei, tum ex parte creaturarum.

-1) Ex parte Dei. Deus omnis stabilitatis principium est et fundamentum ; a quo creatura peccando sese separat. — Est enim Deus summa veritas, stabiliens creatum intellectum ; summa bonitas, satians et tranquillans voluntatem ; summo potentia, firmans omnem creaturam quæ ipsi innititur : *Mihi autem adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam... Quid enim mihi est in cælo ? et a te quid volui super terram ?... Deus cordis mei, et pars mea, Deus in æternum.* Ps. LXXII.

-2) Ex parte creaturæ. Nulla creatura homini stabilitatem dare potest : nec quoad mentem, nec quoad cor, nec quoad bona quæ possidet. Nulla enim scientia, nulla voluptas terrena, nullaque potentia humana est, nisi imperfecta valde ; ideoque ipsa non sufficit homini, qui aspirat semper ad meliora, tenditque ulterius, donec ad id quod summum est pervenerit et in eo conquiescat....

Sordes ejus in pedibus ejus, nec recordata est finis sui.

His verbis causa innuitur duplex inquinamentorum animæ, quæ sunt sordes peccati : nempe egressio in vias pravas, et oblivio finis.

1° *Sordes*, inquit, *in pedibus ejus*, quas nempe contraxit ambulando lutosis viis , quæ absque coinquinatione animæ iniri non possunt. Hujusmodi viæ, sunt quævis pericula peccati, quibus nemo sese impune exponere potest : *Qui amat periculum, in illo peribit.* Eccli. III, 27.

2° *Nec recordata est finis sui :* en altera causa, qua homines in peccatum incidant, et in eo sordescant : oblivio finis sui, id est, mortis, incerto tempore futuræ, judicii, inferni. *Memorare novissima tua, et in æternum non peccabis.* Eccli. VII, 40. — *Desolatione desolata est omnis terra, quia nullus est qui recogitet corde.* Jer. XII, 11.

Manum suam misit hostis ad omnia desiderabilia ejus.

Quis ille hostis rapax ? quænam desiderabilia rapta ?

1° Hostis ille est, -1) diabolus, dum ad peccatum provocat. -2) Mundus, dum sua bona ostentat. -3) Ipsa caro nostra, dum delicias exhibet. -4) Malus socius, amicus personave quælibet ad malum alliciens... Sic hostis humani generis, serpens antiquus, Evam seduxit in paradiso terrestri ; et pro fructu vetito, mendacibus verbis commendato, ei originalem felicitatem omniaque desiderabilia surripuit....

2° Quænam sunt illa animæ desiderabilia , quæ peccato rapiuntur ? — -1) Gratia sanctificans et amicitia Dei. -2) Jus hæreditatis æternæ. -3) Thesaurus meritorum , quæ bonis operibus collegerat. -4) Pax interna, tranquillitas conscientiæ, et gaudium sanctum in Domino. -5) Virtutes variæ ac dona Dei, quibus velut totidem vasis sacris internum cordis templum ornatur : donum orationis, intelligentia rerum divinarum, mortificatio, charitas....

Dederunt pretiosa quæque pro cibo.

En iterum peccatum ejusque stultitia : pretio maximo emit peccator cibum vilissimum, alimentum insanæ passionis. Pro pane, imo pro mica terrenæ consolationis vel voluptatis, pro modica gula, pro contemptibili fastu, pro puncto honoris, — dat omnia sua desiderabilia... quin et vires suas omnes, ipsamque animam impendit et vendit diabolo...

O vos omnes qui transitis per viam , attendite, et videte si est dolor sicut dolor meus.

1° Hæc verba Christi sunt, in passione positi, et peccata

nostra expiantis. -1) Dolores ejus tum interni, tum externi, sunt acerbissimi, omnesque hujus mundi dolores superant. -2) Hos sustinet pro cujusque nostrum peccatis : *Dilexit me, et tradidit semetipsum pro me* (Gal. II, 20). -3) Hos ostendit omnibus nobis, per viam vitæ mortalis transeuntibus : justis, peccatoribus, laborantibus et afflictis... utque consideremus intime quid patiatur pro nobis, attendere nos jubet, dicens : *Attendite et videte, si est dolor sicut dolor meus.*

2° Hæc verba quoque sanctissimæ Matri Jesu conveniunt. Nam secuta Jesum in Calvariæ montem, omniumque dolorum Filii sui ex amore particeps, doloresque suos pro peccatis nostris offerens, unumquemque nostrum alloqui videtur dicens : *Attendite et videte...* — Quibus verbis velut consolationem a nobis petit, ad compassionem, et patientiæ suæ imitationem nos provocando....

3° Hæc verba etiam animabus purgatorii accommodari possunt : iisdem enim verbis animæ in expiatione positæ, nos adhuc mortales invitant, -1) ut ipsis solatium præbeamus; -2) ut ipsarum exemplo sapiamus, nobisque, per sanctam vitam et exercitium misericordiæ, provideamus....

4° Hæc verba demum merito attribui possunt damnatis in inferno : Utinam mortales, transeuntes per viam vitæ, attendant et considerent, *ne et ipsi veniant in hunc locum tormentorum.* Luc. XVI, 28.

—

DOMINICA PRIMA ADVENTUS.

Lectio Epistolæ ad Romanos : *Scientes quia hora est.*
Rom. XIII, 11-14.

11. Et hoc scientes tempus : quia hora est jam nos de somno surgere. Nunc enim propior est nostra salus, quam quum credidimus. — 12. Nox præcessit, dies autem appropinquavit. Abjiciamus ergo opera tenebrarum, et induamur arma lucis. — 13. Sicut in die honeste ambulemus : non in comessationibus et ebrietatibus, non in cubilibus et impudicitiis, non in contentione et æmulatione : — 14. sed induimini Dominum Jesum Christum.

—

Explicatio prima.

Cum in superioribus Apostolus hortatus sit Romanos ad charitatem, hoc loco exhortationem urget, excitando fideles pros-

pectu salutis appropinquantis ; monendoque ut abjectis tenebrarum operibus, assumant arma lucis, et exutis vitiis, induan Dominum Jesum Christum.

I. *Motivum dandi operam salutis negotio.*
II. *Indicatio operum quæ ad id præstanda sunt.*

---

11. *Scientes quia hora est jam nos de somno surgere.*

Textus integer sic legitur : *Et hoc scientes tempus : quia hora est jam nos de somno surgere.* Quibus verbis instat Apostolus, ut in praxin deducant fideles quæ supra de charitate commendavit ; quasi diceret : Eo diligentius charitatem colamus, fratres, quod non ignoramus, tempus ipsum id postulare, ut sine mora omni rei salutis operam impendamus.

Quia hora est jam nos de somno surgere : id est, tempus est et hora, ut quotquot neglectu christianæ legis obdormiverint, e spirituali hoc somno evigilent et surgant. — Metaphorica locutio adhibetur, desumpta ex hora et luce matutina, qua monentur homines ut surgant ad laborem.

Nomine *somni* intelliguntur peccata et negligentiæ quæcumque, et quilibet animi status, quo Christi discipulus male detinetur.

Nomine *horæ*, nempe horæ lucis sive auroræ, intelligitur, -1) tempus gratiæ, fidei et legis evangelicæ : quo sol justitiæ, Christus, radios per orbem spargere cœpit, tenebris errorum depulsis. -2) Intelligitur specialius tempus appropinquantis diei gloriæ ac æternæ salutis.

Hæc, inquit, hora est *de somno surgere*, qua non licet jam indulgere ulli operationi tenebrarum ; sed necesse est surgere sine mora, ad opera diurna, h. e. ad opera evangelica peragenda.

Nunc enim propior est nostra salus, quam quum credidimus.

Explicat cur tempus urgeat ad surgendum : quia nempe appropinquat dies mortis nostræ, qua optatam salutem percipiemus ; ideoque diligentius curandum, ut per opera bona nos eadem dignos efficiamus.

Quod dicit, propiorem nunc esse salutem nostram, *quam quum credidimus* : id est, quam quum credere cœpimus. Quo enim magis ætate æque ac fide et meritis crevimus, eo propius ad finem et ad beatitudinem æternam accedimus nunc, quam in die Baptismatis, quo fidem primum suscepimus et fideles facti sumus.

12. *Nox præcessit, dies autem appropinquavit : abjiciamus ergo opera tenebrarum, et induamur arma lucis.*

Ex superiore metaphora somni nocturni, ex quo surgendum est, ansam capit allegorice explicandi statum fidelium respectu salutis ; nec non, quibus operibus sese ad salutem promissam disponere debeant. Utitur autem forma hortatoria.

Nox, inqu ,p *prœcessit* : id est, tempus vitæ nostræ præsentis longe jam *rocessit*, seu progressum est : ut græco textu, ἡ νὺξ προέκοψε, clare significatur. — *Dies autem appropinquavit* ; id est, beata æternitas jam est proxima.

Nox vocatur totum vitæ tempus in hoc sæculo, utpote plenum tenebris errorum, peccatorum, et miseriarum ; *dies* autem, sæculum futurum, tempus exspectatæ salutis et gloriæ : quod erit perpetua dies sine nocte, expers errorum omnisque miseriæ. *Et nox ultra non erit... quoniam Dominus Deus illuminabit illos ; et regnabunt in sæcula sæculorum.* Apoc., XXII, 5.

Juxta Chrysostomum et alios, *nox* quæ *præcessit*, est nox infidelitatis ; *dies* quæ *appropinquavit*, est dies lucis christianæ.

Abjiciamus ergo opera tenebrarum, et induamur arma lucis. Conclusio adhortatoria, cujus hic est sensus : Quoniam dies illucescit, diurno modo nos habeamus ; seu, absque metaphora : quoniam instat migratio nostra in cœlum, cœlestibus moribus nos præparemus ad eam.

Quod dicit *opera tenebrarum* esse reliquenda, et induenda *arma lucis*, metaphoram ducit ex surrectione matutina, quando relictis rebus quibuscumque nocturnis, ornatus diurnus assumitur. — *Opera tenebrarum* intelligit peccata, quæ lucem fugiunt et aspectum, quæque opposita sunt Deo, *qui lux est* (I Joan. I, 5), et propria spirituum tenebrarum. — Operibus tenebrarum opponuntur *arma lucis*, id est, bona opera, quæ digna sunt clara luce et oculis Dei atque hominum ; quæ propria sunt Dei, *qui lux est*, quæque cœlesti luci sunt consentanea.

In antithesi, *operibus tenebrarum* non opponit *opera lucis*, sed *arma lucis* : ponendo instrumenta pro effectibus ; et quidem instrumenta non qualiacumque, sed bellica : ut insinuet, opera christiana esse totidem fructus belli, totidemque victorias de nobismetipsis, atque hostibus animæ nostræ referendas. — Non autem dicit, *capiamus arma*, sed, *induamus* : ut significet, oportere nos esse undequaque contectos et vestitos armatura lucis, ne qua pars animæ vulneri pateat. Porro arma hujusmodi sunt virtutes Christi, quas induere debemus, ut infra dicetur : *Induimini Dominum Jesum Christum.*

13. *Sicut in die honeste ambulemus : non in comessationibus et ebrietatibus, non in cubilibus et impudicitiis, non in contentione et æmulatione.*

Repetitio explicativa præcedentis exhortationis. Clarioribus verbis christianos mores commendat Apostolus, quasi dicat : Quoniam beatæ æternitatis *dies* affulgere incipit, jam conversemur sicut conversandum et ambulandum est *in die :* nempe honeste, composite, decenter. — Hinc tria præcipua enumerat opera tenebrarum fugienda.

Non in commessationibus et ebrietatibus. Comessationes sunt convivia, quæ non honestatis, sed gulæ causa fiunt ; unde et ebrietates, quæ ad libidinem aliaque vitia provocant. — *Non in cubilibus et impudicitiis :* id est, non in fornicationibus, aliisque fœdioris libidinis speciebus. — *Non in contentione et æmulatione.* Contentio, est concertatio pro gloria et honore ; cui semper conjuncta est æmulatio, id est invidia boni alieni. — Hic, ut patet, tria præcipue vitiorum capita tanguntur fugienda : gula, libido, ambitio ; quorum primum abutitur bonis externis, secundum bonis corporis, tertium animi bonis.

14. *Sed induimini Dominum Jesum Christum.*

Postquam explicavit opera tenebrarum fugienda, indicat uno verbo opera seu *arma* lucis induenda, dicens : *Induimini Dominum Jesum Christum* : id est, abjectis istis vitiis, Christi virtutes sic colite, ut hæ omnes in vobis effulgeant, et sic ipsius Christi speciem ac similitudinem præferatis. — *Indui Christo*, ut S. Chrysostomus docet, est indui et ornari Christi virtutibus, maxime ut externa vita et professione, quasi veste, agnoscantur Christi discipuli. Aliis verbis, est ita vivere, ut Jesu Christi spiritus, gratia, omnesque mores in nobis eluceant ; est Christi imaginem ac vitam in se exprimere quam perfectissime ; demum induere Christum, est undique in nobis per sanctimoniam et mansuetudinem, Christum reddere conspicuum : indumentum enim extrinsecus apparet. Itaque, inquit Chrysostomus, appareat in nobis Christus.

—

Explicatio secunda.

Hora est jam nos de somno surgere.

His verbis Apostolus, Ecclesia, ejusque ore ipse Christus Dominus monet nos, et velut somnolentos excitat, ut surgere festinemus. Ex quonam autem somno surgendum est ? et quænam surgendi motiva ?

1° Somnus ex quo surgere debemus, est multiplex ; ita ut nemo sit, qui non aliqua somni specia teneatur. Est enim, -1) somnus peccati mortalis, qui vero nomine somnus mortis appellatur... -2) Somnus oblivionis, respectu salutis et rerum animæ... -3) Somnus tepiditatis in divino servitio..... -4) Somnus incuriæ inter pericula et hostes spirituales. *Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem* (Matth. XXVI, 41). — *Cum dormirent homines, venit inimicus homo, et superseminavit zizania in medio tritici* (Matth. XIII, 25). —5) Somnus desidiæ et pigritiæ in agendo...

2° Quænam motiva surgendi ? — 1) Tempus. *Tempus breve est* (I Cor. VII, 29). — *Dum tempus habemus operemur bonum* (Gal. VI, 10). — 2) Ipsa monita Christi et Ecclesiæ... exempla morientium, quibus tempus eripitur .. Quæ quidem monita et exempla negligere periculosum est. -3) Christi bonitas et misericordia, tam benigne nos invitantis, ut ad natalitia festa suumque adventum nos præparemus... -4) Nostra felicitas. Vigilantibus enim Deoque ex animo servientibus, sicut pastoribus Bethlehem, apparet claritas Dei, et insonat vox angelica : *Pax hominibus bonæ voluntatis.*

Nox præcessit, dies autem appropinquavit.

Ne forte noctem appellemus diem, et magis diligamus tenebras quam lucem, intelligamus ex Apostoli verbis quænam sit nox relinquenda, et quæ dies desideranda. Monet enim propheta, dicens : *Væ, qui dicitis malum bonum, et bonum malum ; ponentes tenebras lucem, et lucem tenebras* (Isai. V, 20). — Atqui Apostoli verba duplici sensu accipi possunt : nox enim significat infidelitatem, et quidquid evangelicæ luci ac doctrinæ opponitur ; — nox quoque et dies indicat totam hominis vitam, quæ æterna esse debet, et veluti unica nocte et unica die constat : nox est vita præsens, dies vero vita futura. — In hoc secundo sensu quæri potest :

1° Quænam et qualis sit hujusmodi nox ? -1) Nox nostra vita præsens recte vocatur, quia tenebris plena est : tenebris nempe peccatorum, tentationum, tribulationum... — et plena hostibus, qui latronum instar animæ insidiantur... — et quia cooperta semper umbra mortis, ubique mortalibus imminentis... -2) Hæc tamen nox per Christum illuminatur, etsi imperfecte : nempe per Christi fidem, per gratiam et consolationes internas, per promissionem beatæ æternitatis, quæ velut aurora semper affulget. Ideo dixit Dominus : *Qui sequitur me, non ambulat in tenebris* (Joan. VIII, 12). — Hæc autem nox præsentis vitæ cito progreditur, et mox desinet in diem.

2° Quænam dies nostra jam appropinquans ? — Est dies

beatæ æternitatis in cœlo ; lux perpetua, dies sine nocte, claritas perfecta : cujus fons est ipse Deus et Agnus

Hæc lux vivifica et beatifica, animas puras illustrabit et inflammabit, -1) ut videant... -2) ut ardeant... -3) ut fulgeant... -4) ut gaudeant.... tanto plenius, quanto perfectius ab omni impedimento atque opere tenebrarum in hac vita sese expediverint....

Abjiciamus ergo opera tenebrarum, et induamur arma lucis.

Opera tenebrarum quænam sunt, et quomodo abjicienda ? Quænam autem sunt arma lucis, et quomodo induenda ?

1° Quænam opera sunt tenebrarum ? —1) Illa sunt, quæ fieri solent de nocte, et absconduntur ab oculis hominum, quia turpia sunt ; sed ab oculis Dei nequeunt abscondi... *qui illuminabit abscondita tenebrarum* (I Cor. IV, 5). -2) Illa, quæ suggeruntur a spiritibus tenebrarum, et ducunt ad tenebras exteriores... -3) Illa, quæ contraria sunt Deo, ejusque legi ac voluntati : nimirum peccata, sive mortalia, sive venialia...... -4) Opera tenebrarum etiam sunt, quæcumque duntaxat pertinent ad noctem hujus vitæ, suntque mere temporalia, nec fiunt intuitu Dei aut vitæ æternæ.

2° Quomodo abjicienda ? — 1) prompte, fortiter, integre.... *Quæ societas enim luci ad tenebras ?* (II Cor. VI, 14). — 2) Per arma lucis...

3° Quænam sunt arma lucis ?

Sunt -1) instrumenta christiani hominis, necessaria ad resistendum tentationibus, — ad laborandum pro Deo, — ad patiendum juxta exemplum Christi : nimirum oratio, — sacramenta, — fuga periculorum, — patientia...

-2) Sunt ipsa opera bona, erga Deum et erga proximum exercenda : -*a*) erga Deum, servando mandata, et implendo fideliter quotidiana officia sui status ; -*b*) erga proximos, condonando injurias, sufferendo defectus, erogando eleemosynas corporales et spirituales....

-3) Sunt omnes Christi mores, adeoque ipse Christus, ut mox addit Apostolus : *Induimini Jesum Christum.*

4° Quomodo hæc arma lucis sunt induenda ? — Secundum Christi et Sanctorum exemplum : ita ut, -1) nunquam deponantur... -2) utque appareat oculis Dei et hominum, nos esse milites Christi....

Sicut in die honeste ambulemus.

Duo præscribit Apostolus : ut *honeste ambulemus*, et quidem ut honeste ambulemus *sicut in die.*

1° *Ambulare honeste* ac decore, est -1) ita vivere, ut actiones nostræ ac mores digni sint oculis hominum, et præsertim oculis

Dei. — Porro honesta erit vita hominibus, si externa nostra conversatio ædificationem omnibus pariat : si neminem lædimus, nemini malum exemplum præbemus.... — Honeste vivemus etiam oculis Dei, qui interiora videt, si nostra quoque interna conversatio, cogitationes, affectus ac desideria fuerint sancta....

-2) Honeste ambulare, est ea ratione nos gerere, quæ nostræ conditioni congruit, nempe uti decet filios Dei.

2° *Sicut in die.* — Vivere sicut in die, est vivere sicut in lumine gratiæ vivendum est, et sicut vivitur in lumine gloriæ.

-1) Illuminati lumine fidei et gratiæ sanctificantis, vivere debemus sancte, secundum fidei documenta... Sancte quoque, prout requirit immaculatum gratiæ vestimentum, quo tanquam filii lucis induti sumus.

-2) Sicut in lumine gloriæ, id est, sicut in cœlo vivitur. Quoniam mox in cœlestia migraturi, cœli cives erimus ; jam nunc cœlestes mores assumere, et cœlitum vitam æmulari debemus. — Porro cœlitum vita, est amor purissimus Dei, et perfecta impletio divinæ voluntatis. Ergo instar cœlitum, divinam in omnibus voluntatem quærere et perficere debemus, quantum id humana conditio patitur : *Fiat voluntas tua, sicut in cœlo et in terra.*

Induimini Dominum Jesum Christum.

Vult Apostolus ut Christo tanquam vestimento induamur. Quid autem est indui Christo ? et quomodo illud indumentum mysticum assumendum est ?

1° Indui Christo est, -1) ornari virtutibus ejus in hac vita : non tantum internis, fide, spe, charitate ; — sed etiam externis illis virtutum actibus, quibus homo vere christianus, Christoque similis appareat.

-2) Indui Christo, Christo nempe patiente, est vestibus atque insignibus passionis ejus contegi : contemptu nimirum, contumeliis, vexationibus quibuscumque pro Christi nomine tolerandis. *Semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes.* II Cor. IV, 10.

-3) Indui Christo, nempe glorioso, est ejus gloria condecorari, non tantum quoad animam, sed etiam quoad corpus. *Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem ; et mortale hoc induere immortalitatem* (I Cor. XV, 53). — *Salvatorem exspectamus Dominum nostrum Jesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ.* Phil. III, 21.

2° Quonam modo Christus induendus est ? — 1) Requiritur imprimis ut exuatur vestimentum vetus, seu vetus homo cum

vitiis et concupiscentiis ejus : *Exspoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, et induentes novum.* Coloss, III, 9.

-2) Requiritur exercitium, et quidem perseverans. Non enim unico actu, sicut vestis corporalis induitur, Christi moribus ornamur ; sed actus repetiti, et quidem quotidiani per totam vitam sunt adhibendi, ut tandem *vestiti, non nudi inveniamur.* II Cor. V, 3.

-3) Requiritur integra Christi legis assumptio. Non enim dimidiatim, sed integre vestimentum assumitur, nec dividi ullo modo potest ; similiter Christus Dominus, ejusque lex et famulatus dividi nequit. *Nemo potest duobus dominis servire...* (Matth. VI, 24). — *Qui non est mecum, contra me est* (Luc. I, 23). — *Quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate?* II Cor. VI, 14.

—

DOMINICA SECUNDA ADVENTUS.

Lectio Epistolæ ad Romanos : *Quæcumque scripta sunt.* Rom. XV, 4-13.

4. Quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt ; ut per patientiam, et consolationem Scripturarum, spem habeamus.— 5. Deus autem patientiæ et solatii det vobis idipsum sapere in alterutrum secundum Jesum Christum ; — 6. ut unanimes uno ore honorificetis Deum, et patrem Domini nostri Jesu Christi. — 7. Propter quod suscipite invicem, sicut et Christus suscepit vos in honorem Dei. — 8. Dico enim Christum Jesum ministrum fuisse circumcisionis propter veritatem Dei, ad confirmandas promissiones patrum : — 9. gentes autem super misericordia honorare Deum, sicut scriptum est : Propterea confitebor tibi in gentibus, Domine, et nomini tuo cantabo. — 10. Et iterum dicit : Lætamini, gentes, cum plebe ejus. — 11. Et iterum : Laudate, omnes gentes, Dominum ; et magnificate eum, omnes populi. — 12. Et rursus Isaias ait : Erit radix Jesse, et qui exurget regere gentes, in eum gentes sperabunt. — 13. Deus autem spei repleat vos omni gaudio et pace in credendo ; ut abundetis in spe, et virtute Spiritus sancti.

—

Explicatio prima.

Omnibus fidelibus Romanis, sive ex Judæis sive ex Gentilibus, hic per modum benedictionis Apostolus apprecatur perfec-

tam inter se concordiam ; utque sese invicem in unam communitatem spiritu charitatis suscipiant, eis exhibet exemplum Christi : qui omnes, tam Gentiles quam Judæos, misericorditer suscepit salvandos. — Gentilibus autem peculiarius ostendit, Christum Dominum fuisse ipsum et genere Judæum, et Judæorum ministrum ac apostolum ; Judæis vero, Deum per prophetas adoptionem Gentium prædixisse. — Demum, omnibus simul Dei gratiam iterum apprecatur, seu inchoatam absolvit benedictionem.

I. *Apprecatio concordiæ.*
II. *Motivum concordiæ et unionis fraternæ.*
III. *Altera benedictionis divinæ invocatio.*

—

4. *Quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt ; ut per patientiam, et consolationem Scripturarum spem habeamus.* — 5. *Deus autem patientiæ et solatii det vobis idipsum sapere...*

Postquam allegavit Apostolus Scripturæ verba : *Improperia improperantium tibi ceciderunt super me*, rationem reddit, cur verba illa in persona Christi a Davide prolata, allegaverit ad instructionem fidelium : quia scilicet tota Scriptura ad nostram doctrinam ordinata est. Ad hunc enim finem libros sacros dedit nobis Deus, ut per eos patientiam nobis suggerat et consolationem salutarem. Utinam idem Deus, patientiæ et consolationis auctor, det vobis concordiam !

Ut patet, velut transitio hæc est, qua ex allatis modo Scripturæ verbis, gradum facit Apostolus ad sermonem de concordia.

Quæcumque scripta sunt, nempe Deo auctore in sacris Litteris, *ad nostram doctrinam scripta sunt* : id est, ad nos salutariter docendum ordinata sunt. Doctrina enim intelligitur, qua instruimur ad patientiam, pietatem et salutem æternam : quæ doctrina divinis Scripturis propria est, easque distinguit a libris humanis. Quæcumque scripta sunt, præsertim de Christo, ad nostram, qui Christiani sumus, doctrinam, institutionem et imitationem sunt scripta. — Finis hic et scopus indicatur sacrarum Scripturarum.

Ut per patientiam et consolationem Scripturarum spem habeamus : modum explicat, quo Scripturæ ad doctrinam nostram ordinatæ sint et conferant : nempe faciunt *ut spem habeamus* fundatam ac certam salutis æternæ, insinuando nobis patientiam et consolationem.

Itaque in Scripturis invenimus spem, pignusque salutis, seu *salutem in spe* : quæ est ipsa salus nostra, quantum in hoc mundo possideri potest.

Obtinemus autem hanc spem, hauriendo ex Scripturis, 1° *patientiam*, ad quam nos hortantur exempla Sanctorum, et maxime ipsius Christi, in Scripturis proposita ; 2° *consolationem*, qua nos implent divina auxilia et præmia, fidelibus Dei servis in Scripturis promissa. — Hinc, patientia, consolatio, spes, præcipui fructus sunt e sacris Litteris colligendi ; totaque Scriptura dici potest ordinata ad fidei nostræ instructionem, ad spei stabilimentum, et ad incrementum charitatis.

Deus autem patientiæ et solatii det vobis idipsum sapere in alterutrum secundum Jesum Christum ; 6. ut unanimes, uno ore honorificetis Deum, et Patrem Domini nostri Jesu Christi.

Ex dictis de patientia et consolatione e Scripturis haurienda, deducit Apostolus cohortationem ad concordiam, per modum apprecationis dicens : Deus patientiæ et sanctæ consolationis auctor, det vobis, tum Judæis tum Gentibus, ut sublatis dissensionibus quas habetis inter vos, idem mutuo sentiatis.

Deus patientiæ et solatii... Invocat Deum *patientiæ*, quia ad concordiam opus est patientia, qua alter alterius defectus sufferamus ; invocat Deum *solatii*, quia concordia magnam continet consolationem, nempe charitatis dulcedinem, secundum illud : *Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum!* Ps. CXXXII.

Idipsum sapere in alterutrum, id est, idem sentire, idem velle, in idem, tum sensu mentis, tum affectu cordis conspirare : ita ut inter utrosque nec sit sententiarum diversitas, nec affectuum ; ac proinde etiam neque verborum, quod mox expresse dicitur : *Uno ore.*

Idipsum, inquit, *sapere secundum Jesum Christum* : hoc est, secundum spiritum, doctrinam et exemplum Christi ; seu secundum fidem ac religionem Christianam.

Ut unanimes, uno ore honorificetis Deum. Explicatio optatæ concordiæ. Sensus autem est : Ut una mente, uno corde et uno ore consociati, glorificetis Deum et Patrem Domini nostri Jesu Christi hac sancta vestra unione, tanquam virtute ipsi gloriosa, et vobis utilissima ad magis magisque Deum colendum.

7. Propter quod suscipite invicem, sicut Christus suscepit vos in honorem Dei.

Postquam Deum pro concordia oravit, ipsos fideles directe ad eamdem hortatur, quasi diceret : Quoniam concordia de qua loquor, donum Dei est tam excellens, et Deus ex sua parte gratiam quam ego peto non negabit ; vos quoque ex parte vestra cooperamini, et *suscipite invicem*, nempe in fratres :

vos, Judæi et Gentiles, docti et rudes, ut fratres invicem considerando, æstimando, et in omnibus fraterna charitate tratando. — Adhortationi subjungit motivum, exemplum Christ : *Sicut Christus suscepit vos in honorem Dei :* quemadmodum scilicet Christus per mortem suam vos, tam Judæos quam Gentiles suscepit, sibique adjunxit ut fratres, filios adoptivos Dei, et cohæredes cœli ; — *in honorem Dei*, id est, ut per hoc Dei gloriam et honorem promoveret... ita vos quoque invicem assumite in fratres, ut unitate et concordia vestra Deus glorificetur.

Quonam, autem modo Deus per Judæorum et Gentium salvationem fuerit glorificatus, declarat hinc Apostolus , dicens, hoc factum esse eo quod sic manifestata sit Dei *veritas* et *misericordia :* ita ut glorificatus sit Deus, tanquam verax, et tanquam misericors.

8. *Dico enim, Christum Jesum ministrum fuisse circumcisionis propter veritatem Dei, ad confirmandas promissiones patrum :* 9. *gentes autem super misericordia honorare Deum, sicut scriptum est...*

Sensus est : Dicendo, *Christum suscepisse vos* utrosque , Judæos et Gentes *in honorem Dei*, hoc significo : Christum, suscipiendo Judæos, glorificasse Dei veritatem ; suscipiendo vero Gentes, glorificasse Dei misericordiam. Etenim Christus nascendo et prædicando regnum Dei inter Israelitas, prout patribus eorum promissum fuerat, manifestavit Dei *veritatem*, seu fidelitatem in promissis ; extendendo autem regnum Dei, seu salutem ad Gentiles, quibus promissio directa non erat data , manifestavit Dei *misericordiam.* — Non negat Apostolus, misericordiam quoque pertinere ad Judæos, aut promissam etiam fuisse conversionem Gentium : sed simpliciter hic considerat promissionem directam, quæ solos respiciebat Judæos.

Ut facile patet, hæc Apostoli explicatio Romanos ad mutuam concordiam inducit, non tantum proponendo exemplum Christi ; sed etiam mutuam reverentiam et æstimationem suggerendo , ostensis tum Judæorum tum Gentium privilegiis. Quod enim dicit de prærogativis Judæorum, eo confert, ut Gentes venerentur Judæos ; quod dicit de gratia Gentibus concessa, et a prophetis prædicta , eo facit ut Judæi minime contemnant Gentiles.

Dico, Christum Jesum ministrum fuisse circumcisionis : id est, quod modo enuntiavi, id aliis verbis sic dico : Christus datus est proprie *circumcisioni*, seu Judæis. Inter eos natus est, et pro iis in propria persona laboravit ac ministerium suum exercuit, ita ut eorum saluti velut serviret : *Minister circumcisionis*,

Apostolus eorum atque Evangelista ; et quidem *propter veritatem Dei*, nempe ut Dei fides ac fidelitas servaretur ; *ad confirmandas promissiones patrum*, id est ; ad promissiones implendas a Deo patribus eorum factas, Abrahæ, Dovidi ac cæteris. Impletione enim promissio *confirmatur*, seu stabiliter sustinetur ne cadat irrita.

Gentes autem (dico) *super misericordia honorare Deum* : id est, Gentes vero, quibus nulla directe facta promissio est, dico debere Deum glorificare et laudibus celebrare pro misericordia sibi præstita, et per prophetas olim annuntiata : *Sicut scriptum est :*

Propterea confitebor tibi in gentibus, Domine, et nomini tuo cantabo. 10. *Et iterum dicit : Lætamini, gentes, cum plebe ejus.* 11. *Et iterum : Laudate, omnes gentes, Dominum ; et magnificate eum, omnes populi.* 12. *Et rursus Isaias ait : Erit radix Jesse, et qui exsurget regere gentes, in eum gentes sperabunt.*

Citat Apostolus quatuor Scripturæ loca, quæ, sive sensu typico, sive litterali, promissionem de adoptione Gentium continent. — Agglomerat autem testimonia, tum ut Judæis vocationem Gentium magis persuadeat, tum ut ipsi Gentiles hoc beneficium magis ponderent, Deoque gratias agant.

Propterea confitebor tibi in gentibus, Domine, et nomini tuo cantabo (Ps. XVII) : id est, propter gratiam Gentibus concessam, o Domine, aperte laudabo te inter Gentes, celebrabo nomen tuum, et misericordiæ tuæ beneficia eis concessa. — Id Christus, ore psalmistæ loquens, se facturum dicit inter Gentes : prout per totam Gentium Ecclesiam revera id nunc facit ore fidelium suorum.

Lætamini, gentes, cum plebe ejus (Deut. XXXII, 43). His verbis invitantur Gentes ad Deum laudandum una cum populo Israel. *Gentes cum plebe ejus*, id est, Gentiles et Judæi, utrique ad Christum conversi, in Christo coadunati, unamque Ecclesiam constituentes. — Citat Apostolus locum hunc juxta LXX interpretes ; in Vulgata enim legitur : *Laudate gentes populum ejus.*

Laudate, omnes gentes, Dominum, et magnificate eum, omnes populi (Ps. CXVI). Hic diserte invitantur prophetæ voce Gentes omnes ac populi, ad laudandum Deum pro misericordia, omnibus stabiliter exhibita et pro impletis fideliter promissis populo Israel (1).

Erit radix Jesse, et qui exsurget regere gentes ; in eum gentes

(1) Cf. tom. 2, *Series tertia*, Psalm. CXVI.

sperabunt (Isai. XI, 10). Hic prædicitur, Christum fore regem Gentium, gentesque in ipsum speraturos, adeoque fide ad Christum convertendos. — *Radix Jesse*, hebraice *germen*, seu soboles Jesse, patris David, designat Christum, ex Davide secundum carnem oriturum. — *Et qui exsurget regere gentes*; seu, ut habet Vulgata : *Qui stat in signum populorum*, nempe idem ipse qui exsurget, et stabit instar signi in altum erecti, ad quod undique populi confluant : ipse ideo sic exsurget, ut gentibus imperet, sitque eorum princeps. — *In eum gentes sperabunt*; seu, juxta Vulgatam : *Ipsum gentes deprecabuntur* : ille est, quem Gentes, suæ vocationis gratiam agnoscentes requirent, in quem sperabunt, quemque proinde deprecabuntur.

Nota. Christus ab Isaia vocatur *radix*, id est, filius *Jesse* seu David, secundum humanitatem tantum ; a Joanne vero, simul *radix et genus David* (Apoc. XXII, 16) : id est, simul creator Davidis ejusque filius, spectata nimirum tum divinitate tum humanitate.

13. *Deus autem spei repleat vos omni gaudio et pace in credendo ; ut abundetis in spe, et virtute Spiritus sancti.*

Concludit Apostolus iterum orando pro Romanis, eisque Spiritus sancti dona, præsertim pacem et concordiam apprecando.

Deus, inquit, *spei*... id est, Deus auctor spei vestræ, imo ejusdem principium, medium et finis. Non enim solummodo Deus spem in nobis producit, sed etiam conservat eam, et eam replebit sui fruitione in cœlis.

Repleat vos omni gaudio, id est, pleno et perfecto gaudio, quod inesse convenit hominibus tanta bona sperantibus.

Et pace in credendo, id est, concordia in eadem fide, per quam omnis inter vos exstinguatur dissensio.

Ut abundetis in spe : ut nempe læti et unanimes, magis ac magis spe crescatis : crescente nimirum fomento spei, quod est gaudium, pax et mutua charitas.

Et virtute Spiritus sancti; græce *in virtute*, syriace *in virtute* vel *per virtutem* ; — sensus ergo est : Spes augeatur in vobis per virtutem, i. e. per efficacem operationem Spiritus sancti.

—

Explicatio secunda.

Quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt.

De Scriptura sacra hic loquitur Apostolus, deque fine ejus. Quid est Scriptura sacra? — Quid sacra Scriptura continet? — Quem in finem Deus sacros libros scribendos voluit? — Quomodo sacra Scriptura legenda et audienda? — Quid de aliis libris et lectionibus dicendum est?

1° Scriptura sacra (1) est, -1) verbum Dei scriptum, sicut Traditio sacra est verbum Dei oretenus traditum. Hi enim sunt duo divinæ revelationis fontes, prout Ecclesia catholica docet. -2) Est liber omnium librorum præstantissimus, utpote Deo inspirante conscriptus, et continens verbum Dei, qui ipsa Veritas est et Sapientia. Sicut enim olim locutus est Deus per prophetas; ita etiam per eosdem prophetas, aliosque viros divinitus illuminatos, litteris mandavit ea, quæ humano generi præ oculis manere voluit usque ad finem mundi. Est itaque Scriptura verbum Dei perpetuo constitutum, alloquens et docens generationes singulas, transeuntes per hunc mundum. -3) Est liber multiplex, seu collectio ordinata, continens libros septuaginta duos, scriptos ab auctoribus quadraginta: qui a Moyse usque ad Apostolos Christi, spatio sexdecim sæculorum certis intervallis succedentes, Spiritu sancto movente sacrorum codicum seriem confecerunt. Qui quidem libri, quamvis forma ac stylo diversi, eamdem omnes rem ac sapientiam loquuntur, ita ut unus principalis auctor luculenter appareat esse Spiritus sanctus.

2° Quid sacra Scriptura continet? — Historiam continet et disciplinam moralem: historiam nempe humani generis a principio usque ad finem mundi; et disciplinam moralem, seu veram videndi rationem quæ homini convenit. — 1) Quatenus historia, exponit quomodo homo sit a Deo creatus, quomodo sit redemptus per Dei Filium incarnatum, Dominum nostrum Jesum Christum; demum quomodo per eumdem Jesum Christum sit judicandus. -2) Quatenus institutio moralis, docet veram sapientiam, ostendendo homini finem suum, et viam bonam qua finem hunc feliciter consequatur. Id autem docet, non tantum præceptis ac regulis; sed etiam exemplis, inter quæ exemplum eminet Christi Salvatoris.

3° Quem in finem Deus sacros libros scribendos voluit? — Thesaurum Scripturarum divina misericordia humano generi

(1) Cfr. quæ fusius habentur supra, *Introduct.* pag. 1 seqq.

dare voluit tanquam medium salutis, hunc in finem, ut doctrinam omnium præstantissimam in eo inveniremus, doctrinam æternæ beatitudinis : *Quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt.* Hæc doctrina veræ sapientiæ est, quam ipse Deus, omnis sapientiæ fons, homini proponere dignatus est. *Beatus homo quem tu erudieris, Domine, et de lege tua docueris eum.* Ps. XCIII.

4° Quomodo sacra Scriptura legenda et audienda est ? — Legenda est a sacerdotibus, audienda a fidelibus. Est autem sive legenda, sive audienda, -1) cum reverentia summa, ut verbum Dei ; -2) eo fine quo nobis a Deo data est, nempe ut discamus scientiam salutis, semperque in cognitione et amore Christi, quæ summa sapientia est, progrediamur....

5° Quid de aliis libris et lectionibus dicendum est ? — Præter Scripturam sacram, seu librum Dei, alii multi sunt libri hominum. Hi autem in tres facile classes dividuntur. Alii enim consonant cum Scripturarum veritate ac doctrina, et sunt boni ; — alii materiam fidei ac morum non attingunt, et in se indifferentes sunt ; — alii demum Scripturarum doctrinæ adversantur, et mali sunt. Porro libri mali venenum continent animarum ; et sicut Scripturæ sunt verbum Dei, verbum veritatis ac salutis : ita libri, fidei moribusque contrarii, verbum sunt diaboli, verbum mendacii et ruinæ æternæ....

Deus autem patientiæ et solatii.

Non sine causa Apostolus Deum vocat Deum patientiæ et solatii : hoc enim nomine salutares insinuat veritates. Cur enim dicitur Deus patientiæ ? et cur Deus solatii ?

1° Dicitur *Deus patientiæ*, -1) quia patientiam amat ; et per patientiæ viam nos deducere vult ad salutem. *Oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam* (Luc XXIV, 26.) -2) Quia ab ipso veniunt tribulationes nostræ, quæ materia sunt patientiæ : ab ipso scilicet vel permittente, vel salutariter infligente. *Tanquam aurum in fornace probavit illos* (Sap. III, 6). — 3) Quia ab ipso venit patientiæ virtus, seu nostra in perferendis tribulationibus constantia. *Cum ipso sum in tribulatione* (Ps. XC.). — *Faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere.* I Cor. X, 13.

2° Dicitur *Deus solatii*, quia -1) sicut ab ipso veniunt tribulationes, ita quoque ab ipso consolatio nostra : *Dominus mortificat et vivificat, deducit ad inferos et reducit* (I Reg. II, 6). -2) Quia ideo vult nos salutariter affligi et lugere, ut possit nos perfecte consolari. *Deus totius consolationis... absterget omnem lacrymam ab oculis eorum.* (II Cor. I, 3 ; Apoc. XXI, 4).

Ut unanimes uno ore honorificetis Deum.

En unio charitatis, per quam Christi fideles Deum ac Dominum suum honorare debent ; et sine qua Deum vere colere ac honorare non possunt. Vult enim imprimis divinus magister, *ut omnes* discipuli sui *unum sint*, *ut sint consummati in unum* (Joan XVII, 21, 23). — Hujusmodi autem unio triplex est : unio mentium, unio cordium, unio oris seu linguarum.

1° Unio mentium consistit, 1) in assensu veritatibus fidei, ab Ecclesia propositis ; -2) in consensu cum lege, et in approbatione præcepti cujusvis, ab auctoritate legitima manantis ; -3) in modestiæ spiritu , quo facile aliorum sententiæ cedimus et adhæremus....

2° Unio cordium consistit in fraterna charitate : qua omne odium atque aversionem ab animo excludimus , omne bonum proximo exoptamus, et internam benevolentiam etiam externa ratione agendi demonstramus : præsertim in favendo quoad possumus studiis et operibus ejus....

3° Unio oris ex unione mentis et cordis sponte nascitur ; atque in eo consistit , ut vitentur , -1) verba disputationis ; -2) verba detractionis ; -3) verba aspera et amara ; 4) verba improbationis vel censuræ erga superiores....

Suscipite invicem sicut Christus suscepit vos.

1° Quomodo Christus suscepit nos ? — Summa misericordia et charitate , cum adhuc peccatores essemus , pro nobis natus est, et mortuus, et resurrexit : atque ita suscipere nos dignatus est , -1) in amicos , per remissionem peccatorum ; -2) in fratres , per regenerationem Baptismi ; 3) in socios laborum , per vocationem ad vineam Ecclesiæ terrestris ; -4) in cohæredes gloriæ cœlestis , per ressurrectionem ex mortuis.

2° Quomodo nos debemus suscipere invicem ? — Debemus juxta exemplum Christi, alteri alteros suscipere -1) in amicos , condonando injurias omnes, nosque invicem sufferendo ; -2) in fratres, nos invicem juvando et consolando....

Propter veritatem Dei ad confirmandas promissiones patrum.

1° Quænam sunt promissiones Dei hominibus factæ ? -1) Promisit olim Deus humano generi, per peccatum perdito, Redemptorem, eumdemque Ecclesiæ Fundatorem... -2) Ipse Christus Redemptor promisit omnibus hominibus remissionem peccatorum, gratiam bene vivendi in hoc sæculo, et æterna præmia in futuro. -3) Christus Fundator Ecclesiæ , huic suo ædificio

promisit perpetuam stabilitatem ac Spiritus sancti præsentiam : *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam , et portæ inferi non prævalebunt adversus eam* (Matth. XVI, 18). — *Ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum.* Joan. XIV, 16.

2° Quomodo Deus promissiones suas implet ? Fidelissime. Promissiones divinas partim jam impletas videmus , partim certissime implendas exspectamus : præterita enim pignus sunt futurorum.

Etenim -1) vidimus jam adventum promissi Redemptoris , Ecclesiæ fundationem, ejusque stabilem per tot sæcula conservationem ; exspectamus autem ejusdem promissam continuationem usque ad finem sæculorum. -2) Vidimus hactenus, Christum servis suis, nobisque ipsis suppeditasse sacramenta , orationem, aliaque salutis media ; exspectamus autem eadem subsidia in futurum. -3) Vidimus Christum ascendisse in cœlum, imo Sanctos plurimos ex signis et miraculis eorum veluti oculis videmus Christi gloriæ socios ; exspectamus autem justorum futuram glorificationem : tum privatam , in hora obitus cujusque ; tum publicam et universalem , in die resurrectionis atque judicii.

Gentes autem super misericordia honorare Deum.

Quanta est Dei erga nos misericordia ? et quomodo Deum propterea honorare debemus ?

1° Misericordiam ineffabilem exhibuit nobis Deus , 1) per Redemptionis mysterium : *Commendat charitatem suam Deus in nobis , quoniam quum adhuc peccatores essemus , secundum tempus , Christus pro nobis mortuus est* (Rom. V, 8). — 2) Per vocationem nostram ad fidem , et regenerationis baptismalis gratiam, qua nos adoptavit in filios Dei. -3) Per revocationem e peccatis, qua tanquam prodigos filios aberrantes, sæpe revocavit ad meliorem frugem. -4) Per auxilia , quibus adjuvat nos ad operandum bonum , et promerendam vitam æternam. -5) Per præmia , quæ perseverantibus nobis dabit in cœlum. *Misericordias Domini in æternum cantabo.* Ps. LXXXVIII.

2° Pro tot ac tantis beneficiis Deum laudare debemus , nunc et in æternum : -1) agnoscendo omnia nos divinæ misericordiæ debere : non tantum bona quæ vel possidemus, vel agimus ; sed ipsam liberationem a morte æterna : *Misericordiæ Domini quia non sumus consumpti : quia non defecerunt miserationis ejus* (Thren. III , 22). — 2) Gratias perpetuas agendo divinæ bonitati pro donis perpetuis. -3) Fiduciam maximam in divina misericordia constituendo , de omnibus , sive nostris , sive aliorum peccatis. -4) Misericordias Dei aliis communicando :

conferendo ad propagationem fidei ; vel aliis operibus zeli faciendo, ut peccatores convertantur et divinæ misericordiæ participes fiant. -5) Misericordiam similiter exercendo erga proximum. *Omne debitum demisi tibi quoniam rogasti me : nonne ergo oportuit et te misereri conservi tui, sicut et ego tui misertus sum ?* Matth. XVIII, 32.

Erit radix Jesse, et qui exsurget regere gentes ; in eum gentes sperabunt.

Quomodo Christus surrexit regere Gentes? et quomodo Gentes in ipsam sperant, atque sperare debent ?

1° Christus Rex Gentium, hominumque omnium existit, quia Filius Dei, mundique Salvator. Regnum autem constituit per fidem seu religionem suam, et Ecclesiam. -1) Etenim per fidem regit animas, intelligentias et voluntates, velut imperio interno. -2) Per Ecclesiam regit populos etiam externe : nempe per vicarios suos, Romanum Pontificem, Episcopos, omnesque ministros hierarchice constitutos ; imo per superiores quoslibet legitime deputatos : *Qui vos audit, me audit* (Luc. X, 16). — 3) Regit autem Gentes omnes, omnesque et singulos homines : alios volentes, alios invitos... alios sceptro misericordiæ, alios sceptro justitiæ, prout ipsi elegerint...

2° Sperant autem homines in Christum, -1) eum credendo Salvatorem, a quo solo salus ac vita æterna est accipienda. *Non est in alio aliquo salus. Nec enim aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri* (Act. IV, 12). -2) Christum colendo ac deprecando in omni necessitate, sive ad arcenda mala, sive ad impetranda bona. -3) Omnia propter Christum et propter bona quæ promittit, sacrificando. Quod sacrificium quidem gradus admittit ; ab omnibus tamen aliquatenus requiritur, secundum illud : *Omnis ex vobis qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus* (1). Luc. XIV, 33.

Deus autem spei repleat vos omni gaudio et pace in credendo.

1° Quodnam est gaudium in credendo ? — Est illud gaudium quod fides parit in corde, quodque eo majus est, quo fides vividior et efficacior. Consistit autem, -1) in tranquillitate conscientiæ ; -2) in oratione et commercio cum Deo ; -3) in spe futuræ mercedis ; -4) in laborando et patiendo pro Deo et Christo ; -5) in consolatione quandoque sensibili, qua benignissimus Dominus ipsas tribulationes temperat servorum suorum :

(1) Cf. *Evangelia de communi Sanctorum*, Comm. unius Mart. Evangelium primum.

Superabundo gaudio in omni tribulatione nostra. II Cor. VII, 4.

2° Quænam est pax in credendo? — Est pax Christi Domini, quam discipulis suis reliquit, quæque ex fide velut sponte exoritur. -1) Pax cum Deo, quæ consistit in statu gratiæ, et fuga peccati. -2) Pax cum semetipso, consistens in bona conscientia, et passionum edomatione; nec non in exclusione dubiorum, timoris ac perturbationis. -3) Pax cum proximo, consistens in fraterna charitate. -4) Pax in credendo est etiam quæcumque spiritualis felicitas, ex fide promanans, sive in hac vita, sive in futura....

—

DOMINICA IN QUINQUAGESIMA.

Lectio Epistolæ primæ ad Corinthios : *Si linguis hominum.* I Cor. XIII, 1-13.

1. Si linguis hominum loquar et angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens. — 2. Et si habuero prophetiam, et noverim mysteria omnia et omnem scientiam ; et si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum. — 3. Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, et si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. — 4. Charitas patiens est, benigna est : charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, — 5. non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, — 6. non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati ; — 7. omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. — 8. Charitas nunquam excidit : sive prophetiæ evacuabuntur, sive linguæ cessabunt, sive scientia destruetur. — 9. Ex parte enim cognoscimus, et ex parte prophetamus. — 10. Quum autem venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est. — 11. Quum essem parvulus, loquebar ut parvulus, sapiebam ut parvulus, cogitabam ut parvulus. Quando autem factus sum vir, evacuavi quæ erant parvuli. — 12. Videmus nunc per speculum in ænigmate : tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte : tunc autem cognoscam sicut et cognitus sum. — 13. Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc : major autem horum est charitas.

Explicatio prima.

De divina virtute charitatis agit Apostolus. — Postquam enim in superiore capite varia charismata, seu Spiritus sancti dona enumeravit ; in capite hoc Corinthios monet, ne iisdem utantur vel glorientur, cum detrimento debitæ erga se invicem charitatis. De amore itaque proximi et charitate fraterna hic directe ac præcipue sermo est. Cum autem amor proximi fundetur in amore Dei, propter quem proximum diligimus, et ab eo nequeat separari ; indirecte etiam respicit Apostolus charitatem erga Deum : imo devenit ad spectandam charitatem adæquate et simpliciter, dicens in fine : *Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc : major autem horum est charitas.*

Porro charitatam commendat, tum ex ejus necessitate, tum ex ejus proprietatibus atque effectibus, tum demum, ex eo quod nunquam deficiet.

I. *De charitatis necessitate.*
II. *De ejusdem proprietatibus.*
III. *De ejusdem indefectibilitate.*

—

1. *Si linguis hominum loquar et angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum sicut æs sonans aut cymbalum tinniens.*

In fine superioris capitis dixit : *Et adhuc excellentiorem, viam vobis demonstro* : intelligens charitatem, rem sanctiorem charismatibus optimis. Hanc viam charitatis, seu potius ejus præstantiam describere incipit ex ejusdem necessitate. Est enim, inquit, charitas tam necessaria, ut sine ipsa, reliqua dona nihil omnino prosint : nec donum linguarum, prophetiæ aut scientiæ ; nec virtus fidei in gradu summo ; nec sacrificium omnium bonorum temporalium, imo nec sacrificium ipsius vitæ, si desit charitas, quidquam juvant.

Enumerationem hanc explicativam instituit, loquens in prima persona velut de se ipso, ut sic suavius doctrinam insinuet. — Incipit autem a dono linguarum, quia istud Corinthiis præ cæteris charismatibus in pretio erat. *Si linguis hominum*, inquit, *loquar et angelorum* : id est, si donum linguarum possideam in gradu perfectissimo, ita ut, non tantum omnium gentium, verum, si fieri possit, etiam angelorum idiomata calleam ; atque non tantum humana, sed et angelica peritia loquar.... Scilicet, quod nominat *linguas angelorum*,

non intelligit angelis esse idiomata instar hominum ; sed hyperbola utitur seu exaggeratione, ut donum linguarum, significet, tum extensive tum intensive perfectum.

Charitatem autem non habeam : id est, si dono linguarum utens non movear charitate, ut proximorum salutem Deique gloriam procurem ; sed meam laudem, aliudve commodum proprium quæram : tunc utique apud homines gratiosus esse possum ; oculis autem Dei.

Factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens : id est, velut ænea tuba, sonos quidem spargens, sed anima spirituque carens. — Qua similitudine significat, 1° doctorem absque charitatis spiritu, agere quidem posse externe et placere hominibus ; sed intrinsecus esse sine merito apud Deum, sibique inutilem instar inanimis metalli ; — 2° ejus verba, spiritu et velut sensu carentia, instar soni musici, esse quoque inutilia audientibus, nisi Deus peculiariter suppleat.

2. *Et si habuero prophetiam, et noverim mysteria omnia ; et omnem scientiam : et si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum.*

Crescit Apostoli oratio : non tantum donum linguarum, sed quod majus est, donum prophetiæ, imo donum fidei miraculorum operatricis, absque charitate nihil prodesse dicit.

Si habuero, inquit, *prophetiam* : id est, prophetiæ donum, et quidem perfectissimum, ac tale ut *noverim mysteria omnia, et omnem scientiam.* — Cognitio mysteriorum Dei, et *scientia omnis*, est plenitudo scientiæ, quæ humanæ menti communicari possit. Cognitio et scientia hujusmodi intelliguntur, vel ut partes doni prophetiæ ; vel melius, ut dona, a prophetiæ charismate distincta : distinguuntur enim infra, versu 8, *prophetiæ, linguæ, scientia.*

Et si habuero omnem fidem... id est, fidem maxime intensam ac vividam, circa ea quæ credenda et promissa sunt, ita ut per eam maxima miracula efficiam : *Ita ut montes transferam...* Alludit Apostolus ad verba Christi Domini, Matth. XVII, 19 : *Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic : Transi hinc illuc ; et transibit ; et nihil impossibile erit vobis.* — Ut patet, hic etiam designatur donum miraculorum.

Charitatem autem non habuero : id est, si tamen in usu horum donorum non movear charitate, qua Dei gloriam quæram et salutem proximorum : *nihil sum*, nullius apud Deum pretii, nulliusque ad vitam æternam meriti. Dona quidem illa magna sunt, sed ego nihil iisdem auctus, *nihil sum.*

3. *Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, et si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.*

Eleemosynæ, inquit, largissimæ, ipsumque martyrium crudelissimum, sine charitate nihil prodest.

Docet Apostolus, non solum charismata, seu gratias *gratis datas*, quæ proprie virtutes non sunt, quibus homo efficitur bonus ac gratus Deo; sed et opera virtutum, etiam maxime præclara et ardua, nihil homini ad salutem prodesse, si desit charitas : quæ præstet, ut non laus hominum quæratur, sed Dei gloria et salus proximorum.

Si... charitatem non habuero : intellige, si nihil de charitate habuero, ne illud saltem quo purificetur intentio. — Scilicet, ut actus sit salutaris atque animæ proficuus requirit Apostolus aliquem influxum charitatis : illum saltem, qui excludat motivum pravum, dirigatque intentionem ad Deum et ad proximos propter Deum; sicut alibi dicit : *Omnia in gloriam Dei facite.* I Cor. X, 31.

Estius, in hunc loc., errorem confutat eorum, qui ex Apostoli verbis, *nihil sum... nihil mihi prodest*, concludere volunt, omnia peccatorum opera, ante justificationem, seu ante acceptam gratiam habitualem, nihil eis prodesse. Nomine charitatis, inquit, hic non intelligitur charitatis habitus, seu habitualis gratia; sed actualis dispositio bonæ voluntatis atque amoris erga Deum et proximum, qua excluditur e nostris actionibus quodcumque motivum virtuti charitatis oppositum. Hæc autem dispositio producitur a Spiritu sancto in cordibus peccatorum ut ad justitiam præparentur; estque illa dilectio inchoativa, illud velut præambulum charitatis, quo, ut Tridentinum dicit, *Deum, tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt.* Sess. VI, cap. VI.

4. *Charitas patiens est, benigna est; charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur,* — 5. *Non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum,* 6. *non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati;* 7. *omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.*

Secunda pars. *charitatis proprietates.* — Apostolus velut imaginem delineat charitatis, ex qua unusquisque facile agnoscere poterit, utrum charitatem habeat; simulque tam amabilis virtutis desiderio magis magisque inflammabitur. — Porro charitatem depingit enumerando varias ejus dotes et effectus; ita ut ad Corinthiorum spirituales infirmitates sanandas, indirecte saltem respexisse videatur.

Charitas, inquit, *patiens est* : nempe constans et longanimis in tolerandis malis ;— *benigna est* : scilicet, benevola et benefica.— Talis autem esse intelligitur charitas, non formaliter, sed causaliter : quia parit patientiam et benignitatem. Etenim patientia et benignitas non sunt actus *eliciti*, sed *imperati* a charitate. — De cætero, etsi præcipue patientiæ et benignitatis principium est ; alias tamen virtutes etiam imperative producit charitas. Regina enim virtutum cum sit, earum omnium actus imperat, dirigit et perficit.

Charitas non æmulatur, græce, *non zelat*, hoc est, non invidet : nempe aliorun donis aut præstantiæ. — Effectus iste negativus, sicut sequentes septem, totidem vitia indicant charitati contraria, quæque per charitatem , tanquam per remedium quoddam divinum facile sanantur.

Non agit perperam : id est, non perverse nec malitiose, nec temerarie aut imprudenter ; ita ut alios quocumque modo, injuria, tristitia aut molestia afficiat.

Non inflatur, nempe superbia, ob dona sua : non sese superbe super alios extollit, aut alios infra se despicit ; ut solent homines magnis donis præditi, si charitate careant.

5. *Non est ambitiosa* (οὐκ ἀσχημονεῖ, *non indecore agit*) : i. e. non est fastidiosa, quia nihil nullumque decus ambit ; nec sibi pudori reputat humilia obsequia proximo præstare, aliisve sese submittere : quomodo Christus Dominus ad pedes discipulorum lavandos se demisit, et crucis ignominiam sustinuit.

Non quærit quæ sua sunt, nempe propria commoda, utilitatem ac honorem proprium. Ad hæc enim impellit vitiosa cupiditas ; ad ea vero quæ Dei sunt et proximi movet charitas.

Non irritatur, hoc est, non facile concitatur ad iram ; et læsa vindictam non appetit ; sed condonat offensas, estque mansuetissima. — E contra, ad iram promptissimus est amor proprius.

Non cogitat malum : intellige, neque de proximo ; neque contra proximum. Scilicet, 1° non suspicatur facile de quopiam malum, sed omnia in bonam partem interpretatur. — 2° Si ab aliis lacessitur, non meditatur vindictam ; sed dissimulat , excusat, ignoscit, obliviscitur.

6. *Non gaudet super iniquitate* : id est, non gaudet de quacumque re mala : sive de peccato proximi, sive de malo quod ei acciderit.

Congaudet autem veritati, nempe de re quacumqua bona. *Veritas* enim hic est æquitas, probitas, justitia. Charitas scilicet, ut S. Anselmus dicit, cum videt proximos juste ac recte vivere ac proficere in bono, non invidet ; sed quasi de proprio bono gaudet et hilarescit. — Ad ipsam locutionem quod attinet, videtur *veritas* per prosopopœiam exhiberi ut persona,

quæ gaudet eo quod præcepta sua religiosa et moralia serventur ; eadem autem de re cum veritate gaudet charitas : *congaudet veritati.*

7. *Omnia suffert*, nempe omne onus, sive laborum aut incommodorum, sive defectuum proximi.

Omnia credit : nempe facile credit ea omnia, quæ prudenter credi possunt aut debent. Talia sunt, 1° quæcumque divinitus traduntur credenda ; 2° quæcumque etiam bona ab hominibus dicuntur, præsertim de proximo. Facile scilicet aliis assentitur, ubi sine peccato assentiri potest : non repugnat, non contendit aut contradicit, non est suspicax.

Omnia sperat : puta, 1° respectu Dei, omnia sperat quæcumque Deus promisit et speranda proponit ; 2° respectu hominum, sperat omnia bona de proximo, conversionem, perseverantiam, resipiscentiam : de nullo desperans...

Omnia sustinet : id est, constanter suffert, 1° moras et dilationes, præsertim in exspectando divina promissa et auxilia ; 2° tribulationes quasvis, persecutiones et adversa.

8. *Charitas nunquam exciditæ . sive propheti evacuabuntur, sive linguæ cessabunt, sive scientia destruetur.*

Tertia pars : *Charitatis permanentia*, seu perpetua duratio. — Omnia, inquit, charismata cessabunt ; charitas autem nunquam deficiet, sed in æternum manebit. Exempli causa tria recenset charismata, prophetiæ scilicet, linguarum et scientiæ, quæ temporalia sunt et finem accipient cum præsenti vita : quia in patria nullus jam eorum usus erit.

Charitas nunquam excidit, scilicet per se ; solummodo per peccatum mortale quasi violenter ejicitur. Talis enim est charitas, ut si quis, vitando peccatum, eam retineat usque ad hujus vitæ exitum, permansura cum eo sit in vita futura. — Non sic de aliis donis.

Sive prophetiæ evacuabuntur : græce, *otiosæ reddentur.* Scilicet in patria, ubi omnes clare videbunt Deum, nec futurorum prædictione, nec obscurorum explicatione indigebunt.

Sive linguæ cessabunt. Abolendum quoque in patria donum linguarum, ut inutile, quia nullus ibi erudiendus. — Non dicit cessaturam linguam, sed linguas, nempe varias et peregrinas. Post resurrectionem enim nequaquam, ut videtur, cessabit usus linguæ corporeæ, id est, locutio sensibilis ; genera autem linguarum non erunt : sed omnes ; tanquam ejusdem patriæ cives, ejusdemque familiæ fratres, eadem lingua utentur, eademque voce Deum laudabunt.

Sive scientia destruetur. — De scientia rerum divinarum sermo est, quæ obscuris fidei principiis innititur, et qualis est

præsentis vitæ propria ; intelligitur autem, 1° donum scientiæ infusæ ; 2° scientia theologica acquisita ; 3° ipsa fides. — Jam vero scientia hujusmodi omnis cessabit in cœlo, quia obscuritas quælibet adveniente claritate intuitionis dissipabitur.

9. *Ex parte enim cognoscimus, et ex parte prophetamus.* — 10. *Cum autem venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est.*

Rationem reddit futuræ quam asseruit cessationis prophetiæ et scientiæ : quia ista dona sunt in præsenti sæculo imperfecta ; res autem imperfectæ, qua tales esse desinunt superveniente perfectione. Sunt velut claritas lunæ, quæ orientis solis claritate absorbetur ; aut sicut pueritia , quæ crescente ætate evanescit. — De cessatione linguarum non loquitur, quia res ultro satis liquet.

Ex parte cognoscimus, et ex parte prophetamus : id est, imperfecte sive per scientiam sive per prophetiam cognoscimus : 1° quia cognitio nostra exigua est et ad pauca extenditur ; 2° quia obscura est, in fide fundata, et ænigmatibus obvoluta.

10. *Cum autem venerit quod perfectum est*... id est, cum venerit lumen gloriæ, et per illud clara divinæ essentiæ visio , evanescet omnis scientia imperfecta : *evacuabitur*. Omnes tunc perfecte et clare cognoscent veritatem. — Hoc idem probat et illustrat similitudine duplici.

11. *Cum essem parvulus, loquebar ut parvulus, sapiebam ut parvulus, cogitabam ut parvulus. Quando autem factus sum vir, evacuavi quæ erant parvuli.*

Comparationem ducit ex differentia inter loquelam ac judicium parvuli, et loquelam ac judicium viri. Cujus comparationis applicatio, quæ lectoribus relinquitur, hæc est : cognitio nostra, imo totus noster status in hac vita, differt a cognitione ac statu Beatorum in patria, sicut infantia a statu virili.

Cum essem parvulus, seu infans, *loquebar ut parvulus*, scilicet balbutiendo ; — *sapiebam*, id est , sentiebam, judicabam *ut parvulus* , nempe imprudenter ; — *cogitabam ut parvulus* , nempe vana et puerilia.

Quando autem factus sum vir, evacuavi quæ erant parvuli : id est, abolevi, deposui cogitationes, sensus, omnesque imperfectiones pueriles, ut sensus ac sermones viriles assumerem.

Ita nos in hoc sæculo tanquam in pueritia constituti, de Deo divinisque mysteriis loquimur, sentimus, et cogitamus imperfecte, incomplete et obscure : quia solam de iis habemus cognitionem fidei, quæ per se obscura et imperfecta est. *Dum enim sumus in corpore* hoc mortali, *per fidem ambulamus et non per*

speciem (II Cor. V, 7) ; — necdum videmus, sed tantum credimus ; fides autem, etsi summum certitudinis principium et infallibile argumentem, est tamen *argumentum non apparentium* (Hebr, XI, 1). — At vero, in sæculo futuro, omnem istam sentiendi ac loquendi imperfectionem, quæ inhæret notitiæ fidei, prorsus abjiciemus : fide in visionem, et spe in comprehensionem commutata.

12. *Videmus nunc per speculum in ænigmate : tunc autem facie ad faciem.*

Eamdem rem declarat Apostolus altera similitudine, nempe visionis specularis et obscuræ, collatæ cum visione clara et directa.

Videmus nunc, nempe res divinas, *per speculum in ænigmate* : id est, tanquam per speculum et tanquam in ænigmate : videlicet, imperfecte et obscure. Res enim per angustum speculum repræsentatæ, præsertim quale antiquitus adhibebatur, metallicum : pauciores sunt et minus perfecte videntur, quam quæ directe in se ipsis conspiciuntur. — Imperfectionem adhuc auget quod additur, *in ænigmate :* per hoc enim non solum obscuritas significatur, sed etiam cognoscendi difficultas. Nam *ænigma* proprie quæstio est seu propositio, qua sub involucris signorum quæritur aut dicitur aliquid : quæque proinde difficile conjectando solvitur aut explicatur.

Jam vero mysteria fidei hoc fere modo per ænigmata et figuras videmus *nunc*, in statu fidei ; — *tunc autem*, in statu visionis, *facie ad faciem* : id est, absque velamine figurarum, neque in similititudine : sed in se, immediate, clare ac distincte videbimus. Quod idem absque metaphora enuntiat, subjungens :

Nunc cognosco ex parte : tunc autem cognoscam sicut et cognitus sum.

Scilicet, nunc imperfecte, tunc perfectissime divina cognoscam : nempe cognitione quasi divina.

Nunc cognosco ex parte, id est, ut supra jam expositum, cognosco pauca, eaque obscure ; — *tunc autem cognoscam*, non partim, sed veritatem integram, et quidem clare : *sicut et cognitus sum*, nempe a Deo. Porro a Deo cognitus sum dupliciter : cognitione visionis, et cognitione approbationis seu amoris. Prior directe ab Apostolo respicitur ; posterior ejus verbis saltem sensu consequenti continetur.

1° Cognitione visionis Deus cognoscit me totum, et intuetur id quod sum in ipsa re atque essentia mea distinctissime ; similiter ego cognoscam et videbo Deum, ipsam veritatem, in se atque in essentia sua : videboque Deum totum, etsi non

totaliter, cognitione simili, non æquali, cognitioni ipsius Dei : *Cognoscam sicut et cognitus sum.*

2° Cognitione approbationis sive dilectionis, Deus cognoscit me quatenus justum ac mercede æterna dignum ; quæ cognitio, ut patet, gradus habet, sequiturque proportionem sanctitatis meæ. — Similiter autem ego, et quisque Sanctorum in cœlo, pro gradu nostræ justitiæ ac meriti, magis vel minus visionis beatificæ participes erimus : *Cognoscam sicut et cognitus sum*, id est, sicut dignus oculis Dei.

13. *Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc : major autem horum est charitas.*

Hic quasi pro coronide Apostolus charitatem elevat supra fidem et spem.

Nunc autem... In præsenti, inquit, vita, tria sunt excellentissima, quæ totum thesaurum nostrum constituunt, et ad justificationem necessario requiruntur : *fides*, *spes*, *charitas ;* atque ita quidem requiruntur, ut permanenter nobis inesse debeant : *manent.* — Manere autem debent simul : *tria hæc.* Unum aut alterum ex iis non sufficit ; requiruntur tria conjunctim : et quidem non in aliquibus tantum, ut prophetia aut donum linguarum ; sed absolute, in omnibus et singulis inesse debent.

Major autem horum est charitas : inter hæc divina, seu inter virtutes has theologicas, præstantissima est charitas : utpote quæ sola *nunquam excidit ;* nec tantum *manet nunc*, sed permanebit in patria, ubi fides in visionem, et spes in possessionem commutabuntur, ut *solis instar sola regnet charitas.* Hymn. B. Paul.

—

Explicatio secunda.

Si linguis hominum loquar et angelorum, charitatem autem non habeam...

Charitatis divinæ necessitatem simul et excellentiam docet Apostolus, ut omni diligentia et præ omnibus bonis. thesaurum charitatis in hoc mundo sectemur : *Sectamini charitatem* (I Cor. XIV, I). — Quanta autem est charitatis necessitas? quanta excellentia? et quomodo thesaurum tam necessarium sectari debemus ?

1° Charitas absolute necessaria est homini christiano, sicut anima corpori. Quemadmodum enim homo sine anima nihil habet, nihil potest, imo ne homo quidem est ; ita sine charitate, -1) nihil habet, etiamsi dona præclarissima alterius

generis habere videatur ; -2) nihil potest operari, etiamsi opera grandia videatur efficere ; -3) nihil est coram Deo, etiamsi oculis hominum videatur esse mirabilis....

2° Charitatis excellentia inde patet, quod cum ea homo, -1) possideat magnum thesaurum ; -2) efficiat magna opera ; -3) sitque oculis Dei vere magnus : — quamvis oculis hominum contemptibilis, infirmus, ac inops talentorum videatur.

3° Quomodo thesaurum tam necessarium sectari debemus ? — R. Simpliciter, summe, universaliter.

-1) Debemus sectari charitatem *simpliciter* : id est, quidquid est charitas studiose quærendum nobis et colligendum est, secundum illud : *Particula boni doni non te prætereat* (Eccli. XIV, 14). — Atqui variæ velut charitatis partes sunt : -*a*) charitas habitualis, quæ cum gratia sanctificante, sicut claritas cum sole indivisim conjungitur ; *b*) charitatis actus quilibet, qui vel erga Deum, vel erga proximum exercetur ; -*c*) charitatis imperium, motivum seu intentio, qua bona quælibet actio in Dei gloriam et proximi utilitatem dirigitur, et ab amoris proprii inquinamento præservatur.

-2) Debemus sectari charitatem *summe*, id est, præ omnibus aliis bonis : ita ut divitias, scientiam, facinora etiam maxima, vel minimo charitatis gradui postponamus.

-3) Debemus charitatem sectari *universaliter* : id est, in omnibus actionibus nostris atque consiliis, nihil in eis nisi divinam gloriam et animarum auxilium spectando....

Factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens.

Significat Apostolus hominem, quamvis cæteroquin ornatum, si charitate destituatur, similem esse corpori inanimi, vanum duntaxat sonum edenti. His verbis indirecte naturam indicat charitatis, quæ in vita consistit divinitus nobis indita, et effectus vitales producenti.

1° Charitas vita est, seu principium in se vivum, operativum, vivificum : instar ignis, et instar vitalis principii in corporibus naturæ. — 1) Charitas est principium in se vivum, quod effectus producit ; et nequaquam se habet instar subjecti, quod effectus recipit. Sic principium efficax est ignis, cujus una scintilla virtutem continet maximi incendii ; sic etiam principium efficax est semen, quod vi sua arborem cum omnibus fructibus producit... -2) Charitas est principium operativum, iterum instar seminis, non quidem in horreo repositi, sed in terra seminati : quod indesinenter operatur, omnique operatione eo tendit, ut fructum producat quam plurimum (1) : sic omnino charitas operativa est, ut producat, non ut destruat ; in ædificationem,

(1) Cf. *Compendium perfectionis sacerdotalis*, cap. 7, § I, 3° *Sanctitatis principium.*

non in destructionem. *Charitas ædificat* (I Cor. VIII, 1). — 3) Est principium vivificum, eo tendens, ut omnia eodem charitatis spiritu animet : instar ignis, omnia calefacientis, et si fieri possit, in ignem convertentis.

2° Quidquid charitate destituitur, mortuum est, sterile, imo sæpe mortiferum.

Etenim si charitas desit, homo vel -1) non operatur, atque ita talenta sua et vires velut mortuas relinquit ; vel -2) operatur ad humanam laudem et temporalia commoda comparanda, quæ sterilia sunt vitæ æternæ....

Cujus rei imago insinuatur ab Apostolo perfectissima, per illud *æs sonans*, et *cymbalum tinniens*. Scilicet absque vita charitatis, homo cum suis operibus erit velut metallum, quod -1) utut pretiosum ac splendidum, semper corpus erit inanime. -2) Sonum edere potest, sive vehementem, sive suavem ; sed qui cito evanescat, nullumque verbum exprimat menti, nullam substantiam producat corpori....

Charitas patiens est , benigna est : Charitas non æmulatur...

Apostolus hic delineat imaginem charitatis verissimam et pulcherrimam : ut virtutis tam amabilis dilectione rapiamur ; simulque dignoscamus. utrum et quatenus eidem conformes simus. — Porro charitatem depingit enumerando, non solum actus ejus præcipuos ; sed etiam defectus ei contrarios , qui velut umbræ picturam perficiunt.

1° Actus recensentur septem : *Charitas patiens est, benigna est... congaudet veritati; omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet...* In quibus duo sunt inter alia notatu digna.

-1) *Patientia* primo ponitur loco, tanquam primarius maximeque genuinus charitatis effectus, secundum illud : *Dilexit me, et tradidit semetipsum pro me* (Gal. II, 20). — Et illud Kempensis : *Sine dolore non vivitur in amore.* Imit. I. III, c. 5.

-2) *Patientia* ponitur etiam loco ultimo : sed ita, ut simul potentia et fructus insinuetur charitatis : *Charitas omnia sustinet.* Scilicet non tantum labores, sed etiam defectus proximi, et quælibet certamina. — Imo, charitas *omnia sustinet* et hoc sensu, quod opera quævis ac institutiones beneficas, et quæcumque sustentaculo indigent, sursum tenet, ne cadant aut evertantur. Charitas sustinet omnia : adeoque mundum universum ac ipsum cœlum ; omnia enim hæc servavit et sustinet charitas Dei ac Domini nostri Jesu Christi, qui *dilexit nos et tradidit semetipsum pro nobis.* Eph. V, 2.

2° Defectus charitati contrarii enumerantur hi octo : *Charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambi-*

tiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate. — Hi totidem defectus oriuntur ex amore proprio, seu pravo amore sui, qui unice et diversimode *quærit quæ sua sunt ;* quique contrarius est charitati ; sicut mors aut morbus contrarius est vitæ. Quapropter sicut amor proprius destructivus est charitatis ; ita charitas eo tendit, ut principium mortiferum amoris proprii in nobis feliciter destruat : *Non quærit quæ sua sunt ;* sed ea quæ sunt Dei et proximi.

Hæc est imago charitatis, Apostoli, seu potius Spiritus sancti verbis delineata : de qua jam quæri potest , cuinam conveniat, seu in quo hujusmodi imago resplendeat ? Num in me ?... An in Sanctis ?... An in Christi ?... Utique in Christo , cui soli convenit perfectissime : cum Dominus noster Jesus Christus sit *ipsa charitas* incarnata, de qua plenissimo sensu dici potest, *Charitas patiens est : benigna est... omnia sustinet.*

Charitas nunquam excidit.

Hic indicatur maxima excellentia charitatis : immortalitas. Sola scilicet charitas immortalis est , solaque immortalitatem rebus tribuit.

1° Charitas , et quæcumque charitate aliquomodo informantur seu animantur , immortalitatis sunt participes. De immortalitate agitur beata et cœlesti , quæ habitat in cœlo : cœlum enim velut domus est ac mundus charitatis , ubi nihil nisi charitas invenitur , et ubi quidquid charitas est , propriam obtinet mansionem. — Ergo anima charitate munita , cœlo destinatur... Ergo opera quæcumque peragimus , si charitate fuerint animata , thesaurum continent immortalem... Ergo bona temporalia charitatis operibus impensa, immortalia fiunt.. Ergo membra nostra , sensus ac talenta , ad finem charitatis adhibita, induunt immortalitatem....

2° Quæcumque vero a charitate sunt aliena , et amore proprio infecta , in pulverem cadent. Ergo divitiæ , scientia , tempus nostrum , si charitati non serviant, sed amori proprio , propriæ laudi, proprio corpori... cum corpore putrescent in sepulcro.

Quum essem parvulus... quando autem factus sum vir..

Dupliciter methaphoram *infantiæ* adhibet Scriptura : modo prostatu inperfectionis , et ita Apostolus hoc loco ; modo pro symbolo humilitatis christianæ , et ita Christus Dominus in Evangelio.

Quapropter citatis verbis docemur, præsentem vitam respectu futuræ esse infantiam ; et quidem infantiam necessariam ut ad virilem perfectionem feliciter perveniatur.

1° Vita præsens infantia est : infantia scilicet, tum corpore, tum mente infirma, omnique auxilio indigens. — Quantumvis ergo doctus est homo, coram Deo, patre suo cœlesti, velut rudis parvulus existit ; quantumvis solidus in virtute videatur, infirmus est oculis Dei et auxilio spirituali, cibo sustentationeque omnimoda opus habens. — Omnes homines ergo infantes sunt ex parte rei, et oculis Dei ; at vero oculis suis non omnes tales sunt : quia non omnes parvitatem suam humiliter agoscunt, in qua humili agnitione spiritualis infantia consistit.

2° Atqui hujusmodi *spiritualis infantia* necessaria omnino est. Nemo enim crescit in virum, nisi prius sit parvulus. Quapropter Christus Dominus ejusdem infantiæ necessitatem non semel commendat. *Nisi efficiamini*, inquit, *sicut parvuli*, *non intrabitis in regnum cœlorum* (Matth. XVIII, 3). — *Quisquis non receperit regnum Dei velut parvulus, non intrabit in illud* (1) (Marc. X, 15.) — Et quidem quanto quis perfectius in infantiam hanc mysticam descendit, eo facilius ad ætatis plenitudinem Christi perveniet. *Quicumque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister*. Matth. XX, 26.

Videmus nunc per speculum in ænigmate : tunc autem facie ad faciem.

Duplex est vitæ æternæ status : nimirum status fidei in hoc mundo, et status visionis beatificæ in futuro. Utriusque naturam distinctius exponit Apostolus, dicens : *Videmus nunc per speculum in ænigmate : tunc autem facie ad faciem.*

1° Natura status fidei est, ut ambulemus in lumine quodam subobscuro, et videamus Deum ac res divinas per speculum et in ænigmate.

-1) Ambulamus hic per fidem in lumine, non quidem meridiano, sed velut nocturno : quod sufficit ut viam cognoscamus et a præcipitio caveamus ; non vero ut semper res distincte videamus. Quapropter clara notitia in omnibus non est quærenda ; sed humiliter, quoad licet, attendendum divino sermoni *quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco*, *donec dies illucescat*. II Pet. I, 19.

-2) Videmus *per speculum*, quod multiplex distinguitur. -*a*) Speculum est ipsa fides nostra, qua cognoscimus quæcumque a Deo revelata sunt nobis : tanto clarius, quanto melius fuerit speculi facies a luto peccatorum et terreno pulvere detersa. -*b*) Speculum est sacra Scriptura, qua tanto melius res divinas videmus, quanto studiosius verba sacra meditamur. -*c*) Speculum est ipse Christus Dominus, ejusque vita, tum

(1) Cf. *Evangelia Dominic.* tom. 2, *in festo SS. Angelor. custod.*

mortalis, tum gloriosa, tum eucharistica : *Imago Dei invisibilis... Splendor gloriæ et figura substantiæ Patris* (Coloss I, 15 ; Hebr. I, 3). — *d*) Speculum est B. V. Maria, quæ merito *speculum justitiæ* vocatur, et *speculum sine macula* (Sap. VII, 26). — *e*) Speculum est ipsa Ecclesia, cum hierarchia sua, cum Sanctis suis, cum sacramentis, omnique ornatu cultus sui : vivam rerum invisibilium, præsertim vero cœli imaginem exhibens. -*f*) Speculum est ipsa natura ac mundus visibilis, qui mundi invisibilis figuram continet oculis eorum, qui puro intuitu Dei creaturas aspiciunt. *Cœli enarrant gloriam Dei, et opera manuum ejus annuntiat firmamentum* (Ps. XVIII). — *Si rectum cor tuum esset, tunc omnis creatura speculum vitæ et liber sanctæ doctrinæ esset.* De imit. lib. II, cap. 4.

-3) Videmus in ænigmate. — Varium quoque ænigma distinguitur : etenim ænigmata sunt, -*a*) figuræ veteris Testamenti ; -*b*) psalmi et prophetiæ ; -*c*) mysteria varia nostræ fidei. Hæc enim talia sunt, ut interpretatione Ecclesiæ et Doctorum indigeant ; et ope hujus interpretationis magis semper et melius, non tamen plene et perfecte intelligi possint.

2° Natura status visionis : *Facie ad faciem.* — Lumine gloriæ scilicet illustrati, *Regem in decore suo videbunt oculi nostri* (Isai. XXXIII, 17). Videbimus Regem summum, tum in sui imagine multiplici, tum in se ipso immediate.

Etenim videbimus, -1) Angelos et novem choros Angelorum ; -2) Sanctos omnes, tum antiqui, tum novi Testamenti ; -3) Beatissimam Virginem Mariam, Matrem Christi Domini, cœlorum Reginam : quæ totidem sunt Dei imagines vivæ ac perfectissimæ. — 4) Videbimus Regem gloriæ, Christum, in sua humanitate gloriosa ; -5) videbimus ipsam ineffabilem Trinitatem, Deum Patrem, Filium, et Spiritum sanctum.... Tunc *similes ei erimus : quoniam videbimus eum sicuti est.* I Joan. III, 2.

Cognoscam sicut et cognitus sum.

Cognitio cœlestis, seu visio beatifica, adeoque gloria et beatitudo æterna suos gradus habet, qui sequuntur gradus charitatis nostræ, seu nostræ cognoscibilitatis oculis Dei : cognoscemus enim Deum visione beatifica, quatenus cognoscemur a Deo cognitione approbativa (1) ; et hac quidem solummodo cognoscemur quatenus instructi charitate : *Cognoscam sicut et cognitus sum.*

De cognitione scilicet approbationis et æstimationis ex parte Dei hic loquimur ; jam vero cognitione hujusmodi quid Deus cognoscit, quid autem ignorat ?

1° Cognitione approbationis et æstimationis, tanquam rem

(1) Cognitio *approbativa* hic respicitur, salvo sensu litterali Apostoli qui est de cognitione *visionis*.

sibi gratam et æstimatione divina dignam, cognoscit Deus solam charitatem, et quidquid ad charitatem conducit aut pertinet. Ratio est, quia Deus non cognoscit hoc modo in nobis nisi quod oculis ejus tanquam bonum cognoscibile est et aspectu dignum : nempe imaginem sui, charitatem. Ex charitate ergo pendebit claritas electorum : *Alia claritas solis, alia claritas lunæ, et alia claritas stellarum. Stella enim a stella differt in claritate.* I Cor. XV, 41.

Charitatem itaque Dei oculus velut aurum splendidum videt, ubicumque fulgeat, etiam in homine humillimo, et in ejus opere cæteroquin obscuro.... Ergo calix aquæ pauperi porrectus, defectus proximi patienter toleratus, et alia similia quæ homines latent, Deus videt, cognoscit, inscribit libro vitæ....

2° Deus non cognoscit æstimative et ad glorificandum quidquid est a charitate alienum, quantumvis oculis hominum pretiosum videatur. Ideo virginibus, lampades quidem splendentes afferentibus sed oleo charitatis destitutis, ait : *Amen dico vobis : Nescio vos* (Matth. XXV, 12). — Ideo et alibi legimus : *Multi dicent mihi in illa die : Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, et in nomine tuo dæmonia ejecimus, et in nomine tuo virtutes multas fecimus ? Et tunc confitebor illis : Quia nunquam novi vos : discedite a me, qui operamini iniquitatem* (Matth. VII, 23). — *Quoniam novit Dominus viam justorum : et iter impiorum peribit.* Ps. I.

Fides, spes, charitas, tria hæc.

En totus christiani hominis thesaurus in hac vita : *Fides, spes, charitas, tria hæc.* Scilicet hæc tria, eaque sola, necessaria nobis sunt et pretiosissima ; tria hæc proinde omni studio quærenda, custodienda et augenda sunt, sicut divitiæ comparari et augeri solent. — Quanam autem ratione tria hæc thesaurum nostrum atque omnia nobis continent ?

1° Quia constituunt spiritualem hominem totum, seu hominem novum in nobis efficiunt : dissipando errores mentis nostræ, et pravos cordis affectus ad rectitudinem reducendo.

Etenim -1) fides hominem spiritualiter illuminando, velut novo intellectu donat. -2) Spes eum spiritualiter roborat in hujus vitæ laboribus : tum intuitu futurorum bonorum, tum, vi orationis ; et cor ejus a terrenis affectibus solvit. -3) Charitas, velut opus spei perficiens, cor hominis Deo conjungit ; simulque spiritualiter virtutibus omnigenis fecundat, ut Deo ac Domino suo perfecte famuletur.

Hoc veluti triplici radio divini vultus, homo spiritualiter conformis efficitur Christo : tum cogitationibus mentis, tum cordis desideriis et affectibus, tum etiam omnibus moribus ac

operibus externis. *Quos præscivit, et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui.* Rom. VIII, 29.

2° Quia tria hæc totum ædificant spirituale templum Dei in animabus nostris. *Nescitis quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis?* (I Cor. II, 16). — *In quo summo angulari lapide Christo Jesu omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino* (Eph. II, 21). — Jam vero domus Dei, ut Augustinus inquit, credendo fundatur, sperando erigitur, amando consummatur..

Major autem horum est charitas.

Inter elementa divina quibus vita spiritualis constat, præeminet charitas :

1° Quia regina est virtutum omnium, non tantum splendore, sed et imperio. Omnibus enim imperat, omnibus motum et exercitium tribuit, suumque vigorem communicat, qui summus est : *Fortis* enim *est ut mors dilectio* (Cant. VIII, 6).

2° Quia forma est ac velut anima morum, virtutes reliquas, omniaque opera vivificans, ut sint vere christiana, et vitæ æternæ plene meritoria (1).

3° Quia lux est, virtutes omnes sua claritate exornans ; et aurum ignitum, opera quælibet bona suo contactu aurea efficiens....

4° Quia æterna est : in terris nascens et accrescens ; in cœlos autem hinc migratura, ubi est propria patria charitatis.

5° Quia principium est et generatrix bonorum omnium. Charitati enim conveniunt verba Sapientis, ubi dicit : *Invocavi, et venit in me spiritus sapientiæ: et præposui illam regnis et sedibus, et divitias nihil esse duxi in comparatione illius ; nec comparavi illi lapidem pretiosum : quoniam omne aurum, in comparatione illius, arena est exigua, et tanquam lutum æstimabitur argentum in conspectu illius. Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa, et innumerabilis honestas per manus illius.* Sap. VII, 7 seqq.

—

DOMINICA TERTIA ADVENTUS.

Lectio Epistolæ ad Philippenses : *Gaudete in Domino semper.*
Philipp. IV, 4-7.

4. Gaudete in Domino semper ; iterum dico : gaudete. — 5. Modestia vestra nota sit omnibus hominibus : Dominus

(1) Cf. *Elem. theol. dogm.* tract. 9 *de Gratia*, nn. 385, 387 ; tract. 18 de *Virtutibus* n. 285.

prope est. — 6. Nihil solliciti sitis : sed in omni, oratione et obsecratione cum gratiarum actione petitiones vestræ innotescant apud Deum. — 7. Et pax Dei, quæ exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra et intelligentias vestras in Christo Jesu.

—

Explicatio prima.

Propositus Scripturæ locus monitionem continet, qua B. Paulus Apostolus Philippenses horatur ad tria :

I. *Ad spirituale gaudium.*
II. *Ad modestiam.*
III. *Ad orationem et gratiarum actionem.*

—

Gaudete in Domino semper ; iterum dico : gaudete.

Cum Philippenses variis molestiis vexarentur, ut ex superioribus Apostoli verbis patet : *Vobis donatum est pro Christo, non solum ut in eo credatis, sed ut etiam pro illo patiamini* (Phil. I, 29) ; ne adversis rebus pressi, tristitiæ aut pusillanimitati cederent, ad spirituale gaudium illos excitat Apostolus, dicens : *Gaudete in Domino.*

Gaudete in Domino, id est, gaudete propter bona quæ possidetis in Domino, et in sancta ejus fide ; — aliis verbis, gaudete ob vestram vocationem ad fidem, ob beneficia vobis a Christo collata et conferenda : nempe adoptionem baptismalem, gloriam promissam, merita ac præmia ex ipsis tribulationibus pro Christo toleratis oritura.

Propter hæc *gaudete* : id est, quam frequentissime excitate ac renovate in vobis gaudium spirituale, recolentes animo ineffabile beneficium vocationis vestræ, qua vocati estis per fidem in spem vitæ ac gloriæ æternæ.

Gaudete autem *semper*, id est, non tantum in prosperis, sed etiam in adversis ; ita ut nunquam tristitiæ indulgeatis ; sed in sancto gaudio perseveretis, non obstante quocumque gravamine.

Iterum dico : gaudete. — Quasi præ gravamine sopiti Philippenses monitum non sat audivissent, repetit Apostolus, ut penetret usque ad corda ; utque simul instantiam significet, qua gaudium in Domino commendat.

Modestia vestra nota sit omnibus hominibus : Dominus prope est.

Exhortatio ad modestiam : qua simul Paulus complere videtur doctrinam de gaudio, quasi diceret : Gaudete, gaudete in Domino ; et sic gaudete, ut modestia vestra omnibus hominibus manifestetur.

Nomine *modestiæ* significat rectam ac suavem morum compositionem, qua quis cum aliis hominibus omni justitia, mansuetudine ac facilitate conversetur ; qua omnes ædificet et velut bono Christi odore alliciat.

Modestia, inquit, *vestra nota sit omnibus hominibus*, nempe modestia sic a vobis est colenda, ut omnes eam videre possint, et qui vobiscum agunt eam experiantur ; atque per hanc vestram conversationem, bene ubique audiat nomen christianum.

Quam exhortationem tum de gaudio, tum de modestia ut confirmet, motivum addit Apostolus, dicens :

Dominus prope est : scilicet, jam imminet adventus Christi judicis ; Christus judex mox venturus est, ut nostram virtutem coronet, ut compleat nostrum gaudium, utque hostium nos persequentium injurias vindicet et puniat. — Quoniam nihil tantopere juvat ad morum compositionem et ad omnes prorsus virtutes, quam cogitatio imminentis judicii Dei ; hinc tam frequenter Apostolus adventum annuntiat Christi judicis. Annuntiat autem eumdem ut proximum : *Prope est ;* quia tempus quo separamur, sive a judicio particulari, sive ab universali, respectu æternitatis subsecuturæ, est velut punctum brevissimum.

Nihil solliciti sitis ; sed in omni, oratione et obsecratione cum gratiarum actione, petitiones vestræ innotescant apud Deum.

Quoniam modestiæ et gaudio spirituali obstare potest sollicita de rebus temporalibus cura, obstaculum istud removet Apostolus, dicens : Nolite anxii esse de temporalibus miseriis : sed in omni angustia ad Deum per orationem recurrite.

Nihil solliciti sitis, nempe de rebus caducis hujus sæculi. Respicit autem instantem adventum Domini, de quo locutus est, quasi diceret : Appropinquat judicium et æternitas, cum omnia temporalia finientur, et vestra patientia laboresque coronabuntur ; ne ergo vos angat sollicitudo ulla bonorum aut malorum temporalium : 'εν παντὶ τῇ προσευχῇ...

Sed in omni... subaudi, *tempore*, *re et negotio*, de quo sollicitudo vos tenere possit. — Non enim illud *in omni* conjungi potest cum sequenti voce *oratione ;* quippe quæ in græco textu discordat genere.

Oratione et obsecratione, id est, per attentam orationem et instantem obsecrationem, conjunctam *cum gratiarum actione* ac laude Dei; — *petitiones vestræ innotescant apud Deum*: id est, petitiones vestras notas facite et exponite Deo, ut ejus opem in rebus arctis flagitetis.

Et pax Dei quæ exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra et intelligentias vestras in Christo Jesu.

Per modum apprecationis effectum enuntiat commendatæ orationis, quasi dicat: Pax vestra cum Deo, quæ bonum tantum est ut intelligi nequeat, tueatur et servet vestras animas contra omnem adversitatem: ut maneant et perficiantur in Christi fide et gratia.

Pax Dei, ut Chrysostomus inquit, est reconciliatio quam fecit Deus cum hominibus, quando olim eis iratus, jam per Christum factus est placatus. — *Pax Dei* est ergo pax cum Deo, seu status gratiæ, ipsumque inæstimabile donum divinæ gratiæ.

Hæc pax *exsuperare* dicitur *omnem sensum*, id est, omnem intellectum: quia omnem opinionem, exspectationem, et intelligentiam humanam excedit, quod Deus pro inimicis sibi reconciliandis, Filium suum dederit in mortem.

—

Explicatio secunda.

Gaudete in Domino semper; iterum dico: gaudete.

Quodnam gaudium ab Apostolo commendatur? et quomodo hujusmodi gaudio nos animari oportet?

1° Gaudium commendatur ab Apostolo non qualecumque, sed sanctum: *gaudium in Domino.* — Datur enim gaudium malum, quod fugiendum; et gaudium bonum, quod sectandum est.

-1) Gaudium malum distinguitur triplex; -*a*) gaudium iniquitatis, quod in peccatis quæritur; -*b*) gaudium dissipationis, quod in oblectamentis mundanis, etsi non formaliter prohibitis; -*c*) gaudium vanitatis, quod ex prosperitate mere humana percipitur, absque respectu ad Deum ac vitam æternam; *In hoc*, inquit Christus, *nolite gaudere.... gaudete autem quod nomina vestra scripta sunt in cœlis.* Luc. X, 20.

-2) Gaudium bonum, in Domino nostro Jesu Christo fundatum, ab ipso profluit, vel ad ipsum tendit. Est autem, -*a*) gaudium bonæ conscientiæ; -*b*) gaudium fidei, qua possidemus Christum, ejusque sanctissimam Matrem, causam nostræ lætitiæ;

-*c*) gaudium spei : *Spe gaudentes* (Rom. XII, 12) ; -*d*) gaudium charitatis, quod in amando Deo et proximo, et in operibus misericordiæ percipitur.

2° Quomodo hujusmodi gaudio Apostolus nos gaudere jubet ? — Constanter et perpetuo : *Gaudete semper*. Ergo non minus in adversis quam in prosperis.

-1) In prosperis gaudere pronum est ; sed curandum ut tunc gaudeamus in Domino : id est, ut ipsi tanquam auctori omnis boni, successum omnem referamus acceptum, et caveamus a vana gloria, oblivione modestiæ, aliisve Dei offensis.

-2) In adversis gaudendum est, quia — *a*) sunt occasio ac materia meritorum, ac velut semen gloriæ. *Momentaneum et leve tribulationis nostræ, æternum gloriæ pondus operatur in nobis* (II Cor. IV, 17). — *b*) Quia tunc Dominus prope est, ad nos adjuvandos et consolandos : *Cum ipso*, inquit, *sum in tribulatione* (Ps. XC). — *c*) Quia nostræ passiones sunt participatio passionis et calicis Christi. *Itaque communicantes Christi passionibus gaudete* (I Pet. IV, 13). — *d*) Eædem sunt pignus gloriæ : *Si compatimur, ut et conglorificemur*. Rom. VIII, 17.

Modestia vestra nota sit omnibus hominibus.

Quid est modestiæ virtus ? et qua ratione colenda ?

1° Modestia (1) generatim virtus est, qua se quis continet intra modum et limites sibi congruos, quantum ad motus internos et externos. — Hinc distinguitur modestia interna et externa.

-1) Modestia interna in moderamine ac mortificatione passionum consistit : ejusque pars præcipua est humilitas, quæ reprimit vanam gloriam et ambitiosa desideria, facitque ut de nobis modeste sentiamus.

-2) Modestia externa, est virtus moderans exteriores corporis motus, in verbis et actionibus, juxta mensuram rectæ rationis, et secundum evangelicæ honestatis regulam. — His verbis duplex enuntiatur modestiæ regula : recta ratio, seu decorum naturale ; et honestas evangelica, seu decorum christianum. Quæ tamen duo unam duntaxat normam perfectæ modestiæ constituunt : cum ratio non aboleatur Evangelio, sed perficiatur. Hoc sensu quoque intelligi potest quod de lege Mosaica dicebat Christus : *Non veni solvere, sed adimplere* (Matth. V, 17). Hujusmodi modestia hominem externum, secundum exemplum Jesu Christi, componit perfectissime.

2° Colenda est autem modestia studiose et manifeste.

-1) Studiose : quia virtus pretiosa est valde et necessaria, ideoque diligenti studio dignissima. Etenim , ut externam

(1) Cf. *Elementa Theol. dogm.* Tract. 18, n. 439 et seqq.

tantum modestiam spectemus, hæc -a) juvat multum ad recollectionem animi et reliquas virtutes acquirendas; -b) ad custodiendas virtutes jam acquisitas, ne temeraria sensuum libertate periclitentur; -c) ad ædificandum proximum, præsertim in loco sacro...

-2) Colenda est manifeste, et, juxta Apostolum, ita ut *nota sit*, non tantum Deo, sed etiam *hominibus*, et quidem *omnibus*: per actus nempe externos qui ædificent proximum. — Quapropter in omni conversatione cum proximo agendum est -*a*) patienter, ferendo aliorum defectus; -*b*) reverenter, debitum cuique honorem exhibendo; -*c*) graviter, omnem levitatem indecoram, in vultu, incessu, gestu, ac verbis fugiendo; -*d*) benevole: ita ut tota ratio agendi veram spiret amicitiam et charitatem....

Dominus prope est.

Duplici modo Dominus nobis *prope est*: per adventum et per præsentiam. Quod utrumque recordari maxime confert ad servandam modestiam et vitæ sanctitatem.

1° Dominus prope est per adventum. -1) Venturus est in proxima solemnitate Nativitatis, etsi invisibiliter, sicut olim in Bethlehem visibiliter: ut omnibus hominibus bonæ voluntatis pacem tribuat. -2) Venturus est sacramentaliter ad omnes, qui ad sacram Communionem devote se voluerint præparare. -3) Venturus est mox ad unumquemque nostrum, qua hora non putamus, ut revocet nos ex hac transitoria vita, et pro meritis remuneret.... -4) Venturus est in novissimo die, ut universum mundum judicet. Tunc autem veniet *Filius hominis in majestate sua, et omnes angeli cum eo*... (Matth. XXV, 31.) — Ut autem stare possimus ante Filium hominis in adventu justitiæ, nunc sancte recipiamus eum in adventu misericordiæ....

2° Dominus prope est per præsentiam. — Etenim -1) præsens est in medio nostrum; non tantum secundum divinitatem, sed etiam secundum humanitatem, in adorabili Eucharistiæ sacramento: in quo sub speciebus panis et veni, corpus et sanguis Christi, adeoque totus Christus, Deus et Homo, vere, realiter, et substantialiter continetur. -2) Præsens est secundum divinitatem in omni loco, sive profano, sive præsertim sacro. *Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum* (Matth. XVIII, 20). — *Quo ibo a spiritu tuo, aut quo a facie tua fugiam?* (Ps. CXXXVIII.) — Prope est autem Dominus ut protegat servos suos et adjuvet....

3° Etsi Dominus prope est, multis tamen hominibus longe abesse videtur; quia ipsimet longe a Domino versantur. Etenim homo a Deo recedit et longinquus efficitur, -1) per

peccatum ; -2) per neglectum orationis et exercitiorum spiritualium ; -3) per fidei debilitatem ; -4) per dissipationem....

Nihil solliciti sitis.

Quantum reprobat sollicitudinem, hoc loco ut alibi, Spiritus sanctus ; tantum prudentem curam ac diligentiam commendat, quam nomine *vigilantiæ* designare solet.

1° Quænam est salutaris cura adhibenda ? — Adhibenda cura salutis, observationis divinæ legis, ac spiritualis progressus. -1) Hoc enim negotium est primarium in hoc mundo procurandum. -2) Hoc necessarium est, imo unum necessarium, ut Christus Dominus Marthæ dicebat : *Martha, Martha, sollicita es et turbaris erga plurima : porro unum est necessarium* (Luc. X, 41 42). — *Quid enim prodest homini si mundum universum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur ?* Matth. XVI, 26.

2° Quænam sollicitudo vitanda ? — 1) Imprimis vitanda est sollicitudo anxia circa res temporales, et corporis necessitates. Hæc enim secundario tantum studio curanda sunt, simulque fiducialiter a Deo exspectanda : *Quærite primum regnum Dei et justitiam ejus : et hæc omnia adjicientur vobis* (Matth. VI, 33). -2) Vitanda sollicitudo de futuris contingentibus. *Nolite solliciti esse in crastinum ; crastinus enim dies sollicitus erit sibi ipsi. Sufficit diei malitia sua* (Matth. VI, 34). -3) Vitanda sollicitudo anxia de rebus etiam spiritualibus : ut de perseverantia, etc. ; hæc enim fiducialiter quoque a Dei misericordia et fidelitate exspectanda sunt : *Qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Jesu Christi.* Phil. I, 6.

3° Quare sollicitudo hujusmodi abjicienda est ?

-1) Quia inutilis : non enim sollicitudo animi ac perturbatio, ad ullam rem bene gerendam juvat.

-2) Superflua est : quia ipse Deus, citra sollicitudinem ex parte nostra, paterne providet nobis, in ipso confidentibus. *Jacta super Dominum curam tuam, et ipse te enutriet* (Ps. LIV). — *Omnem sollicitudinem vestram*, inquit B. Petrus, *projicientes in eum : quoniam ipsi cura est de vobis.* I Pet. V, 7.

-3) Nociva est : tollit enim animi pacem, impedit in agendo successum, et quod gravius, obstaculum est in re salutis : *Sollicitudo sæculi istius, et fallacia divitiarum suffocat verbum, et sine fructu efficitur.* Matth. XIII, 22.

Sed in omni... petitiones vestræ innotescant apud Deum.

Recursum ad Deum per orationem commendat Apostolus, docetque quandonam ad Dei auxilium sit recurrendum, et quomodo oratio efficax fieri debeat.

1° Quandonam orandum ? — *In omni* : nimirum, -1) in omni necessitate, angustia, imo in omni eventu... -2) In omni tempore, tum diei, tum vitæ nostræ... -3) In omni loco, sive profano, sive sacro... Quod practice fit, si statutas preces Deo persolvimus, et consuetudinem assumimus per frequentes aspirationes Deum invocandi....

2° Quomodo orandum, ut oratio innotescat apud Deum, sitque efficax ? — Tres sunt conditiones afferendæ : -1) fiducia; -2) gratitudo ; -3) instantia et obsecratio per Jesum Christum, Mediatorem nostrum....

Notat hic S. Chrysostomus, de omnibus, etiam de rebus molestis, esse Deo gratias habendas ; cum omnia sint dona Dei, cuncta misericorditer disponentis ad utilitatem nostram, etsi hoc non percipiamus. Quod si preces, inquit, cum hujusmodi gratiarum actionibus fient, agnoscentur a Deo et exaudientur.

Pax Dei... custodiat corda vestra et intelligentias vestas.

1° Quare animæ nostræ custodiendæ sunt ? — 1) Quia thesaurum continent pretiosum, divinam nempe gratiam, fidem, charitatem, castitatem... -2) Quia in hac vita periculis sumus expositi, tum ex parte propriæ fragilitatis, tum ex parte externorum hostium, mundi nempe et diaboli. *Adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit* (I Pet. V, 8). — 3) Quia in virtute proficere et crescere debemus, ac propterea animam nostram ab omni spirituali impedimento custodire....

2° Qua ratione animæ nostræ custodiendæ sunt ? — 1) Per fugam periculorum : *Qui amat periculum in illo peribit* (Eccli. III, 27). — 2) Per sensuum moderationem et mortificationem. -3) Per internam pacem, quæ in bona conscientia et filiali fiducia fundatur. *Pax Dei... custodiat corda vestra.* — *Qui habitat in adjutorio Altissimi, in protectione Dei cœli commorabitur.* Ps. XC.

—

SABBATO SANCTO.

Lectio Epistolæ ad Colossenses : *Si consurrexistis cum Christo.*
Coloss. III, 1-4.

1. Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens ; — 2. Quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. — 3. Mortui enim estis, et vita vestra est abscondita cum Christo in Deo. — 4. Cum Christus apparuerit, vita vestra, tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria.

Explicatio prima.

De resurrectione ac morte mystica fidelium hic loquitur Apostolus, alludens ad ea quæ superiore capite, versu 12 et 13 dixit : *Consepulti ei* (Christo) *in baptismo, in quo et resurrexistis per fidem operationis Dei, qui suscitavit illum a mortuis. Et vos, quum mortui essetis in delictis et præputio carnis vestræ, convivificavit cum illo, donans vobis omnia delicta.* — Quibus verbis cum significaverit Colossensibus, eos per Baptismum spiritualiter mortuos esse, simulque a mortuis cum Christo suscitatos : hinc eis salutaria documenta deducit, ad morum sanctitatem spectantia. Imprimis enim eos hortatur, quandoquidem ad cœlestem vitam sint suscitati, ut cœlestia diligant curentque ; et, quia mundo mortui sunt, ut terrena despiciant.

I. *Quinam sint actus novæ in Christo vitæ.*
II. *Qui sint ejusdem futura præmia.*

1. *(Igitur) si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens;*
2. *Quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram.*

Igitur, ut supra dixi, inquit, *si consurrexistis cum Christo*... id est : Quoniam per Baptismum non solum commortui et consepulti estis Christo, verum etiam una cum eo resurrexistis in novam vitam ; facite ea quæ novæ vitæ, per resurrectionem Christi adumbratæ, conveniunt. Nimirum.

Quæ sursum sunt quærite : cogitationes ac studia vestra convertite ad res supernas, cœlestes ac divinas ; quæ scilicet sunt illic, quo Christus redivivus ascendit :

Ubi Christus est, in dextera Dei sedens : id est, in cœlo, ubi Christus, exemplar vestrum, ad novam vitam resuscitatus manet, assidens Deo Patri, eadem cum ipso majestate plenus, præpositus omnibus tanquam summus Rex ac Judex ; tantaque dignitate omnibus præcellens, ut in eodem throno cum Deo sit, eademque cum eo adoratione colatur. — Sessio enim hæc humanæ Christi naturæ, significat excellentiam ejus, omni creata excellentia superiorem ; nec non summam ac singularem ejus beatitudinem, gloriam et potestatem.

2. *Quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram.* — Eodem fere sensu dicitur *sapite* ac *quærite ;* solummodo verbum *sapite* non tam externa studia, quam internum amorem indicat rerum cœlestium. Itaque sensus est : Diligite, curate cœlestia bona, non terrestria.

3. *Mortui enim estis, et vita vestra est abscondita cum Christo in Deo.*

Postquam statuit hæc duo, amanda esse cœlestia et spernenda terrena ; rationem addit utriusque, quasi diceret : Merito vos adhortor ut non sapiatis terrena, quia terrenis rebus jam mortui estis per Baptismum ; ideoque tanquam mortui in hoc mundo vivere debetis.

Mortui estis : nempe mundo, carni, peccatis, vobismetipsis, vitæque toti et conversationi mundanæ atque carnali. — Porro pro deposita vita veteri, accepistis vitam novam, cujus deinceps actus exercere debetis. Hæc autem vita nova quænam est? *Et vita vestra est abscondita cum Christo in Deo.* — Vita vobis data, quæ est vita gratiæ, in hoc sæculo, eritque vita gloriæ in futuro, — *est abscondita* oculis hominum, una *cum Christo in Deo* : id est, apud Deum, in sinu Dei. Sensus est quasi dicat : Mundus non videt vestram divinam vitam gratiæ, quam habetis jam, nec gloriæ, quam exspectatis ; quemadmodum non videt vitam gloriosam ad quam resurrexit Christus, quaque jam beate fruitur apud Deum *in dextera Dei sedens*, nec amplius oculis hominum spectabilis.

4. *Cum Christus apparuerit, vita vestra, tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria.*

Nunc quidem, inquit, vita vestra est abscondita cum Christo abscondito ; at vero in die judicii, cum eodem Christo gloriose manifestabitur.

Cum Christus apparuerit, id est, quando Christus toti mundo manifestabitur, veniens gloriosus ad judicium, ipse, inquam, qui est *vita vestra.*

Quod dicitur *vita vestra*, id est, vitæ vestræ, tum per gratiam, tum aliquando per gloriam causa : causa efficiens, meritoria, exemplaris et finalis.

Tunc et vos, perfecte regenerati, et etiam quoad corpus resuscitati ; *apparebitis* oculis universi mundi vere viventes, et quidem eadem ac Christus immortalitate donati.

Cum ipso in gloria : gloriosi cum Christo ; ipsi Christo tanquam Fratri vestro primogenito conformes, Deoque Patri vestro similes. *Scimus, quoniam cum apparuerit* (id quod erimus), *similes ei erimus.* I Joan. III, 2.

Hisce documentis Apostolus significat, fideles in suo mortali corpore quasi latentes, vivere debere ab omni gloriæ cupiditate alienos ; cum autem hoc corruptibile dissolutum fuerit, fore ut gloria immortali resplendeant. *Tunc justi fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum.* Matth. XIII, 43.

Explicatio secunda.

Si consurrexistis cum Christo , quæ sursum sunt quærite...

Motiva profert Apostolus ad Colossensium mentes et corda sursum attollenda ; quibus et nos sursum ferri debemus , et efficaciter moveri , ut christiane vivamus et patiamur. Proponit autem motiva duo : acceptam gratiam , et promissam gloriam.

1° Divinæ qua potiuntur gratiæ dignitatem et excellentiam, Christi fidelibus exhibet , ut eos ad vitam statu gratiæ dignam impellat. Gratia enim est vita quædam nova , qua , instar Christi resurgentis , facti sumus velut homines novi , homines cœlestes : quos proinde cœlestis in terra vita decet...

2° Divinæ gloriæ , qua in æternum fruituri sumus , claritatem nobis præostendit : ut illius spe fulti , constantes simus in adversis tolerandis , et in nostri mortificatione exercenda. Sicut enim Christus a mortuis redivivus cœlum conscendit ; ita et nos, a peccatis redivivi, cœlum conscendemus... — Cœlum petimus : ergo terrena cuncta pedibus conculcemus... — Cœlum ut præmium proponitur : ergo labores quosvis et sacrificia libenter acceptemus. *Ut ubi sum ego* , inquit , *et vos sitis* (Joan. XIV, 3) ; nempe in cœlo, *ubi Christus est in dextera Dei sedens*. — Quis hæc cum fide cogitare possit , quin tota anima sursum rapiatur ?

Quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram.

Quænam sunt superna quærenda ? quænam infima spernenda ?

1° Superna quærenda , sunt -1) cœlestia bona , quæ nobis post brevem vitæ hujus peregrinationem promittuntur : nimirum liberatio ab omnibus malis... abundantia omnium bonorum, quibus intellectus noster et cor perfecte satiabitur : *Satiabor cum apparuerit gloria tua* (Ps. XVI). — 2) Quæcumque nos ad illa cœlestia bona juvant in hac vita , nosque sursum ferunt : nempe virtutes, bona opera, oratio , sacramenta , participatio crucis Domini...

2° Infima spernenda , sunt -1) omnia bona peccaminosa , quæ sicut fructus vetitus paradisi terrestris , mortem pariunt et in infernum præcipitant... -2) Omnia bona mere terrena , quæ animam gravant, eamque ascendentem impediunt ac deorsum trahunt : nempe mundanus honor, divitiarum pondus, sensuum oblectamenta...

Mortui enim estis...

De morte mystica hic loquitur Apostolus, quæ requisita conditio est resurrectionis ac mysticæ vitæ. — Quænam autem est mystica mors hominis christiani? Triplex distingui potest: sanctus Baptismus, legis observatio, evangelica abnegatio.

1° Sanctus Baptismus, quo baptizatus moritur peccato et peccati fomentis; sed *in actu primo* duntaxat: nimirum per promissiones seu vota baptismalia. Spondet enim se renuntiare Satanæ, et omnibus operibus ejus, et omnibus pompis ejus: quæ promissio omnimodam continet mortem peccati, a quo Christianus deinceps perpetuo alienus esse debet; ita ut nihil quod peccatum sit aut peccatum spiret, habeat: sicut cadaver nihil habet nec recipit de pristina vita.

2° Legis observatio seu peccati fuga: qua *in actu secundo* et ipso exercitio, homo christianus sese in mystica morte conservat; et velut in aqua sacra Baptismatis perseveranter sepultus manet. *Nos pisciculi*, aiebat Tertullianus (1), *secundum ἰχθὺν nostrum Jesum Christum, in aqua nascimur; nec aliter quam in aqua permanendo salvi sumus.* — Quicumque legem evangelicam observat, non vivit jam secundum mores hujus perversi sæculi; ideoque mundo mortuus existit. — Hinc fit ut a mundanis tanquam mortuus habeatur: at erroneo sensu. Existimant enim mundani, hominem christianum ita esse mortuum vitæ peccaminosæ sæculi, ut non alia, eaque meliore vita fruatur.

3° Tertium genus mysticæ mortis est evangelica abnegatio. Hac enim omni propriæ voluntati atque amori proprio moritur Christi discipulus: per quotidianam nempe et continuam mortificationem. *Quotidie morior* (I Cor. IV, 31). — *Semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes, ut et vita Jesu manifestetur in corporibus nostris* (II Cor. IV, 10). — *Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam.* Matth. XVI, 25.

Et vita vestra est abscondita cum Christo in Deo.

Quænam est illa vita abscondita hominis christiani? Quomodo est abscondita? Et quare abscondita in Deo?

1° Vita hominis in Christo regenerati, est gratia sanctificans, quam in justificatione recipit, — quam per peccatum mortale amittit, — quam per bona opera conservat et auget.

Hæc est vera animæ vita, sicut ipsa anima est vita corporis (2)....

(1) *De Baptismo*, cap. I.

(2) Cf. *Adjumenta oratoris sacri*, argum. 34, *De gratia ejusque canalibus*.

2° Est autem abscondita vita gratiæ, -1) sicut vita seminis naturalis : non enim apparet in obscuro et exiguo semine, illa vita et fecunditas quæ se expandet in arborem ; similiter in homine justo, non apparet illa vita gratiæ, quæ suo tempore efflorescet in gloriam. *Nunc filii Dei sumus, et nondum apparuit quid erimus* (1 Joan. III, 2). — -2) Est abscondita quoque vita gratiæ, quatenus sumitur pro *vita gratiæ consentanea* : id est, pro conversatione hominis christiani : -*a*) quia hæc humilis est, et vanam gloriam fugit ; -*b*) quia recollectionem quærit, solitudinem et silentium. *Ora Patrem tuum in abscondito* (Matth. VI, 6). — Hujusmodi vitæ absconditæ exemplar est vita Christi Domini usque ad annum trigesimum, in domo Nazareth....

3° Dicitur autem vita Christiani abscondita esse in Deo, seu in sinu Dei : -1) quia Deus est hujus vitæ peculiari modo principium. A Deo enim vita gratiæ, non a carne aut sanguine promanat, ideoque deiformis est, sicut luciformis est radius ; a Deo etiam suo tempore manifestabitur. -2) Dicitur *in Deo*, ut insinuetur, vitam nostram esse certissimam, ab omni periculo tutam ; instar thesauri in Dei manu depositam, quam nullus homo auferre potest, et ipse Deus suo tempore fidelissime reddet : *Reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die.* II Tim. IV, 8.

Cum Christus apparuerit, vita vestra...

Quomodo Christus est vita nostra ? et quomodo apparebit?

1° Christus est vita nostra spiritualis et moralis, non formaliter sed causaliter : id est, non identificatur Christus cum vita gratiæ et gloriæ ; sed utraque ab eo tanquam a causa efficiente et meritoria procedit.

-1) Vita nostra *spiritualis*, est illa vita gratiæ et gloriæ, de qua dictum paulo ante. Gratia enim vivificat intellectum nostrum per fidem, voluntatem per spem et charitatem... Gloria vero vivificabit non tantum spiritum nostrum seu animam, sed etiam corpus, in novissimo die....

-2) Vita nostra *moralis*, est recta nostrarum actionum ordinatio secundum legem evangelicam. Quæ quidem vita, non tantum ad Christi fideles singulos, sed ad eorum etiam societatem spectat. Non enim christiani vita duntaxat individua est, sed et socialis....

-3) Christus est vita nostra illa, spiritualis et moralis : ita ut vere in nobis vivat, nosque vivamus per ipsum, et recte dicere possit quilibet christianus homo, totaque christiana societas : *Vivo autem, jam non ego : vivit vero in me Christus.* Gal. II, 20.

-4) Christus est vita nostra, *non formaliter*, sicut ipsa gratia

sanctificans ; *sed causaliter.* Est enim vitæ nostræ, -*a*) causa meritoria ; -*b*) causa efficiens per Spiritum sanctum et per sacramenta ; -*c*) causa exemplaris : nempe exemplar perfectum vitæ nostræ, tum in persona sua, tum in doctrina. *Ego sum via, et veritas, et vita.* Joan. XIV, 6.

2° Apparebit : scilicet qui nunc absconditus est, aliquando manifestus fiet.

-1) Christus nunc respectu nostri vario modo est absconditus : -*a*) in cœlo ; -*b*) in Eucharistiæ sacramento ; -*c*) in Ecclesia, atque in persona superiorum, nec non in persona fratrum nostrorum præsertim pauperum....

-2) Apparebit autem, -*a*) mox, in hora mortis nostræ ; -*b*) præcipue vero in novissimo die, oculis universi mundi : *Videbit eum omnis oculus, et qui eum pupugerunt.* Apoc. I, 7.

Tunc et vos apparebitis.

Quomodo apparebunt justi cum Christo in gloria ?

1° Apparebunt oculis universi mundi, in novissimo die, stantes cum Christo Rege, a dextris ejus ; stantibus impiis ex parte sinistra....

2° Apparebunt autem Christo similes operibus suis, et vita secundum exemplar Christi exacta. Opera porro bona olim abscondita aut contempta, in lucem proferentur....

3° Apparebunt Christo similes immortalitate sua, et corporibus, olim pro Christo afflictis ac mortificatis, nunc autem Christi gloria ornatis. *Justi fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum.* Matth. XIII, 43.

4° Apparebunt vere ac plene viventes, qui nunc quasi mortui sunt, et in hoc corpore mortis latent, ab omni peccato ac vana gloria alieni. *Nondum apparuit quid erimus Scimus quoniam quum apparuerit, similes ei erimus.* I Joan. III, 2.

EPISTOLA BEATI PETRI APOSTOLI PRIMA.

Ut communius tradunt Patres et interpretes, Epistolam hanc Princeps Apostolorum scripsit Roma ; quam urbem, tunc idololatria et vitiis perditam, cum primi Christiani Babylonem appellare solerent, B. Petrus eodem nomine designat, in fine Epistolæ dicens : *Salutat vos Ecclesia quæ est in Babylone coelecta.* Cap. V. 13.

Juxta probabiliorem sententiam, scripta hæc Epistola est circa annum æræ vulgaris 65, quatuor nimirum annis ante Petri martyrium

Data est ad fideles in varias Asiæ provincias dispersos,

quorum plerique erant ex Judæis, alii ex Gentibus ad fidem conversi; quapropter principaliter quidem Judæos alloquitur Petrus, ita tamen ut etiam reliquis suam doctrinam apte accommodet.

Scopus scribentis est, ut fideles, tentationibus et persecutionibus expositos, in fide confirmet, simulque ad mores informet fidei consentaneos.

Hinc argumentum pertractat duplex, unum ad fidem spectans, alterum ad mores; unum dogmaticum, alterum ethicum seu morale: ita ut duæ distinguantur Epistolæ partes, quales passim in omnibus Apostolorum Epistolis occurrunt:

I. *Pars dogmatica.*
II. *Pars moralis.*

Ad partem dogmaticam pertinet: 1° doctrina de Incarnatione Verbi; 2° de Redemptione humani generis; 3° de fidelium adoptione ad hæreditatem ac salutem æternam; 4° de vocatione Judæorum et Gentium ad Ecclesiam Christi; 5° de ipsius Ecclesiæ constitutione; 6° de Baptismo; 7° de Christi passione ac satisfactione pro nobis, de ejus descensu ad inferos, de resurrectione, ascensione, et futuro adventu ad judicandum.

Ad partem moralem spectat exhortatio ad vitam sanctam, ad fugam peccati, ad obedientiam, ad charitatem aliasque virtutes; præcipue vero ad patientiam constantem, in persecutionibus hominum et tentationibus diaboli.

Hujusmodi tamen partes non ita separat Apostolus, ut unam integre tractet post alteram; sed utramque intertexens, a dogmaticis ad moralia, et vicissim a moralibus ad dogmatica sæpius transit: utramque scilicet doctrinam velut in unum corpus compingendo, fere sicut in humano corpore caro cum ossibus conjuncta est. Modo enim dogmata tanquam principia statuit, ex quibus consequuntur præcepta morum; modo moralia præcepta veritatibus dogmaticis, tanquam propriis motivis confirmat. — Quæ quidem Apostoli methodus ipsa textus consideratione luculenter apparebit.

—

CAPUT I.

—

1. Petrus Apostolus Jesu Christi, electis advenis dispersionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Asiæ et Bithyniæ,
2. Secundum præscientiam Dei Patris, in sanctificatio-

nem Spiritus, in obedientiam et aspersionem sanguinis Jesu Christi. Gratia vobus et pax multiplicetur.

3. Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui secundum misericordiam suam magnam regeneravit nos in spem vivam, per resurrectionem Jesu Christi ex mortuis,

4. In hæreditatem incorruptibilem et incontaminatam et immarcescibilem, conservatam in cœlis in vobis,

5. Qui in virtute Dei custodimini per fidem in salutem, paratam revelari in tempore novissimo.

6. In quo exultabitis, modicum nunc si oportet contristari in variis tentationibus;

7. Ut probatio vestræ fidei, multo pretiosior auro (quod per ignem probatur), inveniatur in laudem et gloriam et honorem in revelatione Jesu Christi;

8. Quem quum non videritis, diligitis: in quem nunc quoque non videntes creditis, credentes autem exultabitis lætitia inenarrabili et glorificata:

9. Reportantes finem fidei vestræ, salutem animarum.

10. De qua salute exquisierunt atque scrutati sunt Prophetæ, qui de futura in vobis gratia prophetaverunt:

11. Scrutantes in quod vel quale tempus significaret in eis Spiritus Christi, prænuntians eas quæ in Christo sunt passiones, et posteriores glorias:

12. Quibus revelatum est, quia non sibimetipsis, vobis autem ministrabant ea, quæ nunc nuntiata sunt vobis per eos qui evangelizaverunt vobis, Spiritu sancto misso de cœlo, in quem desiderant angeli prospicere.

13. Propter quod succincti lumbos mentis vestræ, sobrii, perfecte sperate in eam quæ offertur vobis gratiam, in revelationem Jesu Christi;

14. Quasi filii obedientiæ, non configurati prioribus ignorantiæ vestræ desideriis,

15. Sed secundum eum qui vocavit vos, Sanctum, et ipsi in omni conversatione sancti sitis.

16. Quoniam scriptum est: Sancti eritis, quoniam ego sanctus sum.

17. Et si patrem invocatis eum, qui sine acceptione personarum judicat secundum uniuscujusque opus, in timore incolatus vestri tempore conversamini:

18. Scientes quod non corruptibilibus auro vel argento redempti estis de vana vestra conversatione paternæ traditionis.

19. Sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi, et incontaminati :
20. Præcogniti quidem ante mundi constitutionem, manifestati autem novissimis temporibus propter vos,
21. Qui per ipsum fideles estis in Deo qui suscitavit eum a mortuis, et dedit ei gloriam, ut fides vestra, et spes esset in Deo :
22. Animas vestras castificantes in obedientia charitatis, in fraternitatis amore, simplici ex corde invicem diligite attentius :
23. Renati non ex semine corruptibili, sed incorruptibili, per verbum Dei vivi, et permanentis in æternum :
24. Quia omnis caro ut fenum, et omnis gloria ejus tanquam flos feni : exaruit fenum, et flos ejus decidit.
25. Verbum autem Domini manet in æternum : hoc est autem verbum quod evangelizatum est in vos.

Explicatio.

Capitis primi pars prior, a versu 1 ad 13, *dogmatica* est ; — posterior, a versu 14 usque ad finem, *moralis*.

I. Ab initio, præmissa salutatione, explicat dogma salutis æternæ, per Christi merita credentibus reservatæ, et olim per prophetas annuntiatæ. — II. Deinde hortatur fideles ad sanctitatem vitæ, qua digni tam pretiosa salute efficiantur.

I. — 1. *Petrus Apostolus Jesu Christi*... intellige *Apostolum* per excellentiam, Apostolorum nempe principem, fundamentalem, apostolatu fundamentali a Jesu Christo donatum : *Petrus* enim seu *Petra*, apostolicum Ecclesiæ fundamentum, perpetuo mansurum, significat.

Porro Petrus Apostolus, et quidem qua talis, scribere sese significat *electis advenis dispersionis Ponti*, *Galatiæ*, *Cappadociæ, Asiæ et Bithyniæ*. Fideles vocat *electos* : quia misericordia Dei præ multis aliis electi sunt ad gratiam fidei et justificationis, seu, ut mox subdit, *in sanctificationem Spiritus,* — Eosdem vocat *advenas dispersionis*, hoc est, advenas dispersos : quia plerique, vi persecutionum e Judæa dispersi, venerant in Pontum vicinasque provincias, ibique tanquam advenæ et peregrini vivebant.

2. Addit autem : (Electis) *secundum præscientiam Dei Patris, in sanctificationem Spiritus, in obedientiam et aspersionem sanguinis Jesu Christi;* quasi dicat : Qui electi estis per *præscientiam*,

id est, per providentiam ac misericordiam peculiarem Dei Patris, ut sanctificemini a Spiritu sancto, ut obediatis divinæ legi, utque mundemini virtute sanguinis Christi. — Sanctificatio seu justificatio per Spiritus sancti gratiam, finis est electionis divinæ; medium vero, Christi merita, et hominis obedienia legi evangelicæ.

Electis hujusmodi, quos tanta reverentia alloquitur, salutem dicit religiosissime, spiritualia bona apprecando: *Gratia vobis et pax multiplicetur.* Gratia est Dei donum pretiosissimum; gratiæ autem effectus et comes est *pax*, eaque triplex: pax cum Deo, pax nobiscum, et pax cum proximis. Itaque S. Petrus tam pacem quam gratiam in fidelibus augeri ac perfici precatur, exemplo Christi, qui discipulos post resurrectionem salutans, ait: *Pax vobis.*

3. Post salutationem, exorditur sermonem a benedictione ac laude Dei, ut celebret et ad mentes revocet ingens beneficium redemptionis Christi, nostræque per eum vocationis ad gratiam et gloriam æternam. *Benedictus*, inquit, *Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi*, *qui secundum misericordiam suam magnam regeneravit nos in spem vivam*, *per resurrectionem Jesu Christi ex mortuis*: id est, qui ex mera misericordia, et absque merito nostro, regeneravit nos in novos homines ac filios Dei, habentes certam spem vitæ æternæ. — Porro hujus spei fundamentum est resurrectio Christi; ideo addit: *Per resurrectionem Jesu Christi.* Ejusdem vero spei objectum, vita æterna, seu hæreditas cœlestis, in sequentibus declaratur.

Spes fidelium dicitur *viva*, 1° quia non est inanis, sed instar seminis continet vitam, et producet fructum exspectatum; 2° quia ejus objectum est vera ac æterna vita.

Fundamentum hujus spei dicitur *resurrectio Christi*, quæ ponitur pro toto redemptionis opere, utpote ejusdem operis terminus. Affertur autem resurrectio Christi potius quam passio ejus aut mors: quia non tantum resurrectio, una cum passione et morte Domini, est causa meritoria nostræ immortalitatis; verum etiam quia est ejusdem exemplar, pignus et argumentum.

4. Ut clarius explicet regenerationis nostræ excellentiam, addit, regeneratos nos esse atque adoptatos a Deo *in hæreditatem incorruptibilem*, *et incontaminatam*, *et immarcescibilem*: id est, quæ neque interire, neque contaminatione corrumpi, neque ullo detrimento vilescere possit. — Hæreditas itaque nostra prorsus differt ab omni hæreditate terrena, quæ in thesauris, vestibus, coronis perituris consistit.

Hanc autem hæreditatem nondum, inquit, tenetis; sed in

domo Patris cœlestis suo tempore accipietis: *Conservatam in cœlis in vobis*, i. e. pro vobis.

5. Quomodo reipsa hæreditatem cœlestem sint obtenturi, declarat subjungens, eam paratam esse perseverantibus in fide: Vobis, inquit, *qui in virtute Dei custodimini per fidem in salutem, paratam revelari in tempore novissimo*; quasi diceret: Vobis dabitur hæreditas, vobis, inquam, quos cœlestis Pater non tantum genuit, sed virtute gratiæ conservat et conservabit, ducetque per fidem usque ad salutem. Quæ quidem salus nunc invisibilis, in die judicii oculis omnium manifestabitur: et hæc erit hæreditas illa immarcescibilis de qua loquor.

Fides cum gratia Dei dicitur fidelium custodia: non tamen fides nuda et mortua; sed viva et charitate animata, ita ut legem impleat.

Salus ac vita æterna dicitur manifestanda in *tempore novissimo*, quia tunc manifestabitur publice et plene; nam cæteroquin salus ac beatifica visio, statim post obitum, animæ justæ confertur. At vero in judicio ultimo, salus animæ et corporis publice manifestabitur: tunc enim corpus cum anima resurget ad gloriam immortalem.

6. *In quo exultabitis, modicum nunc si oportet contristari in variis tentationibus.* Conclusio practica: intuitu tanti boni gaudendum est, et patiendum libenter. Propterea, inquit, hæc recogitantes exultabitis merito et exultare debetis; etsi varia, hoc brevi tempore, sustinenda sunt mala. — *Tentationes* enim vocat quælibet mala et tribulationes, quibus *oportet*, ait, probari, et purificari animas ut salute dignæ fiant. Addit enim:

7. *Ut probatio vestræ fidei, multo pretiosior auro (quod per ignem probatur), inveniatur in laudem, et gloriam, et honorem, in revelatione Jesu Christi.* — Hæc sententia, pluribus rebus referta, sic explicari potest: Necessarium est ad salutem vestram ut tribulationes patiamini; quia per eas fides, totaque virtus vestras est purganda, sicut aurum per ignem. Est enim fides vestra velut aurum, imo longe pretiosior auro; ideoque auro purior efficienda, ut inveniatur digna laude, honore et gloria oculis Dei, in die judicii, quando apparebit in gloria sua Dominus Jesus Christus.

8. Quoniam Jesum Christum nominavit, in eo tanquam in auctore, objecto et centro totius nostræ fidei, spei et amoris, paulisper inhæret, dicens: *Quem cum non videritis, diligitis: in quem nunc quoque non videntes creditis: credentes autem exultabitis lætitia inenarrabili et glorificata*:

9. *Reportantes finem fidei vestræ, salutem animarum.* Sensus

est quasi diceret : *In revelatione Jesu Christi*, ipsum Christum, et cum eo omnia promissa bona videbitis. Nunc autem Christum nondum videtis in sua gloria ; imo plerique vos ne vidistis quidem olim in sua humilitate ; nihilominus eum diligitis, in eum creditis : quæ fides principium vobis erit ineffabilis et gloriosi illius gaudii, in quo sita est æterna salus. Et sic consequemini finem et coronam vestræ fidei, salutem animarum.

Quod dicit *credentes exultabitis*, referendum est principaliter quidem ad vitam futuram, secundarie tamen etiam ad vitam præsentem, in qua Christi discipulis inchoata quædam felicitas in ipsis tribulationibus conceditur.

10. *De qua salute exquisierunt, atque scrutati sunt Prophetæ.* Postquam spectavit salutem a Christo allatam in se, eamdem considerat in prophetiis : nempe ut prænuntiatam olim a prophetis. Quæ consideratio non Judæis tantum, sed etiam Gentilibus utilissima erat, ut susceptæ fidei tum veritatem tum beneficium intelligerent. Hæc, inquit, salus objectum fuit meditationis, inquisitionis ac desiderii omnium prophetarum, *qui de futura in vobis gratia prophetaverunt* : id est, de salute tunc futura, nunc autem præsenti et vobis data.

11. Quid enim cognoscere studuerunt? Tempus et circumstantias magni eventus, qui prophetico lumine ipsis ostendebatur futurus, et alius non erat quam Christi passio, et ex ea consequens gloria : seu opus nostræ redemptionis ac salutis. De his inquisierunt : *Scrutantes in quod vel quale tempus significaret in eis Spiritus Christi : prænuntians eas quæ in Christo sunt passiones, et posteriores glorias.* — Spiritum sanctum, *quo inspirati locuti sunt sancti Dei homines* (II Pet. I, 21), vocat *Spiritum Christi*, seu Spiritum Filii : quia 1° a Patre Filioque procedit ; 2° quia promissus est ac missus de cœlo a Christo : *Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre.* Joan. XV, 26.

12. Jam vero de tempore Redemptionis illud eis Spiritus sanctus revelavit, non ipsos eam esse visuros, sed præparaturos duntaxat per prophetias : ipsorum scilicet esse, vaticinia edere pro generationibus futuris, nempe pro vobis, qui ea impleta videndo Dei opus agnosceretis. *Quibus revelatum est, quia non sibimetipsis, vobis autem ministrabant ea quæ nunc nuntiata sunt vobis per eos qui evangelizaverunt vobis, Spiritu sancto misso de cœlo, in quem desiderant angeli prospicere.* — Spiritus sanctus, qui inspiravit olim prophetas , et implevit nunc, at insignius, evangelicos præcones, exhibetur ut auctor et interpres Christianæ doctrinæ ; — et ut verus Deus, cujus faciem desideranter et beate angeli contemplantur. Etenim ad *Spiritum sanctum* videtur referendum illud *in quem*, potius quam ad *Christum*, qui remotius nominatus est.

Juxta textum græcum hodiernum, sermo est de Christi mysteriis. Scilicet græce legitur εἰς ἃ, *in quæ* (Christi mysteria). Interpres Vulgatæ olim legit, vel εἰς ὃν (Χριστὸν), vel probabilius εἰς ὃ (Πνεῦμα). — Fatendum autem est, lectionem græcam εἰς ἃ non tantum græcorum Patrum commentariis commendari; verum etiam melius convenire contextui. Apostolus enim in eo est, ut sublimitatem declaret evangelicæ doctrinæ : quæ scilicet a prophetis prænuntiata, a Spiritu sancto de cœlo misso promulgata, ab angelis sancta quadam voluptate et admiratione spectata sit. — Si lectio itaque græca admittatur, sensus erit : Nuntiata sunt vobis mysteria Christi, præsertim salutis et gloriæ beatificæ : in quæ mysteria desiderant angeli prospicere, utpote quibus, tanquam divino spectaculo, delectantur.

II. — Finito magnifico Epistolæ exordio, et parte dogmatica, incipit pars moralis, quæ ex doctrina dogmatica sponte profluit.

13. *Propter quod*, inquit, quoniam tanta vobis proponitur spes ac salus ; accingite vos ad virtutum opera, ejusdem salutis meritoria. *Propter quod succincti lumbos mentis vestræ, sobrii, perfecte sperate in eam quæ offertur vobis gratiam, in revelationem Jesu Christi.* — Tria commendat : 1° Ut spiritualiter succincti maneant ; 2° ut sobrietatem colant ; 3° ut sperent perfecte : nempe ut spretis terrenis, ad cœlestia fortiter et perseveranter aspirent, donec assequantur Jesum Christum ejusque salutem.

14. *Quasi filii obedientiæ...* Hæc pendent a præcedentibus, quasi dicatur : State succincti lumbos, sobrii, sperantes et exspectantes adventum gloriæ Christi ; sicut decet filios obedientiæ, obedientes nempe præceptis Apostolorum, et Christi qui dixit : *Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris ; et vos similes hominibus exspectantibus dominum suum quando revertatur a nuptiis.* Luc. XII, 35.

Porro quid filios obedientiæ deceat, seu quid a fidelibus requirat obedientia Christo, cui tanquam Duci et Capiti per fidem adscripti sunt, explicat Petrus dicens : debere eos ipsius Christi ac Dei sanctitatem æmulari in tota sua agendi ratione : *Non configurati prioribus ignorantiæ vestræ desideriis.*

15. *Sed secundum eum, qui vocavit vos Sanctum ; et ipsi in omni conversatione sancti sitis :*

16. *Quoniam scriptum est : Sancti eritis, quoniam ego sanctus sum.*

Sermonem confirmat sententia Moysis, Levit. XI, 45 (1) ; quam aliis verbis enuntiavit Christus : *Estote ergo vos perfecti, sicut et Pater vester cœlestis perfectus est* (Matth. V, 48) ; et

(1) Cf. Levit. XIX, 2 ; XX, 7.

Paulus : *Estote imitatores Dei, sicut filii charissimi*. Eph. VI, 1.

Ut patet, sanctitatem opponit desideriis seu concupiscentiis vitiosis ; quo significat, sanctitatem morum esse puritatem illam, quæ mortificatione carnalium cupiditatum acquiritur : ut sicut Deus est sanctus, id est, a terrenis inquinamentis segregatus ; ita pariter fidelis sanctus sit et a rebus carnalibus expeditus.

17. Monitum porro de Christiana sanctaque conversatione, efficacius urget Apostolus explicando et confirmando duplici ratione : 1° Quod Deus et Dominus Jesus Christus cui serviunt, est eorum Pater et Judex ; 2° quod ad hanc sanctitatem ab impura gentilium vita traducti sunt per mortem Christi, Filii Dei unigeniti. *Et si*, id est, imo quum *Patrem invocatis eum, qui sine acceptione personarum judicat secundum uniuscujusque opus, in timore incolatus vestri tempore conversamini*.

18. *Scientes quod non corruptibilibus auro vel argento redempti estis de vana vestra conversatione paternæ traditionis ;*

19. *Sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi, et incontaminati*.

Quod dicit, *in timore incolatus vestri tempore conversamini*, significat sanctam fidelium conversationem, consistentem in timore Dei, sive filiali, sive saltem servili : quo a malo abstineant, tanquam peregrini in hoc mundo, respicientes semper ad Deum in cœlis, Patrem quidem suum, sed simul Judicem, *qui sine acceptione personarum judicat* (1).

Conversationem vanam vocat vitam in judaismo, observationem cæremoniarum, quæ de se inutilis erat ad veram justitiam, imo in multis noxia ob admixtas traditiones Pharisæorum. Ad has adludit, legem Moysis appellans *paternam traditionem ;* sensus enim est quasi diceret : Redempti estis de vana conversatione, a patribus vestris per institutionem et consuetudinem vobis tradita. — Tales erant traditiones, quibus docebantur dare templo et sacerdotibus ea, quæ parentibus alendis necessaria erant : ita ut irritum facerent mandatum Dei per traditionem suam. Matth. XV, 6.

Christum vocat agnum *immaculatum et incontaminatum*, duo synonyma conglomerando : ut ostendat, Christum plane et omnimodis fuisse immaculatum et purum.

20. Quoniam de morte Christi pro nobis locutus est, mysterium illud et beneficium profundius exponit, addens : *Præcogniti quidem ante mundi constitutionem, manifestati autem novissimis temporibus propter vos,*

21. *Qui per ipsum fideles estis in Deo, qui suscitavit eum a mortuis, et dedit ei gloriam, ut fides vestra et spes esset in*

(1) Cf. Deut. X, 17 ; II Paral. XIX, 7 ; Sap. VI, 8 ; Eccli. XXXV, 15.

Deo... — Dicit, Agnum Dei ab æterno oculis Dei præsentem, hoc tempore apparuisse visibilem, ipsorum credentium gratia : ut per resurrectionem et glorificationem ejus opus Dei agnoscentes, fidem acciperent et spem ; eamque in Deo divinæque gloriæ participatione fundatam.

22. *Animas vestras castificantes in obedientia charitatis, in fraternitatis amore, simplici ex corde invicem diligite attentius...* — Documenta moralia, explicatione dogmatica nonnihil interrupta, hic resumit, quasi dicat : *Propter quod*, ut nempe hæreditatem incorruptibilem assequamini, succingite lumbos mentis... et animas vestras purificate per charitatem.

Sicut supra ad purificandam animam commendavit mortificationem vitiorum ; ita nunc commendat fraternam charitatem, qua anima emundatur perfectius. *Castificantes*, inquit, id est, purificantes *animas in obedientia charitatis :* id est, per obedientiam, qua obediatis præceptis divinæ charitatis ; *in amore fraternitatis :* id est, per amorem fraternum ; *simplici ex corde*, animo minime simulato, sincera dilectione invicem *attentius*, id est, intentius, impensius amate.

23. Ut charitatem fraternam efficacius suadeat, motivum affert, quod aliud non est quam ipsa divina Christianorum fraternitas, clarius proposita. *Renati*, inquit, *non ex semine corruptibili, sed incorruptibili, per verbum Dei vivi*, *et permanentis in æternum* : quasi diceret : Fratres enim estis, spiritualiter regenerati per gratiam sanctificantem, qua ad *esse* quoddam supernaturale et deiforme evecti, filiique Dei adoptivi effecti, sublimiore fraternitate copulati, impensius utique vos invicem diligere debetis.

Non ex semini corruptibili, ex quali corpora corruptibilia nascuntur ; *sed incorruptibili*, quod est Spiritus sanctus, ejusque gratia. Semen, seu gratia, est principium regenerationis ; medium vero est *verbum* evangelicæ prædicationis, quod creditum ad justificationem perducit. Imo ipsum illud verbum semen est, et principium justificationis continet : ideoque dicitur, *per verbum Dei vivi*, semper viventis, *et permanentis in æternum* : ut innuatur, Dei verbum ac semen esse eidem Deo quodammodo simile, nempe vivum et immortalitatis principium.

Quod dixit, eos renatos esse *non ex semine corruptibili*, *sed incorruptibili*, idem est ac si diceret : non ex *carne*, sed ex *spiritu*. Hinc autem sequitur, eos non esse filios carnales et perituros ; sed spirituales et immortales, prout Christus docebat : *Quod natum est ex carne, caro est : et quod natum est ex spiritu, spiritus est* (Joan. III, 6). — Id autem dilucidat Petrus, explicando differentiam carnem inter et spiritum,

seu inter corporalia et spiritualia. Ideo pulcherrimas profert Scripturæ (1) comparationes, dicens :

24. *Quia omnis caro ut fenum, et omnis gloria ejus tanquam flos feni : exaruit fenum et flos ejus decidit.*

25. *Verbum autem Domini manet in æternum*, scilicet tam in se quam in effectu ac fructu suo ; *hoc est autem verbum quod evangelizatum est in vos* : quod nimirum audistis, et cujus virtutem vitalem in animabus vestris portatis.

—

CAPUT II.

—

1. Deponentes igitur omnem malitiam, et omnem dolum, et simulationes, et invidias, et omnes detractiones,

2. Sicut modo geniti infantes, rationabile sine dolo lac concupiscite, ut in eo crescatis in salutem :

3. Si tamen gustastis quoniam dulcis est Dominus.

4. Ad quem accedentes lapidem vivum, ab hominibus quidem reprobatum, a Deo autem electum et honorificatum,

5. Et ipsi tanquam lapides vivi superædificamini, domus spiritualis, sacerdotium sanctum, offerre spirituales hostias, acceptabiles Deo per Jesum Christum.

6. Propter quod continet Scriptura : Ecce pono in Sion lapidem summum angularem, electum, pretiosum ; et qui crediderit in eum, non confundetur.

7. Vobis igitur honor credentibus : non credentibus autem, lapis quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli ;

8. Et lapis offensionis et petra scandali his qui offendunt verbo, nec credunt, in quo et positi sunt.

9. Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis ; ut virtutes annuntietis ejus, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum :

10. Qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei ; qui non consecuti misericordiam, nunc autem misericordiam consecuti.

11. Charissimi, obsecro vos, tanquam advenas et peregrinos abstinere vos a carnalibus desideriis, quæ militant adversus animam :

(1) Eccli. XIV, 18 ; Isai. XL, 6.

12. Conversationem vestram inter gentes habentes bonam ; ut in eo quod detrectant de vobis tanquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos considerantes, glorificent Deum in die visitationis.

13. Subjecti igitur estote omni humanæ creaturæ propter Deum : sive regi quasi præcellenti,

14. Sive ducibus, tanquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum :

15. Quia sic est voluntas Dei, ut benefacientes obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam ;

16. Quasi liberi, et non quasi velamen habentes malitiæ libertatem, sed sicut servi Dei.

17. Omnes honorate ; fraternitatem diligite ; Deum timete ; regem honorificate.

18. Servi, subditi estote in omni timore dominis, non tantum bonis et modestis, sed etiam dyscolis.

19. Hæc est enim gratia, si propter Dei conscientiam sustinet quis tristitias, patiens injuste.

20. Quæ enim est gloria, si peccantes , et colaphizati suffertis ? Sed si bene facientes patienter sustinetis : hæc est gratia apud Deum.

21. In hoc enim vocati estis : quia et Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus.

22. Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus ;

23. Qui cum malediceretur, non maledicebat ; cum pateretur, non comminabatur : tradebat autem judicanti se injuste ;

24. Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum : ut peccatis mortui, justitiæ vivamus ; cujus livore sanati estis.

25. Eratis enim sicut oves errantes ; sed conversi nunc ad pastorem et episcopum animarum vestrarum.

—

Explicatio.

—

Sicut in superiore capite ostendit B. Petrus, quantam et quam certam spem possideamus in Christo ; ita in hoc secundo capite

exponit, quomodo simus omnes cum Christo in unum mysticum ædificium conjuncti : adeoque quomodo debeamus esse Christo similes.

Hujus iterum capitis pars prior magis *dogmatica* est, posterior magis *moralis*. — Etenim I. explicat structuram spiritualem Ecclesiæ; II. hortatur omnes ad fugam vitiorum, ad obedientiam, ad sanctam conversationem cum proximo ; monet speciatim servos de patientia secundum exemplum Christi.

I. — 1. *Deponentes igitur omnem malitiam*... Quoniam modo exposuit spiritualem fidelium regenerationem in filios Dei, hinc duplicem ducit consequentiam : 1° oportere ut fideles revera sint genuini filii Dei ; 2° ut crescant in viros perfectos, et in populum Dei, qui sit in Jesu Christo ejusque fide constitutus.

In primis, estote, inquit, genuini filii Dei, quales eratis recens a Baptismo : quare ad infantiam illam sanctam revertimini, removendo a vobis quidquid a filiis Dei alienum est, præsertim vitia charitati fraternæ contraria : *Deponentes igitur omnem malitiam, et omnem dolum, et simulationes, et invidias, et omnes detractiones.*

2. *Sicut modo geniti infantes, rationabile sine dolo lac concupiscite, ut in eo crescatis in salutem.* — Quærite scilicet proprium filiorum Dei alimentum, *lac rationabile et sine dolo* : id est, lac spirituale, et sincerum seu purum : qua metaphora designatur 1° doctrina pura Evangelii, tam fidei quam morum ; 2° candor, suavitas, benevolentia fraterna, cujus lac est symbolum. *In eo*, id est, per illud alimentum, perque illas virtutes domesticas, crescent in spiritu : ut altiora possint fidei mysteria intelligere, et magis ardua operari ac pati.

3. *Si tamen*, id est, si quidem, quandoquidem, jam *gustastis quoniam dulcis est Dominus.* — Concupiscetis scilicet, non dubito, alimentum Domini : quoniam per gratiam ejus cognoscitis et experti estis, veram animæ dulcedinem in Domino inveniri

4. *Ad quem accedentes lapidem vivum, ab hominibus quidem reprobatum, a Deo autem electum et honorificatum,*

5. *Et ipsi tanquam lapides vivi superædificamini, domus spiritualis, sacerdotium sanctum, offerre spirituales hostias, acceptabiles Deo per Jesum Christum.*

Ut spirituale fidelium incrementum exponat, utitur allegoria ædificii ; seu eos considerat quatenus constituunt, non jam familiam sanctam, sed populum Dei : nempe Ecclesiam, ad modum templi aut regalis palatii ædificatam.

Hujusmodi ædificii fundamentum est Christus Dominus, quem vocat secundum Scripturas, *lapidem*, puta fundamentalem,

fundamentum primarium : petram nempe, in qua tota ædificii fabrica innititur. Sed lapis iste *vivus* est, et vivificans : toti nempe superstructo ædificio spiritum gratiæ impertiens. — *Ab hominibus* Judæis *reprobatus* est, et rejectus tanquam falsus Messias ; *a Deo autem electus* per æternam prædestinationem, ut esset fundamentum Ecclesiæ electorum ; ideoque *honorificatus* per resurrectionem et ascensionem.

Ad hunc, inquit, lapidem fundamentalem, *accedere* debent spirituali progressu fideles ; eique sese superædificare coagulo fidei, spei, et præsertim charitatis : qua cum ipso et inter se connexi, consurgant in *domum*, non materialem, quale olim fuit templum Salomonis ; sed *spiritualem* et mysticam. — Res enim novi Testamenti, quæ rebus corporalibus veteris Testamenti figurabantur, solent in Scriptura vocari *spirituales* ; licet sint etiam visibiles et corporeæ : ut e. g. homines ex quibus Ecclesia componitur : quia quidquid ad novum Testamentum pertinet, ad spiritualem gratiam et gloriam animarum destinatur.

Eadem mystica domus dicitur quoque *sacerdotium sanctum* : id est, quasi sancta sacerdotum congregatio, superædificata eidem lapidi vivo, Christo. — Sicut *domus*, ita *sacerdotium* dicitur, non proprie, sed metaphorice : eo sensu, quod, præscindendo a charactere sacerdotali proprie dicto, qui duntaxat per sacramentum Ordinis confertur, omnes fideles in Christo constituti sunt quasi sacerdotes : ut offerant, non carnales victimas arietum et vitulorum veteris Legis ; sed bona opera, quæ per Jesu Christi gratiam, et in ejus spiritu peracta, fiunt spirituales ac invisibiles hostiæ, Deo placentes.

6. *Propter quod continet* (i. e. dicit) *Scriptura* : *Ecce pono, in Sion lapidem summum angularem* (græce, *summangularem*, id est, in capitali fundamenti angulo collocandum), *electum, pretiosum : et qui crediderit in eum, non confundetur* (Isai. XXVIII, 16).

7. *Vobis igitur honor credentibus : non credentibus autem, lapis quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli* (Ps. XVII).

8. *Et lapis offensionis , et petra scandali* (Isai. VIII, 14 ; Matth. XXI, 42, 44), *his qui offendunt verbo, nec credunt, in quo et positi sunt.*

Quæ dixit de ædificatione in Christo, dilucidat et confirmat ex Scriptura. Isaiæ locus, quem citat juxta Septuaginta , in Vulgata sic legitur (Isai. XXVIII , 16) : *Hæc dicit Dominus Deus : Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum , lapidem angularem, pretiosum . in fundamento fundatum : qui crediderit, non festinet.* Ecclesiæ fundatio et

structura hic prædicitur : mons enim Sion, in quo erat domus regia Davidis, typus fuit Ecclesiæ in qua regnaturus erat Christus. — Illud : *Qui crediderit non festinet*, vel significat, ne nimis cito accipere velit quod sperat, et securus exspectet, quia spe non frustrabitur ; vel probabilius emendandum est juxta versionem LXX Interpretum : qui merito, ut videtur, verbum IACHISH , *celeriter fugiet*, intellexerunt *vertetur in fugam, in confusionem*.

Ex eo quod scriptum est : *Qui crediderit non confundetur,* statim concludit Apostolus, divinitus honorem promitti credentibus, et e contra confusionem fore non credentibus. Et quidem hanc confusionem quoque expresse prædictam esse ostendit.

Mysticus lapis, Christus, factus est *in caput anguli* : id est, in lapidem, simul capitalem seu fundamentalem, et angularem ; aliis verbis, *in fundamentum angulare,* quo duo Judæorum et Gentilium parietes concurrunt et coædificantur in unam Ecclesiam. — Incredulis dicitur factus in caput anguli, non tanquam in honorem ipsorum, sed in despectum et in ruinam : quia non sunt in illo ædificati ædificio, et in illud impingunt, pedemque quasi allidunt *verbo* Evangelico, nolentes credere : *in quo,* inquit, *et positi sunt,* id est : per propriam culpam, justoque Dei judicio, collocati in ordine incredulorum ac reproborum. — Alio modo idem intelligi potest, nimirum : Non credunt, ad quod tamen destinati ac vocati sunt ; cum Deus omnes homines velit salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire.

Exposita sorte incredulorum, redit ad sortem credentium. Hanc supra indicavit, dicens : *Vobis igitur honor credentibus ;* nunc autem explicatius declarat, his verbis :

9. *Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis : ut virtutes annuntietis ejus, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum.*

10. *Qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei ; qui non consecuti misericordiam, nunc autem misericordiam consecuti.*

Vos autem, inquit, credendo in Christum, renati estis in novum genus, et cooptati in novum populum... — Hujus porro populi proprietates et multiplicem gloriam variis nominibus recenset, respiciens, ut videtur, ad figuras antiquas, in populo Christiano impletas ; nec non ad hæc verba Dei, per Moysen loquentis filiis Israel : *Si audieritis vocem meam, et custodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium* (id est, in populum peculiarem et electum) *de cunctis populis ; mea est enim omnis terra. Et vos eritis mihi in regnum sacerdotale, et gens sancta* (Exod. XIX, 5, 6). — Quod dicit *regale sacerdotium*, id est, sacer-

dotes regales, seu qui sint sacerdotes et simul etiam reges. *Populus acquisitionis*, id est, acquisitus, et ex servitute diaboli vindicatus sanguine Christi. — *Ut virtutes annuntietis ejus....* id est, ut verbo et novæ vitæ exemplo prædicetis ubique, *virtutes* Redemptoris : nempe sapientiam, misericordiam, fortitudinem aliasque virtutes, nec non divina attributa, quæ maxime in opere acquisitionis seu redemptionis elucent ; et ita serviatis gloriæ Dei ac Domini Salvatoris Jesu Christi. — *Virtus* hic non solum significat potentiam, ut sæpissime in Scriptura solet ; sed virtutem moralem, a vitio distinctam, ut ex voce græca (τὰς ἀρετὰς), manifestum est ; qua significatione nomen *virtus* tantum quater in tota Scriptura novi Testamenti reperitur : ter apud Petrum, et semel apud Paulum (Phil. IV, 8).

Lumen fidei et gratiæ, imo futuræ gloriæ, in quod vocati sumus, appellatur *admirabile* : tum quia mirabilia operatur, tum quia miranda mysteria, ut Trinitatis, Incarnationis, etc. revelat.

10. Verba versiculi decimi desumpta sunt ex Osee II, 23, 24, ubi legimus : *Et miserebor ejus quæ fuit absque misericordia. Et dicam non populo meo : Populus meus es tu ; et ipse dicet : Deus meus es tu.*

II. — Incipit jam pars moralis hujus capitis, qua B. Apostolus imprimis hortatur fideles ad fugam vitiorum.

11. *Charissimi, obsecro vos, tanquam advenas et peregrinos abstinere vos a carnalibus desideriis, quæ militant adversus animam :*

12. *Conversationem vestram inter gentes habentes bonam ; ut in eo quod detrectant de vobis tanquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos considerantes, glorificent Deum in die visitationis.*

Obsecrat princeps Apostolorum, qui imperare poterat ; quia lenitas prælatorum plures ad virtutem flectit, quam severitas frangere possit. — Hortatur amanter *charissimos* sibi fideles, ut abstineant *a carnalibus desideriis* : hæc sunt generatim omnes passiones rationi contrariæ, *quæ militant* ac pugnant adversus animam, ut eam per pravum consensum vulnerent.

Exhortationem corroborat adjunctis motivis variis, nimirum : 1° quia fideles peregrini sunt in hac vita transitoria ; — 2° quia carnis desideria animæ sunt mortifera ; — 3° quia fideles inter gentiles vivunt, qui Christianos ut malefactores calumniantur : quibus calumniatoribus ipsi bona vita responsum dare debent, et simul invitationem ut convertantur : *Ut glorificent Deum in die visitationis*, id est, quando per gratiam suam eos fortasse visitare et ad fidem adducere dignabitur.

Visitatio in Scriptura est duplex : visitatio gratiæ et visitatio vindictæ ; hoc loco sumitur in bonam partem.

13. Hinc transit ad monitum de obedientia, quasi diceret : Ut igitur bonis exemplis gentiles ad fidem moveatis, nolite esse principibus rebelles, sed obedientes : *Subjecti igitur estote omni humanæ creaturæ propter Deum : sive regi quasi præcellenti ;*

14. *Sive ducibus, tanquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum :*

15. *Quia sic est voluntas Dei, ut benefacientes obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam ;*

16. *Quasi liberi , et non quasi velamen habentes malitiæ libertatem, sed sicut servi Dei.*

Dicit obediendum *omni humanæ creaturæ propter Deum*, id est , omni homini habenti legitimam potestatem, qualiscumque sit nationis, quibuscumque præditus moribus ; *propter Deum* : id est, non ob timorem, aliamve humanam causam ; sed propter amorem sic ordinantis Dei. Quod quidem supernaturale motivum inculcat Apostolus repetendo : *Quia sic est voluntas Dei... sicut servi Dei.*

13, 14. *Sive regi...* Creatura humana cui obedire debent fideles, imprimis est *rex*, quo nomine designatur Romanus Imperator, cujus ditioni tunc subjacebat Asia. — *Regi*, inquit, *quasi præcellenti*, id est, supremam in republica potestatem habenti ; quasi dicat : Obediendum regibus ante omnes, quia specialiter a Deo ad regendum alios constituti sunt : *Per me reges regnant* (Prov. VIII, 15). — Nec tantum summo Principi, sed etiam subalternis, qui ab eo potestatem acceperunt, obediendum est : *Ducibus tanquam ab eo missis*, ad puniendum malum et præmiandum bonum. Hujusmodi enim missio, rationi consentanea adeoque legitima est ; quamvis ipsi duces, præsides seu proconsules, sua auctoriate abutantur.

15. Ut obmutescere faciatis *imprudentium*, id est, insipientium *hominum ignorantiam :* qua scilicet seducti existimabant et passim jactabant, Christianos esse legum et principum contemptores.

16. Addit Apostolus quonam modo obedire debeant : nimirum non quasi servi, inviti, et solo timore pœnæ ; *sed quasi liberi,* libentes, et amore justitiæ, seu propter Deum. Habentes *libertatem filiorum Dei :* quæ non est libertas a legibus servandis : quod foret merum velamen malitiæ ; sed libertas a servitute peccati et concupiscentiæ, qua Deo servientes corde libero, libenti et dilatato, viam omnium mandatorum ac legum decurrunt.

Post monitum de obedientia, latius explicat ea quæ ad sanc-

tam cum hominibus conversationem pertinent, quam supra commendavit.

17. *Omnes honorate ; fraternitatem diligite ; Deum timete ; regem honorificate.*

18. *Servi, subditi estote...*

Ostendit practice quid sancta conversatio cum proximis requirat, 1° erga omnes homines, etiam gentiles ; — 2° erga fratres in fide ; — 3° erga regem ; — 4° erga heros ac dominos, quod speciatim ad servos pertinet. — Simul autem timorem Dei memorat, ostendendo cujus intuitu et quo motivo hæc omnia officia implere debeant : *Deum timete.*

Regem honorificate : id est, Imperatorem Romanum, quamvis ethnicum et improbum, honorate civiliter : vel in se, si quando præsens adesse contigerit ; vel saltem in suis ministris. Deinde eumdem regem honorate, ipsi honorem tributorum et aliorum officiorum præstando, quæ mala non sunt et a subditis ei debentur.

18. *Servi, subditi estote in omni timore dominis, non tantum bonis et modestis, sed etiam dyscolis.*

19. *Hæc est enim gratia, si propter Dei conscientiam sustinet quis tristitias patiens injuste.*

20. *Quæ enim est gloria, si peccantes, et colaphizati suffertis? Sed si bene facientes patienter sustinetis : hæc est gratia apud Deum.*

Servos, quo nomine intelligit quosvis famulos, alloquitur Apostolus prolixius, et ad patientiam adhortatur : quæ tamen exhortatio non solis servis, sed omnibus fidelibus convenit.

18. *Subditi estote in omni timore*, id est, cum timore reverentiali perfecto, qui amorem, non aversionem conjunctam habeat.

19. *Hæc est enim gratia...* hoc est opus gratum et meritorium apud Deum, quo novam gratiam et gloriam acquiritis ; — — *si propter Dei conscientiam* : id est, si servus asperos heri mores ac duritiem suffert propter fidelitatem Deo præstitam, eo quod sequitur conscientiam Deo probatam ; — vel si patienter obedit dominis asperis, ex conscientiæ rectæ principio, dictante, Dei voluntatem esse ut talibus etiam dominis obedientia præstetur.

20. *Quæ est enim gloria, si peccantes*, nempe in dominos, *et* ideo *colaphizati*, suffertis promeritam pœnam patienter ? Quod quidem etiam est laudabile, si quis propter Deum justas peccatorum suorum pœnas sufferat ; sed non est materia gloriæ et insignis laudis, non præclara *gratia apud Deum..*

Quoniam de Christiana patientia occurrit sermo, totum hujus virtutis mysterium ac motivum B. Petrus aperit, subjungens :

21. *In hoc enim vocati estis : quia et Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus :*

22. *Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus ;*

23. *Qui cum malediceretur, non maledicebat ; cum pateretur, non comminabatur : tradebat autem judicanti se injuste ;*

24. *Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum : ut peccatis mortui, justitiæ vivamus ; cujus livore sanati estis.*

25. *Eratis enim sicut oves errantes ; sed conversi estis nunc ad pastorem et episcopum animarum vestrarum.*

Ad patientiam, inquit, et ad crucem, ad toleranda quælibet justa vel injusta, per Christianismum vocati estis : quia hujusmodi patientiæ exemplum dedit vobis Christus, qui ipse innocentissimus, summis cruciatibus nos redemit. *Ut peccatis mortui*, id est, ut non viventes amplius vita peccaminosa ; *justitiæ*, id est, vita innocentiæ et justitiæ *vivamus*.

24. *Cujus livore sanati estis* (Isai. LIII, 4 seq.)... Vos igitur injustas plagas libenter sufferte, propter eum qui merito plagarum suarum vos a peccatis sanavit...

25. Fuistis enim omnes peccatores et aberrantes via iniquitatis, longe a Deo, duce ac pastore vestro ; nunc autem per passionem Christi feliciter reducti estis ad Deum, ac Dominum Jesum Christum, pastorem et episcopum ac vigilantem custodem animarum vestrarum.

—

CAPUT III.

—

1. Similiter et mulieres subditæ sint viris suis ; ut et si qui non credunt verbo, per mulierum conversationem sine verbo lucrifiant :

2. Considerantes in timore castam conversationem vestram.

3. Quarum non sit extrinsecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus ;

4. Sed qui absconditus est cordis homo, in incorruptibilitate quieti et modesti spiritus, qui est in conspectu Dei locuples.

5. Sic enim aliquando et sanctæ mulieres, sperantes in Deo, ornabant se subjectæ propriis viris :

6. Sicut Sara obediebat Abrahæ, dominum eum vocans ; cujus estis filiæ benefacientes, et non pertimentes ullam perturbationem.

7. Viri similiter cohabitantes secundum scientiam, quasi infirmiori vasculo muliebri impartientes honorem, tanquam et cohæredibus gratiæ vitæ ; ut non impediantur orationes vestræ.

8. In fine autem, omnes unanimes, compatientes, fraternitatis amatores, misericordes, modesti, humiles ;

9. Non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto ; sed e contrario benedicentes : quia in hoc vocati estis, ut benedictionem hæreditate possideatis.

10. Qui enim vult vitam diligere, et dies videre bonos, coerceat linguam suam a malo, et labia ejus ne loquantur dolum ;

11. Declinet a malo, et faciat bonum ; inquirat pacem, et sequatur eam :

12. Quia oculi Domini super justos, et aures ejus in preces eorum : vultus autem Domini super facientes mala.

13. Et quis est qui vobis noceat, si boni æmulatores fueritis ?

14. Sed et si quid patimini propter justitiam, beati. Timorem autem eorum ne timueritis, et non conturbemini.

15. Dominum autem Christum sanctificate in cordibus vestris, parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea quæ in vobis est spe :

16. Sed cum modestia et timore, conscientiam habentes bonam ; ut in eo quod detrahunt vobis, confundantur, qui calumniantur vestram bonam in Christo conversationem.

17. Melius est enim benefacientes (si voluntas Dei velit) pati, quam malefacientes :

18. Quia et Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, justus pro injustis, ut nos offerret Deo, mortificatus quidem carne, vivificatus autem spiritu.

19. In quo et his qui in carcere erant, spiritibus veniens prædicavit ;

20. Qui increduli fuerant aliquando, quando exspectabant Dei patientiam in diebus Noe, cum fabricaretur arca : in qua pauci, id est, octo animæ salvæ factæ sunt per aquam.

21. Quod et vos nunc similis formæ salvos facit baptis-

ma : non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum per resurrectionem Jesu Christi,

22. Qui est in dextera Dei, deglutiens mortem, ut vitæ æternæ hæredes efficeremur : profectus in cœlum, subjectis sibi angelis, et potestatibus, et virtutibus.

—

Explicatio.

—

Prima hujus capitis pars *moralis* est : continet enim, 1° uxorum ac virorum officia ; 2° hortationem ad concordiam, mansuetudinem, constantiam in persecutionibus. — Secunda pars est *dogmatica*, agens de Christi satisfactione, descensu ad inferos, sacramento Baptismi, ascensione in cœlum.

I. — 1. *Similiter et mulieres subditæ sint viris suis : ut et si qui non credunt verbo, per mulierum conversationem sine verbo lucrifiant.*

2. *Considerantes in timore castam conversationem vestram.*

Sicut antea præcepit ut servi subjecti essent dominis ; ita præcipit nunc, et *similiter et mulieres subditæ sint viris suis* : non timore servili, sed amore liberali. Specialiter autem Apostolus admonet christianas uxores illas, quarum mariti adhuc erant infideles : quia illis majus periculum erat, ne viros suos ut rebelles *verbo* Evangelii contemnerent ; et deinde quia spes erat, ut eos ad fidem forte pertraherent *per conversationem* modestam, honestam, obsequiosam, *castam*, quam exhiberent *in timore* reverentiali erga suos maritos.

Ut sanctam mulierum vitam magis practice explicet, minus curandum eis esse dicit cultum ornatumque externum, quam internum ; juxta exemplum sanctarum mulierum veteris Testamenti.

3. *Quarum non sit extrinsecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus ;*

4. *Sed qui absconditus est cordis homo, in incorruptibilitate quieti et modesti spiritus, qui est in conspectu Dei locuples.*

5. *Sic enim aliquando et sanctæ mulieres, sperantes in Deo, ornabant se subjectæ propriis viris :*

6. *Sicut Sara obediebat Abrahæ, dominum eum vocans : cujus estis filiæ benefacientes, et non pertimentes ullam perturbationem.*

Ornetur, inquit, interior homo, nempe anima, ornatu incorruptibili *spiritus quieti et modesti* : cordis nempe recollecti ac

pacifici, nec non mitis ac humilis, cujus maximun est oculis Dei pretium : *In conspectu Dei locuples.*

5. Exemplo proponit sanctas mulieres quæ sic ornabant se, *sperantes*, inquit, *in Deo*, *subjectæ propriis viris* : id est, spe sua in Deo et obedientia viris suis, tanquam ornatu nobilissimo decorabantur.

6. Saræ, ait, *filias* fieri mulieres Christianas, nempe ejus laudis participes, *benefacientes* : id est bonam ipsius vitam imitando ; *et non pertimentes ullam perturbationem*, id est, quin a bona illa vita deterreantur timore vexationis ex parte maritorum.

7. *Viri similiter cohabitantes secundum scientiam, quasi infirmiori vasculo muliebri impartientes honorem, tanquam et cohæredibus gratiæ vitæ ; ut non impediantur orationes vestræ.*

Sicut uxores modo, ita *similiter* jam viros officii sui admonet, ut mites sint erga uxores et indulgentia utantur, pacifice prout decet *cohabitantes ; — secundum scientiam* : id est, juxta regulas scientiæ sanctorum ac rectæ rationis, qua viri cum uxoribus ita cohabitare debent , ut tanquam familiæ capita, uxores et familiam regant. — *Impartientes honorem*, id est, honeste ac benigne tanquam socias ac matres familias eas tractando, non tanquam ancillas ; et quidem triplici de ratione : 1° quia uxor est *vasculum*, id est viri *adjutorium simile ipsi* (Gen. II, 18) ; sed delicatum, corpore passim ac mente infirmius ; 2° quia jure hæreditatis æternæ, uxores sunt viris pares ; 3° ne secus, discordiis et perturbatione animorum *impediantur orationes*, tum communes totius familiæ, tum privatæ.

Finitis monitis ad conjuges, orationem iterum extendit ad omnes fideles, dicens :

8. *In fine autem, omnes unanimes, compatientes, fraternitatis amatores, misericordes, modesti humiles :*

9. *Non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto ; sed e contrario benedicentes : quia in hoc vocati estis, ut benedictionem hæreditate possideatis.*

In fine, inquit, id est, finaliter ac denique, estote *omnes unanimes*, ejusdem animi : idem sentientes intellectu, idem amantes voluntate ; — *compatientes*, tanquam membra nempe ejusdem corporis , mutuis gaudiis aut doloribus affecti ; — *fraternitatis* christianæ, cœtusque fidelium tanquam Christi familiæ *amatores ; — misericordes*, *modesti*, mansueti nempe ac benigni, et *humiles ;* imitantes divinum Magistrum dicentem nobis : *Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde.* Matth. XI, 29.

Hunc charitatis spiritum magis practice explicat, ostendens

eum præcipue exercendum esse reddendo bonum pro malo, et benedictionem pro maledicto : rationem addens, quia ipsos manet benedictio Dei, quasi diceret : Memores benedictionis illius, quam vobis, licet prius inimicis, præparavit Deus, benedictionem etiam vos impertimini malefacientibus et maledicentibus vobis.

10. *Qui enim vult vitam diligere, et dies videre bonos, coerceat linguam suam a malo, et labia ejus ne loquantur dolum ;*

11. *Declinet a malo, et faciat bonum, inquirat pacem, et sequatur eam :*

12. *Quia oculi Domini super justos, et aures ejus in preces eorum : vultus autem Domini super facientes mala.*

Quod dixit, inimicis esse benefaciendum et benedicendum ; ut *hæreditate*, id est, ut quasi filii, et titulo hæreditatis possideamus benedictionem Dei, tum in hac vita, tum præsertim in futura ; id probat ex Psalmo XXXIII (1), ubi dicitur, beatam vitam fore illi, qui labia sua ab omni maledicto custodit, et manus suas ab omni malo in proximum ; studetque quantum ex se est, pacem habere cum Deo, cum semetipso, et cum proximo. Etenim hujusmodi justum Deus peculiari providentia contra persecutores custodit.

13. *Et quis est qui vobis noceat, si boni æmulatores fueritis ?*

Prophetæ verba confirmat dicendo, si revera reddant bonum pro malo, et studiose quærant quidquid est bonum, in se, et respectu proximi ; fieri non posse, ut quisquam eos lædat et infelices reddat. — Vox *æmulatores*, significat vehemens studium boni ac virtutis ; et insinuat, hanc ardentius amandam et prosequendam esse, quam sponsus amat et prosequitur sponsam dilectissimam.

Nemo itaque vos afficere vero malo potest. Nam 1° multi inimici fient vobis amici, et extrinsecus vobis nocere desinent ; 2° si qui vos persequantur propter justitiam, non ideo eritis miseri, sed magis beati.

14. *Sed et si quid patimini propter justitiam, beati. Timorem autem eorum ne timueritis, et non conturbemini.*

15. *Dominum autem Christum sanctificate in cordibus vestris, parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea quæ in vobis est spe :*

16. *Sed cum modestia, et timore, conscientiam habentes bonam ; ut in eo quod detrahunt vobis, confundantur, qui calumniantur vestram bonam in Christo conversationem.*

Naturali ordine deducitur Apostoli sermo ad persecutiones, a fidelibus sancte sustinendas. De his ergo monet eos, 1° ne timeant ; 2° ut constanter toto corde Christo adhæreant ; 3° fidem

(1) Ps. hunc explicatum vid. tom. 2, serie III.

suam defendere obvia sed solida ratione sciant ; 4° præcipue tamen sanctis moribus fidei calumniatores confutent.

15. *Dominum Christum sanctificate* : id est, eum sanctum prædicate omnibus hominibus ; non in ore tantum, sed *in cordibus vestris* : nempe fide, per dilectionem in cordibus vestris operante, et foras erumpente in bona opera, quibus Christi nomen ab omnibus sanctificetur et glorificetur.

Parati *ad satisfactionem*, id est, ad satisfaciendum respondendo ; græce *ad apologiam* seu defensionem. Nimirum de stupenda illa gentilibus, ac prorsus inaudita et quasi fabulosa *spe* vitæ æternæ, beatæ, deiformis, *rationem* reddere sciant, saltem generalem, ac fundamentalem : qualis est testatissima resurrectio Domini, et reliqua ejus miracula.

16. *Cum modestia* : id est, cum modesta et humili lenitate, non clamosis disputationibus ; *et timore*, nempe reverentiali erga interrogantes, absque arrogantia ; quæ reverentia et modestia ex pura conscientia, tanquam ex radice nascatur.

Quæ dixit de innocentia christiana imprimis opponenda adversariis, confirmat jam exemplo Christi, quasi diceret : bonum omnino est, honorabile atque utile, afflictiones pati, si Deus permiserit, nulla culpa promeritas : quia sic Christus passus est pro nobis. Quibus verbis vehementer gratos fidelium animos stimulat.

17. *Melius est enim benefacientes (si voluntas Dei velit) pati, quam malefacientes.*

18. *Quia et Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, justus pro injustis, ut nos offerret Deo, mortificatus quidem carne, vivificatus autem spiritu.*

II. — Hic incipit *secunda capitis pars*, quam diximus esse dogmaticam. Luculenter, ut patet, dogma satisfactionis Christi pro nobis, exponitur.

18. *Ut nos offerret Deo* : græce ut *Deo nos adduceret*, nempe Deo nos conjungeret per veram reconciliationem. — *Mortificatus carne*, id est, morte corporali vere interemptus ; — *vivificatus autem spiritu* : hoc dupliciter intelligi potest : nimirum, vel de Spiritu sancto, vel de spiritu seu anima humana Christi gloriosa ; ita ut sensus sit : 1° suscitatus a mortuis per Spiritus sancti virtutem ; — vel potius, 2° vivificatus etiam secundum carnem, vita quadam excellentiore : quando nimirum in resurrectione, gloria animæ beatæ in corpus redundavit, quod ex corpore animali spirituale factum est.

19. *In quo et his qui in carcere erant, spiritibus veniens prædicavit ;*

20. *Qui increduli fuerant aliquando, quando exspectabant Dei patientiam in diebus Noe, cum fabricaretur arca : in qua pauci, id est, octo animæ salvæ factæ sunt per aquam.*

A satisfactione ac morte Christi transit ad ejus descensum ad inferos. Etenim communior ac planior interpretatio obscuro isti loco hunc sensum tribuit : *In quo*, in quo spiritu, sive in qua anima sua ; — *et his*, etiam his, nempe coævis Noe, ut mox dicetur ; — *qui in carcere erant*, in purgatorio, aut limbo ; — *spiritibus*, animabus defunctorum ; — *veniens*, in triduo mortis descendens ad inferos : id est, ad loca subterranea, ubi tres erant regiones : infernus damnatorum, purgatorium, et limbus Patrum ; — *prædicavit*, id est, evangelizavit eis consummatam a se redemptionem.

2° *Qui increduli fuerant aliquando, quando exspectabant Dei patientiam* ... scilicet noluerant credere Noe, annuntianti illis diluvium ; sed sperabant fore ut Deus in sua patientia perseveraret, nec peccatores diluvio obrueret : in qua quidem incredulitate persliterunt *in diebus Noe, cum fabricaretur arca ;* postea tamen, incipiente jam diluvio, crediderunt, pœnitentiam egerunt, et descenderunt ad carcerem purgatorii aut limbi, ubi a Christi spiritu beatum acceperunt nuntium redemptionis.

Cur autem Petrus speciatim coævos Noe memorat ? Respondetur probabiliter : 1° Quia tunc inter Judæos erronea erat opinio, homines olim diluvio mersos ita esse a Deo reprobatos, ut ne ad judicium quidem universale essent comparituri. — 2° Quia ipsi quoque perierant quoad corpus, non quoad animam ; de qua distinctione Apostolus modo locutus est. — 3° Quia ostendunt exemplo, afflictiones hujus vitæ, utpote animæ salutares, libenter esse tolerandas.

Porro in arca aliud documentum reperit et explicat, nempe Baptismi et Ecclesiæ. Sicut enim arca illa *in qua pauci, id est, octo, animæ salvæ factæ sunt per aquam* : beneficio scilicet aquæ, elevantis et sustentantis arcam ; ita nunc Ecclesia est navis salutis per aquam Baptismi : qua similiter ipsa Ecclesia sustentatur et elevatur in cœlum.

21. *Quod et vos nunc similis formæ salvos facit baptisma : non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum ; per resurrectionem Jesu Christi,*

22. *Qui est in dextera Dei, deglutiens mortem, ut vitæ æternæ hæredes efficeremur : profectus in cœlum, subjectis sibi angelis, et potestatibus, et virtutibus.*

21. Dicit, aqua diluvii figuratum fuisse baptisma ; hoc enim sacramentum est antitypus, exemplar, veritas, cujus aqua illa fuit typus seu figura. Qui sensus clarius patet ex græco : ᾧ (ὕδατι) ἀντίτυπον νῦν καὶ ἡμᾶς σώζει βάπτισμα : ad verbum : *cui* (aquæ tanquam figuræ) *antitypus*, seu correspondens veritas, *nunc* existens *baptismus*, *nos salvat.* — Periodus prout in Vulgata legitur, sic est ordinanda : *Quod baptisma similis*

formæ (efformatum ad similitudinem suæ antiquæ figuræ) *et nunc salvos vos facit... per resurrectionem Jesu Christi.*

Ponitur hic *resurrectio Christi*, sive pro causa conditionali nostræ justificationis, sive pro ejusdem causa exemplari.

1° Pro causa *conditionali.* Nam sicut ab æterna Sapientia ordinatum fuerat, ut Christus morte sua nos redimeret ; ita etiam constitutum fuit, ut resurrectione sua redivivus, pretium redemptionis nobis in Baptismo aliisque sacramentis applicaret. Christus enim jam in cœlis gloriose vivens, est principalis operans in sacramentis. Quo eodem sensu dicitur *traditus propter delicta nostra, et resurrexisse propter justificationem nostram.* Rom. IV, 25.

2° Pro causa *exemplari*, quasi diceret B. Petrus : Vos salvos facit Baptismus per resurrectionem Christi, tanquam per causam exemplarem. — Resurrectio enim Salvatoris est quoddam exemplam et forma, qua docemur quomodo a morte peccatorum ad justitiam et vitæ novitatem resurgere debeamus ; quam formam Baptismus immersione et emersione ex aqua extrinsecus adumbrat, imo intrinsecus in anima imprimit. Hinc sensus Apostoli est : Vos salvos facit Baptisma per resurrectionem Christi, quam baptismalis immersio et emersio repræsentat, quamque jam inchoative producit in baptizato, resuscitans eum ad vitam gratiæ, resuscitandum postea ad vitam gloriæ.

Porro baptisma non est salvificum quatenus est ablutio corporis : *non carnis depositio sordium* ; sed quatenus est *conscientiæ bonæ interrogatio in Deum*, id est, quatenus adjunctas habet dispositiones rectas erga Deum : puta illas, quas a catechumeno requirit baptizans, interrogando *an credat ? an abrenuntiet Satanæ ?* etc.

22. Quoniam Christi resurrectionem memoravit, explicat totam ejus gloriam, qua profectus in cœlum fruitur, et cujus fideles participes esse debent : ut sic efficacius eos excitet ad patiendum juxta Christi exemplum tribulationes. *Deglutiens*, inquit, *mortem*, id est, destructa morte, *ut vitæ æternæ hæredes efficeremur : profectus in cœlum, est in dextera Dei...*

CAPUT IV.

---

1. Christo igitur passo in carne, et vos eadem cogitatione armamini, quia qui passus est in carne, desiit a peccatis ;

2. Ut jam non desideriis hominum, sed voluntati Dei, quod reliquum est in carne vivat temporis.

3. Sufficit enim præteritum tempus ad voluntatem gentium consummandam, his qui ambulaverunt in luxuriis, desideriis, vinolentiis, comessationibus, potationibus, et illicitis idolorum cultibus.

4. In quo admirantur non concurrentibus vobis in eamdem luxuriæ confusionem, blasphemantes :

5. Qui reddent rationem ei, qui paratus est judicare vivos et mortuos.

6. Propter hoc enim et mortuis evangelizatum est : ut judicentur quidem secundum homines in carne, vivant autem secundum Deum in spiritu.

7. Omnium autem finis appropinquavit. Estote itaque prudentes, et vigilate in orationibus.

8. Ante omnia autem, mutuam in vobismetipsis charitatem continuam habentes : quia charitas operit multitudinem peccatorum ;

9. Hospitales invicem sine murmuratione ;

10. Unusquisque, sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei.

11. Si quis loquitur, quasi sermones Dei ; si quis ministrat, tanquam ex virtute quam administrat Deus ; ut in omnibus honorificetur Deus per Jesum Christum, cui est gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

12. Charissimi, nolite peregrinari in fervore, qui ad tentationem vobis fit, quasi novi aliquid vobis contingat :

13. Sed, communicantes Christi passionibus, gaudete, ut et in revelatione gloriæ ejus gaudeatis exultantes.

14. Si exprobramini in nomine Christi, beati eritis : quoniam quod est honoris, gloriæ, et virtutis Dei, et qui est ejus Spiritus, super vos requiescit.

15. Nemo autem vestrum patiatur ut homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor ;

16. Si autem ut Christianus, non erubescat : glorificet autem Deum in isto nomine.

17. Quoniam tempus est ut incipiat judicium a domo Dei. Si autem primum a nobis, quis finis eorum qui non credunt Dei Evangelio ?

18. Et si justus vix salvabitur, impius et peccator ubi parebunt ?

19. Itaque et hi qui patiuntur secundum voluntatem Dei, fideli Creatori commendent animas suas in benefactis.

—

Explicatio.

Caput quartum est ethicum totum seu *morale*. — Hortatur Apostolus 1° ad fugienda peccata ; 2° ad studium orationis ac mutuæ dilectionis ; 3° ad patientiam.

Primum, octo prioribus versiculis monet fideles, ut a peccatis abstineant, et prava desideria mortificatione coerceant.

1. *Christo igitur passo in carne, et vos eadem cogitatione armamini ; quia qui passus est in carne, desiit a peccatis :*

2. *Ut jam non desideriis hominum, sed voluntati Dei, quod reliquum est in carne vivat temporis.*

Redit Apostolus ad Christi passionem quam supra memoravit, sed ita ut diversam nunc conclusionem deducat. Sicut enim Domini passionem proposuit tanquam exemplum patientiæ, ita ejus mortem nunc exhibet ut figuram et motivum mortificationis, ac mortis mysticæ fidelium : quæ in eo consistit, ut desinant vivere vita peccaminosa et sensuali.

1. Quandoquidem ergo Christus, inquit, mortem pro nobis passus sit in carne, et vos adversus carnem quæ *concupiscit adversus spiritum* (Gal. V, 17), *armamini cogitatione eadem*, id est, simili, et conformi passioni Salvatoris mystice spectatæ. — Est autem cogitatio hæc : *Quia qui passus est in carne, desiit a peccatis :* id est, qui secundum similitudinem Christi crucifixi, spiritualiter crucifixus est quoad carnem, seu carnalem concupiscentiam ; ille destitit jam peccare et exercere opera concupiscentiæ carnalis : sicut Christus corporaliter mortuus in cruce, destitit exercere opera vitæ corporalis. Quem quidem sensum clarius explicat Apostolus, addens : *Ut jam*, nempe post conversionem, qua fidelis mysticam mortem suscepit, *non desideriis hominum*, pravis cupiditatibus ; sed *voluntati Dei vivat* usque ad obitum.

Hæc ut magis inculcet magisque ad praxim urgeat, descendit ad particularia, obstacula removet, motiva suggerit :

3. *Sufficit enim præteritum tempus ad voluntatem gentium consummandam, his qui ambulaverunt in luxuriis, desideriis, vinolentiis, commessationibus, potationibus et illicitis idolorum cultibus.*

4. *In quo admirantur non concurrentibus vobis in eamdem luxuriæ confusionem, blasphemantes :*

5. *Qui reddent rationem ei, qui paratus est judicare vivos et mortuos.*

Sufficiunt, inquit, et plus quam sufficere debent deflenda peccata vitæ, antea paractæ *ad voluntatem gentium consummandam* : id est, ad pravas cupiditates instar gentilium explendas. — Congruunt hæc et quæ sequuntur, non tantum gentilibus ad fidem conversis ; sed etiam quibusdam Judæis, qui ad gentilium mores deflexerant.

4. *In quo*, quapropter, nunc vestram continentiam mirantur *blasphemantes* : maledicentes scilicet vobis et religioni, quæ talem morum in melius mutationem docet et requirit.

5. At ne moveamini injuriis aut ludibriis eorum, memores judicii instantis. Etenim blasphemiæ, totiusque vitæ dissolutæ rationem reddent Christo, vivorum et mortuorum judici. — Frustra scilicet gentiles sibi persuadent, omnia post mortem esse finita, nec mortuis quidquam esse ab ullo judice formidandum.

Hinc Petrus existentiam alterius vitæ probat et explicat, dicens :

6. *Propter hoc enim et mortuis evangelizatum est : ut judicentur quidem secundum homines in carne, vivant autem secundum Deum in spiritu.*

Hujus obscurissimi loci hæc communior datur interpretatio : Propterea quod altera vita existit, Christus, ut supra dictum est, mortuis in limbo redemptionem annuntiavit. Adeo ut defuncti homines, etsi opinione mere humana atque ethnica censentur exstincti, quasi fuissent mera animalis caro ; revera tamen coram Deo vivunt in spiritu, seu anima immortali.

Quoniam de judicio locutus est, hinc motivum ducit non tantum fugiendi peccatum, sed etiam virtutes varias exercendi, præcipue charitatem.

7. *Omnium autem finis appropinquavit. Estote itaque prudentes, et vigilate in orationibus.*

8. *Ante omnia autem mutuam in vobismetipsis charitatem continuam habentes : quia charitas operit multitudinem peccatorum.*

Omnium, inquit, *finis* cum judicio Dei conjunctus, finis scilicet cujusque hominis, finis mundi omniumque rerum humanarum, proximus est. Estote itaque *prudentes*, sapientes, et in periculis hujus mundi circumspecti : quæ prudentia imprimis exercenda est per *vigilantiam* et *orationem*.

8. Deinde tanquam omnium virtutum reginam commendat *charitatem*. eamque *continuam*, nullis offensionibus interruptam — *Quia charitas operit multitudinem peccatorum*, id est, benigne dissimulat, sustinet, excusat offensas proximorum ; secundum illud : *Odium suscitat rixas, et universa delicta operit charitas* (Prov. X, 12). Commendat igitur charitatem ab

effectu, quia pacem et concordiam gignit. Ex consequenti tamen, charitas operit ac delet propria peccata coram Deo : dimittuntur enim debita ei, qui dimittit debitoribus suis.

Hinc alia Petrus attingit, quæ ad charitatis exercitium spectant ; hospitalitatem, usumque charismatum in gratiam proximi.

9. *Hospitales invicem sine murmuratione ;*

10. *Unusquisque, sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei.*

11. *Si quis loquitur, quasi sermones Dei ; si quis ministrat, tanquam ex virtute quam administrat Deus ; ut in omnibus honorificetur Deus per Jesum Christum, cui est gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.*

Libenter, inquit, hospitio excipite alii alios Christianos : non murmurando, quod frequentius forte peregrini adveniant.

10. Item quamcumque *gratiam*, quodcumque scilicet donum Dei, sive temporale sive spirituale acceperitis, illud liberaliter vobiscum invicem, ut membra ejusdem corporis communicate. — *Administrantes* : quia charitas unumquemque nostrum ministrum alterius, et servum quodammodo facit. — *Sicut boni dispensatores* seu œconomi, multiplicium donorum Dei, qui non tam sua, quam Domini sui talenta et bona aliis dispensant : scientes ea sibi in hunc finem esse a Deo concredita.

11. *Si quis* ergo *loquitur* : id est, si quis a Spiritu sancto acceperit donum sermonis, seu prædicationis ; loquatur ac proferat, non tam sermones suos et humanos, quam verba Spiritus sancti, unctionem ejus spirantia. — *Si quis ministrat* : id est, si quis accepit donum, vel munus ministrandi in Ecclesia, sive circa curam animarum, sive circa mysteria altaris : ministret *tanquam ex virtute quam administrat Deus* : id est, quasi animatus Dei spiritu : non ex humana virtute agens ; sed ex illa quam ei suggerit et suppeditat Deus, ut sancte sancta pertractet : *Tanquam ex virtute quam administrat Deus.* — Ut sic in omnibus actionibus nostris glorificetur Deus : cui debetur gloria, et summa atque æterna in omnes creaturas suas auctoritas *per Jesum Christum* : cujus meritis Dei dona et nobis conceduntur, et a nobis Deo accepta referuntur.

Jam transit ad patientiam in persecutionibus.

12. *Charissimi, nolite peregrinari in fervore, qui ad tentationem vobis fit, quasi novi aliquid vobis contingat :*

13. *Sed, communicantes Christi passionibus, gaudete, ut et in revelatione gloriæ ejus gaudeatis exultantes.*

Nolite, inquit, tanquam rem peregrinam mirari *fervorem*, seu ignem tribulationum, quibus permittit vos probari Deus ; nequaquam enim novum est, electos sicut aurum in fornace

probari : prout inde a protomartyre Abel videmus. Sed potius, quia sic participes estis beatæ ac gloriosæ passionis Christi, gaudete jam, ut plenius gaudeatis in die mercedis. — Hinc particularius explicat illam passionum Christi participationem.

14. *Si exprobramini in nomine Christi, beati eritis : quoniam quod est honoris, gloriæ, et virtutis Dei, et qui est ejus Spiritus, super vos requiescit.*

15. *Nemo autem vestrum patiatur ut homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor ;*

16. *Si autem ut Christianus, non erubescat : glorificet autem Deum in isto nomine.*

Quod Dominus discipulis dixit, beatos eos fore si probris afficiantur propter nomen suum, id Petrus fidelibus repetit ; simul explicans, quænam sit futura illa beatitudo promissa : Quoniam, ait, verus honor, gloria et fortitudo, quæ a Deo dantur, imo ipse Spiritus Dei cum omnibus istis donis *super vos requiescit*, inhabitat in vobis, pro Christi nomine patientibus.

Pro hoc nomine ergo, et propter justitiam, patiendum est Christianis ; imo hujusmodi perpessio appetenda non minus, quam fugienda punitio probrosa, quæ incurritur propter publica crimina : *Nemo vestrum patiatur ut homicida....* Hæc vere ignominiosa cum sint, et Christiano indigna, in his erubescat ; in injuriis autem propter justitiam, glorietur : et *glorificet Deum in isto nomine*, id est, laudet Deum hac de re, hac de causa, quod sibi donatum sit pro Christo contumeliam pati.

Quæ hactenus de Christiana patientia dixit, corroborat alia ratione : quod nimirum omnibus necessarium sit pati, ut justo Dei judicio, seu decretis justitiæ ejus satisfiat.

17. *Quoniam tempus est ut incipiat judicium a domo Dei. Si autem primum a nobis, quis finis eorum qui non credunt Dei Evangelio ?*

18. *Et si justus vix salvabitur, impius et peccator ubi parebunt ?*

19. *Itaque et hi qui patiuntur secundum voluntatem Dei, fideli Creatori commendent animas suas in benefactis.*

Particula explicativa *quoniam* referenda videtur ad versum 12, ubi dicendo : *Nolite peregrinari in fervore*, explicationem promittit. Docet ergo, in tempore hoc præsentis vitæ incipere Dei *judicium*, quo peccata hominum punit. Judicium autem istud incipit jam, ut aliquando in judicium universale desinat et compleatur. — Incipit *a domo Dei*, id est, ab Ecclesia et fidelibus : hi enim temporaliter flagellantur in hoc sæculo, ne æternaliter torqueantur in futuro. — Si autem vindicta Dei incipit a suis electis, nec illis parcit quos diligit, *quis finis*

eorum, quale erit finale judicium reproborum, *qui non credunt Dei Evangelio ?*

18. *Et si justus vix*, non aliter quam per multas tribulationes *salvabitur*, quid de impiis fiet ? *Ubi parebunt ?* ubi apparebunt, vel apparere audebunt ? Nonne in omnibus latebris abscondent se a facie judicis ? — Citat hic Petrus juxta LXX textum Proverbiorum, XI, 31, quem Vulgata sic habet : *Si justus in terra recipit* pœnas, *quanto magis impius et peccator* in futura vita ?

17. *Itaque*, cum res ita se habeat, et arcta sit via salutis, etiam hortor eos, qui patiuntur in hoc mundo *secundum voluntatem Dei :* id est, qui patiuntur tribulationes quas Deus vult, et sicut vult ; — ut perseverando in bonis operibus, cum fiducia suas animas commendent *Creatori fideli* : etenim ipse, pro sua fidelitate in promissis, tuebitur eas in hoc mundo et coronabit in futuro.

CAPUT I.

---

1. Seniores ergo qui in vobis sunt obsecro, consenior, et testis Christi passionum, qui et ejus quæ in futuro revelanda est gloriæ communicator :

2. Pascite qui in vobis est gregem Dei, providentes non coacte, sed spontanee secundum Deum ; neque turpis lucri gratia, sed voluntarie ;

3. Neque ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo :

4. Et cum apparuerit princeps pastorum, percipietis immarcescibilem gloriæ coronam.

5. Similiter, adolescentes, subditi estote senioribus. Omnes autem invicem humilitatem insinuate : quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.

6. Humiliamini igitur sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis :

7. Omnem sollicitudinem vestram projicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis.

8. Sobrii estote, et vigilate : quia adversarius vester diabolus, tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret ;

9. Cui resistite fortes in fide : scientes, eamdem passionem ei quæ in mundo est, vestræ fraternitati fieri.

10. Deus autem omnis gratiæ, qui vocavit nos in æternam suam gloriam in Christo Jesu, modicum passos ipse perficiet, confirmabit, solidabitque.
11. Ipsi gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.
12. Per Silvanum fidelem fratrem vobis, ut arbitror, breviter scripsi : obsecrans et contestans, hanc esse veram gratiam Dei, in qua statis.
13. Salutat vos Ecclesia quæ est in Babylone coelecta, et Marcus filius meus.
14. Salutate invicem in osculo sancto. Gratia vobis omnibus, qui estis in Christo Jesu. Amen.

—

Explicatio.

Caput quintum, non secus ac præcedens, totum est *ethicum*. Alloquitur Apostolus 1° pastores Ecclesiæ, ut eos pastoralis curæ admoneat ; 2° laicos, ut eos ad obediendum pastoribus hortetur ; 3° omnes, ut eos doceat humilitatem, sobrietatem, et fortitudinem adversus tentationes diaboli.

1. *Seniores ergo qui in vobis sunt, obsecro, consenior et testis Christi passionum, qui et ejus quæ in futuro revelanda est, gloriæ communicator.*

Si justus, ait, vix salvabitur, ergo videte pastores, ut munere vestro sollicite fungamini.

Nominatim sermonem convertit ad *seniores*, πρεσβυτέρους, id est, sacerdotes et episcopos (Act. XX, 17, 28) ; *qui*, inquit, *in vobis sunt*, inter vos sunt et vobis præsunt. — Eos alloquitur mansuete et humiliter, dicens : *Obsecro*, cum imperare posset ; quia superiorum preces sæpe plus valent quam imperia. Vocat se, non summum sacerdotem, *archipresbyterum*, sed *compresbyterum* aut coepiscopum : ut isto humilitatis exemplo ostendat quod mox docebit verbo, quomodo presbyteri subditos suos tractare debeant. Cæterum hujusmodi familiaritas et dignatio, qua superior inferioribus salva auctoritate se quodammodo æquat, amorem conciliat et benevolentiam.

Consenior *et testis*, id est : vel spectator olim præsens *passionum Christi*, in horto et in domo Caiphæ ; vel melius, particeps Christi passionum : scilicet *martyr*, et testis passionis salvificæ Christi totiusque fidei Christianæ, per passiones pro Christi toleratas : proptereaque *communicator* seu particeps ejus gloriæ futurus. *Si* enim *commortui sumus, et convivemus ; si*

sustinebimus et conregnabimus (II Tim. II, 12). — Post præambulum humilitate et sanctitate plenum, monita proponit :

2. *Pascite qui in vobis est gregem Dei, providentes non coacte, sed spontanee secundum Deum ; neque turpis lucri gratia, sed voluntarie ;*

3. *Neque ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo :*

4. *Et cum apparuerit princeps pastorum, percipietis immarcescibilem gloriæ coronam.*

Monet itaque pastores, 1° ut gregem, qui in potestate et sub regimine ipsorum est, considerent non tam ut suum, quam ut *gregem Dei*, Christi, supremi pastorum principis, cui rationem se reddituros sciant. — 2° Ut proinde gregem hunc *pascant* verbo, exemplo, oratione, sacramentis, eleemosynis tam corporalibus quam spiritualibus. — 3° Ut *provideant*, id est, superintendant, et attente ac vigilanter quasi ex alta specula subjectas oves prospiciant. — 4° Idque faciant *non coacte*, græce *non necessario*, quasi mercenarii, victus sibi comparandi necessitate compulsi ; *sed spontanee secundum Deum* : id est, voluntarie, ex affectu spiritualis boni fidelium, secundum Dei voluntatem. Vult enim Deus, ut præmia æterna et divinum honorem principaliter aspiciant ; et prohibet, ne mercedem temporalem primario intendant. — 5° Nec agant *turpis lucri gratia*, id est, propter temporale lucrum, turpiter ex munere tam sacro et divino captandum ; sed *voluntarie*, voluntate quæ a temporali emolumento minime dependeat, et subtractis humanis commodis nihil segnius agat. — 6° Nec superbe, dure ac tyrannorum instar subditos tractent, sed paterne : *Neque ut dominantes in cleris*. Vox *cleri*, significat *sortes* : nempe sive Ecclesias particulares quæ singulis Episcopis quasi per sortem obtigerunt ; sive, ut S. Hieronymus sentit, non totos greges, sed tantum clericos, qui in Ecclesia specialiter sunt *clerus*, sors et pars Domini : cujus servitio, sicut olim Levitæ, dedicati sunt. — 7° Ut exemplum sint fidelium : *forma gregis*, græce τύποι, seu exemplaria ; et quidem *ex animo*, ita nempe, ut exempla virtutum quæ subditis præbent, non sint hypocrisi conficta, sed ex corde et puro zelo procedant.

Notandum. — Tribus negativis particulis : *non coacte*, *non turpis lucri gratia*, *non ut dominantes in cleris* , indicantur tres vitiosi fines , propter quos ambiri solent pastoratus et dignitates ecclesiasticæ : nempe fuga paupertatis, avaritia, et superbia.

4. Postquam perfectam pastoribus regulam proposuit , eam efficacius insinuat ac suadet , proponendo secuturam mercedem : *Percipietis*, inquiens , *immarcescibilem gloriæ coronam.*

Scilicet vita æterna fidelibus pastoribus dabitur juste promerita ; sicut olim coronæ, ex floribus aut foliis lauri, oleæ, quercusve contextæ, dabantur victoribus in stadio et agone. Sed illæ celeriter marcescebant ; corona vero quam reddet Christus, æterna est et immarcessibilis. — Per *coronam gloriæ* intelligit A Lapide cum aliis, non tantum coronam et gloriam essentialem ; sed etiam aureolam doctorum et prædicantium verbum Dei, quæ est præmium quoddam accidentale, sicut aureola Virginum et Martyrum.

5. *Similiter, adolescentes, subditi estote senioribus*... Sicut monuit seniores, ita *similiter* et reciproce admonet *adolescentes* : quo nomine intelliguntur generatim omnes pastorum subditi, et speciatim *laici*. — Quibus tanquam unum necessarium et sufficiens commendat, ut debitam præstent reverentiam et obedientiam pastoribus.

Hinc extendit exhortationem ad omnes, sic pergens :

... *Omnes autem invicem humilitatem insinuate, quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.*

6. *Humiliamini igitur sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis :*

7. *Omnem sollicitudinem vestram projicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis.*

Imprimis commendat humilitatem : ut omnes, unusquisque erga alterum, etiam superior erga inferiorem, *humilitatem insinuent*, exhibeant et ostendant, potius quam fastum aut præeminentiam : quare græce dicitur : *Humilitatem induite.*

Motivum addit, *quia Deus superbis resistit ; humilibus autem*, eisque solis, *dat gratiam* copiosiorem. — Et concludit, ut *humilientur*, humiliter nempe et cum timore ambulent, *sub potenti manu Dei :* quæ elevata est ut feriat et deprimat superbos, ipsos autem humiliantes se exaltabit *in tempore visitationis :* nempe in fine sæculi, quando visitabit gregem suum, dividetque oves ab hædis.

Ita tamen inquit, oportet vos sub potenti manu Dei humiliari, et cum timore incedere, ut vester timor sit tranquillus, non sollicitus : *projecta omni sollicitudine*, id est, anxia cura omnium rerum quæ ad vos, sive in tempore, sive in æternitate pertinent, *in eum* : nempe inter brachia Dei, quæ sunt bonitas et providentia : *Quoniam ipsi cura est de vobis.*

Transit jam ad officium resistendi tentationibus.

8. *Sobrii estote, et vigilate : quia adversarius vester diabolus, tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret ;*

9. *Cui resistite fortes in fide : scientes eamdem passionem ei quæ in mundo est, vestræ fraternitati fieri.*

10. *Deus autem omnis gratiæ, qui vocavit nos in æternam*

suam gloriam in Christo Jesu, modicum passos ipse perficiet, confirmabit, solidabitque.

11. *Ipsi gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.*

Resistendum, ait, diabolo, per fidem, sobrietatem, vigilantiam ; perseverent constanter, juvantes sese et consolantes interim spectaculo fratrum christianorum, qui ubique terrarum similes tribulationes patiuntur ; et respicientes in Dei adjutorium atque futurum præmium.

8. *Diabolus*, inquit, *tanquam leo* præ fame *rugiens, circuit* : etenim etsi Christi morte regno depulsus, per deserta et avia circumiens ; adhuc, ut ait Origines (1), latrocinatur usque ad finem sæculi.

9. *Cui resistite*, sicut milites sobrii et vigilantes resistere solent hosti, qui dolo vel assultu tentat invadere civitatem. — *Fortes in fide*, græce *solidi in fide* : id est, scuto fidei solido et impenetrabili armati : divinis nempe futuræ vitæ promissionibus solide et immobiliter adhærentes.

Quo vehementius fideles ad certandum stimulet, ostendit eis. 1° tribulationes fratrum, ut eorum fortitudinem æmulentur ; 2° Deum, qui certantes adjuvat, perficit et coronat. Ipse, inquit, *perficiet*, usque ad summum ædificii spiritualis fastigium, quod est vitæ æternæ corona. *Confirmabit*, sicut ædificia anchoris, columnis et fulcris firmantur, ut aeris tempestates et ventos diutius ferre possint. *Solidabitque* : hæc etiam est vox mechanica, ab ædificio coporali translata ad spirituale ædificium, quod Deus inchoat in hac mortali vita, perficit vero, consummat, et omnibus suis partibus compaginat in vita futura : gloriæ culmen imponendo, et sic confirmando, solidando et fundando suos electos, ut ab illo felicissimo statu nunquam decidere possint. Et hoc quidem ædificium salutis hominum terminatur in gloriam æternam Dei : *Ipsi gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen*

12 *Per Silvanum fidelem fratrem vobis, ut arbitror, breviter scripsi : obsecrans et contestans, hanc esse veram gratiam Dei, in qua statis.*

13. *Salutat vos Ecclesia quæ est in Babylone coelecta, et Marcus filius meus.*

14. *Salutate invicem in osculo sancto. Gratia vobis omnibus, qui estis in Christo Jesu. Amen.*

Epistolæ conclusio. — *Silvanum* nominat Epistolæ latorem, seu tabellarium, quia eo tempore solebant quidam falsis Apostolorum epistolis fideles interdum decipere. — *Breviter*, inquit, *scripsi* : quia nec verbis valde prolixa est Epistola, et amanti-

(1) *In Epist. ad Rom.* lib. 5.

bus breves videntur amicorum, de rebus præsertim magnis et jucundis, litteræ. Unde fortasse addit : *Ut arbitror*. Deinde *obsecrat* ut servent quæ commendavit ; et *testatur* tanquam Apostolus Christi, eos esse in vera fide ac via salutis ; quidquid forte pseudoapostoli aliud ipsis insinuent : Hæc, inquiens, est *vera gratia; in qua statis* hactenus, et licet multis pulsati tentationibus firmiter permanetis.

13. *Salutat vos*, temporalem æternamque felicitatem vobis apprecans, Ecclesia, quæ in urbe Roma etsi Babyloni simillima (1), tamen per gratiam Dei est vobiscum ad fidem *coelecta* ; nec non *Marcus filius meus*, in Christo per Evangelium a me genitus.

14. Salutate et amplectimini invicem cum osculo, sancti et casti amoris indice. — Deinde, sicut a gratia exorsus est, ita in gratia desinit : *Gratia vobis omnibus, qui estis in Christo Jesu* : qui nempe in Christi corpus mysticum per fidem, spem, et charitatem estis coadunati. Quibus verbis significat, licet scribat nominatim Ecclesiis Ponti et Galatiæ, etiam ad omnes per orbem Christianos suam Epistolam pertinere, eamque esse *catholicam*.

—

SERIES II.

Evangelia selecta.

—

DOMINICA DUODECIMA POST PENTECOSTEN.

Evangelium . *Parabola boni Samaritani*. Luc. X. 23-37.

23. Dixit Jesus discipulis suis : Beati oculi qui vident quæ vos videtis. — 24. Dico enim vobis, quod multi prophetæ et reges voluerunt videre quæ vos videtis, et non viderunt; et audire quæ auditis, et non audierunt. — 25. Et ecce quidam legisperitus surrexit tentans illum, et dicens : Magister, quid faciendo vitam æternam possidebo? — 26. At ille dixit ad eum : In lege quid scriptum est? quomodo legis? — 27. Ille respondens dixit : Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex omnibus viribus tuis, et ex omni mente tua ; et proximum tuum sicut te ipsum. — 28. Dixitque illi : Recte respondisti : hoc

(1) Vid. supra de nomine *Babylonis*, pag. 257.

fac, et vives. — 29. Ille autem volens justificare se ipsum, dixit ad Jesum : Et quis est meus proximus ?

30. Suscipiens autem Jesus, dixit : Homo quidam descendebat ab Jerusalem in Jericho, et incidit in latrones, qui etiam despoliaverunt eum ; et plagis impositis abierunt, semivivo relicto. — 31. Accidit autem ut sacerdos quidam descenderet eadem via ; et viso illo, præterivit. — 32. Similiter et levita, quum esset secus locum et videret eum, pertransiit. — 33. Samaritanus autem quidam, iter faciens, venit secus eum ; et videns eum, misericordia motus est. — 34. Et appropians alligavit vulnera ejus, infundens oleum et vinum ; et imponens illum in jumentum suum, duxit in stabulum, et curam ejus egit. — 35. Et altera die protulit duos denarios, et dedit stabulario, et ait : Curam illius habe ; et quodcumque supererogaveris, ego quum rediero, reddam tibi. — 36. Quis horum trium videtur tibi proximus fuisse illi, qui incidit in latrones ? — 37. At ille dixit : Qui fecit misericordiam in illum. Et ait illi Jesus : Vade, et tu fac similiter.

—

Explicatio prima.

I. *Beatitudo discipulorum Christi.*
II *Dilectio Dei et proximi.*
III. *Parabola Samaritani proximum diligentis.*

23. *Dixit Jesus discipulis suis : Beati oculi qui vident quæ vos videtis.*

Anno prædicationis Domini tertio, et, ut probabilius videtur, mense Octobri, quum discipuli a missione evangelica reverterentur, et lætabundi successum sui ministerii Domino referrent ; ipse, cum gaudentibus gravisus, exultavit in Spiritu sancto, et gratias Patri egit propter dona, suis discipulis tam misericorditer concessa. — Deinde, sermone ad discipulos converso, quo melius felicitatem ac bona sua cognoscererent, dixit : Miracula quæ patrastis, etsi dona Dei, parva tamen sunt in comparatione majoris gratiæ, ob quam multo magis gaudere debetis : *Gaudete quod nomina vestra scripta sunt in cœlis.* Hinc singulares misericordias, eis a Patre concessas, gratulabundus contemplans, adjunxit :

Beati oculi qui vident quæ vos videtis !

Supplendum est : *et beatæ aures, quæ audiunt quæ vos auditis !* — Oculi et aures intelliguntur, tum corporis, tum potius mentis, et sensus est : Beati estis vos, mei discipuli, quibus Messiam præsentem videre, et verba ejus audire datum sit ; beati, inquam, quia mysteria regni cœlestis a me, tum externo sensu, tum interno hauritis, ita ut ea et suspiciatis et amplectamini. Oculis enim corporis videtis meam personam, mea exempla, mea miracula ; auribusque auditis cœlestem meam doctrinam : at, quod longe potius est, oculis et auribus mentis a Deo illuminatæ, eadem percipitis, creditis, gustatis, quæ æternæ vitæ omnisque felicitatis principium continent.

Hæc Domini verba eo spectant, ut discipuli in fide confirmentur, et gratiam sibi concessam magni faciant, quæ tot prophetis et regibus fuerit negata.

24. *Multi prophetæ et reges voluerunt videre quæ vos videtis, et non viderunt ; et audire quæ auditis, et non audierunt.*

Gratiam discipulis factam adhibita comparatione amplius extollit : *Multi*, inquit, *prophetæ et reges voluerunt videre quæ vos videtis, et non viderunt.*

Ea scilicet, quæ futura credebant, voluerunt *videre* suis oculis præsentia : Christum nempe, Verbum incarnatum, mundique Salvatorem, et ejus opera, quibus mirabiliter redempturus esset humanum genus. — Voluerunt *et audire* incarnatam Sapientiam, regnum cœlorum ejusque mysteria prædicantem, explicantem, atque tradentem...

Hæc videre et audire *voluerunt,* hoc est, summis votis exoptarunt : quippe qui sub onere maledictionis quo premebatur humanum genus, gementes, promissæ liberationis desiderio toti arderent. Ita tamen illa desiderarunt, ut animos suos patienter Deo submitterent, temporis plenitudinem exspectantes. — Sic *Abraham exultavit ut videret diem Christi* (Joan. VIII, 56) ; Jacob desideranti animo exclamabat : *Salutare tuum exspectabo, Domine* (Gen. XLIX, 81) ; Isaias vero : *Rorate cœli desuper, et nubes pluant justum : aperiatur terra, et germinet Salvatorem* (Isai. XLV, 8). — Idem sensus, idem votum fuit omnium justorum veteris Testamenti, ut cernerent scilicet et audirent Messiam, mundi Salvatorem ac Doctorem.

Non tamen quod tam sancte tamque ardenter expetierunt, consecuti sunt : *Non viderunt, et non audierunt*, nisi per fidem. Ut enim Apostolus inquit : *Juxta fidem defuncti sunt omnes isti, non acceptis repromissionibus ; sed a longe eas aspicientes, et salutantes.* Hebr. XI, 13.

Nominat Dominus *prophetas* et *reges*, nobilissimas nempe personas, quæque dignissimæ fuisse videbantur ut Christum viderent, nec tamen videre eum potuerunt : ut -1) eo magis gratiam et felicitatem Apostolorum commendet ; -2) ut Apostolos Prophetis antepositos esse ostendat : quod enim Prophetæ longe, illi prope ; quæ Prophetæ obscure, illi perspicue ; quæ Prophetæ spiritu ac fide, illi etiam corporeis oculis cernebant, imo tenebant manibus.

25. *Et ecce quidam legisperitus surrexit, tentans eum.*

Quod dicit Evangelista : *Et ecce*, meram hic transitionem ad aliam rem narrandam significat, quasi diceret : Ecce autem quodam tempore... Non enim est intelligenda continua, series hujus historiæ cum præcedentibus.

Legisperiti, qui etiam Scribæ aut legis doctores vocabantur, viri erant litterati, qui sacræ Scripturæ describendæ, legendæ et explicandæ vacabant ; plerique autem cum Pharisæis Christo Domino adversabantur. — Legisperitus, de quo hic sermo est, cum loqueretur Dominus in synagoga, vel in alio publico loco, *surrexit* ut eum interrogaret : non animo sincero discendi ; sed ficto et doloso *tentandi* Christum : id est, experiendi, an non in Domini responsione aliquid a lege alienum deprehenderet, ex quo occasionem caperet eum, tanquam Legis contemptorem et hæresis auctorem traducendi. Quare captiose interrogat :

Magister, quid faciendo vitam æternam possidebo ?

Sensus est : Quæ tandem opera, quid faciendum mihi doces, ut eam quam semper prædicas et promittis, æternam vitam obtineam ?

Fingit homo legisperitus, se salutis viam ignorare ; et quasi Christi discipulus esse vellet, eum Magistrum appellat, ac velut unus de imperita multitudine rogat, ut eo securius et minore cautela Christus respondeat. Dominus itaque respondet ei :

26. *In lege quid scriptum est? quomodo legis?*

Sensus est : *In lege* Moysis *quid scriptum est* tanquam primum ac maximum mandatum ? quidve Lex præcipue faciendum præcipit ? *Quomodo legis* illic præceptorum summam ? Non existimes me dicturum quidpiam contrarium Legi : quam enim vitæ æternæ viam Lex ostendit, hanc ego doceo. Jam vero tu, legisperite, eadem non ignoras, et facile summatim indicare potes.

Itaque legisperitum, qui ignorantiam simulando, Christi doctrinam explorare volebat, prudenter Dominus ad Legem mit-

tit : sic enim, -1) ejus malitiam tacite reprehendit, ostenditque eum non ignorare quæ interrogat ; -2) sic indicat viam salutis in observanda Lege sitam esse ; et -3) responsionis directæ invidiam declinat. Mittendo namque hominem ad Legem, qua tantopere gloriabatur, id efficit, ut non tam ipse quam Lex respondeat et interrogantem condemnet. Respondet ille :

27. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex omnibus viribus tuis, et ex omni mente tua ; et proximum tuum sicut te ipsum.*

Ne imperitus videretur, doctor respondere debebat, et quidem quam rectissime. Quare verba recitat Deuteronomii VI, 5, de dilectione Dei, quæ summa est mandatorum primæ tabulæ ; additque (ex Levit. XIX, 15) præceptum dilectionis proximi, quod compendium est mandatorum secundæ tabulæ : ita ut duobus veluti verbis proferat id omne, quod in Lege scriptum est. Rectissime ergo respondit, Domino ipso testante, et dicente : 28. *Recte respondisti* ; *hoc fac, et vives* : i. e. sicut bene cognoscis, ita opere imple hanc Legem, et vitam æternam possidebis.

29. *Ille autem, volens justificare se ipsum, dixit ad Jesum...*

Id est, demonstrare volens, se animo justo et sincero ad discendum interrogasse... — Quæstio enim proposita et responsio data, tam facilis tamque vulgaris erat, ut ex parte legisperiti aperta fictio et delusio videretur. Quare, ut hanc suspicionem removeat homo, ostendere nititur quæstionem nequaquam esse tam simplicem, sed magnam difficultatem implicare, inter ipsos doctores valde disputatam, cujus solutionem peteret : de sensu nempe vocis *proximi*. Subjicit ergo :

Et quis est meus proximus ?

En novus magisque apertus interrogationis laqueus, quem subdolus homo Domino struere festinat. Ideo fortassis summam Legis recitando, explicite præceptum dilectionis proximi enuntiavit, ut sic ansam captaret, Dominum in controversia *de proximo* involvendi. — Nam quis *proximus* in lege vocaretur, inter Judæos controvertebatur : alii enim solos Judæos, alii solos amicos, alii solos justos censebant esse proximos, et ut tales diligendos ; omnes passim statuebant, a proximorum nomine et jure secludendos esse inimicos et gentiles, atque a fortiori Samaritanos, Judæis maxime exosos. Samaritani nimirum, utpote schismatici et hæretici, a Judæis tanquam jurati hostes, et magis quam ipsi gentiles, odibiles censebantur.

Astute ergo legisperitus de proximo quærit, et interrogat, quis proximus ille sit, quem Lege jubeatur diligere sicut seipsum : astute, inquam, quia suspicatur Dominum sententiæ Scribarum contradicturum esse, nomen proximi latius extendendo. At Christus proposita parabola ita respondet, ut interrogatorem fateri cogat, proximum suum esse etiam Samaritanum : i. e. hominem qui maxime indignus ac adversarius sibi videretur ; adeoque omnem hominem esse alterius proximum.

Hanc porro parabolam seu, ut multi volunt, historiam, etsi eo fine potissimum afferat in medium Jesus, ut doceat quis sit proximus noster ; nihil obstat tamen, quin per eamdem parabolam declarare voluerit mysterium, tum lapsus, tum reparationis humani generis : quemadmodum jam inde ab initio nascentis Ecclesiæ, christiani tractatores docuerunt.

30. *Suscipiens autem Jesus, dixit : Homo quidam descendebat ab Jerusalem in Jericho, et incidit in latrones.*

Parabola hominem exhibet miserabilem, cui neque sacerdos, neque levita Judaicus, sed alienigena Samaritanus misericordiam præstat. — Homo ille ab Jerusalem in Jericho descendit, ut indicetur fuisse Judæus, et quidem Jerosolymitanus civis, qui majore misericordia dignus videri poterat Judæis, et magis contemptibilis Samaritano. — A Jerusalem in Jericho via erat frequentissima quidem, sed per saltus ducens, ob latronum latebras periculosos. Quare cum dicitur, viatorem illic incidisse in latrones, parabola sumitur a re verisimili, imo fortassis, ut dictum est, a re historice vera.

Qui etiam despoliaverunt eum, et plagis impositis abierunt, semivivo relicto.

Non tantum hominem ex insidiis adorti sunt, sed eum etiam pecuniis, vestibus, rebusque omnibus quæ habebat, spoliaverunt ; nec præda, quam principaliter intendebant, contenti, eum insuper vulneratum in via reliquerunt : ne scilicet vicinos in auxilium contra eos vocaret, vel suscitaret publicam legis vindictam. — Relicto itaque homine in via semimortuo, *abierunt* latrones, fugientes nempe in silvas.

31. *Accidit autem ut sacerdos quidam descenderet eadem via ; et viso illo præterivit.* — 32. *Similiter et levita, quum esset secus locum, et videret eum, pertransiit.*

Sacerdos quidam Aaronicus, eadem forte via iter faciens, vidensque hominem jacentem, non modo ejus misertus non est ;

sed horrore plagarum perculsus, statim transiit : imo juxta vim vocis græcæ (ἀντιπαρῆλθε), retrorsum abiit, et in contrariam partem iter suum reflexit. — Ille ergo, qui maxime officium charitatis erga proximum implere debebat, illud turpissime neglexit. Et levita, ad eamdem sacerdotalem tribum pertinens, eadem inhumanitate animatus apparet. Exemplum detestandum duritatis erga pauperes et miseros.

33. *Samaritanus autem quidam iter faciens, venit secus eum ; et videns eum misericordia motus est.*

Quanto iniquior duritas illorum, tanto honestior ac laudabilior affulget misericordia Samaritani. — Samaritanus scilicet homo erat natione ac genere alienus, imo Judæis exosus. Oderant enim Samaritanos Judæi, etiam plus quam alios ethnicos, eo quod Israelitæ haberi vellent, et populus Dei, suumque templum cum Jerosolymitano conferrent, cum essent profani et degeneres, nulloque modo ex sanctis Patribus oriundi. Samaritani ergo signanter exemplum profert Christus, ut demonstret, et legisperitum fateri cogat, etiam inimicos nostros, adeoque omnes homines esse proximos nostros, quos ex mente Legis diligere teneamur.

Samaritanus itaque iter faciens, cum venisset ad locum, ubi miser ille jacebat vulneratus, statim ac triste spectaculum vidit. *misericordia motus est*, eaque non sterili, sed maxime efficaci. Nam,

34. *Appropians alligavit vulnera ejus, infundens oleum et vinum.*

Non tantum igitur ab homine miserabili sese non avertit, nec tantum substitit, atque oculis ac verbis commiserationem significavit ; sed a jumento descendens, ad miserum appropiavit, vulnera inspexit, remedia quæsivit. Cumque pro viatico oleum et vinum jumento imposuisset, accepit illa : et prius vulnera vino abluit, deinde lenivit oleo, linteisque alligavit ea atque constrinxit, ne sanguinem et saniem ulterius emitterent. — Nec sic reliquit hominem ; sed,

Imponens illum in jumentum suum, duxit in stabulum et curam ejus egit.

Humeris nimirum sublatum jumento suo imposuit, et ipse pedes incedens, frenumque tenens, deduxit *ad stabulum*, hoc est, ad diversorium proximum, et *curam ejus egit*. Voluit enim quam plenissime miserum juvare ; quare non statim abiit, sed mansit ut prospiceret ei de cibo, igne, lecto, medico, medicamentis, cæterisque rebus ad curam necessariis vel

opportunis. — Pulcherrimum sane exemplum beneficentiæ et charitatis erga miseros.

35. *Et altera die protulit duos denarios, et dedit stabulario, et ait : Curam illius habe ; et quodcumque supererogaveris, ego quum rediero, reddam tibi.*

Ne quid deesset, utque misericordiæ opus omnino perficeret, postquam noctem cum suo cliente transegerat, cum jam abire cogeretur, stabularium seu hospitem, in suo veluti loco constituit, data pecunia, quantam sufficere putabat impensis faciendis usque ad suum reditum : *Protulit duos denarios* (1). Verum ne forte pecunia exigua videretur, ideoque hospes parcius ageret, utque nihil omitteretur quod ad vulnerati curationem requiri posset, dixit : *Curam illius habe,* nec ullis parce impensis : nam *quodcumque supererogaveris, ego, cum rediero reddam tibi.* — Fidejubet vir beneficus : quin et reditum pollicetur ; credibile autem est eum notum fuisse hospiti, eo quod sæpius illac transiret ; jamque statuisse ad hoc hospitium, post diem unum aut alterum redire, quando, confectis Jerichunte negotiis, per Jerusalem in Samariam esset reversurus. Certe declarat se non quieturum, donec videat saucium incolumem.

Quid responderit ipse infirmus, quantaque effusione benefactori suo gratias egerit, sacer textus non addit, sed cordibus æstimandum relinquit.

36 *Quis horum trium tibi videtur proximus fuisse illi, qui incidit in latrones ? —* 37. *At ille dixit : Qui fecit misericordiam in illum.*

Quærit Dominus, quis horum trium fuerit proximus hominis miseri : prioresne, qui averterunt se ab eo ; an ille qui ejus misertus est ? non ut insinuet, tanquam proximos tantum diligendos esse eos, qui nobis benefecerint ; sed potius ut doceat, omnes homines esse nostros proximos, ita ut erga omnes officia charitatis præstare debeamus. Etenim sensus est : Quis debuit fungi, et vere functus est officio charitatis erga proximum, juxta mentem Legis ?

Ipse honestatis sensus legisperitum respondere cogit : *Samaritanus :* ille nempe, *qui fecit misericordiam ;* unde Christus tacite concludit : ergo Legis mens et sensus est, ut inimicus etiam in inimico, atque adeo omnis homo in alio homine proximum agnoscat, et erga eum charitatem ac misericordiam exer-

(1) Nempe valorem franci nostratis unius cum dimidio, vel duplum ; erat enim denarius duplicis generis.

ceat. Quare addit Dominus : Et tu, sicut Samaritanus, non tantum agnosce proximum tuum, sed etiam opere et effectu eum dilige : *Vade, et tu fac similiter.*

Vade, et tu fac similiter.

Illud *vade*, ex phrasi hebraica, mera formula est responsionem absolventis, et dimittentis a se. — Dicendo, *et tu fac similiter*, probat Jesus responsionem Scribæ, monetque eum, ut ipse se ad suam responsionem accommodet ; quasi diceret : Et tu similiter omnem hominem tanquam proximum tuum considera, et benefac omnibus, quicumque misericordia aut auxilio tuo indigeant.

Fac similiter, scilicet misericordiam, ut ille Samaritanus cum Judæo : si Dei de proximo sicut teipsum diligendo, velis implere mandatum. Samaritanus agnovit se esse proximum Judæi illius, nec non vicissim Judæum illum esse proximum suum ; ac proinde ut impleret legem sive Dei sive naturæ, dilexit eum, non affectu tantum aut verbis, verum etiam rebus ipsis, adeoque plenissimis amoris officiis, sicut seipsum. Ita tu, simili re nata, ostende te proximum esse cujusvis hominis tibi obvii ; et vicissim, quemvis hominem proximum tuum esse, circa quem observandum tibi sit dilectionis præceptum : nulla habita ratione, utrum Samaritanus sit an Israelita, utrum amicus an inimicus, utrum justus an impius, utrum cognatus an extraneus ; quemadmodum Samaritanus ille nullam horum rationem habuit : *Vade, et tu fac similiter.*

—

Explicatio secunda.

Beati oculi qui vident quæ vos videtis !

1° En felicitas discipulorum Christi, qui cum ipso visibiliter in mundo conversante vixerunt : -1) beati fuerunt præ prophetis et regibus antiquis ; quia corporaliter viderunt et audierunt Messiam, quem illi per fidem tantum cognoverunt, et cujus tantum velut auroræ lucem acceperunt. -2) Beati præ reliquis Judæis coævis suis, qui Christum, ejusque miracula et doctrinam viderunt quidem et audiverunt corporaliter, non vero simul spiritualiter, oculis nempe fidei et auribus obedientiæ : quia credere noluerunt. -3) Beati peculiari modo, quia ex ore Christi audierunt illud : *Gaudete, quod nomina vestra scripta sunt in cœlis.*

2° *Beati oculi qui vident quæ vos videtis !* En quoque felicitas omnium nostrum, Christi fidelium : beati enim sumus, -1) præ

gentilibus, qui adhuc in umbra mortis sedent ; -2) beati præ coævis Christianis plurimis, qui audiunt et vident Ecclesiam Christi et fidei monumenta, sed credere nolunt ; -3) beati præ ipsis Christi Domini coævis, qui Christum quidem in vita sua mortali viderunt : sed mundum per Christum conversum non viderunt, neque Ecclesiam fundatam, impugnatam, et per tot sæcula miraculose triumphantem, sicut nos vidimus et videmus ; ita ut ex una parte fidei argumenta habeamus evidentia : *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis* (Ps. XCII) ; et ex altera parte, totum habeamus fidei meritum, eo quod oculis corporeis Dominum Jesum non videmus : *Beati qui non viderunt et crediderunt.* Joan. XX, 29.

3° *Beati oculi qui vident quæ vos videtis !* En quoque felicitas eorum, qui sicut sacerdotes et religiosi, peculiari gratia donati sunt, ut melius fidei documenta cognoscant ; — qui vident bona exempla, audiuntque salutaria monita, præ tot aliis, qui hujusmodi subsidiis sunt destituti. — At cum augentur dona, reddendæ rationes etiam crescunt donorum....

4° Iisdem Domini verbis innuuntur nobis thesauri, quos possidemus im Christo Jesu : quique omnes reducuntur ad videndum et audiendum eum, per fidem, et per obedientiam charitatis. Hæc felicitas inchoatur in terra, consummatur in cœlis...

Quidam legisperitus surrexit, tentans eum.

1° Exemplum quo docemur, doctrinam et scientiam cum virtute ac pietate esse necessario conjungendam : et, si ignorantia est vitiorum mater, scientiam non esse vitiorum expultricem, nisi quatenus humilis est ac pia, seu vere christiana. — Legisperitus enim iste, juxta professionem suam scientia pollebat ; sed ea inaniter inflatus, Christum, quem ut prophetam omnes habebant, tentare maluit quam audire : nec interrogare voluit ut disceret : sed vexare, ut calumniandi ansam captaret : nec consulere de via vitæ ut salvus fieret ; sed superbe examinare, ut doctus et peritus videretur. *Scientia inflat, charitas vero ædificat* (I Cor. VIII, 1). — *Non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem.* Rom. XII, 3.

2° Hinc quoque docemur, scientiam speculativam nequaquam sufficere, nec satis esse bene respondere ; oportet enim insuper bene facere ; quod significat Dominus dicens : *Recte respondisti ; hoc fac et vives.*

Quid faciendo vitam æternam possidebo ?

1° Quæstio practica et primaria, ab unoquoque nostrum sincero corde ponenda. — At vero nonne a multis quæstio hæc vix, aut ne vix quidem movetur ? Nonne quæstio prorsus

diversa unice mentem occupat et absorbet : *Quid faciendo vitam temporalem possidebo?* i. e. quomodo vitæ temporalis gaudia, etc. consequar?

2° Quæstio hæc proponenda est Christo, et ab ipso, i. e. verbo fidei ejus solvenda. Ipse enim solus *verba vitæ æternæ habet :* et solus *est via, veritas et vita.*

3° Quæstio hæc facile solvitur, dummodo quis animo docili et sincero veritatem cognoscere velit. Etenim via vitæ est observantia legis Dei ; lex autem obvia est : *In lege quid scriptum est ? quomodo legis ?* — Nec juvat tergiversari, aut ignorantiam affectare : quod multi faciunt, eo quod lex displicet et passionibus adversatur. Lex enim a Deo scripta est, et *non potest solvi Scriptura* (Joan. X, 35) ; et *iota unum aut unus apex non præteribit a lege, donec omnia fiant.* Matth. V, 8.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo... et proximum tuum sicut te ipsum.

1° En summa legis, en via vitæ : dilectio Dei et proximi ; inquirenti de salute non alia responsio danda est : *Recte respondisti ; hoc fac, et vives.*

2° En duo præcepta, ita inter se connexa, ut unum ab altero divelli non possit : qui enim vere diligit Deum, proximum quoque diligit ; et qui proximum odio habet, Deum nequit amare.

3° Dilectio Dei *maximum et primum mandatum* vocatum est (Matth. XXII, 38) : vere quidem maximum, quia maxime a Deo requisitum, maxime a nobis curandum ; maximam in hac vita pacem, et in altera mercedem afferens, si impleatur ; maxime in inferno puniendum, si negligatur...

4° Diligendi Dei motiva urgent gravissima : Dei beneficia erga nos, Dei misericordia, Dei erga nos amor, Dei excellentia et amabilitas in se.

5° Amor Dei est ignis ille, quem Deus olim in altari semper ardere præceperat : ut nos doceret in ara cordis nostri, omnia desideria nostra, omnemque voluntatem igne charitatis immolare. — Divinus hic amor currus est igneus, quo ascendit Elias in cœlum, quique similiter nos in cœlum asportabit....

...Et proximum tuum sicut te ipsum.

1° Dilectio proximi, a dilectione Dei procedens, proximos amat propter Deum, propter motiva fidei : quia proximus meus, non minus quam ego, Dei creatura est, eaque charissima, Christi sanguine redempta ; et quia fraterna charitas præceptum Domini est : *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem.* Joan. XV, 12.

2° Si desit motivum fidei, tunc, vel amor proximi amicitia

mere humana est atque instabilis, vel etiam noxia atque periculosa. *Nescitis quia amicitia hujus mundi inimica est Dei? Quicumque ergo voluerit amicus esse sæculi hujus, inimicus Dei constituitur.* Jac. IV, 4.

3 *Sicut te ipsum* : en regula dilectionis proximi, sic intelligenda, ut fratri nullum malum inferamus quod ipsimet pati nollemus ; utque ei bonum optemus et tribuere studeamus, quod ipsi rationabiliter ab aliis requireremus.

4° *Sicut te ipsum*, id est efficaciter : en, non tantum mensura et regula, sed etiam signum et probatio veræ charitatis : *Probatio dilectionis exhibitio est operis.* Cupis ergo scire, utrum proximum vere diligas ? Vide charitatis tuæ effectus, in verbis et operibus... Quid dicis, quid facis seu expendis, quid suffers, quid taces, quid condonas ratione charitatis ?...

Quis est meus proximus ?

1° Proximus meus sunt omnes omnino homines in terra viventes, ex quibus ne unum quidem a dilectione excludere possim...

2° Proximus *meus*, qui peculiariter meus est, quia officia charitatis erga eum præcipue exercere debeo, sunt : -1) inimici mei, -2) pauperes, -3) amici ac sodales, et quælibet personæ quibuscum commercium vel conversatio mihi est ; -4) superiores mei et inferiores.

3° Inter proximos dantur propinquitatis gradus : nam parentes, fratres, consanguineos, superiores, subditos, etc., peculiari modo diligere teneor...

Homo quidam descendebat ab Jerusalem in Jericho.

Quis est iste homo ? Qui latrones ? Quibus bonis eum spoliarunt ? Quæ vulnera inflixerunt ? Quomodo ille semivivus remanet ?

1° Homo iste est humanum genus ; vel etiam quivis Adami filius in particulari spectatus, qui exemplo sui patris, cum esset gratia Dei ditatus, ac hæres et incola in spe cœlestis civitatis Jerusalem ; sensim ab eo statu descendit, inclinans se ad bona miseri hujus et inconstantis mundi, quem Jericho, quod *lunam* interpretantur, significat.

2° Latrones, in itinere insidiantes, et in viatorem irruentes, sunt -1) dæmones invisibiles, qui spoliare, imo perdere nos conantur. -2) Sunt visibiles hostes, dæmonum in perditionis opere velut ministri et adjutores : mundus et caro : hoc est, homines pravi et seductores qui in mundo vivunt, nec non carnis nostræ appetitiones. — Is autem incidere dicitur in manus eorum, qui eorum suggestionibus non resistit, sed

cedit, et cedendo labitur in peccatum mortale. — Resistere autem potest, quia eadem in via adjutores habet et arma : gratiam, orationem, sacramenta, Dei ministros, angelos. *Plures nobiscum sunt quam cum illis.* IV Reg. VI, 16.

3° Bona quibus miserum illum spoliant, sunt : Dei gratia, septem Spiritus sancti dona, merita, virtutes... Quosdam nominatim spoliant castitate ; alios humilitate, fide, etc. Quærunt autem eripere ac destruere omnia prorsus : *Exinanite usque ad fundamentum in ea.* Ps. CXXXVI.

4° Vulnera et plagæ quæ infliguntur, damna sunt in potentiis nostris relicta : intellectus ignorantia ac tenebræ, voluntatis debilitas, passionum et pravarum consuetudinum vigor ac potentia...

5° Relictus est miser *semivivus*, qui solum illi remanet lumen fidei, aut rationis tantum naturalis. Manet idem etiam *semimortuus*, quia prope est ut æternum moriatur : imo mortem æternam evadere non potest, nisi mature ac brevi auxilium accipiat...

En status hominis peccatoris... en qualis ego oculis Dei : similis nempe illi vulnerato, ita plane ut mihi accommodari possit, quod de Israele prævaricatore dicebat Propheta : *A planta pedis usque ad verticem capitis, non est in eo sanitas* (Isai. I, 6). — Homo ille si misericorditer adjutus fuerit, quantam gratitudinem debebit salvatori !

Accidit autem ut sacerdos quidam descenderet eadem via... et levita... et Samaritanus.

1° Sacerdos et levita, viatores immisericordes, sunt illi homines, qui altiore loco constituti, peccatoris necessitatem spiritualem vident quidem et cognoscunt ; sed nolunt, saltem efficaciter, juvare... Etenim miserabili animarum statu vix tanguntur ; vel non ita tanguntur, ut accendantur zelo, et descendant ad miserum humi jacentem, ac mederi allaborent...

Sacerdos et levita etiam denotant Aaronici sacerdotii impotentiam ad hominem salvandum : quod solus Samaritanus, Christus, efficere potuit.

2° Samaritanus misericors, est 1) Salvator mundi Jesus Christus, *custos* et protector derelictorum : hoc enim significat nomen *Samaritani* Verbum enim divinum, videns nos in peccatis jacentes, omnique auxilio destitutos, de cœlo descendere et caro fieri dignatum est ; atque per viam vitæ ambulans sicut communis homo, secluso tamen peccato, misericordissimis oculis prope aspexit vulnera nostra, eaque omnia sanavit : *Pertransiit benefaciendo, et sanando omnes oppressos* (Act. X, 38). 2) Bonus Samaritanus est omnis homo apostolicus ;

præsertim vero confessarius, qui in sacramento Pœnitentiæ, viscera misericordiæ Christi gerens, animarum vulneribus medetur. -3) Est quicumque Christi discipulus, qui charitate divini Magistri animatus, opera misericordiæ, præsertim spiritualia, exercet...

Et appropians alligavit vulnera ejus... et duxit in stabulum... et ait stabulario : Curam illius habe... ego cum rediero reddam tibi.

En modus, quo divinus Samaritanus nostri misertus est ; en exemplum perfectæ misericordiæ, perfecti zeli, perfectæ curæ animarum.

1° *Appropians.* Appropinquavit peccatori Jesus, cum peccator in terram prostratus, nisi auxiliator accederet, juvari non posset. Prævenit ergo nos, et quæsivit oves perditas, gratiaque sua visitavit ac tetigit corda nostra, ut ea curaret.

2° *Alligavit* Dominus omnia vulnera nostra, nullumque non curatum aut non ligatum reliquit. Sed quo linteo, aut quibus fasciis ? Nonne fasciis humanitatis suæ in sanctissima passione dilaceratis ? Nonne per vincula sua, per flagella, per detracta sua vestimenta, per indumenta ludibrii, per linteamina sepulturæ, vitia nostra et concupiscentiæ fluxum interclusit ?...

3° *Infudit vulneribus oleum et vinum* : i. e. -1) tum misericordiam seu peccatorum veniam, tum robur spirituale : quæ ambo per sacramenta nobis communicat. Quid enim sunt sacramenta, nisi vasa cœlestia, quæ oleum gratiæ quo sanemur, et vinum charitatis quo confortemur, effundunt ? — -2) Oleum et vinum, est suavitas severitate mixta, qua Dominus curat nos : peccata quidem condonans nobis, sed simul pœnam imponens ; — consolationis et desolationis vicissitudine, modo nos reficiens, modo corripiens et exstimulans... -3) Est verbum Dei ac divina Scriptura, quæ oleo vinoque redundat : veritatibus scilicet blandis, quæ suaviter ad pœnitentiam alliciunt ; et veritatibus severis, quæ terrent urgentque peccatorem... -4) Oleum et vinum, symbolum sunt prudentiæ pastoralis, quæ hinc ab indulgentia molli, et inde ab aspera severitate recedens, fortiter simul et suaviter animarum curam tractat...

4° *Imponens illum in jumentum suum.* Dominus nos et onus nostrum portare dignatus est. Cum enim ægrotantis hominis tantam debilitatem adverteret, ut pedibus incedere non posset, eum imposuit in jumentum suum : id est, super sanctissimum corpus suum imposuit peccata nostra ; et, donec in terra vivimus, gratiæ suæ subsidiis nos adjuvando, ducit tanquam

pedibus alienis per viam virtutis ; atque hoc modo suave nobis reddit jugum suum et onus leve. — Hinc docentur discipuli ac ministri ejus, non sibi parcere, sed peccatoribus omne juvamen afferre, eorumque onus velut suis humeris portare... sic enim conformes fiunt *Agno Dei, qui tollit peccata mundi.*

5° *Duxit in stabulum.* Bonus Samaritanus e peccati periculis nos eripuit. Pergens enim in sua misericordia, educit infirmum ex via : id est, ex occasionibus et periculis peccandi ; eumque in apto decentique hospitio constituit : in catholicæ scilicet Ecclesiæ gremio, ubi necessaria omnia ipsi suppetent ad integre convalescendum, et sanitatem magna securitate et jucunditate recuperandam ; imo ubi ipsemet, parentis instar, illi curam impendit et providet. — Hospitium etiam figurat monasteria, pias sodalitates, etc., quæ veluti asyla sunt viatoribus hujus vitæ, in quæ prædilectas animas Dominus benigna manu sua deducit.

6° *Stabulario ait : Curam illius habe.* Dominus scilicet superiorum curæ nos commisit. Nam ascendens in cœlum, et secundum humanitatem sese nobis subtrahens (quanquam nostri curam nec sic deposuit), commisit stabulario, i. e. visibili suo Vicario, omnibusque Ecclesiæ prælatis ac superioribus, ut hujus infirmi curam gerant. — Propter quod tradidit illis duos denarios : id est, -1) quidquid ad animarum integram curationem et gubernationem est necessarium ; -2) virtutem et scientiam, — gratias sanctitatis, et gratias gratis datas ; -3) potestatem ordinis et potestatem jurisdictionis. — Simulque iisdem ministris suis commendavit, ut ex parte sua his adderent et supererogarent largissime quæcumque possent : non solum necessaria, sed supererogatoria officia impendendo ; promittens, cum redierit ad judicandum, et examinaverit omnia quæ in infirmi utilitatem præstiterint, se illis redditurum. — Quam dignus est benignissimus ille Samaritanus gratitudine nostra et amore !

Vade, et tu fac similiter.

1° Facere debemus, non sicut illi, qui habentes substantiam hujus mundi, et videntes fratrem suum necessitatem habere, claudunt viscera sua ab eo (I Joan. III, 17) ; sed sicut ille qui facit misericordiam....

2° *Et tu fac similiter :* i. e. et *tu* sacerdos, alter Christus, fac similiter. Etenim sicut Christus, debet quivis sacerdos -1) moveri misericordia, considerando miseriam animarum ; -2) præstare curam, nulli parcens labori, nulli sacrificio ; -3) adhibere prudentiam, fundendo oleum et vinum, miscendo suavitatem et fortitudinem....

3° *Et tu fac similiter* : i. e. et *tu* Christiane, Christi discipule, fac sicut Magister tuus. — Tacite sese Dominus in exemplum nobis omnibus proponit ; ut sicut ipse, per Samaritanum significatus, misericordiam nobis exhibuit, ita nos ad invicem exhibeamus ; quasi diceret : Aspicite, quid ego infirmo tibi peccatori fecerim ; et idem vos mutuo præstate : subveniendo, quisque quoad potest, alterius tum corporis tum animæ necessitatibus ; et quum ad judicandum mox rediero, reddam vobis *mensuram bonam, et coagitatam, et supereffluentem in sinum vestrum*. Luc. VI, 38.

DOMINICA DECIMA TERTIA POST PENTECOSTEN.

Decem leprosi. Luc. XVII, 11-19.

11. Dum iret Jesus in Jerusalem, transibat per mediam Samariam et Galilæam. — 12. Et quum ingrederetur quoddam castellum, occurrerunt ei decem viri leprosi ; qui steterunt a longe, — 13. Et levaverunt vocem, dicentes : Jesu, præceptor, miserere nostri. — 14. Quos ut vidit, dixit : Ite, ostendite vos sacerdotibus. Et factum est, dum irent, mundati sunt. — 15. Unus autem ex illis, ut vidit quia mundatus est, regressus est, cum magna voce magnificans Deum, — 16. Et cecidit in faciem ante pedes ejus, gratias agens ; et hic erat Samaritanus. — 17. Respondens autem Jesus dixit : Nonne decem mundati sunt ? et novem ubi sunt ? — 18. Non est inventus qui rediret et daret gloriam Deo, nisi hic alienigena. — 19. Et ait illi : Surge, vade : quia fides tua te salvum fecit.

—

Explicatio prima.

I. *Decem leprosi sanantur.*
II. *Unus Domino sananti gratias agit.*

—

11. *Dum iret Jesus in Jerusalem, transibat per mediam Samariam et Galilæam.*

Quod narraturus est Evangelista, contigisse videtur anno prædicationis Christi tertio, mense Septembri, cum ascenderet Jerosolymam ad festum Tabernaculorum. In via male exceptus a Samaritanis, qui eum recipere nolebant, cum Joannes et

Jacobus illos fulmine perdere vellent (Luc. X, 55), docuerat Dominus, suum spiritum non esse ultionis, sed charitatis; idque mox ostendit Samaritanum leprosum curando, eumque ob gratitudinem præ aliis laudendo.

Dicit Evangelista, transiisse Christum *per mediam Samariam et Galilæam*: quia recta vio a Galilæa in Jerusalem erat per Samariam, et quia, addita illa circumstantia, rationem suggerere volebat, cur inter decem leprosos ista occasione a Christo curatos, unus fuerit Samaritanus.

12. *Quum ingrederetur quoddam castellum.*

Id est, quum ad castellum seu oppidum quoddam accedens, in eo esset ut ingrederetur. — Non enim intra, sed extra oppidum leprosi occurrerunt, cum ipsi ingredi non possent, ne incolis suam lepram æque ac immunditiem legalem afflarent. — Castellum illud in Judæa proxime fines Samariæ situm fuisse, verisimile est; et eo Dominum deflexisse iter, postquam a castello Samaritanorum, per quod transire volebat, repulsus esset.

Occurrerunt ei decem viri leprosi, qui steterunt a longe.

Non casu, ut videtur, sed consulto, ut sanationem peterent, cum Christi adventantis famam audissent, ei *occurrerunt*. — Venerunt autem *decem* simul, quos non solum morbi communio, sed et commune studium sanitatis congregaverat; ut simul omnes, quasi facta manu, Christi benevolentiam expugnarent. — *Steterunt a longe*: quia lege vetabantur versari cum sanis; deinde etiam ratione reverentiæ erga Jesum, ne conspectu fœdissimæ suæ infirmitatis oculos ejus offenderent.

13. *Et levaverunt vocem, dicentes: Jesu, præceptor, miserere nostri.*

Levaverunt vocem: id est, elata voce clamarunt, tum quia longe aberant, tum quia vehementi desiderio curationis flagrabant. — Clamarunt autem omnes simul, unanimi voce dicentes: *Jesu præceptor, miserere nostri!* Quod quidem verisimile est eos ex industria fecisse, quo magis et numero et communi causa, quasi conjunctis viribus, factaque velut conspiratione quadam, Christum ad misericordiam commoverent. Et ea de causa fortasse factum est, ut Samaritanus cum Judæis, inter quas gentes cæteroquin consuetudo nulla erat, conjunctus esset. — Quod exemplum nobis documento esse potest, ut, quum gratiam majoris momenti a Deo impetrare volumus, non contenti orationibus privatis, publicas etiam adhibeamus, et

quasi instructa acie divinam misericordiam expugnemus : *Hæc vis*, inquit Tertullianus, *Deo grata est.*

Miserere, inquiunt, *nostri*, concessa nempe sanitate. Brevis quidem, sed ardens oratio. Non dicunt qua in re cupiant Jesum sui misereri ; quia manifesta miseria ipsorum erat, a qua non dubitant quin possit eos liberare, quamvis multos, et incurabili morbo affectos.

14. *Quos ut vidit, dixit : Ite, ostendite vos sacerdotibus.*

Sensus est : Ite Jerosolymam ad templum, et ostendite vos sacerdotibus : ut nempe judicent illi, utrum a lepra immunes sitis necne ; et, si immunes judicaverint, præscriptis a lege ritibus vos purificent.

Hæc responsio Domini ad supplicantium vocem, petitionis concessionem, non expressam sed tacitam continet. Quod enim injungit leprosis, ut sese sacerdotibus ostendant, tanquam medium curationis est, sicut præscriptio medici esse medium sanandi ægroti intelligitur. Sensus itaque verborum Domini est : *Ostendite vos sacerdotibus ; quod si obedientes mihi feceritis, mea virtute a lepra mundabimini.*

Cur autem Dominus sic respondet? Cur homines, quod facile posset, statim non sanat, et cur nondum sanatos ad sacerdotes mittit ? — R. Dimittit eos ad sacerdotes, non ut ab ipsis sanarentur : sanare enim a lepra sacerdotes non poterant ; sed -1) ad honorem et observantiam ordinis sacerdotalis custodiendam ; -2) ad ostendendam obedientiam legi debitam : lex enim jubebat leprosos, si sanarentur, ostendere se sacerdotibus, ut per eos, recognita sanatione, restituerentur urbi et templo, atque convictui civili (Levit. XIII et XIV ; -3) ut sacerdotes miraculi testes et approbatores fierent ; -4) ut probaretur leprosorum fides et obedientia.

Responsio scilicet et injunctio Domini leprosis erat vera probatio, eo quod illa responsio obscurior erat. Non enim promissionem sanandi, nec rationes sic agendi exprimit ; adeo ut petentibus sanitatem illud *ostendite vos sacerdotibus*, mirum et præposterum videri posset. Nam -1) leprosi sciebant sacerdotes curare non posse, sed tantum dijudicare, utrum lepra in homine existat, aut an vere sanata sit. -2) Quum tot alios Christus voce vel tactu sanasset, ipsi soli absque sanatione, imo absque expressa sanationis promissione dimittebantur. -3) Tanto minus sic dimittendi videbantur homines, qui reverentia, fiducia, et supplicationis suæ velut solemnitate, Christi favore dignos se fecerant. — Pronum ergo erat, ut leprosi mirarentur ; vel, de Christi potentia dubitarent : at nihilominus statim et simpliciter obediunt, vaduntque quo mittuntur : certo sibi

persuadentes, se hac ratione a Christo curandos esse, antequam ad sacerdotes perveniant. — Re quidem vera, eorum fides et odedientia brevi fructum tulit.

Et factum est, dum irent, mundati sunt.

Factum est, non casu, quanquam præter exspectationem eorum; sed Christi providentia et virtute, ut dum irent mundati sint.

Dum irent, id est, inter eundum, in itinere, antequam ad sacerdotes pervenissent, et quum vix aliquantulum digressi, adhuc non longe ab Jesu recessissent : ut manifestius intelligerent, se ab illo sanatos. Mox enim senserunt se melius habere, vitamque novam in membris atque ossibus insinuari; simulque sese invicem aspicientes, viderunt extrinsecus corpora mutari et integre ab horrenda plaga liberari. *Mundati sunt* : mox scilicet prorsus sanatos sese viderunt, mutato colore albo ac lurido in nativum ac vividum, et carne ab omni scabie, prurigine, corruptioneque liberata.

15. *Unus autem ex illis... regressus est, cum magna voce magnificans Deum.*

Omnes sane decem, miraculum experientes, gaudio ingenti exultarunt, et Jesum suæ sanationis auctorem agnoverunt : sed unus ex eorum numero, confestim reflectens iter, ad Salvatorem regressus est, *magna* et jubilante *voce magnificans Deum,* qui per Jesum sibi sanitatem dedisset.

Cur ille rediit, alii vero regressi non sunt? Rediit ille gratitudinis causa, ut Christo gratias ageret; non redierunt reliqui, quia minus grati erant, ideo enim mox a Domino reprehenduntur. — Quod si judicaverint, prout credibile est, iter sibi pergendum esse ad sacerdotes, id, etsi aliqua ex parte culpam minuit, plane non purgat : hoc enim oportebat facere, et illud non omittere. Et quidem debuerant prius ad Christum sanationis auctorem redire, quam ad sacerdotem judicem pergere : quia gratitudinis officium magis urgebat, et, Jesu transeunte ac digressuro, mox impossibile futurum erat. Atque hoc est quod in illis Christus reprehendet.

16. *Et cecidit in faciem ante pedes ejus, gratias agens.*

Non jam a longe subsistit homo; sed, utpote mundus a lepra, et amore erga liberatorem incitatus, ad pedes usque Christi accurrit : qui, vel eo adhuc loco ubi eum reliquerat, docendi gratia consisteret; vel ad summum, castellum ingressus, facile adiri posset. Cumque ad eum pervenisset, *cecidit in faciem ante pedes ejus*, pronus scilicet in terram, ut profunde se humiliando

summam ei reverentiam exhiberet ; simulque Salvatori gratiarum actiones ex animo effudit.

Et hic erat Samaritanus.

Eo nempe laudabilior ejus gratitudo censenda est, quod, utpote Samaritanus, a Judæis abhorrens, minus in Jesum propensus esse debebat quam alii novem, qui ejusdem cum Domino Judaicæ gentis erant. — Ideo quoque Evangelista addit eum Samaritanum fuisse, ut intelligatur subsequens verbum Domini, qui vocat eum *alienigenam.*

17. *Nonne decem mundati sunt ? et novem ubi sunt ?*

Quasi dubitans vel mirans, per interrogationem loquitur Christus, ut sic absentium defectum et ingratitudinem vehementius notet ; quasi diceret : Mirum sane quod et illi gratias mihi non referant, siquidem similiter sunt sanati ! Ergo in tanto numero non est inventus nisi unus, *qui daret gloriam Deo.*

Dare gloriam Deo hic significat veritatem confiteri et aperire, qua Deus per Christum suum glorificandus esset. Operatus fuerat hoc miraculum sanationis Deus, ut cætera, non tantum ad utilitatem eorum quos sanaverat ; sed præcipue ad gloriam nominis sui, ut ipse ex eo glorificaretur seu laudaretur, et signanter ut Christus Filius ejus innotesceret. Illi vero contenti sanitate accepta, nec reversi, ut, quod in ipsis Deus per Jesum fuerat operatus, miraculum aperirent, illudque coram Jesu et populo prædicarent ; fraudaverunt Deum gloria sua, et Christum testimonio Patris.

18. *Non est inventus qui rediret et daret gloriam Deo, nisi hic alienigena.*

Scilicet, non nisi *unus* investus est, et quidem ille unus est *alienigena.* — Vocat illum Jesus alienigenam, non contemptus causa ; sed ut reliquorum culpam amplificet, quod is Deo gloriam dederit, a quo id minus quam a cæteris exspectandum fuerat. Insinuat enim, reliquos novem Judæos fuisse, de genere Israel et Patriarcharum, cultores Dei, a pueritia instructos divina lege ; quos potius decuisset, Dei. et Christi sibi promissi, gloriæ studiosos esse. Atqui illorum ne unus quidem officium implevit ; solus Samaritanus, quod Deo et Christo debebat professus, religiosa gratitudine Judæos vicit. — In quibus Christi verbis querimonia subest de toto populo Israel : etenim alienigenam unum cum pluribus Judæis comparando, significat fore, ut exteri potius gratiam Dei agnoscant ac magnificent, et pietate gratitudineque erga Deum et Christum Judæos superent.

19. *Surge, vade : quia fides tua te salvum fecit.*

Fides tua, qua scilicet credidisti id fieri a me posse; et confisus etiam me velle, obedivisti jussui meo ; hæc, inquam, fides tua, tanquam congrua dispositio, ad sanitatem tibi conferendam cooperata est. — *Te salvum fecit*, non tantum secundum corpus, sed etiam secundum animam, liberando te simul a lepra corporis et a lepra peccatorum. — Sic loquendo Dominus consuluit modestiæ, ne vanam gloriam aucupari, aut ea delectari videretur ; et Samaritani fidem confirmavit, eumque ut in ea perseveraret admonitum, a se dimisit.

Etsi de aliis non loquitur Dominus, censendi tamen sunt similiter per fidem suam sanatos, imo, ut multi sentiunt, etiam justificatos. Samaritanus autem fide sua digne se gessit ; illi vero, quia non se deinde gesserunt consentanee fidei, nec a fide fuerunt laudandi. — Quod si ad Christum non redeuntes vere peccaverint, non tamen certum est, inquit Maldonatus, eos mortaliter peccavisse, cum potuerint beneficium ejus animo recognoscere ; vel, si mortaliter peccaverint, nihil vetat eos justificatos fuisse prius, et deinde ob ingratitudinem justitiam amisisse.

Explicatio secunda.

Transibat Jesus per mediam Samariam et Galilæam.

1° Dominus in ipso itinere bonum operari non omittit, et occurrentes sibi leprosos sanat : ut discamus in hac transitoria vita, in hoc nostro itinere ad æternitatem, omni tempore et omni circumstantia uti ad operandum bonum ...

2° Dominus a Samaritanis repulsus, mox hominem Samaritanum a lepra sanat : ut discamus reddere bonum pro malo, et benefacere iis qui oderunt nos....

Occurrerunt ei decem viri leprosi.

1° Homines illi imaginem exhibent eorum omnium, qui peccato coinquinati sunt veluti lepra, quæ animæ ejusque facultatibus, tum internis, tum externis, misere inhæret ; simulque exemplo suo ostendunt, quanta debeat esse nostra diligentia circa animæ salutem, quomodo a spirituali lepra liberari, et de accepta liberatione Deo grati esse debeamus....

2° Multi sumus in hoc mundo leprosi, decem istis expressi : quamvis alii aliis immundiores simus ; aliique lepra hæresis, alii lepra superbiæ, alii lepra voluptatis carnis infecti...

3° Leprosi occurrunt Christo, quia 1) suam miseriam

agnoscunt, -2) ab ea liberari cupiunt, -3) a Christo se liberatum iri confidunt. Similiter, ut spiritualiter sanemur, Christum adire debemus, qui solus animæ nostræ miserias curare potest, et quidem omnes : *Qui sanat omnes infirmitates tuas.* Ps. CII.

4° Occurrunt Christo transeunti, festinantes, ne mox eo prætergresso, jam occasionem non habeant : ut discamus non differre pœnitentiam ; sed, ubi Dominus per gratiam suam accedit et vocat nos, accurramus sine mora, ne gratia subtrahatur, neve morte præveniamur....

5° Occurrunt decem simul, sese mutuo ad fiduciam animantes : ut discamus nos invicem verbo et exemplo ad bonum provocare....

Qui steterunt a longe.

1° En humilitas et reverentia erga Christum Dominum, qua indignos se judicarunt, qui ad ipsum propius accederent. Hujusmodi sensus oritur in corde hominis, qui Domini erga se bonitatem, et suam erga talem Dominum ingratitudinem considerat : tunc sua peccata confiteri, et ut peccatorem sese gerere non erubescit...

2° Aliud hic documentum datur, nimirum mala consortia esse fugienda. Quod enim lex vetus leprosos extra castra versari, et ab hominum consortio abstinere jubebat, figuram continet cautelæ, respectu contagionis animarum adhibendæ : ut nimirum intelligamus, quantopere spiritualis lepræ contactus, seu peccatorum hominum consortium cavendum sit.

Et levaverunt vocem suam, dicentes : Jesu, præceptor, miserere nostri.

1° En oratio, oratio fervens, quæ veluti clamor validus ad Deum pervenit...

2° Oratio humilis : e corde humili prodiens, humilitatem spirans, et ideo cœlum penetrans : *Miserere nostri !*

3° Oratio fiducialis : confidunt enim miseri, posse Dominum et velle lepram curare, et quidem decem hominibus simul : cum Domini beneficentia, non, sicut humana liberalitas, multitudine donorum exhauriatur...

4° Oratio conjuncta et unanimis, quæ plurimum apud Deum potest, quum multi, eadem necessitate pressi, simul et cum charitate orant ; nam quod quisque pro omnibus petit, sibi quoque impetrat : *Orate pro invicem, ut salvemini* (Jac. V, 6). — *Dico vobis, quia si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re, quamcumque petierint, fiet illis a Patre meo qui in cœlis est.* Matth. XVIII, 19.

Quos ut vidit Jesus...

1° En principium sanationis leprosorum, aspectus Domini : simul ac videt miseros, miseretur et sanat. Non enim a miseria oculos avertit aut viscera claudit. — Hinc docemur, omne nostrum bonum inde originem habere, quod Christus Dominus misericordes oculos suos ad nos convertit, sicut convertit ad hos leprosos, ad Petrum, etc. *Ad quem autem respiciam,* dicit Dominus, *nisi ad pauperculum, et contritum spiritu, et trementem sermones meos?* Isai. LXVI, 2.

2° Ita respexit illos, qui ei suam miseriam videndam, accedendo et clamando, ostenderunt...

3° Similiter nos, misericordiæ oculis respicere debemus miseros quoscumque, præsertim peccatores....

Ite, ostendite vos sacerdotibus.

Cum posset eos statim sanare, mittit tamen ad sacerdotes :

1° quia ex parte nostra cooperationem suæ gratiæ, certasque conditiones requirit....

2° Quia sic probare solet fidem ac fiduciam et obedientiam servorum suorum. Hoc olim modo probavit Abraham, dicens : *Tolle filium tuum, quem diligis, Isaac, et offer eum mihi in holocaustum.* Gen. XXII, 2.

3° Quia eamdem conditionem ut a lepra mundemur, omnibus nobis præscribere volebat : nimirum *ostendendi nos sacerdotibus* in tribunali Pœnitentiæ. Omnibus enim nobis dicit : *Ostendite vos*, i. e. aperite vos totos sacerdoti, ut vos videat et plene cognoscat ; nihil mali occultando omnium quæ feceritis, quæ dixeritis, aut nihil cui interne consensum præbueritis. — Nisi ad sacerdotes ivissent leprosi, a Christo mundati non fuissent ; sic et nos, nisi Christum in persona sacerdotis adeamus, nequaquam sanationem animæ consequemur...

4° Quomodocumque Dominus supplicantibus respondeat, etiamsi negare videatur, tamen petitionem semper, dummodo hæc bona sit et salutaris, concedit : negare enim benignitas ejus nihil potest.

Dum irent, mundati sunt.

1° En fides et obedientia, qua leprosi statim et sine querela, verbo Domini obsequuntur ; nec, sicut Naaman Syrus obmurmurant (IV Reg. V) : ut discamus velociter in omnibus obedire, quæ Dominus per se ipsum, vel per suos ministros injungit....

2° En præmium obedientiæ. Quicumque obediet voci Christi, in persona Confessarii loquentis, mox a quacumque lepra mundabitur....

3° In ipso itinere, antequam ad sacerdotes perveniant, mundantur; quia oculis Dei vera ac bona voluntas pro facto reputatur. — Sic etiam perfecta de peccatis contritio, cum adjuncta confitendi voluntate, hominem statim justificat (1),

4° Hæc lepræ sanatio imago est resurrectionis, ac renovationis futuræ corporis nostri, in novissimo die : quum *reformabit Christus corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ*. Phil. III, 21.

Unus ex illis... regressus est... gratias agens ; et hic erat Samaritanus.

1° Exemplum gratitudinis : quæ virtus non tantum nobilissima est, Deoque gratissima ; sed etiam necessaria, ut Deus nobis benefacere pergat et perseverantiam tribuat. Porro magna hujus hominis gratitudo describitur : *Regressus est cum magna voce magnificans Deum, et cecidit in faciem ante pedes ejus*, quasi illos vellet osculari, *gratias agens* ob acceptum beneficium.

Ingratitudo e contra, est *ventus urens, siccans sibi fontem pietatis, rorem misericordiæ, fluenta gratiæ*. S. Bern. Serm. 51 in Cantic.

2° Unus tantum revertitur : quia pauci Deo vere grati existunt, plurimi vero ingrati. Quanta enim beneficia a Deo secundum corpus et animam accepimus!... Quomodo gratias rependimus?... An saltem beneficiis contra ipsum benefactorem non abutimur?... — Nonne hæc gratitudinis oblivio causa est, cur ex tot vocatis tam pauci sint electi?...

3° Qui revertitur Samaritanus est, nimirum, ille a quo minus quam a Judæis gratitudo exspectanda videbatur ; ut intelligamus, eos qui, sicut Judæi, majora beneficia acceperunt, frequenter ingratiores esse...

Nonne decem mundati sunt ? et novem ubi sunt ?

1° Hoc dicit tacite Dominus eucharisticus, de throno tabernaculi sui, ad fideles, quos assidue templum frequentare videt et pietatis officia persolvere : *Nonne decem*, i. e. multi alii, quos numeravi, et nomine suo cognosco, per Baptismum, imo per Pœnitentiam et Eucharistiam paschalem *mundati sunt? Et novem*, i. e. longe maxima pars, *ubi sunt?* Ubi? Non ad pedes Domini, non in domo Dei, non vacantes negotio animæ suæ ; sed... — *Ubi sunt?* Quæstio non ignorantis, sed reprehendentis est : ipsos enim omnes et singulos sequitur oculo, et persequetur, donec ad judicium compellat...

2° Idem dicet in die judicii, quum animarum Pastores de

(1) *Elementa theol. dogm.* tract. 14, *de Pœnitentia*, n. 129 seqq.

grege interrogabit. Nonne, inquiet, talem numerum fidelium tibi commisi, eosque omnes tu docuisti et sacramentis refecisti ? et ecce tam pauci stant a dextris meis, veste nuptiali et munda induti ; reliqui ubi sunt ?..

3° Illud *novem ubi sunt ?* perseverantiæ necessitatem innuit : omnes enim leprosi illi bene inceperunt, omnes Christum quæsierunt, etc. ; sed novem a Domino recesserunt, et unus tantum perseveranter fidelis, ad Dominum reversus est...

Non est inventus qui rediret et daret gloriam Deo.

En Domini modestia et humilitas, non sibi sed Deo laudem quærentis. Non enim dicit : *Qui daret mihi gloriam*, aut, *qui mihi gratias ageret ;* sed *qui daret gloriam Deo* : ut nos doceret, eum qui beneficium præstat, non sibimet gratitudinem aut laudes petere debere ; sed Deo, a quo omne datum optimum procedit. *Gratis accepistis, gratis date* (Matth. X, 8). — *Non nobis, Domine, non nobis : sed nomini tuo da gloriam.* Ps. CXIII.

—

DOMINICA DECIMA QUARTA POST PENTECOSTEN.

Nemo potest duobus dominis servire. Matth. VI, 24-33.

24. Dixit Jesus discipulis suis : Nemo potest duobus dominis servire : aut enim unum odio habebit, et alterum diliget ; aut unum sustinebit, et alterum contemnet. Non potestis Deo servire et mammonæ. — 25. Ideo dico vobis, ne solliciti sitis animæ vestræ quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini. Nonne anima plus est quam esca, et corpus plus quam vestimentum ? — 26. Respicite volatilia cœli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea : et Pater vester cœlestis pascit illa. Nonne vos magis pluris estis illis ? — 27. Quis autem vestrum cogitans potest adjicere ad staturam suam cubitum unum ? — 28. Et de vestimento quid solliciti estis ? Considerate lilia agri quomodo crescunt : non laborant neque nent. — 29. Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est sicut unum ex istis. — 30. Si autem fenum agri, quod hodie est, et cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit, quanto magis vos, modicæ fidei ? — 31. Nolite ergo solliciti esse, dicentes : Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur ? — 32. Hæc enim omnia gentes inquirunt. Scit enim Pater vester

quia his omnibus indigetis. — 33. Quærite ergo primum regnum Dei et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis.

Explicatio prima.

—

I. *De impossibilitate serviendi simul Deo et mammonæ.*
II. *De abjicienda sollicitudine circa necessaria corpori.*

—

24. *Nemo potest duobus dominis servire.*

Prælectum Evangelium pars est *sermonis in monte*, quo Dominus doctrinæ suæ summam proposuit, quemque secundo prædicationis suæ anno, sub medium Maii, coram discipulis habuit in monte Galilææ, urbi Bethsaidæ vicino. Illo autem sermone, non tantum docuit quomodo Deo Domino nostro serviendum sit ; sed etiam obstacula ostendit, quæ divino servitio opponuntur.

Cum autem præcipuum quoddam et commune obstaculum sit cupiditas divitiarum, et nimia sollicitudo circa vitæ necessaria, Christus discipulos illud tollendum docet. Quare imprimis statuit, fieri nequaquam posse, ut quis simul Deo serviat et avaritiæ, seu pecuniæ cupiditati : *Nemo*, inquit, *potest duobus dominis servire.* Quod adagium communiter verum esse intelligitur ; sensu autem quo a Domino adhibetur, est verissimum. Significat enim, 1° neminem posse duobus dominis obedire contraria præcipientibus. 2° Neminem posse per omnia se addicere, atque penitus cor suum tradere duobus dominis : si enim cor fit possessio domini unius, nequit jam esse possessio alterius. — Quod universale principium Dei Filius applicat duobus dominis in particulari : Deo nempe et avaritiæ, cultui Dei et cultui auri ; qui revera duo domini tales sunt, ut tum cultoribus suis contraria jubeant, tum cor eorum penitus occupare velint. Quapropter hujusmodi dominis ambobus adhærere frustra quis contenderet : necessario enim alterutri soli amorem et obedientiam præstabit.

Aut enim unum odio habebit et alterum diliget ; aut unum sustinebit et alterum contemnet.

Scilicet si Deum amat, divitias contemnet ; si divitiarum jugum portat et avaritiæ obedit, Deum ejusque legem odio habebit. Quare recte subjungitur :

Non potestis Deo servire et mammonæ.

Mammona apud Syros divitiarum deus vocabatur, idem qui apud Græcos dicebatur Plutus vel Pluto, et cujus regia sedes erat in inferis. — Mammona, seu avaritia, opponitur Deo, tanquam deus falsus aut idolum Deo vivo ac vero : quia pecuniæ cupiditas est revera *idolorum servitus* (Eph. V, 5). — Hinc sensus sententiæ Dominicæ est : Non potestis simul Deum colere et cupide divitias sectari, ita nimirum ut cor affigatis utrique, et utrique curas, operas et labores vestros impendatis ; præsertim quia Deus ita vult coli et amari super omnia, ut nullum rivalem patiatur, nec sinat aliquem sibi in amore æquari aut comparari. Et vice versa, opes ita cor et curas divitis avari ad se rapiunt, ut non sinant illa Deo impendi.

Proscribit ergo Dominus divitiarum cupiditatem, qua cor iis alligatur, quaque pecuniæ ut bonum primarium primario studio quæruntur. Hanc Dominus cupiditatem condemnat, ut cum Dei servitio insociabilem ; non vero illud divitiarum studium, quod Dei famulatui subordinatum sit , nec cor destineat alligatum. Quare non dicit : *Non potestis Deo servire et opes habere* ; sed : *Non potestis Deo servire et simul opibus servire.* Multi enim Sancti divitias habuerunt, iisque usi sunt ad bona opera, quia iis cor non affixerant, secundum Prophetæ monitum : *Divitiæ si affluant, nolite cor apponere.* Ps. LXI.

25. *Ideo dico vobis, ne solliciti sitis...*

Ne ergo practice in servitutem mammonæ, quo a servitio Dei retraheremini, deveniatis, *ne solliciti sitis* circa res temporali vitæ necessarias. Hujusmodi enim anxia sollicitudo, -1) ducit ad congregandi opes cupiditatem atque servitium mammonæ ; 2) ipsa sollicitudo impedimentum est bonæ vitæ et spiritui christiano.

Non dicit Christus : *Ne curetis, ne provideatis* ; sed, *ne solliciti sitis* : quia nequaquam prohibet providem curam ac moderatam diligentiam circa res temporales ; sed sollicitudinem illam inordinatam et nimiam, quæ spiritualium rerum amorem et studium exstinguit.

Quænam autem est sollicitudo prohibita, quænam cura licita et laudabilis ? — 1° *Sollicitudo vitiosa* est , si -1) temporalia bona ita quæruntur, ut anteponantur spiritualibus ; -2) si quæruntur cum animæ aut legis divinæ detrimento ; vel -3) per mala media ; vel -4) ob malos fines ; vel -5) in eis collocando ultimum finem et quietem ; quum v. g. quis thesaurizat ad thesaurizandum ; vel -6) si sollicitudo sit nimis anxia, etiam in rebus

alioquin necessariis : quæ anxietas semper oritur ex nimio affectu ad rem ipsam temporalem, et ex defectu fiduciæ in providentia Dei. Non enim, ut Chrysostomus apposite dicit quia res mihi sunt necessariæ, ideo oportet me esse sollicitum, sed potius sunt, ideo possum esse tranquillus : necessaria enim certa fiducia sunt a Deo exspectanda, superflua non item.

2° *Laudabilis cura temporalium* est ea, quæ 1) sit secundaria : ita ut rebus spiritualibus semper cedat, et potiores partes relinquat ; 2) quæ sit ordinata, ita ut temporalia quærat tantum in ordine ad æterna, et tanquam media ad christianam vitam utilia, ad charitatem, aliaque bona opera exercenda ; 3) quæ sit moderata, sine perturbatione et anxietate, sed in divina Providentia fiducialiter conquiescens.

Hujusmodi cura ac diligentia christiana versari potest et debet, imprimis circa necessaria et convenientia statui cujusque ; deinde extendi etiam potest ad superflua et ulteriora, ut quis ad altiorem statum ascendat. At vero hoc quandoque, imo sæpe, periculosum esse solet et ambitioni proximum : quare augmenta et incrementa rei familiaris parcius, nec nimio studio intendere convenit.

Ne solliciti sitis animæ vestræ quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini.

Anima hic ponitur pro *vita*, quia est causa vitæ quæ cibo sustentatur ; et sensus est : Ne solliciti sitis de victu, neque de vestitu et similibus ; vel de iis quæ necessaria sunt ad sustentationem vestræ naturæ, i. e. animæ et corporis, quæ Deus, Creator et Pater vobis dedit : si enim vobis naturam dedit necessitates ferentem, his utique necessitatibus paterne debuit providere.

Nominat victum et vestitum, duas res maxime necessarias, et de quibus homo maxime solet esse sollicitus ; vetatque etiam de illis sollicitudinem habere. Quam sollicitudinem ut facilius caveamus, sequentes nobis rationes proponit : 1) Deus, qui dedit creaturæ suæ vitam, non denegabit vitæ sustentacula. 2) Deus providens alimenta aviculis, non negabit cibum hominibus. 3) Aliunde, omnis nostra sollicitudo per se, ac sine Deo, inanis est. 4) Deus qui providet ornatum floribus, non negabit vestimentum hominibus. 5) Illa sollicitudo injuriosa Deo est, et indigna Christianorum, ac propria Gentilium, qui Deum ejusque paternam bonitatem non cognoscunt. 6) Providentia peculiaris expresse promittitur hominibus, ante omnia regnum Dei quærentibus. — His fiduciæ motivis Dominus addit conclusionem seu regulam practicam, ut de futuris sollicitudinem deponentes, et præsentia moderate, ut par est, procurantes, in divina Providentia conquiescamus.

Nonne anima plus est quam esca, et corpus plus quam vestimentum ?

Qui ergo dedit quod plus est, nonne dabit quod minus est? Deus, qui nobis animam et corpus dedit, et continua quasi creatione conservat; utique etiam dabit quæ minora sunt, escas nempe et vestes, sine quibus anima et corpus subsistere nequeunt.

26. *Respicite volatilia cœli, quoniam non serunt neque metunt, neque congregant in horrea : et Pater vester cœlestis pascit illa. Nonne vos magis pluris estis illis ?*

Dominus considerare nos docet Providentiam divinam, in universo mundo, in cœlo et in terra manifestam : eamque duobus exemplis explicat, avium nempe et florum. — Dicit *volatilia cœli*, ut ea distinguat a domesticis et quibusvis terrestribus animalibus, tanquam magis derelicta, longius a cibo remota, et de victu minime, de cantu fere unice sollicita.

Dicit *Pater cœlestis*, non eorum, sed *vester*, pascit illa : quanto ergo magis vobis, filiis suis, ad imaginem suam creatis, providebit ? *Nonne vos magis pluris estis illis ?*

Quod addit *non serunt neque metunt, neque congregant in horrea :* indicat aviculas esse magis destitutas sustentationis mediis quam homines, quibus Deus facultates dedit, ut seminare et metere, sibique providere possint. Non ergo id tanquam exemplum proponitur imitandum, quasi homo otiose vivere deberet, cum scriptum sit : *Si quis non vult operari, nec manducet* (II Thess. III, 10) ; sed ut, adhibita rationali opera, in paterna Dei providentia quiescat.

27. *Quis autem vestrum cogitans, potest adjicere ad staturam suam cubitum unum ?*

Quantumvis scilicet quis cogitando nervos ingenii et industriæ intendat, seseque discruciet, ut staturæ suæ quidquam adjiciat, nunquam id efficiet, cum ea res ad solum pertineat Creatorem ; similiter omnis *inordinata* sollicitudo ad vitam producendam, inanis est : cum vitæ mensura a Creatore determinata sit.

28. *Et de vestimento quid solliciti estis ? Considerate lilia agri quomodo crescunt : non laborant neque nent.*

Ut intelligamus Dei providentiam circa vestitum, reliquumque hominis ornatum, habitationem et supellectilem, considerare nos jubet lilia, quorum mira est venustas, candor, fragrantia, ordo, decor, celsitudo et velut majestas ornatus.

Sicut paulo ante non dixit *volatilia* tantum, sed volatilia *cœli*, ita nunc dicit *lilia agri* : ut hæc ab hortensibus distinguat, quæ hominum cura plantantur et aluntur. — Videtur autem Dominus hoc exemplo docere voluisse, Deum non solummodo strictæ necessitatis, sed convenientis elegantiæ et honestatis nostræ curam habere ; ut ne hujus quidem causa sollicitos nos esse oporteat. Quemadmodum patresfamilias non solum provident, ne quid liberis suis ad vitam et studia, sed etiam ne quid ad usitatam elegantiam et honestam recreationem desit. Huc spectat quod subjungit :

29. *Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est sicut unum ex istis.*

Sensus est : Quando Salomon regali, et tanto regi congrua magnificentia ornatus apparebat, liliorum decorem æquare non potuit.

Proposuit Christus Salomonis potius quam alterius regis exemplum, quia omnibus qui ante et post ipsum fuerunt, antecelluit et opibus et potentia et sapientia : i. e. iis rebus, quibus reges excogitant, sibique procurant ea, quæ ad ornatum externum pertinent. Et re quidem vera, tanta fuit Salomonis magnificentia, ut vel ministrorum ejus vestimenta reginam Sabæ miratione et stupore implerent. II Paral. IX.

Porro liliis comparat vestimentum sive paludamentum Salomonis, quia hoc erat, ut juxta antiquos Judæorum mores videtur, candidum, floridum et liliatum, seu liliis acupictis intertextum. Salomon enim figura Christi, liliis singulariter delectabatur, adeo ut ea tanquam præcipua, tum palatii sui, tum templi ornamenta elegerit ; et ipse in Canticis sæpius de Sponso dicat : *Qui pascitur inter lilia.* Cant. II, 16 ; VI, 2 ; VII, 2.

Præfert autem Dominus liliorum pulchritudinem liliatis ex auro Salomonis vestibus : quia -1) illa pulchritudo, utpote naturalis et nativa, omnem artis elegantiam, quasi meram adumbrationem atque rudem imitationem superat. Ars enim imitatur naturam, sed non adæquat. « Revera, inquit S. Hieronymus, « quod sericum, quæ regum purpura, quæ pictura textricum « potest cum floribus comparari ? Quid ita rubet ut rosa ? Quid « ita candet ut lilium ? Violæ vero purpuram nullo superari « murice, oculorum magis quam sermonis judicium est. » -2) Quia flos naturalis est flos verus et vivus, suavemque fragrantiam spirans ; flos vero arte confectus, inanimis, fictitius, cedens naturæ sicut imago veritati. -3) Quia flos artis, propius spectatus, rudis, imo turpis ac difformis apparet ; flos vero naturæ, quanto consideratur propius, tanto pulchrior, fragrantior, mirabilior comperitur.

30. *Si autem fenum agri, quod hodie est et cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit...*

Sicut Dominus liliorum maximum ostendit ornatum, ita jam declarat minimam eorum utilitatem : non enim sunt nisi herba, vix ad clibanum succendendum utilia. — Apud Orientales videlicet liliorum caules arefacti, ut aliæ herbæ, frutices ac flores, adhibebantur ad alendum ignem in fornacibus.

Itaque quum de pulchritudine agebat Dominus, *lilia agri ;* quum de utilitate loquitur, appellat *fenum agri* : cui cæteroquin Scriptura solet ea quæ vilissima et brevissimæ vitæ sunt, comparare : *Homo sicut fenum dies ejus, tanquam flos agri sic efflorebit* (Ps. CII). — Opposita ergo liliorum vilitate eorumdem pulchritudini, ostendit, nihil tam vile nec tam abjectum esse, cujus Deus summam curam non habeat.

Quanto magis vos, modicæ fidei ?

Hac increpatione ostendit, vulgarem quam impugnat sollicitudinem, nasci ex nimia et non ferenda divinæ Providentiæ diffidentia.

31. *Nolite ergo solliciti esse, dicentes : Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur ?* 32. *Hæc enim omnia Gentes inquirunt....*

Variis quæ vulgo fiunt quæstionibus sollicitudinem depingit, sine fine quærentem et timentem, quæque Christi discipulis indigna est, ac propria tantum Gentilium. Hi enim Deum, Deique providentiam ignorant ; Christiani vero eam fide cognoscunt, imo indies sentiunt et experiuntur.

Scit enim Pater vester cœlestis quia his omnibus indigetis.

En summa divinæ Providentiæ, totiusque nostræ fiduciæ fundamentum : Deus *scit*, — *vult*, — et *potest* indigentiæ nostræ opitulari. *Scit*, quia omniscius ; vult, quia *Pater* ; potest, quia Rex *cœlestis* est et omnipotens. — Cum emphasi præcipua dicit, Deum *scire* nostras necessitates cunctas : quia sufficit patrem, et quidem talem Patrem, indigentiam filiorum cognoscere ; ipsius enim sollicitudo pro nobis multo major est omni cura, quam ipsimet pro nobis gerere possumus : est enim divina et immensa.

33. *Quærite ergo primum regnum Dei et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis.*

Conclusio practica, promissione confirmata. Quærite, inquit, *primum*, non tam tempore primum, quam æstimatione et

diligentia : quærite nempe maxime, præcipue et primario, *regnum Dei*, i. e cœlestem beatitudinem ; *et justitiam ejus* seu justitiam *Dei* : i. e. media quæ ducunt ad regnum Dei, scilicet Dei gratiam, peccatorum expiationem, virtutes et bona opera, quæ Deus præscribit. Hæc primario ac *primo loco* quærite ; cætera tantum *secundo loco*, et in ordine ad regnum Dei procuranda sunt. Quod si feceritis, temporalia quæcumque suppetent vobis : expresse enim promitto fore, ut omnia a Deo adjiciantur vobis. — Dicit temporalia nobis *adjici*, ut intelligamus, ea non retribui ut mercedem bonorum operum, quæ tota nobis servatur in cœlo ; sed quasi mantissam, futuræ retributionis mensuræ superadditam. Temporalia enim, ut Chrysostomus ait, sunt bona infirma, et levissima respectu cœlestium, quæ *supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus* ab Apostolo appellantur (II Cor. IV, 17).

Explicatio secunda.

—

Nemo potest duobus dominis servire.

1° His verbis Salvator solemniter declarat id, quod in vetere Lege, imo in corde hominis scriptum est, Deo nempe soli esse serviendum : *Dominum Deum tuum timebis, et illi soli servies* (Deut. VI, 13). — Deus solus est Creator ac Dominus noster, cui soli obsequium nostrum et cor nostrum debetur, quique cor nostrum totum requirit. Non enim est alius Deus præter ipsum : nec sunt præter ipsum nisi idola, quæ juxta Deum vivum collocare nefas est : *Ego sum Dominus Deus tuus... non habebis deos alienos coram me* (Exod. XX, 3). Quare Elias graviter Israelitas increpabat dicens : *Ut quid claudicatis in duas partes* (alternantes) ? *Si Dominus est Deus tuus, sequimini eum ; si autem Baal, sequimini illum* (III Reg. XVIII, 21). — Et Paulus : *Quæ societas luci ad tenebras ? Quæ autem conventio Christi ad Belial ?* II Cor VI, 15.

2° Quinam sunt *domini duo*, quos Christus hic innuit ? — Generatim hi sunt Deus et diabolus, Deus et peccatum ; aut universim, Deus et quidquid Deo contrarium est. — In particulari, duo domini sunt Deus et mammona, seu idolum avaritiæ; Deus et mundus ejusque ambitio ; Deus et caro ejusque voluptates. Mammona, mundus et caro totidem sunt domini, seu potius tyranni, legitimo Domino Deo oppositi, quorum servus constituitur quicumque eis obedit : *A quo quis superatus est, hujus et servus est* (II Pet. II, 19). — *Nescitis, quoniam cui exhibetis vos servos ad obediendum, servi estis ejus cui obeditis ?*

sive peccati ad mortem, sive obeditionis ad justitiam. Rom. VI, 16.

3° Eligendum est inter duos dominos : inter Deum et diabolum, inter Christum et Belial... Utri melius est servire? Sane, sicut Deo servire regnare est ; ita diabolo servire, jugum trahere turpissimum, et æternum perire est. *Duo mala fecit populus meus : me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, et foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas.* Jerem. II, 13.

4° Quinam illi sunt, qui volunt duobus dominis servire?

Quicumque Deum ejusque mandata non ponunt super omnia : qui Christiani quidem esse volunt, sed simul mundum sequi, mundanaque delectamenta et pericula frequentare non dubitant; — qui Christiani esse volunt dimidiatim, usque ad certum gradum, usque ad tale sacrificium, non vero ultra ; — qui idolum quodpiam, i. e. pravam aliquam passionem vel consuetudinem in corde suo conservant ; — illi præcipue, qui non anteponunt Deum divitiis et fortunæ, quique simul Deo servire præsumunt et mammonæ.

Aut unum odio habebit et alterum diliget, aut unum sustinebit et alterum contemnet.

En odium peccati, prorsus necessarium ut Deus diligatur ; — aut necessario incurrenda peccati ac diaboli servitus, si Deus negligitur....

Non potestis Deo servire et mammonæ.

Christus Dominus non contentus quod indefinita sententia dixerit, duobus dominis servire neminem posse ; moxque de his dominis alterum esse diabolum insinuaverit, qui videlicet omnis fere peccati auctor et instigator est ; insuper adhuc definite et expresse maledictam avaritiam, et tam communem divitiarum cupiditatem notat, dicens : *Non potestis Deo servire et mammonæ.*

Servit autem divitiis, et vir seu mancipium divitiarum, non dominus est, quisquis eas vel avare appetit, vel cupide retinet. *Nihil intulimus in hunc mundum ; haud dubium quod nec auferre quid possumus. Habentes autem alimenta et quibus tegamur, his contenti simus. Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, et in laqueum diaboli, et desideria multa inutilia et nociva, quæ mergunt homines in interitum et perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas* (I tim. VI, 7). — Ergo homini Christiano, vel jugum Mammonæ frangendum est, ut conscendere possit in cœlum ; vel, cum hoc jugo, descendendum ad Mammonæ imperium, quod est infernus.

Ne solliciti sitis animæ vestræ quid manducetis.

1° Non solum avaritia sordida et servilis, sed altera velut avaritiæ species, nimia scilicet cura seu sollicitudo rerum temporalium, a Christo damnatur.

2° Nequaquam diligentia bene ordinata, quæ laude digna est, sed inordinata et anxia sollicitudo reprobatur : quia hæc, -1) noxia est ; -2) inanis ac superflua ; -3) Deoque, ratione diffidentiæ, injuriosa.

3° Est autem sollicitudo illa temporalium vehementer animæ noxia, tribus modis : -1) mentis lumen offuscando ; -2) ad pietatis officia multum difficultatis afferendo ; -3) animam paulatim terrenis rebus affigendo, ita ut eam ad cœlestia appetenda ineptam reddat.

4° De temporalibus rebus sollicitudo deponenda est ; de spiritualibus vero solliciti simus.... non tamen anxie, sed cum magna in Deo fiducia....

Nonne anima plus est quam esca?

1° Hic *pretium animæ* insinuatur, quæ a multis tam vili penditur, ut cibo, potui, etc. postponatur. *Violabant me ad populum meum* (in conspectu populi mei). *propter pugillum hordei et fragmen panis, ut interficerent animas quæ non moriuntur* (Ezech. XIII, 19). — Quid ergo est anima, sive propria sive aliena, quæ sic venditur aut interimitur? .. *Quam dabit homo commutationem pro anima sua?* (Matth. XVI, 26.) — Nonne omnium quæ in mundo sunt jactura facienda, ne anima pereat? Nonne intolerabilis error, perdere quod plus est, pro eo quod est minus : animam meam aut proximi, ut acquirere possim id, quod respectu animæ minimo valet?... *Noli propter escam destruere opus Dei.* Rom. XIV, 20.

2° Ex iisdem Domini verbis generale illud principium colligimus : *Qui dedit nobis quod plus est, non denegabit quod minus est.* Ergo, qui dedit nobis vitam, non negabit vitæ necessaria ; — qui dedit corpus suum et sanguinem in cibum animæ, non negabit panem dare in cibum corporis ; — qui dedit vitam spiritualem animæ, gratiam sanctificantem, non negabit auxilia opportuna ad eam conservandam tempore tentationis ; — qui dedit Baptismum et Christianam fidem, dabit et gratiam adjuvantem ad christiane vivendum, quamvis vehementes sint passiones ; — qui dedit vocationem ad certum statum, dabit media vocationem implendi...

3° Dominus, dum significat se providentiam habere de alimentis et vestimentis nobis necessariis, simul indicat eamdem providentiam se habere de nostris agris et quibusvis honestis commercii vel industriæ negotiis ; de aeris tempestate, de pace

publica, etc. opportune danda... ita ut circa illa omnia sollicitudinem in sinu Patris cœlestis deponere debeamus.

Respicite volatilia cœli...

1° En mirabilis Dei providentia, qua alimentum præbet avibus et animalibus quibusvis, etiam minimis, etiam silvestribus ; et quidem cuique juxta speciem suam conveniens. *Catuli leonum rugientes, ut rapiant, et quærant a Deo escam sibi* (Ps. CIII). — *Oculi omnium in te sperant, Domine : et tu das escam illorum in tempore opportuno ; aperis tu manum tuam, et imples omne animal benedictione* (Ps. CXLIV). — Quanto magis provideat filiis hominum, ex his verbis patet : *Non est bonum sumere panem filiorum et mittere canibus* (Matth. XV, 26) ; nequaquam enim divinus Paterfamilias, dum animalia curat, suos filios negliget...

2° *Respicite*, inquit, volatilia cœli, oculo scilicet fide illuminato : qui enim ita respicit et considerat creaturas, docetur cœlestem sapientiam, in natura tanquam in libro, Dei manu descriptam, aut in mundo tanquam in speculo relucentem...

3° Volatilia cœli, -1) imaginem exhibent libertatis filiorum Dei, qui nullis affectibus terrenis alligati, et a propria voluntate expediti, nihil jam nisi divinam voluntatem spirant : in qua divina voluntate ac beneplacito, velut in aere puro ac lucido, moventur et delectantur, Deumque quasi assiduo cantico laudant.

-2) Exemplum dant paupertatis evangelicæ, cum nihil possideant, et Patris cœlestis curæ prorsus derelicta vivant. Tales enim sunt vere pauperes spiritu, qui omnibus abdicatis, a sola Dei voluntate ad providentia pendent : et hi quidem beati existunt, *semper gaudentes... tanquam nihil habentes et omnia possidentes*. II Cor. VI, 10.

-3) Figurant animas sanctas, a terrenis rebus segregatas, in cœlestia per fidem et charitatem sese attollentes, atque in arbore crucis nidificantes..... Has pascit Deus peculiari bonitate, eis manna absconditum præstando, et panem de cœlo omne delectamentum in se habentem... — Non ita reptilia terræ.... quæ super pectus suum gradiuntur, et terram comedunt omnibus diebus vitæ suæ. Gen. III, 14.

Quis vestrum cogitans potest adjicere ad staturam suam cubitum unum ?

1° En inanitas omnis sollicitudinis, quæ præter ordinatam et moderatam diligentiam, rebus temporalibus impenditur ; en etiam efficacitas divinæ benedictionis, ut nobis res temporales prosperentur. — Sicut enim impossibile est homini, quidpiam

staturam suam augere ; ita impossibile est, inordinata sollicitudine corporalem vitam vel unica hora producere, aut vegetam servare : imo sollicitudo et labor nequit alimenta aliaque bona colligere, nisi qua mensura Deus largiri voluerit : a cujus manu omnia descendunt ac dispensantur, in pondere, numero et in mensura (Sap. XI, 21). *Omnia a te exspectant ut des illis escam in tempore. Dante te illis colligent ; aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate ; avertente autem te faciem, turbabuntur : auferes spiritum eorum, et deficient, et in pulverem suum revertentur* (Ps. CIII). — Ergo moderata et rationalis cura sufficit, nec quidquam præterea requiritur nisi benedictio Dei, quæ pie imploranda est.

Notandum. Quod non raro contingere videmus, ut nonnulli qui Dei obliviscuntur, per inordinatam sollicitudinem divitias acquirant : id Deo permittente, et quidem terribili judicio efficitur, ad eorum perditionem. *Ecce ipsi peccatores, et abundantes in sæculo, obtinuerunt divitias... Verumtamen propter dolos posuisti eis : dejecisti eos dum allevarentur.* Ps. LXXII.

2° Sicut Providentia staturam, et corporis nostri incrementum noctu diuque sensim operatur, nobis nescientibus quomodo id fiat ; ita etiam hominibus, præsertim famulis suis, Ecclesiis, communitatibus, piisque operibus, providere solet mediis tam occultis, ut ea non advertamus. Ergo diligenter Deo serviendum, et in ejus Providentia semper filiali fiducia quiescendum est.

3° Sicut statura hominis, ita tota corporis forma omnino a Deo pendet ; nec in hominis potestate est, vel unum capillum album facere aut nigrum (Matth. V, 36). *Ipse fecit nos, et non ipsi nos* (Ps. XCIX). Quare naturalis hominis compago et figura, simpliciter expressio est divinæ voluntatis : quam propterea in aliis revereri, et in nobis cum reverentia et gratitudine de manu Dei acceptare debemus. Corpus enim nostrum, qualecumque accepimus, secundum Dei consilia optimum nobis est, et ad singularem in cœlo gloriam destinatum : dummodo in terris humiliter Dei obsequio consecretur....

4° Ad hoc nampe corruptibile corpus nobis aptatum est, ut pro Domino Deo laborare, pati, humiliari possimus secundum exemplum Christi. Novimus autem quale nobis exemplum præbuerit Christus, qui *tradidit semetipsum pro nobis... hostiam Deo in odorem suavitatis* (Eph. V, 2), factus tanquam leprosus, et percussus a Deo, et humiliatus, non manente ei specie neque decore : qui propterea resurrexit speciosus forma præ filiis hominum, exaltatus a Deo, gloria et honore coronatus... — Porro eadem gloria Christi imitatores manet : ipse enim Rex

gloriæ *reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ.* Phil. III, 21.

De vestimento quid solliciti estis ?

1° Damnatur a Domino sollicitudo circa vestimenta necessitatis... quanto magis si de vestimentis agatur superfluis, quæ ad vanam ostentationem, ad fastum, ad carnales oculos captandos unice pertinent?.... Quam multis divinus Magister ingeminat : *De vestimento* corporis, *quid solliciti estis ?...*

2° Non quærenda sunt nisi vestimenta, habitatio, supellex moraliter necessaria, et suo cujusque statui consentanea.

3° Hæc autem fiducialiter exspectanda sunt a Deo, qui omnibus rebus viventibus providit vestimenta, naturæ cujusque accommodata : nam piscibus dedit squamas, volucribus plumas, ovibus lanam, arboribus cortices. At cum hominibus largius et mirabilius usus est, eisque non modo necessarium vestitum, sed etiam pretiosum et splendidum suppeditavit, ut telas aureas sericas, aliasque pretiosas, quibus tamen non ad vanitatem, sed ad modestum ornatum juxta decentiam uniuscujusque status, et ad splendorem divini cultus est utendum.

4° Vestimenta homini paravit, non tantum, -1) corporalia, sed -2) præsertim spiritualia, quæ sunt ornatus animæ, vestis nempe nuptialis gratiæ, auro gemmisque virtutum intertexta...

5° Vestimenta spiritualia splendorem a Christo ejusque sanguine accipiunt. Quicumque enim in cœlo gloria amicti fulgent, *laverunt stolas suas, et dealbaverunt eas in sanguine Agni.* Apoc. VII, 14.

Considerate lilia agri... quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est sicut unum ex istis.

1° En pulchritudo, quam Deus in tota natura sparsit ad terrestris hujus commorationis nostræ ornatum : quanto major pulchritudo cœli existimanda est !...

2° En imago pulchritudinis gloriæ Sanctorum. Si Deus sic ornat lilia agri, quomodo vestiet electos suos in paradiso suo ?.. ubi illi ad delectamentum oculorum Dei æternum florebunt. *Justi fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum.* Matth. XIII, 43.

3° En imago pulchritudinis gratiæ in hoc mundo. Florum varietas repræsentat virtutes varias, quibus ager cordis nostri ornandus est. — Eadem florum varietas refert quoque ornatum mysticum Ecclesiæ, quæ, ut Regina sponsa Christi, refulget in *vestitu deaurato, circumdata varietate.* Ps. XLIV.

4° Lilia figura sunt animæ puræ, a peccatis mundatæ, et Christi bonum odorem spargentis...

5° Lilia, specialius spectata, sunt virgines, animæque castæ,

quæ in agri solitudine, longe a mundano contactu, rore et calore cœli foventur, et oculis Dei florent ; ac mira Providentia, veluti sub angelorum alis, a terrenis inquinamentis inviolatæ custodiuntur....

Fenum agri, quod hodie est, et cras in clibanum mittitur.

1° En pulchritudo terrena, corporalis, quæ vel in forma corporis, vel in ornatu consistit, et caduca est sicut fenum : *Omnis caro fenum, et omnis gloria ejus quasi flos agri.* Isai. XL, 6.

2° En pulchritudo ingenii naturalis... en omnis gloria humana, imo omnia bona terrena quæ objectum sunt concupiscentiæ oculorum : hæc enim omnia sicut flores marcescunt et decidunt ; atque oculis Dei tam vilia videntur, ut Deus ea non minus hominibus malis quam bonis adjiciat. *Stulte, hac nocte animam tuam repetunt a te ; quæ autem parasti, cujus erunt?* Luc. XII, 20.

3° En mundanus fastus et splendor, sub quo nihil aliud absconditur, nisi iniquitas et materia æterni ignis... Omnis enim mundi hujus assecla sciat, se esse *fenum agri, quod hodie est, et cras in clibanum mittitur.*

Hæc omnia gentes inquirunt.

1° Christiani caveant, ne similes fiant Gentilibus, qui Deum, divinaque bona non cognoscunt. Quid illi quærunt?... Quid autem Christiani, fide illuminati, inquirere debent?...

2° Qui studiis suis Gentiles imitantur, cum ipsis quoque ab hæreditate Patris cœlestis excludentur, imo acerbiore pœna punientur in inferno...

Scit enim Pater vester quia his omnibus indigetis.

1° En nostræ fiduciæ fundamenta : Patris cœlestis omniscientia, potentia, bonitas ; seu Dei oculus, manus et cor, quæ semper nobis intenta, invitant nos, ut in ejus sinu perpetuo conquiescamus : *Omnem sollicitudinem vestram*, ait Petrus, *projicientes in Deum, quoniam ipsi cura est de vobis*, I Pet. V, 7.

2° En providentia Dei, omnibus nostris necessitatibus, etiam, et quidem præsertim, spiritualibus, benignissime attenta : *Scit enim quia his omnibus indigetis.* — Quæ tamen Dei providentia orationem ex parte nostra non excludit : *Pater vester de cœlo dabit spiritum bonum*, sed *petentibus se.* Luc. XI, 13.

Quærite ergo primum regnum Dei et justitiam ejus.

1° En regula christianæ diligentiæ : *Primum regnum Dei*, i. e. *primum* quæ Dei sunt, et quæ ad animam pertinent...

2° En regula christianæ industriæ et prudentiæ : sic Christiani temporalia, Deo favente, consequuntur, eaque secure, imo sanctissime possidere possunt....

3° En principium pacis animæ, quæ desideriis vanis ac vicissitudine terrenorum, si ita egerit, non turbabitur....

4° En principium progessus in virtute : sic enim -1) removetur obstaculum illius progressus, nempe studium sollicitum terrenorum ; et -2) additur animæ vigor, per studium rerum cœlestium...

5° Quam multi, qui primum quærunt bona terrena, quasi his cœlestia adjicienda forent ! — Illi omni modo imprudenter agunt ; nec tantum æternis bonis, sed etiam temporalibus illis suis excident. *Nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis* (Ps. LXXV). — *Timete Dominum, omnes sancti ejus ; quoniam non est inopia timentibus eum. Divites eguerunt et esurierunt : inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono* (Ps. XXXIII). — Cujus sententiæ veritatem indociles Judæi miserrime experti sunt, de quibus Augustinus ait : *Temporalia perdere timuerunt, et vitam æternam non cogitaverunt, ac sic utrumque amiserunt.* Tract. 49 in Joan.

DOMINICA DECIMA QUINTA POST PENTECOSTEN.

Resurrectio filii viduæ Naim. Luc. VII, 11-16.

11. Ibat Jesus in civitatem quæ vocatur Naim ; et ibant cum eo discipuli ejus, et turba copiosa. — 12. Quum autem appropinquaret portæ civitatis, ecce defunctus efferebatur filius unicus matris suæ, et hæc vidua erat ; et turba civitatis multa cum illa. — 13. Quam cum vidisset Dominus, misericordia motus super eam, dixit illi : Noli flere. — 14. Et accessit, et tetigit loculum. Hi autem qui portabant, steterunt. Et ait : Adolescens, tibi dico, surge. — 15. Et resedit qui erat mortuus, et cœpit loqui. Et dedit illum matri suæ. — 16. Accepit autem omnes timor ; et magnificabant Deum dicentes : Quia propheta magnus surrexit in nobis : et quia Deus visitavit plebem suam.

Explicatio prima.

I. *Pompa funebris filii viduæ.*
II. *Defuncti per verbum Jesu suscitatio.*

---

11. *Ibat Jesus in civitatem quæ vocatur Naim ; et ibant cum eo discipuli ejus et turba copiosa.*

Paucis diebus post *sermonem in monte*, circa finem mensis Maii, anno secundo prædicationis suæ, Dominus cum circuiret prædicando regionem, ibat in civitatem Naim. Erat Naim oppidulum Galilææ, ob pulchritudinem structuræ et amœnitatem situs, hoc nomine appellatum. *Naim* enim hebraice idem est quod *pulchrum, decorum, jucundum, delectabile.* Surgebat ad radicem montis Hermon, duobus milliariis a Thabor (1), in ripa florida torrentis Cison.

Eo iter habebat Jesus, non oblectationis causa, sed ut perageret missionem suam, atque per omnes civitates et castella prædicaret Evangelium regni, curaretque omnem languorem et omnem infirmitatem in populo (Matth. IV, 23) ; speciatim vero, ut insigne ibi miraculum operaretur.

Nominat Evangelista *Naim*, ad plenitudinem historiæ, et ad veritatis evidentiam, cum sic testes indicentur qui factum confirmare possint.

Similiter quod addit : *Ibant cum eo discipuli ejus et turba copiosa*, eo videtur pertinere, ut quam plurimos miraculi testes fuisse pateat.

Discipuli ejus dicuntur, non tantum duodecim Apostoli ; sed alii multi, qui Jesum tanquam divinitus missum Magistrum habebant, et sequebantur ut ejus doctrinam audirent.

Turba copiosa distinguitur *a discipulis*, et intelligenda est ingens promiscui populi multitudo, quæ Jesum quocumque euntem sequebatur : partim ut audirent docentem, partim ut viderent miracula, aut etiam ut obtinerent sibi suisve ægrotantibus sanitatem. Illi homines sæpe de longe veniebant, et longe sequebantur Dominum, nec familiæ amore, nec labore itineris revocati : tanta erat eorum aviditas, et Jesus celebritas ac magnificentia.

12. *Quum autem appropinquaret portæ civitatis, ecce defunctus efferebatur.*

Quod dicit Evangelista : *Ecce efferebatur*... significat, fortuito casu (quantum homines possent judicare), contigisse ut, cum Jesus appropinquaret civitati, efferretur mortuus.

(1) Hieronymus, libro *de locis Hebraicis.*

Quod Dominus mortuum hunc suscitare voluerit quasi fortuito occurrens, et cum ille efferretur ad sepulturam, prope portam civitatis, et cum ipse Dominus ingrederetur : sapientissimo sane consilio egit. Scilicet.

1° Occursus istius funeris, humanis quidem oculis fortuitus, Christo autem omnino prævisus erat et quæsitus. Voluit enim Jesus, occursum præsentibus videri fortuitum, ne, si ex industria exspectasset cadaveris exportationem, minoris fidei et gratiæ esset miraculum ; utque ex improviso obvium mortuum revocando ad vitam, evidentius potestatem manifestaret, mortuos quoscumque vellet subito suscitandi.

2° Nec prius eum suscitare voluit quam ad sepulturam efferretur, ne quis causari posset non vere mortuum fuisse.

3° Nec privatim miraculum operari voluit, in domo defuncti, ubi pauciores adfuissent testes ; sed in ipsa urbis porta, ubi maxima frequentia populi, præsertim apud Judæos. In porta enim urbis eorum forum erat, tum rerum venalium, tum judiciale, ubi causæ agi et viri nobiles civitatis versari solebant. — Multitudo itaque testium quam Dominus futuro miraculo adstare volebat, maxima fuit triplici ex parte, nimirum : -1) ex parte loci ; -2) ex parte comitatus funebris ; -3) ex parte turbarum, quæ Jesum sequebantur.

4° Christus in ipso suo urbis ingressu miraculum operatus est, quo melius insigni simul prodigio et beneficio incolarum animos ad Evangelium recipiendum disponeret.

Defunctus efferebatur — extra urbem ad sepulturam. Solebant Judæi, ne legalis immundities ex sepulcrorum commercio contraheretur, extra urbes habere sepulcra ; quare et illud monumentum novum, in quo mortuus Christus positus est, in horto extra Jerosolymam erat. — Christiani, data post persecutiones pace Ecclesiæ, quod fieri potuit, cœmeteria sua constituerunt juxta templa : -1) ut mortui viventibus essent bonæ vitæ incitamentum ; 2) ut vicissim ab eis suffragia orationum acciperent ; -3) ut sacrificii Missæ, quod in templo offertur, participes fierent.

Filius unicus matris suæ : et hæc vidua erat, et turba civitatis multa cum illa.

Qualis defunctus esset quatuor circumstantiis describitur ; non tantum ut fides augeatur historiæ, sed etiam ut intelligatur, cur Dominus singulari misericordia motus, eum etiam non rogatus suscitaverit. Erat enim -1) *adolescens*, qui florescente adhuc ætate decesserat, et ante nuptias, ne nepote quidem matri relicto.

-2) Erat *filius unicus*, græce *unigenitus*, cujus mors majorem

dolorem matri suæ afferebat, quam si hæc alios liberos habuisset. Luctus enim matris super unigenito defuncto est summus et acerbissimus, juxta illud Zachariæ : *Et plangent eum planctu quasi super unigenitum.* XII, 10.

-3) Ejus mater erat *vidua*, quæ et sine viro et sine liberis orbata maneret ac desolata. Cum enim unicum filium, quem solum genuerat, haberet superstitem, hæredem, solatium, et spem omnem suam ; illo mortuo, et ex ipso ætatis flore erepto, *exstincta* cum illo *est scintilla ipsius*, ut verbis utamur mulieris Thecuitis (II Reg. XIV, 7), *nec superfuit aut ipsi* miserabili matri, *aut viro ipsius*, *nomen et reliquiæ super terram.*

-4) Vidua autem erat nobilis, primaria, ut videtur, civitatis matrona : cum eam *turba civitatis multa*, magna scilicet exsequiarum pompa comitaretur. Sed ipsa sua opulentia majoris ei causa doloris erat : cum enim, filio orbata, jam non haberet hæredem domus suæ, futurum prævidebat, ut bona sua hæredibus relinqueret alienis.

Quare miseranda mater acerbissimo dolore lugebat ; et lacrymis perfusa, filii sui funus, uti moris erat, sequebatur.

13. *Quam quum vidisset Dominus, misericordia motus super eam...*

In hoc lugubri spectaculo, Dominus non tam in corpus pallidum et inanime adolescentis, quod jacebat in feretro, quam in afflictam matrem oculos defixit : *Quam quum vidisset* : id est, quum eam considerasset. Non solum enim oculis eam aspexit, verum etiam animo consideravit causas luctus ejus.

Hanc itaque mulierem gravissime afflictam, atque orbatam unigenito, spe posteritatis, baculo senectutis, lumine oculorum ; hanc matrem tam miserabilem, tamque amare flentem cum vidisset tenerrimus Dominus, non sane potuit quin intima commiseratione moveretur : *Misericordia motus super eam* ; adeo ut statim ac sponte, antequam rogaretur, ad eam accedere, eamque solari voluerit.

Dixit illi : Noli flere.

Alio modo id illi Christus dixisse censendus est, quam cæteri, qui eam comitantes consolabantur. Alii nimirum dixerint illi etiam, *noli flere* ; sed vulgari more, et humanis ut fieri solet, rationibus adductis hujusmodi : mortalem ipsius filium fuisse ; quod factum est, infectum fieri non posse ; nihil miseriæ prodesse lacrymas, quæ calamitatem augerent potius quam levarent. — Christus vero ita dixit illi *noli flere*, ut vel expresse, vel tacite spem fecerit, fore ut filius reviivisceret ; sensusque verbi fuit : Desine, mater, flere, et incipe gaudere, quia jam

filium tuum resuscitabo ; seu, ut Beda exponit : *Desiste quasi mortuum flere, quem mox resurgere vivum videbis.*

14. *Et accessit, et tetigit loculum. Hi autem qui portabant steterunt.*

Vix allocutus erat matrem, cum accederet ad defunctum, hoc veluti actu seu gestu sermonem complens, et indicans quid esset facturus. Jacebat mortuus in loculo, qui loculus, erat arca, non clausa, sed retecta ; seu species lectuli, quo mortui efferri solebant. Hunc ergo lectulum tetigit manu Dominus, ut hoc indicio annutiaret quod facturus esset, et portantibus gradum sistere significaret.

Portitores itaque substiterunt. Nec mirum eos signo voluntatis Jesu obtemperasse, doctori adeo celebri et miraculis claro, quem tanta discipulorum populique turba comitatum coram videbant. — Stantibus autem portitoribus, omnis multitudo substitit et aspexit : quem effectum Dominus tangendo loculum intenderat ; volebat enim quod patraturus erat miraculum, attentis omnibus spectabile fieri.

Et ait : Adolescens, tibi dico, surge.

Tibi dico, id est, tibi præcipio, revivisce et surge. — 1° Alloquitur mortuum, quod divinam denotat auctoritatem : solius enim Dei Creatoris vocem mortui possunt audire ; sic jussus est Ezechiel, ex persona Dei, mortuos et arida jam ossa alloqui : *Ossa arida, audite verbum Domini.* Ezech. XXXVII, 4.

2° Alloquitur, propria auctoritate præcipiens, ut verus Dominus vitæ et mortis : *Tibi dico, surge.* Non ita Sancti mortuos revocant ad vitam, sed tantum *in nomine Jesu Christi.* Petrus quidem mortuæ viduæ dixit : *Tabitha surge* (Act. IV, 40) ; sed non dixit, *tibi dico, surge* : quia non suo, sed Christi nomine loquebatur. Ipse vero Dominus, suo nomine loquens, ostendit se Deum esse, ac Filium Dei, cujus proprium est mortuos suscitare ; prout paulo ante Jerosolymæ ipse dixerat : *Omnes qui in monumentis sunt audient vocem Filii Dei.* Joan. V, 28.

15. *Et resedit, qui erat mortuus, et cœpit loqui.*

En effectus verborum Christi. — Dum adstantes omnes intenti exspectarent, an mortuus huic voci obediret : ecce, eodem temporis puncto, quasi e somno excitatus adolescens aperit oculos, et e funebri pulvinari caput sublevans, medio corpore sese erigit, ita ut sederet in lectica qua ferebatur, omnibus conspicuus.

Et quo evidentius fieret eum vere vivere, motui vitali adjunxit loquelam, ita ut omnes, tam auribus quam oculis, testes resur-

rectionis essent. — Quæ verba locutus sit redivivus, Scriptura non refert ; sed primum benefactorem suum Jesum, deinde charissimam matrem cum gaudio et gratitudine allocutum esse, existimari potest.

Et dedit illum matri suæ.

Data dextera jussit Jesus, ut reviviscens filius surgeret in pedes et de feretro descenderet ; duxitque eum ad matrem, cujus commiseratione motus eum suscitaverat, cuique consolationem hanc promiserat dicendo : *Noli flere.*

Dedit illum matri : vere enim *donum* Jesu erat restitutio filii, qui non fuerat nisi per Jesum recuperabilis. Dedit, inquam, ut, quemadmodum prius, obediret, opemque et solamen matri præstaret ; eumque reddidit, his aut similibus usus verbis : En filium tuum, o mater : accipe eum ac reduc domum, ut ejus tu societate fruaris, illeque tibi debita pietate obsequatur et serviat.

Quantum matri fuerit gaudium, quanta gratitudo, utpote facile intellectu, Evangelista non dicit. Profecto beata mater, accepto filio perfectam consolationem assecuta, antequam domum reverteretur, una cum adolescente redivivo, ineffabiles gratias Jesu egerit : universa populi turba spectante et obstupescente. Hanc postremam circumstantiam, qua miraculum declaratur, Evangelista addidit, dicens :

16. *Accepit autem omnes timor; et magnificabant Deum...*

Timor, id est, reverentia religiosa, mixta cum horrore quodam divinitatis, cujus præsentia in Christo manifestabatur, omnes invasit. Hebræorum enim idiomate, *timor* frequenter *sancta reverentia* est : unde Dei cultum et venerationem *timorem Domini* appellant. — Porro sanctus ille timor cum consolatione ac fiducia conjunctus erat, prout ex effectu patet : nam *magnificabant Deum*, id est, laudabant Deum, ob adventum Messiæ, quem ex miraculo agnoscebant. Crediderunt enim, vel saltem suspicati sunt, Jesum esse promissum Messiam, ut ex sequentibus patet.

Dicentes : Quia propheta magnus surrexit in nobis, et quia Dominus visitavit plebem suam.

Sensus est : Messias, Propheta ille magnus quem exspectamus, venit, per quem Dominus visitavit populum suum, ut eum consoletur et misericorditer redimat. Eodem sensu Zacharias in cantico dixit : *Benedictus Dominus Deus Israel ; quia visitavit et fecit redemptionem plebis suæ. . visitavit nos oriens ex alto* (Luc. 1, 68, 78). — Turbæ autem sic loquentes, respiciunt, non

ad hoc solum resuscitati adolescentis miraculum ; quanquam istud apud eos principem locum facile obtinuerit ; sed etiam ad cætera Domini opera et prodigia, quæ vel visu, vel fama intellexerant.

Porro clamor ille, seu ipsa res peracta, fama hujus miraculi, e labiis multitudinis longe lateque propagata est : *Et exiit hic sermo in universam Judæam de eo, et in omnem circa regionem.*

—

Explicatio secunda.

Christus Dominus tres mortuos suscitasse legitur, qui varios peccatores, spiritualiter per peccatum mortuos, figurant.

1° Suscitavit filiam duodennem archisynagogi *in domo* : figurando peccatorem, lapsum per fragilitatem in peccata quæ interna esse solent.

2° Suscitavit adolescentem filium viduæ Naim, *in porta civitatis* : figurando peccatorem, qui majore malitia sese tradit passionibus, a lapsu surgere minus curat, et in actus externos per verba et opera scandalosa progreditur.

3° Suscitavit Lazarum, jam *in monumento* inclusum : figurando peccatorem, peccandi consuetudine putrescentem, aut obduratum et obcæcatum.

Porro, resurrectionem primam operatus est seorsim et secreto. orando ; secundam, imperando ; tertiam, voce magna clamando : quæ omnia spiritualem animarum resurrectionem adumbrant.

Quod autem ad hodiernum Evangelium spectat, defunctus filius viduæ a Christo resuscitatus, statum peccatoris, ejusque conversionem allegorice repræsentat. Allegoria porro spectari potest, sive ex parte viduæ, sive ex parte defuncti, sive ex parte Christi.

Mater vidua, est 1° Ecclesia, quæ dilectissimos filios suos, i. e. fideles Christianos, vita animæ per peccatum privatos luget, suisque lacrymis veniam eis et vitam gratiæ impetrat.

2° *Mater vidua*, est quælibet mater vel pater ; vel animarum rector, qui spiritualis pater ac mater vocatur : hic, cum aliquem suorum cognoverit in peccatum incidisse, et jam deduci ad sepulcrum vitiorum , debet funus illus prosequi lacrymis et orationibus ; sic enim fiet, ut Dominus eum consoletur, eique sicut Beatæ Monicæ, filium restituat.

Adolescens defunctus, est peccator, in miserrimo statu existens. 1° *Mortuus est* secundum animam , privatus spirituali vita, lumine, cibo, loquela, motu.... — Erat modo *adolescens*, id est, destinatus ad vitam longam et prosperam ; nunc jacens

in loculo, id est, in carne et sensibus immersus, erigere se ad spiritualia non valens...

2° *Effertur* ex omnibus bonis, et spoliatur ornatu, vestitu, hæreditate spirituali ; honore, gaudio fraterno, pace et jucunditate cordis... — Effertur autem a quatuor portitoribus, quatuor nempe passionibus vehementioribus, quæ luxuria, ambitio, cupiditas et iracundia seu odium esse solent.

3° *Effertur ad sepulcrum*, hoc est, ad miserrimum statum corruptionis et obcæcationis in hac vita.... et ad sedem mortis secundæ, seu ad infernum, in altera....

Christus, resuscitans mortuum, est resurrectio et via nostra, auctor omnis conversionis, quæ resurrectio spiritualis est. Ut autem conversionem operetur, 1° occurrit funeri, id est, ultro quærit miserum peccatorem, eumque gratia sua præveniendo movet, ut recogitet corde...

2° Accedit ad mortuum, quum peccator gratiæ obediens incipit orare, Ecclesiam frequentare...

3° Tangit loculum et sistit portitores, quum peccatorem corporaliter affligendo, vel interne tangendo, vera compunctione penetrat, ejusque passiones compescit.

4° Mortuum vitæ restituit, quum peccatori absolutionem impertit.

5° Eum reddit matri suæ, quum eum restituit Ecclesiæ, familiæ suæ, omnibusque bonis spiritualibus, et spei hæreditatis æternæ...

Quod Christus facit, idem ministri Christi, suscitatores animarum, aliquo modo facere debent. Oportet enim eos, 1° *occurrere* funebri comitatui : id est, peccatorum vitæ mundanæ opponere exempla vitæ sanctæ, et documenta evangelica ; — item, quærere peccatores, tum labore, tum orationibus...

Oportet 2° *accedere*, hoc est, lucrari paulatim corda, per comitatem, mansuetudinem, humilitatem, perque instructiones, quæ sint ad captum eorum accommodatæ....

Oportet 3° *tangere manu* loculum, i. e. per beneficentiam, eleemosynas, vel etiam per prudentem rigorem atque castigationem, removere pericula, reprimere abusus....

Oportet 4° postquam sufficienter animæ dispositæ sunt, eas *alloqui magna vi et zelo*, quasi voce Dei, easque nomine Dei revocare ad vitam vere christianam : jubendo ut surgant, atque motum, loquelam et gressum recipiant....

Oportet 5° resuscitatos ad vitam *reddere matri suæ*, id est, Ecclesiæ ejusque sacramentis, piisque sodalitatibus, ut eorum perseverantiæ prospiciatur...

Præter generales allegorias hactenus expositas, evangelicus textus particularia suggerit documenta, quæ sequuntur.

Ibant cum Jesu discipuli ejus et turba copiosa.

En influxus exempli majorum ad bonam disciplinam minorum. Docet Evangelista, secutos esse Christum prius discipulos, ac postea (eorum videlicet exemplo tractam) turbam plebis copiosam : ut intelligamus, superiores propius sequi debere Christum, suoque exemplo cæteros ad Christi sequelam trahere : *Imitatores mei estote, sicut et ego Christi.* I Cor. IV, 16.

Ecce defunctus efferebatur, filius unicus matris suæ.

En mors præmatura, inexspectata ; en fragilitas vitæ et opum humanarum. Omnia enim hic longiorem vitam merito videbantur postulare : filii ætas, parata ipsi hæreditas, matris solitudo, cujus ipse solatium esse debebat. Defunctus est tamen adolescens : ut intelligamus, omni tempore et statu mortem esse exspectandam. *Estote parati, quia qua hora non putatis, Filius hominis veniet.* Matth. XXIV, 44.

Et hæc vidua erat.

Eo magis Dominus motus est erga matrem defuncti, quod hæc erat vidua : ut viduarum misericordiam et curam sibi singulariter charam esse doceret. Quod cæteroquin pietatis genus sæpe Scriptura commendat, et ipsi Deo velut proprium esse ostendit : *Dominus custodit advenas, pupillum et viduam suscipiet* (Ps. XLV). — *Exultate in conspectu ejus... patris orphanorum et judicis viduarum.* Ps. LXXVII.

Et turba multa civitatis cum ea.

En exsequiarum solemnitas et religiosa mortuorum sepultura, quæ Deo gratissima est, et plurimum quoque in Scriptura laudatur. *Quando orabas cum lacrymis*, ait Raphael angelus ad Tobiam, *et sepeliebas mortuos, et derelinquebas prandium tuum, et mortuos abscondebas per diem in domo tua, et nocte sepeliebas : ego obtuli orationem tuam Domino* (Tob. XII, 12). — Nicodemi et Josephi ab Arimathia circa corpus Christi sepeliendum pietas et religio, in Evangelio diligenter et summa laude commemorantur. Imo Christus ipse Magdalenam laudat, quod unctionem sepultoriam etiam nescia, instinctu tamen Spiritus sancti, sibi contulerit : *Mittens hæc*, inquit, *unguentum hoc in corpus meum, ad sepeliendum me fecit. Amen dico vobis, ubicumque prædicatum fuerit hoc Evangelium, in toto mundo, dicetur et quod hæc fecit, in memoriam ejus* (Matth. XXVI, 12) ; scilicet in memoriam gloriosam, seu in gloriam ejus.

Quam cum vidisset Dominus, misericordia motus super eam, dixit : Noli flere.

1° En exemplum misericordiæ, egenis et afflictis personis exhibendæ. Dominus enim viduæ matris lacrymis, jactura,

afflictione movetur, eique condolet ; quare aspiciens eam oculis commiserationis, benigne solatur, dicens : *Noli flere.* — Et quidem, omnium preces antevertens, matri nihil tale exspectanti, ultro beneficium confert, sola eum movente misericordia Cordis sui : tanta est ejus ad sublevandas hominum miserias promptitudo. —Ut nos discamus, non modo nemini lacrymarum causam afferre ; sed etiam ab afflictis oculos non avertere, eorumque, etsi non expresse rogantium, lacrymas misericorditer abstergere. *Beatus qui intelligit super egenum et pauperem* (Ps. XL) : qui *intelligit*, id est, qui respicit, cognoscit studiose et misericorditer lugentium dolores ; non secus ac pius medicus afflictorum vulnera considerat, ut medeatur.

2° Dicendo : *Noli flere* ob mortem filii, Dominus nequaquam damnat fletum moderatum de defunctis cognatis et amicis; Nam, quamvis etiam speremus eis bene esse post hanc vitam, tamen ob supremæ separationis acerbitatem, ineluctabili naturæ sensu rectissime commovemur. Imo ipse Filius Dei ad sepulcrum Lazari, amici sui, flevit : *Et lacrymatus est Jesus. Dixerunt ergo Judæi : Ecce quomodo amabat eum* (Joan. XI, 35, 36). — Insinuat autem Dominus, non esse dolendum nimis, cum ipse adsit, ipse Deus totius consolationis. Quod expresse Apostolus dixit : *Nolumus vos ignorare, fratres, de dormientibus, ut non contristemini sicut et cœteri, qui spem non habent. Si enim credimus quod Jesus mortuus est et resurrexit, ita et Deus eos qui dormierunt, per Jesum adducet cum eo.* I Thess. IV, 12, 13.

Tetigit loculum : hi autem qui portabant steterunt.

En tribulationum hujus vitæ beneficium et utilitas. Christus accedens et loculum tangens defuncti, effecit ut qui eum ad sepulcrum portabant, starent, et misericordiæ ejus effectum exspectarent. Eodem modo Deus ad peccatores accedens, et defunctæ animæ loculum, qui corpus est et corporalia bona, sua visitatione tangens atque affligens ; facit, ut passiones inordinatæ, quibus anima ad sepulcrum inferni ferebatur, repressæ, veluti consistant ; et animus colligere se, ac Dei vocem audire possit...

Adolescens, tibi dico, surge.

1° En vox gratiæ, uniuscujusque animæ insonans, et alacriter sequenda. — Quibus dicitur *surge*, seu quinam excitantur a Domino ? — Ad surgendum excitantur quicumque jacent : sive jaceant in putredine peccati... sive in ignavia tepiditatis... sive in lectulo sensualitatis... *Surge qui dormis, et exsurge a mortuis ; et illuminabit te Christus.* Eph. V, 14.

2° Dominus non dicit simpliciter, *vive*, sed *surge* : ut intelli-

gamus, Deum quidem gratiam largiri, nobis autem incumbere, ut gratiæ cooperemur atque surgamus. Gratia enim, utpote adjutorium, *nobiscum* quidem omnia potest ; sed sine nobis efficiet nihil.

Et resedit qui erat mortuus, et cœpit loqui ; et dedit illum matri suæ.

1° En veræ conversionis effectus : homo relinquit cubile peccati ; loquitur, ad precandum Deum, ad confitenda peccata ; redditur paci, felicitati, omnibusque bonis filiorum Dei ; et vitæ suæ novæ exemplo Ecclesiam lætificat, proximos ædificat, semetipsum honorat, et Dei misericordiam glorificat...

2° Mortuus ille verbo Jesu reviviscens, imaginem quoque refert resurrectionis nostræ futuræ in novissimo die ; sed imperfectam valde. Hic enim mortuus resurgit ad vitam miseram ac mortalem... tunc autem justi resurgent ad vitam gloriosam ac immortalem. *Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, et mortale hoc induere immortalitatem. Cum autem mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet sermo qui scriptus est : Absorpta est mors in victoria. Ubi est, mors, victoria tua ? ubi est stimulus tuus ?...* I Cor. XV, 53 seq. (1).

—

FERIA QUINTA INFRA HEBDOMADAM SECUNDAM QUADRAGESIMÆ.

Evangelium *de Divite epulone.* Luc. XVI, 19-31.

Dixit Jesus Pharisæis : — 19. Homo quidam erat dives, qui induebatur purpura et bysso ; et epulabatur quotidie splendide. — 20. Et erat quidam mendicus, nomine Lazarus, qui jacebat ad januam ejus, ulceribus plenus, — 21. cupiens saturari de micis quæ cadebant de mensa divitis : et nemo illi dabat ; sed et canes veniebant et lingebant ulcera ejus. — 22. Factum est autem ut moreretur mendicus, et portaretur ab angelis in sinum Abrahæ. Mortuus est autem et dives, et sepultus est in inferno. — 23. Elevans autem oculos suos, quum esset in tormentis, vidit Abraham a longe, et Lazarum in sinu ejus ; — 24. et ipse clamans dixit : Pater Abraham, miserere mei, et mitte Lazarum ut intingat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret linguam

(1) Alia Evangelia Dominicarum similiter exposita invenire est in ejusdem Auctoris opere : EVANGELIA DOMINICARUM AC FESTORUM TOTIUS ANNI, *homiliticis explicationibus secundum mentem SS. Patrum et catholicorum interpretum illustrata.*

meam : qui crucior in hac flamma. — 25. Et dixit illi Abraham : Fili, recordare quia recepisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala : nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris. — 26. Et in his omnibus inter nos et vos chaos magnum firmatum est ; ut hi qui volunt hic transire ad vos, non possint, neque inde huc transmeare. — 27. Et ait : Rogo ergo te, pater, ut mittas eum in domum patris mei, — 28. habeo enim quinque fratres : ut testetur illis, ne et ipsi veniant in hunc locum tormentorum. — 29. Et ait illi Abraham : Habent Moysen et prophetas : audiant illos. — 30. At ille dixit : Non, pater Abraham : sed si quis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agent. — 31. Ait autem illi : Si Moysen et prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent.

Explicatio prima.

Anno prædicationis tertio, mense Decembri, cum doceret Dominus in Bethabara, et de divitiis in pauperes dispergendis loqueretur, diceretque : *Non potestis Deo servire et mammonæ*, hanc doctrinam irridebant pharisæi. *Audiebant omnia hæc Pharisæi, qui erant avari ; et deridebant illum. Et ait illis : Vos estis qui justificatis vos coram hominibus : Deus autem novit corda vestra ; quia quod hominibus altum est, abominatio est apud Deum* (Luc. XVI, 13, 14, 15). — Ut autem irrisores impios et avaros magis percellat, affert terribile exemplum divitis, damnati gehenna ignis, idcirco quod pauperem neglexisset, a quo potuisset in sinum Abrahæ et in æterna tabernacula recipi.

Utrum hæc Domini narratio sit mera parabola, an historia ac res vere gesta, ut Ambrosius, Chrysostomus, aliique Patres censent, disputatur. Probabilis valde est opinio Maldonati, qui tenet esse partim historicam, partim fictitiam. Scilicet, ut ipse explicat, 1° historice verum est, vixisse aliquando inter Judæos duos homines, quorum unus, dives epulo atque immisericors, post mortem incidit in infernum ; alter, pauper Lazarus, post mortem salvus factus est. Hæc inquam, vera historia censetur ; tametsi nullus eam narrare potuit præter ipsum Christum, cui soli res alterius sæculi notæ fuerunt non minus quam hujus. Et quidem hanc veritatem historicam supponit Ecclesia, dum animabus fidelium apprecatur, ut *cum Lazaro, quondam paupere, æternam habeant requiem.* — 2° Colloquium vero inter

divitem reprobum et Abraham, mere parabolicum est, et figuratum ut aptius doceamur.

Tres partes distingui possunt :

I. *Sors divitis et Lazari in hac vita.*
II. *Eorumdem sors in vita altera.*
III. *Monitum viventibus datum.*

19. *Homo quidam erat dives, qui induebatur purpura et bysso, et epulabatur quotidie splendide.*

Homo ille Judæus erat, utpote qui infra filius Abrahæ esse ostenditur et discipulus Moysis. *Erat* autem *dives*, nempe *de suo*, ut Augustinus dicit, hoc est, de rebus legitime acquisitis. Non enim accusatur rapinæ, furti, aut alterius injustitiæ. At si minus injustitiæ reus, an aliis culpis non erat obnoxius ? Plurimis sane vitiis non caruisse censendus est, quæ ex divitiis nasci solent ; ob duo tamen apertius reprehenditur ; quæ tanquam causæ assignantur reprobationis ejus : nempe vita sensualis et inhumanitas in pauperes. Describitur enim ut homo *ducens in bonis dies suos* (Job. XXI, 13), nihil denegans sibi, nihil largiens pauperibus. — Ad sensualitatem itaque quod spectat, exquisitissima quæque sibi concedebat quoad vestes et quoad cibos.

Induebatur purpura et bysso : scilicet pro vestimentis utebatur *purpura*, seu pallio purpureo : qui vestitus erat pretiosissimus, regum et principum virorum tunc temporis proprius ; *et bysso :* id est, tela seu lino candido et delicatissimo. Notatur hic vestitus splendor et mollities : byssus quippe mollitiem significat ; purpura vero cultus externi splendorem, quo corporis elegantiam exornabat.

Et epulabatur quotidie splendide. En sensualitas mensæ. Non tantum *reficiebatur*, prout natura postulat ; sed *epulabatur*, id est, genio ac gulæ indulgebat, epulis vacando. Non enim epularum jucunditate utebatur subinde, vel tantum genialibus ; diebus ; sed *quotidie*, omnes vitæ suæ dies in hoc consumens, quasi ad hoc unice viveret. Imo tanquam finem suum ac gloriam in ea re constituens, omne studium eo conferebat ut epularetur *splendide*, ita ut nihil deesset quod, sive ad dapium ac vinorum excellentiam, sive ad magnificentiam vasorum spectaret.

Erat itaque dives iste, non parcus et sordide avarus, qui defraudaret animam suam bonis ; sed qui divitias prodige expenderet ad suum ipsius commodum, in vestes præclaras, lauta convivia, pretiosam supellectilem, comitatum frequentem ; ita ut nihil sibi sineret deesse quod ad vitæ voluptatem splendoremve facere posset : exemplum exhibens hominis, tota mundi prosperitate fruentis, et charitatis erga pauperes penitus obliti.

20. *Et erat quidam mendicus, nomine Lazarus, qui jacebat ad januam ejus, ulceribus plenus,* — 21. *cupiens saturari de micis quæ cadebant de mensa divitis : et nemo illi dabat ; sed et canes veniebant et lingebant ulcera ejus.*

Diviti epuloni opponitur pauperrimus Lazarus : exemplo felicitatis mundanæ opponitur exemplum humanæ miseriæ. Describitur enim ut carens omnibus quibus dives abundat, tecto, vestimentis, honore, alimentis, imo corporis sanitate.

Et erat, inquit, eodem tempore ac loco, *quidam mendicus, nomine Lazarus.* Quod nomen mendici exprimatur, argumento est non levi, historiam hic narri, non parabolam fingi. Voluit autem Dominus nomen illius hominis memorare, quia pauper erat et justus, cujusmodi *honorabile nomen coram illo* (Ps. LXXI) : ideoque *in memoria æterna erit justus* (Ps. CXI). — Porro divitis nomen tacuit, tum ut parceret famæ ejus, tum præcipue, quia impios nescit Dominus : *Nomen eorum delesti in æternum.* Ps. IX.

Erat ergo Lazarus *mendicus,* id est, pauperrimus, nullum vivendi medium habens, nisi ut manum tenderet et eleemosynam peteret. Imo ne circuire quidem poterat ad mendicandum, sed *jacebat,* tanquam ægrotus qui se movere non posset ; jacebat quoque tanquam abjectus, neglectus, pro nihilo habitus, omni cura omnique humano præsidio prorsus destitutus ; jacebat denique, velut in loco consueto, uti videtur, per plures dies noctesque continuas, sub dio, quippe domo carens.

Jacebat ad januam ejus, id est, in via publica, juxta vestibulum palatii epulonis : ut simul et a prætereuntibus per plateam acciperet stipem, et a divite ejusque domesticis alimenta. Itaque sæpius vidit eum dives, ejusque miseriam dum exiret et reverteretur, observare potuit ; eumque etiam nomine cognovit, ut infra verbis suis ostendet.

Ulceribus plenus. Non modo pauperiem patiebatur, sed etiam infirmitates, quæ ex penuria victus convenientis sequi solent. Erat *ulceribus* afflictus, imo *plenus,* ita ut a planta pedis usque ad verticem capitis non esset in eo sanitas. — *Ulceribus plenus,* ita ut corpus totum occuparent ulcera fœda, acerba, horrorem simul et commiserationem moventia. Ulcera, inquit Lucas Brugensis, corpus ejus in modum vestis obtegentia, opponuntur purpuræ et bysso, quibus dives induebatur.

21. *Cupiens saturari de micis, quæ cadebant de mensa divitis.* — Ciborum reliquias probabiliter etiam voce petierit Lazarus ; non tamen dicitur *petens* aut *postulans ;* sed *cupiens* iis saturari : ut insinuetur opem petiisse non importune, et potius

miseriæ ostentatione quam clamore ; utque sic intelligamus hominis patientiam et æquanimitatem.

Auxilium itaque implorabat modestissime, ideoque saturari cupiebat, non sumptuosis ferculis, sed *de micis quæ cadebant de mensa divitis ;* gavisurus, si vel canis loco haberetur, cujus est de micis e mensa cadentibus vivere : *Nam et catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum.* Matth. XV, 27.

Et nemo illi dabat. His verbis simul insinuatur extrema Lazari fames, et notatur duritia maxima divitis et familiæ ejus, quod perire permitterent surperflua, quibus pauper præsens et obsecrans ali potuisset.

Sed et canes veniebant et lingebant ulcera ejus. — Accessit scilicet et hoc mali, quod canes lambentes aperta ulcera ejus dolores augerent. — Id additur, 1° ad indicandum miserabilem statum corporis ejus, quod seminudum erat, et ad quod velut ad cadaver canes accurrerent ; 2° maximam ægri hominis debilitatem, eos abigere non valentis ; 3° summam ejus derelictionem ex parte hominum, cum nemo esset, qui vel animalia ab eo arceret.

En status Lazari et status epulonis in hoc mundo : jam sequitur quomodo uterque mutetur in futuro.

22. *Factum est autem ut moreretur mendicus, et portaretur ab angelis in sinum Abrahæ...*

Factum est, ægritudine sane corporis et rerum omnium inopia, *ut moreretur mendicus, et portaretur*, quoad animam, *ab angelis in sinum Abrahæ* : id est, ut anima ejus angelorum ministerio honorifice illuc duceretur. — Quo testimonio manifeste discimus, animas justorum corporibus exutas, in salutis locum ab angelis deduci. Unde orat Ecclesia, ut jubeat Deus defunctorum animas *a sanctis angelis suscipi, et ad patriam paradisi perduci.* Et iterum, ut *signifer sanctus Michael repræsentet eas in lucem sanctam :* signifer dicitur, tanquam bellum adhuc gerens, eo quod in illo etiam animarum transitu, dæmones obluctentur angelis, ut earum translationem in locum impediant (Jans. Gandav.). — In quemnam autem locum Lazarus deductus est ?

In sinum Abrahæ : id est, in locum quietis, qui etiam Limbus Patrum vocatur ; non in cœlum, quod tantum per Christi ascensionem apertum est. — Porro locus ille erat mansio salutis, ubi animæ justorum, a miseriis mundi liberatæ, quiescerent ac foverentur tanquam in gremio communis justorum omnium patris, Abrahæ : exspectantes interim opportunum tempus admissionis in cœlum, et beatitudinis absolutæ. — Hujusmodi

receptaculum justorum, Christi ætate, vulgo vocabatur *sinus Abrahæ* ; quemadmodum e diverso, locus damnatorum, *gehenna.*

Dicitur autem *sinus Abrahæ*, ut significetur remota quædam et secreta sedes quietis in societate Abrahæ, qui, tanquam communis pater omnium credentium, filius suos ibi colligit. Metaphora enim est, desumpta ab humano sinu, quo solent excipi, condi et foveri pueruli, quos parentes tenerrime diligunt, pueruli præsertim gravius quid perpessi. — Dicitur *Abrahæ* sinus, non Adæ protoparentis, vel justi Abel, qui longe ante Abraham in hunc locum descenderant : quia Adam sacris Litteris non aliter est notus, quam ut peccator et transgressor ; nec ullus alius præter Abraham exhibetur ut *pater credentium* atque electorum, cui promissiones salutis sunt factæ, ipsi nempe et posteris ejus : *Quam olim Abrahæ promisisti et semini ejus.* Et quidem hinc factum est, ut etiamnum Ecclesia *sinum Abrahæ* metaphorice usurpet pro cœlo, animam defunctam sic orando alloquens : *Suscipiat te Christus qui vocavit te, et in sinum Abrahæ angeli deducant te.*

Idem ille sinus Abrahæ, seu limbus Patrum, in symbolo Apostolorum vocatur *infernus*, ubi dicitur Christus *ad infernum*, seu, quod idem est, *ad inferos* descendisse. Atque idcirco vocatur locus *infernus*, quia subterraneus ; distinctus tamen ab inferno inferiore, qui locus pœnarum est, ex quo legitur infra damnatus epulo elevasse oculos ad Abraham, quem vidit a longe (1). — Quod si dicitur Christus in eumdem locum, quo Lazarus portatus est, descendisse, longe tamen alia ratione eo devenit. Non enim ut captivus, descendens in carcerem ; sed ut victor, qui alios illo carcere liberaret, et tandem secum in cœlum transferret. Nam tametsi limbus esset locus quietis et salutis ; tamen carcer erat comparatione cœli, qui absolutæ beatitudinis locus est. Jam vero Redemptor carcerem illum aperuit, dum post mortem descendens ad inferos, animas justas illic visione beatifica donavit, easque post quadraginta dies, secum in cœlos deduxit : *Ascendens in altum captivam duxit captivitatem.* Eph. IV, 8.

In infernum ergo Abrahæ sinum Lazarus mendicus ab angelis fuit portatus : et quem dives epulo tecto suo non receperat, hunc Deus hominem Abrahæ et Sanctorum omnium consortio adjunxit. — At quonam Lazari merito ? An eo solo quod in hac vita pauper fuerit ? Nequaquam, sed merito patientiæ : implicite enim significatur, ita fuisse pauper ac miser, ut timuerit Deum,

(1) Quæ ad locum seu situm inferni pertinent, etsi in Scriptura et Patribus fundata, fide tamen definita non sunt. Cf. *Elementa Theol. dogm.* tract. 19, *De novissimis.* nn. 49, 63-69.

ut paupertatem et ærumnas æquanimiter tulerit, tanquam profectas a Dei manu ; ut nemini, nec ipsi epuloni immisericordi, convicium dixerit, aut male precatus fuerit ; ut non obmurmuraverit, nec providentiam Dei accusaverit : sed patientia probatus consummaverit opus perfectum.

Mortuus est autem et dives, et sepultus est in inferno.

Similiter, nec secus ac pauper, *et dives*, nihil divitiis a morte defensus, tandem *mortuus est* ; et delatus est in locum suum, at diversum a loco Lazari.

Et sepultus est in inferno (1) : id est, sicut sepultum est corpus ejus in terra ab hominibus, ita anima demersa est in pœnas inferni a dæmonibus. Nam antithesis Lazari ab angelis deducti insinuat, divitis animam corpore egressam, ab angelis malis abreptam esse ; et ex altera parte, sepultura ista infernalis profunditatem pœnarum significat. Ut enim in domo Patris, ita in inferno mansiones multæ sunt, illic sublimitate, hic profunditate, pro cujusque meritis distinctæ.

Sepultus est *in inferno*, id est, ut infra dicitur, *in loco tormentorum*. Vox *infernus*, seu *inferi*, latiore sensu accepta, tria animarum receptacula designat : limbum Patrum, purgatorium, et gehennam ; hic autem sensu stricto sumitur pro gehenna ignis.

Quæritur autem, quæ fuerit proprie causa damnationis ejus? — Ex toto narrationis contextu colligitur causa duplex : 1° vita sensualis, seu abusus divitiarum, quas dives ille, neglecta temperantia, in vitam sensualem unice impendit, in hac suum finem constituens. — 2° Præsertim vero inhumanitas erga pauperes. Quod si egenos, et nominatim Lazarum illum præsentem misericorditer adjuvisset, facile ipsi Deus intemperantiæ vitia condonasset, eumque Lazarus secum in sinum Abrahæ attraxisset ; sed *judicium fuit sine misericordia illi, qui non fecit misericordiam*. Jac. II, 13.

23. *Elevans autem oculos suos, quum esset in tormentis, videt Abraham a longe, et Lazarum in sinu ejus.*

Hic incipit pars narrationis, quæ, ut diximus, mere parabolica esse a multis censetur. Quod si dicatur non ficta, sed vera quoque hic dari narratio commercii inter mortuos, sicut præcedens fuit historia gesta inter vivos ; admittendum saltem erit, in hac parte esse multa metaphorice intelligenda.

(1) In textu græco hæc plerumque habetur interpunctio : *mortuus est autem et dives, et sepultus est. Et in inferno elevans oculos suos, cum esset in tormentis...* Lectio autem et interpunctio Vulgatæ, sententiam exhibet pleniorem, qua *sinui Abrahæ* opponitur *infernus* ; et *delationi* in sinum Abrahæ, *sepultura* in inferno.

Scilicet exhibentur inter se colloquentes animæ, corporibus exutæ, quasi adhuc corporeis organis uterentur : qui metaphoricus sermo usurpatur, ut ita futuræ vitæ status, qui usque ad diem resurrectionis plane spiritalis erit, repræsentetur corporaliter et accommodate ad captum nostrum ; quemadmodum subinde etiam Deo corporea membra tribui solent.

Etenim non facile intelligeretur, præsertim a rudibus, defunctos sine oculis vidisse, sine lingua locutos, sine corpore cruciatos. — Hujusmodi quidem sensibilia, quæ vel ad pœnam sensus, vel ad gaudium sensus pertinent, animæ defunctorum vere experiuntur : at modo peculiari, sine corporis organis, Deo nimirum omnipotentia sua sensuum officium supplente. Nos autem cum non cognoscamus nisi modum communem percipiendi sensationes, nempe per organa ; ideo Dominus nostro captui sermonem accommodans, defunctis animabus tribuit oculos, digitos, linguam, etc. : quæ proinde metaphorice intelligenda sunt, significantque visum quemdam, tactum, etc. animabus proprium.

Non vero sicut corporis membra, ita etiam metaphorice intelligenda est *flamma*, in qua dives cruciatur. Etenim 1° ignem gehennæ esse materialem atque corporeum, doctrina est in Ecclesia communiter recepta, et ita certa, ut absque temeritate, imo, coram populo, absque gravi scandalo in dubium revocari non possit. — 2° Quoniam ignis corporeus agit in animam, eamque affligit mediantibus sensibus ; nihil obstat quin, Deo virtutem ignis elevante, agat in animam immediate, ac sine sensuum adminiculo. Ergo ubi dicitur dives *cruciari in flamma*, necesse non est flammam intelligere metaphorice ; imo potius sensu proprio corpoream flammam, a Deo in instrumentum justitiæ accensam, significari dicendum est.

Quibus præmissis, facile textus sacer intelligetur. — Quod dicitur dives *elevans oculos suos* : intellige, ex abysso profunda, in qua sepultus jacebat, considerans altiores regiones, mentis oculos seu intellectum in ea quæ supra se erant, dirigendo.

Dicitur *quum esset in tormentis* : ut significentur tormentorum diversa genera, alia damni, alia sensus, et utraque varia ac multiplicia. Jam vero, tormentis pressus, ille Lazari meminit, et apud se cogitavit quonam modo cum illo nunc ageretur, qui tam miseram vitam egerat in terra.

Tunc *vidit Abraham a longe* : id est, cognovit Deo revelante Abraham patrem suum in loco, alte supra locum tormentorum posito, quiete beateque agentem ; — *et Lazarum in sinu ejus*, id est, eodem quo Abraham loco, ejusdem cum eo quietis felicitatisque participem. — Aspectus ille, ut patet, reprobo novum tormentum infligit.

24. *Et ipse clamans dixit : Pater Abraham, miserere mei, et mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam, et refrigeret linguam meam : quia crucior in hac flamma.*

Videns itaque Abrahamum et Lazarum bonis fruentes, ad eorum opem sibi misero implorandam vi naturæ impellitur. *Et ipse clamans dixit* : mentis hic locutio intelligenda est. Dicitur *clamare*, miserabili nempe voce, ut vehementia desiderii, vis dolorum, et loci longinquitas exprimatur.

Pater Abraham... Alloquitur Abrahamum potius quam alium, non tantum ut patrem de quo confideret ; verum etiam ut principem et rectorem loci illius. — Etsi indignus filius, Abrahamum etiamnum *patrem* appellat ; ut eum benevolum sibi faciat, significando sese non gentilem esse aut alienum. *Miserere mei* : mendicantis instar commiserationem movere conatur, ut inde ulterius sequatur sui solamen quod exquirit. Porro petit solamen levissimum, guttulam aquæ, ministerio Lazari sibi tribuendam.

Dicit : *Mitte Lazarum*, -1) quia Abraham ipsum venire non decebat : -2) quia persuasum ipsi est, Lazarum, cujus perspectam habet longanimitatem, non gravate id facturum, et paratum esse bonum reddere pro malo ; præsertim patre Abraham jubente. -3) Ut pateat, quomodo nunc opem desideret ejusdem pauperis, cui olim in vita opem denegavit.

Ut intingat extremum digiti sui in aquam : id est, ut vel guttulam, quæ adhæreat extremo digito, tribuat mihi. Opponitur aquæ gutta micæ panis, ut Augustinus adnotat.

Ut refrigeret linguam meam, in qua maxime per sitim ardentem affligor ; et hoc refrigerio vel modicum mihi levamen afferat. — Porro maxime torquetur in *lingua*, quia lingua maxime peccaverat, epularum intemperantiæ indulgendo : *Per quæ peccat quis, per hæc et torquetur* (Sap. XI, 17). — Causam autem cur refrigerium aquæ postulet, explicat dicens :

Quia crucior in hac flamma : id est, horrendis doloribus torqueor immersus in hac flamma, quæ tanquam instrumentum divinæ justitiæ meam animam cruciat. — Hanc autem flammam non precatur prorsus exstingui, aut sese ex inferno liberari ; desperat enim id obtinere se posse : sed modicam duntaxat refrigerationem flagitat, quæ tamen ei negabitur. Scilicet aquæ guttula negabitur illi, qui micas panis negavit pauperi. Respondit enim Abraham :

25. *Fili, recordare quia recepisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala : nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris.* 26. *Et in his omnibus inter nos et vos chaos magnum firmatum est...*

Petitionem misero abnegat Abraham duplici allata ratione : 1° quia obstat rectus ordo justitiæ ; 2° quia insuper impossibilis res est, separatione impervia divinitus constituta.

Fili, recordare... Sedate Abraham et mansuete etiam damnato respondet, instar judicis, qui cum tranquillitate judicat. — Imo, vocatus *pater*, non denegat illi nomen *filii*, quod ei ratione originis competebat. Dicit autem *fili*, non amoris affectu, sed causa pungendi conscientiam ejus, qui non se gesserit ut filium Abrahæ deceret.

Quod jubet eum *recordari*, demonstrat manere in damnatis memoriam transactæ vitæ, personarum, gratiarum, peccatorum, bonorumque temporalium. *Ad pœnam suam ei et cognitio servatur et memoria.* Gregor. hom. 40.

Recordare, inquit, *quia recepisti bona in vita tuo, et Lazarus similiter mala : nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris...* Quasi diceret : Habuisti in vita, ea quæ voluisti bona, temporalia nempe spretis æternis ; Lazarus eodem vitæ tempore, toleravit mala temporalia pro æternis, nobis a Deo promissis ; ideo in altera vita rectissime contingit, ut Lazarus consoletur, tu vero crucieris. — Exigit enim justitia divina, ut qui in hoc sæculo bona temporalia præposuerint æternis, ob quæ creati essent, in altero sæculo æternis malis absque ullo solamine affligantur ; contra vero, ut qui in hac vita miserias de manu Dei æquanimiter acceperint, in altera, pro patientia sua solamen accipiant, ac vitam sine ullo dolore beatam.

Quia recipisti bona (græce, *bona tua*, τὰ ἀγαθά σου), nempe sanitatem, divitias, epulas, etc. Ista fuere bona a te existimata ; at nequaquam vera bona, siquidem æterna mala parturierunt. — Hæc *recepisti*, id est, quæsivisti, amasti, tenuisti tanquam sola bona, tanquam partem ac portionem quam tibi elegeras : in his collocans felicitatem tuam, atque his contentus. Sic fere de Pharisæis dicitur : *Receperunt mercedem suam.* Matth. VI, 2.

Hæc recepisti tu, *in vita tua* mortali ac transitoria ; *et Lazarus similiter*, brevi vitæ spatio, recepit partem suam, *mala* nempe ac miserias temporales : quæ tu quidem mala censebas, sed quæ maximorum fuerunt causa bonorum. Illa Lazarus *recepit*, scilicet acceptavit de manu Dei, eaque patienter toleravit, cum spe æternæ felicitatis.

Quapropter *nunc*, post mortem mutatis vicibus, Lazarus *consolatur* : pro fame, paupertate, aliisque miseriis, magna

obtinet bona. — Non quidem significatur hic consolatio perfecta, qua fruuntur nunc Beati in cœlo ; sed liberatio ab ærumnis hujus vitæ, conjuncta cum suavissima exspectatione cœli mox aperiendi, in qua conquiescebant justi in limbo.

Tu vero cruciaris : spoliatus omni bono, temporali et æterno, affligeris malis , quæ non metuisti tanquam non eventura ; cum tamen sola timenda fuissent, utpote mala æterna. Pro superbis ædibus habes tartarum ; pro deliciis tormenta ; pro immortali vita, quam a Deo tibi propositam sprevisti, invenisti mortem æternam.

26. *Et in his omnibus* : id est, insuper, præterquam quod Dei justitia non permittat, ut per Lazarum levamen aliquod cruciatuum tibi præstetur ; etiam impossibile est id fieri , quamvis maxime vellemus. Etenim,

Inter nos et vos chaos magnum firmatum est, ut hi qui volunt hinc transire ad vos, non possint, neque inde huc transmeare. — Quod dicitur *firmatum esse chaos,* id est, hiatus magnus, seu ingens inane spatium (græce χάσμα μέγα) immutabili Dei decreto constitutum est. Quo significatur, primo, vera loci distantia, quæ erat inter locum damnatorum et limbum justorum ; secundo ac maxime, impermeabilis et æterna reproborum ab electis separatio, præcipue ut illis solatium afferatur.

Quod si ingens esset olim intervallum inter justos et reprobos, dum utrique in terræ visceribus agerent ; longe major nunc separatio est inter supremum seu empyreum cœlum, ubi sedes Beatorum, et centrum terræ, ubi carcer reproborum communiter a doctoribus constituitur.

Hoc itaque Abrahæ responso ille repulsam passus, nec mitigationem cruciatuum consecutus, pergit rogare ne saltem augeantur cruciatus sui.

27. *Et ait : Rogo ergo te, pater, ut mittas eum in domum patris mei,* 28. *habeo enim quinque fratres, ut testetur illis, ne et ipsi veniant in hunc locum tormentorum.*

Rogat jam, ut Lazarus, resumpto corpore, adeat fratres suos in terra viventes, eosque monitis avertat a damnati fratris consortio. — Dices : Damnati in malitia sunt obdurati, odio Dei et hominum repleti, nec cuipiam, etiam amico vel fratri bene volunt ; quomodo ergo dives iste optat, ut fratres sui evadant pœnas inferni ? Respondetur, epulonem non tam fratribus quam sibi voluisse consulere ; nam damnatio fratrum damnationem ipsius ac tormenta auxisset, eo quod fratres exemplo suo ad eamdem vitæ dissolutionem et immisericordiam provocaverat.

Rogo, inquit, *ut mittas eum in domum patris mei* id est, in domum paternam ac familiam meam : quandoquidem chasma simile non impediat vos ad mortales transire, qui in mundo degunt. — *Habeo enim quinque fratres*, qui deliciis ac voluptatibus carnis, sicut olim ego, indulgentes, et pauperum obliti, similiter in hanc miseriarum sortem devenient. — Quapropter *testetur illis*, id est, tanquam testis oculatus eorum quæ hic geruntur, testimonium perhibeat eis de mea reprobatione ; atque ita docendo eos moneat et contestetur, ut pœnitentiam agentes caveant, *ne et ipsi*, mea vestigia porro sequentes, *veniant in hunc locum tormentorum*. — Et istud petitum denegat Abraham, quia superfluum.

29. *Et ait illi Abraham : Habent Moysen et prophetas : audiant illos.* — 30. *At ille dixit : Non, pater Abraham : sed si quis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agent.* 31. *Ait autem illi : Si Moysen et prophetas non audiunt, neque si quis ex mortiis resurrexerit, credent.*

Nihil, inquit, necesse est, propterea Lazarum avocari a quiete sua, et ad vitam mortalem per miraculum redire : *habent* enim fratres tui doctores et admonitores suos, quos Deus illis providit. Habent *Moysen et prophetas*, loquentes sibi in libris Scripturarum, qui publice ipsis proponuntur, et sabbatis singulis leguntur in synagogis : hi scilicet de tormentis inferorum, de vita recte instituenda, et pœnitentia agenda, accurate docent atque testantur.

Audiant illos, id est, credant atque obediant illis : et non erit opus ex mortuis audire quid hic geratur ; sed certo certius a loco isto tormentorum præservabuntur. — Quod si sufficienter viam salutis docebant libri Testamenti veteris, multo tamen plenius et clarius eam ostendunt libri Testamenti novi, quos prioribus Deus misericorditer addidit, postquam *novissime, diebus istis, locutus est nobis in Filio*. Hebr. I, 2.

Responso Abrahæ non acquiescit ille, sed insistit dicens : *Non, pater Abraham* : quod referendum est ad secundam partem sententiæ superioris, et significat : *Non audient illos*. Etenim præsto esse Moysen et prophetas, quos audire sufficiat, negare non potest ; sed negat fratres suos id esse facturos. Propterea monitionem illis extraordinariam postulat, quam censet efficacem fore.

Porro ita sentit, et de fratribus suis tali modo judicat, partim ex cognitis eorum moribus, partim ex semetipso. Ipse enim dum in vivis ageret, non movebatur Moysis aut prophetarum exhortationibus ; nec iis comminantibus credebat talia supplicia

manere amatores mundi, qualia nunc experitur. Sicut ipse fuit affectus, inquit Chrysostomus, sic opinionem habet et de fratribus suis. Ideo dicit :

30. *Non ; sed si quis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agent :* id est, si quis defunctus, quem noverint in vita, qualis Lazarus, resurrexerit, eosque adierit, declarans se ideo jubente Deo a morte resurrexisse, ut certiores eos faciat eorum quæ apud inferos geruntur ; et in particulari cruciatuum, quos ego hic sustineam ob vitam voluptuose traductam : tunc scilicet, rei novitate, vel timore vel horrore stimulati, *pœnitentiam agent.* — At inanem hanc et fallacem esse persuasionem ostendit Abraham, dicens :

31. *Si Moysen et prophetas*, quorum est sacrosancta auctoritas, et fides divinitus confirmata, *non audiunt*, monitis eorum credendo et obediendo ; *neque si quis ex mortuis resurrexerit*, ejus monitis *credent* : tantum abest ut acturi sint pœnitentiam. Dicent enim, esse phantasma, esse illusionem diabolicam, et ita reditus Lazari offensioni potius erit quam fructui.

Quod duplici exemplo patuit esse verissimum : videlicet exemplo Lazari, fratris Magdalenæ, quem redivivum Judæi interficere voluerunt ; et ipsius Christi, cujus resurrectionem, quamvis a prophetis prædictam, nihilominus Judæi credere noluerunt (1). — Major utique ac certior est Scripturæ, atque Ecclesiæ eam proponentis auctoritas, quam cujusvis, qui vel ex mortuis resurgeret, vel privata etiam, si fieri possit, miracula afferret. *Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes, quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco.* II Pet. I, 19.

Atque ita dives epulo, omnium precum suarum passus repulsam, manet in perpetuis tormentis ; quia *qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, et ipse clamabit et non exaudietur.* Prov. XXI, 13.

—

Explicatio secunda.

Historia divitis epulonis et pauperis Lazari, quam Christus Dominus noster tanquam exemplum nobis retulit, plures nobis veritates maxime salutares præ oculis ponit.

1° Imprimis ostendit ex una parte, quid sit, et quo deducat abusus divitiarum ; ex altera vero, quid sit et quo deducat bonus usus paupertatis atque ærumnarum hujus vitæ....

2° Exemplum exhibet vitæ patientis et vitæ voluptuosæ : quo ex una parte vivam effigiem exhibeat justorum, qui suæ passionis

(1) Cf. Augustin. *Quæst. Evang.* lib. 2, q. 38.

calicem bibunt ; ex altera vero peccatorum, qui calicem Domini spernentes, Babylonicum poculum bibunt : quod, quia honores ac divitias repræsentat, S. Joannes *aureum* esse dicit, at simul *plenum abominatione et immunditia*. Apoc. XVII, 4.

3° Exemplum felicis mortis justorum, — et e contra, infelicissimæ mortis peccatorum....

4° Exemplum æternæ damnationis , quo vivida quadam imagine ostenditur infernus apertus, et supplicium reproborum.

5° Exemplum avaritiæ ac duritatis erga pauperes, in divite epulone : cujus vita, — mors, — et damnatio considerari potest.

6° Exemplum paupertatis, sancte et christiane toleratæ, in Lazaro : cujus similiter vita, — mors, — et præmium æternum potest perpendi.

7° Duæ personæ a Domino propositæ, repræsentant quoque duas hominum classes : illorum nempe qui dicuntur beati in hoc sæculo, et illorum qui miseri ac infortunati videntur ; — ut intelligamus, quantum judicia Dei discrepent a judiciis hominum...

8° Duo homines simul, etsi diversa ratione, vitam transigentes, quorum unus salvatur et alter damnatur, — ostendunt nobis quæ sit via cœli... quæ vero via inferni...

Jam in particulari verba Domini inspiciamus. Primo quidem, ea quæ ad Lazarum spectant ; deinde, quæ ad divitem, ejusque damnationem.

Erat quidam mendicus, nomine Lazarus...

Ut exemplum Lazari practice, juxta mentem Domini, intelligatur, considerari potest tum hujus hominis miseria ac patientia in vita, tum felicitas in morte et in æternitate.

I. *Lazari miseria.* — Est enim 1° homo infirmus , adeo ut jaceat, laborare aut ullo modo sese juvare non valens, doloribusque confectus. — 2° Egenus, tecto, victu, amictuque destitutus. — 3° Ab omnibus derelictus, imo despectus, nec alios amicos aut socios habens præter canes. — 4° Fame crudeli pressus, nec recipiens vel micas de mensa divitis.....

II. *Lazari virtus ac patientia.* — 1° Non est sicut multi, mendicus pravus, piger, sua culpa in paupertate ac vitiis sordescens ; sed divina Providentia sic volente infirmus, adeoque necessaria paupertate afflictus. — 2° In omnibus, miseriis tam patiens est, ut neque conqueratur, neque irascatur, sive hominibus sive Providentiæ... sed omnia de manu Dei recipiat... ac toleret usque ad mortem. — Itaque ærumnis patienter toleratis pervenit Lazarus ad sanctitatem tantam, ut eam Christus

voluerit in exemplum proponere. Imo videtur Dominus in Lazari afflictione ac patientia propriam passionem delineasse, in qua et ipse fuit vulneribus plenus, in extrema paupertate ab omnibus derelictus. *In siti mea potaverunt me aceto* (Ps. XLVIII). — Vere itaque *patientia opus perfectum habent : ut sitis*, inquit S. Jacobus, *perfecti et integri*, *in nullo deficientes*. Jac. I, 4.

III. *Lazari felicitas.* — Hominum oculi ac judicio miserrimus est ; oculis Dei non item. Ideo Christus ejus historiam narrat tanquam exemplum laudabile ac imitandum ; voluitque ejus nomen mundo revelare, ut in Evangelio suo scriptum, perpetuo in honore esset. Unde pauperes et contempti intelligant, se non esse in oblivione apud Deum.

1° Beatus fuit Lazarus in vita, in ipsis suis miseriis : beatus nempe conscientiæ suæ pace, — beatus oratione atque commercio cum Deo suo, — beatus spe futuræ mercedis.....

2° Beatus in morte. *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus* (Ps. CXV). Mors ipsi fuit finis ærumnarum ac laborum, initium vero requiei et gaudiorum. — Morituro omnia fuere jucunda : præteritum, plenum meritis ; vel si quid peccaverit, feliciter expiatum ; — præsens, plenum consolatione : adest enim Deus totius consolationis ; adest mors, non ut spoliatrix, sed ut liberatrix e carcere ; adsunt angeli, qui animam ejus portent in sinum Abrahæ...

3° Beatus in æternitate : illic absterguntur lacrymæ , illic paupertas mutatur in abundantiam omnium bonorum... Illic beatus evadit secundum animam... beatus secundum corpus, in resurrectione futura , cum *reformabitur corpus humilitatis ejus , configuratum corpori claritatis Christi.* Phil. III, 21.

Exemplo Lazari opponit Dominus exemplum divitis epulonis.

Homo quidam erat dives... mortuus est autem et dives, et sepultus est in inferno.

Consideranda proponitur hujus divitis vita, ejus mors, et damnatio æterna.

I. *Vita* mali divitis ita a Domino describitur : *Induebatur*, inquit, *purpura et bysso, et epulabatur quotidie splendide... et Lazarus jacebat ad januam ejus.* Quibus verbis ostenditur , tum abusus divitiarum, tum peccata plurima ex divitiis progenita.

1° *Abusus divitiarum.* Nam dives ille, quæ a Deo bona terrena accepit eo fine, ut ea, præter convenientem sui sustentationem , in eleemosynas aliosque bonos usus , tanquam

Providentiæ œconomus dispensaret ; omnia convertit in propria commoda, in alimenta passionum...

2° *Peccata divitis* : -1) superbia, quam indicat purpura vestimenti et splendor epularum ; -2) mollities, quam indicat byssus ; -3) gulositas, quam indicant epulæ quotidianæ ; -4) avaritia, quam indicat sordidus ille amor sui, quo omnia sibi reservat, nihil in proximorum utilitatem expendens ; -5) crudelitas, quam denotat neglectus Lazari, cui denegat vel micas suæ mensæ, quas potius canibus suis relinquit.

Præter ista peccata, quæ Domini verbis explicite innuuntur, dici potest, divitem illum habuisse peccata ac vitia reliqua ex spiritu mundano pullulantia ; quo spiritu prorsus imbutus ostenditur, quique aliud non est quam concupiscentia plena et omnimoda : *Concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum et superbia vitæ.* I Joan. II, 16.

II. *Mors.* — *Mortuus est et dives* : nam et ad hunc terminum, non minus quam pauper, tandem deducendus est ; mortuus est autem morte pessima : tum quia homo divitiarum, seu divitiis male adhærens ; tum quia peccator.

1° Quia homo divitiarum : *O mors, quam amara est memoria tua homini pacem habenti in substantiis suis !* Eccli. XLI, 1). Etenim hujusmodi homini mors est, -1) finis omnium bonorum, seu vanitatum ejus : voluptatum, honorum, divitiarum. *Dormierunt somnum suum : et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis* (Ps. LXXV). —2) Initium omnium malorum. Jam in lecto mortis miserrimus est.... mox vero mortuus, miserior : quando anima decidit in infernum, et corpus in putredinem sepulcri. Imo ipsa ejus memoria in oblivione et exsecratione erit coram Deo ; ideoque Christus vitam divitis enarrans, eum nec nominare voluit : ut ostenderet quantopere ipsum detestaretur ac sperneret, cujus nomen ex libro vitæ esset deletum, et quantum vellet nullam ipsius apud homines manere memoriam...

2° Quia peccator. — Etenim *mors peccatorum pessima* (Ps. XXXIII) : pessima scilicet, -1) ratione præteriti, quod videt miser iniquitatibus plenum, bonis operibus vacuum... -2) Ratione præsentis, quo tanquam præda traditur doloribus, — exspoliationi omnium, — sine solamine, sine remedio..... -3) Ratione futuri, ubi prospicit, in hoc mundo, rapacitatem hæredum ; — in altero mundo, iram Dei viventis...

III. *Damnatio ejus.* — Est damnatio acerbissima, et peccatis proportionata.

1° Acerbissima : nam -1) patitur tormentum ignis : *Quia crucior*, inquit, *in hac flamma.* —2) Patitur sine solamine, vel unicam aquæ guttam non impetrans. —3) Patitur sine spe : *Chaos magnum firmatum est...*

2° Damnatio peccatis ejus proportionata. *Potentes autem potenter tormenta patientur* (Sap. VI, 7). — *Quantum glorificavit se et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum* (Apoc. XVIII, 7). — Nimirum -1) exaltavit se superbe, ideo humiliatus est, et sepultus in inferni profundo, unde elevans oculos vidit Lazarum a longe... -2) Carnem suam inordinate fovens, nutrivit cum vitiis et concupiscentiis suis, deliciisque saturavit ; ideo nunc flammis immersus cruciatur.... -3) Ore ac gula peccavit ; ideo nunc punitur in lingua, et siti torquetur.... -4) Divitiis abusus est ; ideo nunc pauperrimus mendicare cogitur... -5) Ipse pauperes dereliquit ; ideo nunc ab omnibus ipse derelinquitur : et qui negavit micas Lazaro aquæ guttulam frustra petit....

Nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris.

En mutatio status post hanc vitam, et vicissitudo gaudii aut luctus, quæ per mortem inducitur. Dives epulo in deliciis hujus mundi transegit vitam suam, et nunc est in doloribus ; Lazarus vero in patientia vitam consumpsit, et nunc consolatur : unde discimus, fore ut gaudium hujus mundi mutetur in luctum, luctus vero in gaudium.

Ergo 1° nemo potest paradisum habere in hac vita, et paradisum in futura...

2° Nemo cum Christo calicem amaritudinis bibens in hac vita, alterum calicem amaritudinis inveniet in altera ; sed quicumque perseveraverint cum Domino in tribulationibus, erunt *edentes et bibentes super mensam ejus in regno ejus*. Luc. XXII, 30.

3° Eligendum est : vel gaudium in hoc mundo, breve, fallax, incertum..... vel gaudium in futuro, verum, certum, æternum.... — Acceptanda est, vel tribulatio in hac vita, levis, momentanea, quam imponit jugum Domini..... vel tribulatio in inferno, gravissima, nec unquam finienda.....

Ne et ipsi veniant in hunc locum tormentorum.

Ita monent mortui damnati suos fratres, adhuc viventes, et brevi quoque morituros ; quasi dicerent : Cavete, ne et ipsi veniatis vos in hunc locum tormentorum ; non minus enim quam ego fui, vos periculo expositi etiamnum estis. — Audiant ergo viventes monitum mortuorum, et alieno periculo sapiant.

1° Quicumque in hoc mundo degunt, quantumvis sanctos se existiment, expositos se esse sciant periculo damnationis. Eadem enim vivunt in conditione ; in qua illi vixerunt qui nunc reprobi existunt : sicut illi fuerunt, ita ipsi sunt homines fragiles et mortales, qui nempe peccare possunt et in peccato mori, adeoque incidere in infernum... Ergo ne funesta securitate

dormiant ; sed vigilent, et caveant ne incidant in peccatum, *ne et ipsi veniant in hunc locum tormentorum.....*

2° Illi præsertim caveant opertet, qui jam in peccato sunt constituti, qui eadem via ambulant qua reprobi ambularunt : via divitis epulonis... via Judæ... via Cain... Nisi ex hac pedem retrahant et convertantur, similiter perituros se esse sciant... Ingrediantur ergo viam Lazari, viam Christi, viam christianæ patientiæ et pœnitentiæ... Pœnitentiam agant dum tempus durat, *ne et ipsi veniant in hunc locum tormentorum.*

3° Quænam sunt præsidia, quibus a damnatione tuti esse possimus ? — 1) Odium ac fuga peccati... -2) Sacramentorum et orationis frequentatio... -3) Misericordia in pauperes... -4) Patientia christiana juxta exemplum Lazari... -5) Cultus B. Mariæ Virginis....

Neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent.

1° His verbis declaratur certitudo religionis ac veritatum fidei : quæ certitudo tanta est, ut illam superet quam a mortuis ex inferis redeuntibus accipere possemus. *Testimonia, tua, Domine, credibilia facta sunt nimis* (Ps. XCII). — De cætero, resurrectione mortuorum non caremus : tota fides nostra in resurrectione hominis mortui fundata est, nimirum in resurrectione Christi... Et nihilominus quam multi credere nolunt ! — Non ergo deest ex parte fidei certitudo vel claritas ; sed potius ex parte hominum, bona voluntas...

2° Iisdem verbis necessitas ostenditur credendi verbo Dei, nobis per Ecclesiam tam clare proposito. — Quam quidem fidem habebimus, si -1) instructionem sacram non negligemus ; -2) si fuerimus humiles, ut animo docili documenta fidei audiamus, et supplici prece donum fidei a Deo flagitemus, dicentes cum Apostolis : *Domine, adauge nobis fidem.* Luc. XVII, 5.

SABBATO INFRA HEBDOMADAM SECUNDAM QUADRAGESIMÆ.

Evangelium *de Filio prodigo.* Luc. XV, 11-32.

Dixit Jesus Pharisæis et Scribis parabolam istam : — 11. Homo quidam habuit duos filios. — 12. Et dixit adolescentior ex illis patri : Pater, da mihi portionem substantiæ quæ me contingit. Et divisit illis substantiam. — 13. Et non post multos dies, congregatis omnibus, adolescentior filius peregre profectus est in regionem longinquam, et ibi dissipavit substantiam suam vivendo luxuriose. —

14. Et postquam omnia consummasset, facta est fames valida in regione illa, et ipse cœpit egere. — 15. Et abiit, et adhæsit uni civium regionis illius. Et misit illum in villam suam ut pasceret porcos. — 16. Et cupiebat implere ventrem suum de siliquis quas porci manducabant ; et nemo illi dabat. —17. In se autem reversus, dixit : Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo ! — 18. Surgam, et ibo ad patrem meum, et dicam ei : Pater, peccavi in cœlum, et coram te :— 19. jam non sum dignus vocari filius tuus : fac me sicut unum de mercenariis tuis. — 20. Et surgens venit ad patrem suum. Quum autem adhuc longe esset, vidit illum pater ipsius, et misericordia motus est, et accurrens cecidit super collum ejus, et osculatus est eum. — 21. Dixitque ei filius : Pater, peccavi in cœlum, et coram te, jam non sum dignus vocari filius tuus. — 22. Dixit autem pater ad servos suos : Cito proferte stolam primam, et induite illum, et date annulum in manum ejus, et calceamenta in pedes ejus : — 23. et adducite vitulum saginatum, et occidite, et manducemus et epulemur : — 24. quia hic filius meus mortuus erat, et revixit ; perierat, et inventus est. Et cœperunt epulari. — 25. Erat autem filius ejus senior in agro : et cum veniret et appropinquaret domui, audivit symphoniam, et chorum : — 26. et vocavit unum de servis, et interrogavit quid hæc essent. — 27. Isque dixit illi : Frater tuus venit, et occidit pater tuus vitulum saginatum, quia salvum illum recepit. — 28. Indignatus est autem, et nolebat introire : Pater ergo illius egressus, cœpit rogare illum. — 29. At ille respondens, dixit patri suo : Ecce tot annis servio tibi, et nunquam mandatum tuum præterivi, et nunquam dedisti mihi hædum ut cum amicis meis epularer : — 30. sed postquam filius tuus hic, qui devoravit substantiam suam cum meretricibus, venit occidisti illi vitulum saginatum. — 31. At ipse dixit illi : Fili, tu semper mecum es, et omnia mea tua sunt : — 32. epulari autem et gaudere oportebat, quia frater tuus hic mortuus erat, et revixit ; perierat, et inventus est.

—

Explicatio prima.

Ultimis mensibus anni tertii prædicationis suæ, cum Dominus esset in Bethabara trans Jordanem, ibique peccatores benigne reciperet ; murmurabant Pharisæi, quod homines peccatis inquinatos a se non repelleret. Illis Dominus ut respondeat, tres proponit parabolas, quibus Dei erga peccatores misericordiam ostendat : primam de ove perdita, alteram de drachma perdita, tertiam de filio item perdito, qui *filius prodigus* vocari solet.

Tertia hæc similitudo prioribus amplior est, et non tantum indicat misericordiam Dei erga peccatores, sed etiam describit vitam perditam peccatoris, illius pœnitentiam, facilem Dei condonationem, obmurmurationem denique justorum, aut qui justi sibi videntur. — Præterea parabola filii prodigi, etsi ad eumdem finem spectans ac præcedentes, tamen eo differt, quod illæ significent quidem quanta cura Dominus requirat reversionem peccatoris ; hæc vero, quanta benignitate et lætitia suscipiat revertentem : ita ut sit quasi appendix præcedentium, et explicatio illius gaudii, quod Deo totique cœlo affertur conversione peccatorum : ut sic amplius confundantur Pharisæi, qui murmurabant quod Dominus cum peccatoribus versaretur.

Summa narrationis parabolicæ est hæc. Homo quidam habuit duos filios. Minor natu patrem dereliquit et miserrimus factus est. Deinde vero culpæ pœnitens rediit ad patrem, a quo benignissime receptus est, et læto convivio recreatus. — Frater ejus major hanc lætitiæ significationem ægre tulit, quare a patre suaviter reprehensus est.

Tres parabolæ partes distingui possunt :

I. *Discessio et subsequens miseria filii.*
II. *Ejus reditus ad patrem.*
III. *Querimonia fratris.*

11. *Homo quidam habuit duos filios.*

Homo ille paterfamilias dives erat et nobilis, ita ut domum haberet mercenariis, pane, rebusque omnibus abundantem. Erat quoque bonus, filiorum amantissimus, ita ut semper cum ipsis esset eisque omnia sua bona quantum posset communicaret, sicut majori nato dixit : *Fili, tu semper mecum es, et omnia mea tua sunt.*

Habuit duos filios sibi dilectos. Filii quidem erant indolis diversæ, ut mox patebit ; — felicissimi tamen filii, cum patrem habentes tam bonum, nulla re carere possent, quæ ad verum suum bonum conferret ; — imo felices mansuri, dummodo

manerent apud patrem ejusque ductum sequerentur. Verum alter ex duobus beatæ suæ sortis tædium concepit, et a patre discedere voluit.

12. *Et dixit adolescentior ex illis patri...*

Non ut debitam gratitudinem et pietatem demonstret accedit ad patrem ; sed ut consilium discedendi manifestet, atque ita paternum cor summo dolore afficiat.

Adolescentior id agit : quia solet ætas illa minus sapere, esse inconstans , avida libertatis ac voluptatis , seductioni obnoxia.

Dixit patri : non de repente patrem sic alloqui ausus fuerit, et ab eo se separare ; sed gradatim ab eo discedendo et cum extraneis conversando, eo devenisse censendus est. Scilicet, ut fieri consuevit, adolescens ille imprudenter adulatoribus ac seductoribus, potius quam patri, aurem præbuit ; et inde promissionibus falsis, et vana libertatis imagine delusus finxit sibi miras delicias alibi in remotis regionibus inveniendas. — Inde tædium paternæ domus atque auctoritatis, fastidium domesticæ suavitatis, desideria et aspirationes pravæ, quibus demum sese tradidit. Hinc filiali sensui cor clauditur, et spiritu arrogantiæ, ingratitudinis ac duritatis erga patrem impletur : ita ut abeundi propositum concipiat et exsequatur.

Sic autem vult abire, ut asportet secum bona sua ; vult enim iis uti pro libitu, atque ita jucunditatibus frui quas meditatur. Quare dixit patri :

Pater, da mihi portionem substantiæ quæ me contingit..

Sensus est : Da mihi partem *substantiæ,* id est, facultatum tuarum, seu hæreditatis, quæ ad me pertinet, quæ mihi debetur ut filio, quamque daturus mihi esses si uxorem ducerem, aut relicturus si morereris.

Quæ me contingit, Debebatur vi legis (Deut. XXI, 17) primogenito duplex pars ; itaque adolescenti obtingebat pars tertia paternarum facultatum.

Brevis hæc petitio adolescentis filii superbiam spirat quoad rem, et irreverentiam quoad modum : quasi dicat : Pater, jam ad justam ætatem perveni, jam prudens sum satis ut ipsemet bona mea regere queam, nec opus est diutius de tua gubernatione pendere. Assigna ergo meo libero usui partem meam hæreditariam, ut libere ea utar : id jure meo postulo : *Da mihi.* — Quod insolens filius velut sibi debitum requirit, nequaquam ei jure debetur. Nulla enim lege vel consuetudine obligatur pater, ut, dum vivit, bona sua filiis suis dividat : non tamen vetatur id facere, si velit. Atque in hac parabola

pater petitioni filii acquiescere dicitur, quia repræsentabat Deum, qui unicuique homini bene vel male vivendi libertatem concedit.

Et divisit illis substantiam.

Divisit scilicet bona sua inter filios, ita ut partem juniori traderet, partem vero primogeniti in suo dominio retineret. Non tamen prudens ac bonus pater id confestim fecisse censendus est. Sed, quod dubium esse nequit, prius, tum monitis, tum precibus, tum lacrymis miserum filium a malo proposito deterrere conatus est. Rogavit sane filium, cur hæreditatem postulet?.... Cur discedere velit?.... num boni quidpiam desideret?. . num quid mali passus?... cur patrem sic relinquendo contristet?... quam a patre injuriam acceperit?... — Deinde ostenderit ei pater, qua fallacia juvenilis ejus ætas deludatur, quæ bona amittat, quæ mala incurrat... His autem omnibus obstinatus ille et cupidine obcæcatus, pertinaciter respondet : *Da mihi, da mihi portionem substantiæ quæ me contingit.* — Itaque ingemiscens pater juveni, quæ volebat, sua bona tradidit. Quibus ille acceptis mox profectus est.

13. *Et non post multos dies, congregatis omnibus, adolescentior filius peregre profectus est in regionem longinquam...*

Congregatis omnibus, id est, collectis omnibus bonis suis, quamvis copiosis, ut ea asportaret : agris nimirum et ædibus in præsentem pecuniam redactis, profectus est.

Non post multos dies : id est, paucis post diebus, et ut primum pecuniam collegit, festinavit abire. Et quidem adeo festinavit, -1) quia fervet juventus in perficiendis omnibus conceptibus ; -2) ut recederet e conspectu patris dolentis, quem sine conscientiæ stimulo videre non poterat ; -3) ut quamprimum funesta sua libertate frueretur.

Profectus est, quin ullis lacrymis potuerit a patre suo retineri. Pater sane miserum filium abeuntem est prosecutus, quamdiu spem retinendi habuit ; sed tandem, postquam vidit eum avertere faciem et effugere e conspectu, summopere dolens reverti compulsus est.

Profectus est autem filius *peregre in regionem longinquam*, longe sitam a domo paterna : nempe, ut quo longius abesset a patre atque ab amicis, eo liberius viveret, et ageret quæcumque intenderet et vellet. — Et revera vix eo advenit, cum satiare se delectamentis omnibus aggreditur, ut secundum spem suam sit plene beatus. At vero contrarium experietur.

Et ibi dissipavit substantiam suam vivendo luxuriose.

Scilicet, mox pecuniam omnem quamvis copiosam, dissipavit *vivendo luxuriose* : nempe omnibus cupiditatibus satisfaciendo. in omni luxu conviviorum, vestium et cæterorum, quæ meretricios amores comitari solent. Certe ad hunc modum juvenes agere consueverunt, quum proprio ingenio feruntur. Nam quia, et consilii inopes, et ferventes intemperie, ad se regendos minime sunt idonei ; ubi metu aut pudore non cohibentur, projiciunt se quocumque tulerit libido, plenique dedecoris ad turpem egestatem festinant. — Adolescens ergo parabolæ, ubi semel se tradidit vitæ luxuriosæ, pergit et rapitur imprudens : donec brevi tempore dissipaverit bona omnia, quæ in totius vitæ subsidium acceperat.

14. *Et postquam omnia consummasset, facta est fames valida in regione illa, et ipse cœpit egere.*

Postquam omnia consumpsisset, nec haberet unde luxuriose vivere pergeret ; imo cum vix haberet unde victum sibi necessarium compararet, *facta est fames valida in regione illa*, et cibi caro pretio fuerunt emendi. Ipse ergo, vix quidquam pecuniæ residuum habens, *cœpit egere* : id est, non modo jucunditatibus caruit, sed rebus etiam necessariis fuit privatus. — Itaque vestimenta pretiosa, et si quid aliud superfluum haberet, vendidit, ut sibi panem compararet : inedia, frigore, nuditate pressus quid faciet ? ad quos amicos recurret ? Postquam omnia exploravit atque tentavit frustra, coactus est herum quærere cui serviret.

15. *Et abiit, et adhæsit uni civium regionis illius...*

Abiit itaque quærens mercenarii locum. Quem non statim invenit : sive nemo tempore famis mercenario indigeret, sive miser laborem petens, labori ineptus judicaretur. Demum *adhæsit uni civium regionis illius*. Non condictus fuisse dicitur, sed *adhæsisse*, seu adjunxisse se hero cuipiam ; quasi ultro et supplex sese obtulerit ei, ut quovis modo inter servos ejus reciperetur, ad quodlibet officium paratus, modo fame non sineretur perire. Herus ille erat *civis regionis illius*, homo nempe peregrinus ac barbarus : qui, nesciens in quo miserum occuparet, jussit eum abire in villam ut pasceret porcos.

Et misit illum in villam suam, ut pasceret porcos.

Jubetur ergo abire in agrestem villam, ibique laborare inter infimos famulos ; et curam suscipere, non ovium, sed immundi gregis porcorum, adeoque socius fieri et servus porcorum. Quid vilius juveni ingenuo, præsertim Judæo, cui animalia

illa præcipue odiosa erant? — At necessitate coactus est obedire, adire stabulum immundum, per agros et silvas educere porcos, iisque velut servire, ut acciperet victum. Porro labore fessus, pro victu accipiebat vile alimentum porcorum, idque tam modica quantitate, ut præ fame pene moreretur. Quare partem appetebat portionis porcorum ad sedandam famem.

16. *Et cupiebat implere ventrem suum de siliquis, quas porci manducabant : et nemo illi dabat.*

Sicut supra humiliatio hominis est exposita, ita nunc depingitur ejus fames. — Non dicitur, *cupiebat saturari*, quia etiam qui famelici non sunt, saturari cupiunt; sed dicitur: *Cupiebat implere ventrem suum* : quia qui admodum famelici sunt, ventrem vacuum re qualibet implere quærunt, nec fere ciborum discrimen respiciunt, dummodo rabidam famem sedent.

De siliquis quas porci manducabant. De alimento hic sermo est, quod porcis præter gramina silvarum certa hora dabatur : non a nostro prodigo; sed ab aliis, mandato præfecti seu principis porcorum ad id deputatis, qui tum porcis, tum eorum custodi suam portionem distribuebant. — Porro *siliquæ* sunt folliculi, quibus fabæ, pisa, similiaque legumina includuntur; quique cibus est inanis, corpus potius implens quam reficiens. Vox tamen græca κεράτιον, certum fructum (1) designat, quo porci in Oriente vescuntur, sicut apud nos glandibus.

Et nemo illi dabat : id est, nemo illi dabat siliquarum quantitatem, quam ad satiandum ventrem appetebat. Non enim minus ipsi quam porcis, siliquæ certa eaque modica mensura dispensabantur, loco omnis panis et cibi. Cujus rei causa erat, tum avaritia heri, tum annonæ caritas, tum etiam conservorum erga prodigum duritas et contemptus. Miserrimus enim juvenis, qui fuerat ipse in omnes effusus ac prodigus, jam exhausta pecunia, contemptus est ab omnibus : nec invenitur quisquam, qui vel sordes loco cibi famelico subministret.

17. *In se autem reversus dixit...*

Urgente inopia et calamitate præsenti, *in se reversus est* : scilicet, ad sanam considerationem, et velut ad usum sanæ rationis est reductus, ut se suumque verum statum agnoscat. Cum enim hactenus illusionibus abreptus, extra sanam mentem, ceu extra se vagatus sit; nunc tandem, vexatione dante

(1) Fructus iste est *siliqua ceratonia* Linnæi.

intellectum, tanquam expergiscens ab ebrietate vel gravi somno, et intelligens jam per experientiam discrimen vitæ domesticæ et vitæ errabundæ, recte incipit considerare ac sapere. Nimirum, 1° felicitatem prioris status cum miseria præsentis confert, suumque errorem agnoscit ; 2° errorem corrigere statuit ; 3° eumdem reapse et efficaciter corrigit : ita ut laudabiliter sequatur regulam rationis : Error corrigitur, ubi animadvertitur. — Itaque in se reversus dixit :

Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus : ego autem hic fame pereo !

Opponit domum patris sui huic villæ heri barbari ; se filium, mercenariis qui in domo patris sunt ; demum famem ac inopiam suam, illorum saturitati atque abundantiæ.

Quanti, id est, quam multi *mercenarii*, homines scilicet qui non tantum distinguuntur a filiis, sed infimi sunt paternæ domus servi ; — *abundant panibus*, id est, omni ciborum genere, aliisque rebus ad vitam necessariis copiose fruuntur, ita ut nihil ipsis desit.

Ego autem, qui non servus aut mercenarius, sed filius familias eram et habebar ; — *hic* : in ista sine nomine commoratione, — *fame pereo* : id est, ego hic mercenariis longe miserior, fame, frigore, omnique labore ac miseria ita premor, ut dolores mortis sustineam, et certissime moriturus sim, nisi promptum remedium adhibeam.

Porro remedium cognoscit, et statim adhibere statuit : ut nempe redeat ad patrem, ab eoque humiliter veniam petat, et locum inter mercenarios, quorum conditionem tam bonam esse intellexit. — Hinc propositum :

18. *Surgam, et ibo ad patrem meum, et dicam ei : Pater, peccavi in cœlum et coram te :* — 19. *jam non sum dignus vocari filius tuus : fac me sicut unum de mercenariis tuis.*

Tria facere statuit : surgere, redire, et ad pedes patris sese prosternere culpam confitendo, patrisque gratiam implorando.

1° *Surgam* igitur, inquit, ex miseria in qua jaceo ; relinquam hoc servitium, quod sub principe porcorum sustineo ; proficiscar ex hac regione calamitosa. — Surgam autem cito, dum vires mihi adhuc sufficiunt.

2° *Et ibo* : redibo ad patriam, quamvis longum sit iter ; et ad ipsum patrem, quem misere deserui. — *Ad patrem meum*, quem clementissimum novi, quique semper *pater meus* est, et paternum cor gerit erga me, qui filii nomine indignus factus sum.

3° *Et dicam ei : Pater*... Patrem vocat, 1) ut filialem reveren-

tiam et affectum significet, et sic ingratitudinem pristinam reparare incipiat ; -2) ut hac ratione patrem ad clementiam moveat.

Peccavi : scilicet aperte culpam confiteor, nec ulla ratione excuso ; — peccavi gravissime : *in cœlum*, id est, adversus Deum qui in cœlo habitat ; *et coram te*, adversus te, pater mi, quem tantopere contristavi. — Notandum est, illa duo : *adversus Deum*, et *adversus te, pater*, quæ in parabolæ littera distinguuntur, in sensu allegorico nequaquam distingui : allegorice enim significant eumdem Deum ac Patrem nostrum, quem peccando offendimus.

Peccavi in cœlum et coram te : imo deliqui tam graviter, ut opprobrium tibi factus sim ac dedecus, indignus plane nomine filii tui.

19. *Jam non sum dignus vocari filius tuus...* Nobilitatis ac dignitatis tuæ, o pater, degener ego, excidi ex gradu filii tui : nec sum dignus a te loco filii haberi, qui tali patre indigne conversatus sum. Verumtamen, rogo te, ne a tecto tuo repellas me, hominem miserrimum, et gradu infimo inter servos tuos me dignare : *Fac me sicut unum de mercenariis tuis.*

Conceptum propositum statim exsequitur.

20. *Et surgens venit ad patrem suum. ..*

Impedimenta non deerant, tum ex parte principis porcorum, tum ex parte itineris conficiendi ab homine inedia fere confecto ; tum ex parte ignominiæ subeundæ: cum filius familias, qui apparatu superbo abierat, oculis concivium et amicorum apparatu miserabili rediret. His vero nequaquam deterretur aut hæsitat ; sed quod sapienter statuit, prompte, fortiter, integre exsequitur. Quod dictum, factum : *Et surgens venit ad patrem...*

Jam vero a patre, non tantum misericorditer, sed gaudenter excipitur ; nec solum venia, sed insuper maximis beneficiis donatur.

Cum autem adhuc longe esset, vidit illum pater ipsius, et misericordia motus est, et accurrens cecidit super collum ejus, et osculatus est eum.

Redeunti filio occurrit misericordia et condonatio, sicut mox humilianti se respondebit exaltatio et beneficentia. — Cum enim rediret prodigus, quamvis adhuc longe esset a paterna domo, pater ipsius, qui oculos frequenter in viam filii vertere solebat, exspectans eum, tandem *vidit illum*. Hominem videlicet seminudum, extenuatum, cui vix filii sui similitudo manebat, aspexit ; et statim paterno oculo hunc esse

filium suum agnovit : *Cum adhuc longe esset, vidit illum pater ipsius.*

Videndo autem indigni filii vilitatem ac miseriam, non movetur contemptu, aut indignatione, aut vindictæ gaudio, ob justam quam reus patitur pœnam ; sed simpliciter *misericordia motus est.* Videt enim illum *ut pater :* quæ significatio continetur verbo Domini : *Vidit illum pater ipsius.* Quare videndo filii sui miserabilem aspectum, tantopere mutatum a pristina gratia, intimis visceribus commovetur ; filiique miseriam tanquam propriam sentiens, lacrymis perfunditur.

Et accurrens cecidit super collum ejus, et osculatus est eum. — En internæ misericordiæ externa significatio et effectus. Non exspectat pater donec filius accesserit ; sed fertur obviam ei, *currendo* præ amoris et gaudii vehementia, quasi impatiens moræ.

Accedens autem ad filium, non abhorret ab ejus sordida paupertate, nec exprobrat fugam, nec objurgat, aut comminatur ; imo vero, necdum auditis filii precibus, statim apertis brachiis, amantissimo vultu ruit in amplexum ejus : *Cecidit super collum ejus.* — *Et osculatus est eum :* en osculum amoris, signum reconciliationis, venia ultro oblata. Quibus clementiæ significationibus confirmatus, *dixit ei filius :*

21. *Pater, peccavi in cœlum et coram te : jam non sum dignus vocari filius tuus.*

Non dicitur filius vicissim esse osculatus patrem : quia indignum se hoc filiali actu reputavit ; sed statim ad pedes patris prostratus veniam petiit. *Pater,* inquit, *peccavi...* fideliter, prout constituerat, culpam confitens. — Hæc tamen verba : *Fac me sicut unum de mercenariis tuis*, non dicitur addidisse : sive -1) quod Evangelista id intelligendum reliquerit ; sive -2) quod filius benignitate patris obrutus, id minus necessarium viderit ; aut etiam suis singultibus fuerit præpeditus ; sive -3) quod pater humiliantis se orationem interruperit.

22. *Dixit autem pater ad servos suos...*

Non verbis sed factis filio respondet, convertendo sermonem ad servos suos ; nec ad unum duntaxat, sed ad omnes, quasi unus non sufficiat ad filio serviendum. — Hic magis manifestatur patris benignitas, qui filium non modo recipit in gratiam ; sed etiam, immemor omnium injuriarum, in pristinam dignitatem restituit. Excitatur autem hæc major benignitas ac misericordia, tum filii humiliatione, tum aspectu miseriæ ejus.

Videns enim propius filium suum, coram se humiliatum, vehementius paterna viscera amore et commiseratione moventur. Quem enim juvenem antea viderat ætate florentem, nobili vestimento ornatum ; nunc intuetur squalidum, vestimentorum vix reliquiis coopertum, facie pallidum, fame languentem. Hunc autem conspectum pater ferre non potest, quin statim tantis necessitatibus medeatur, et vestes et cibos filio præstet. — At vero vestes et cibos præstabit non qualescumque, sed festivos; ac tales, ut simul -1) filium in pristinum gradum instaurent, et -2) patris gaudium præclare significent.

Cito proferte stolam primam, et induite illum ; et date annulum in manum ejus, et calceamenta in pedes ejus.

Primum jubet filium vestiri, -1) quia ipso vestitu eum velut in dignitatem filii restituet ; -2) quia prius decenter et filii instar ornandus est, quam ad mensam paternam admittatur.

Aspiciens itaque filii vestem servilem, manus callosas, pedes nudos : afferri jubet vestem, annulum , calceamenta. — *Cito*, inquit, *proferte stolam primam :* id est , vel *pristinam*, quali antehac uti consueverat; vel *optimam* ac splendidissimam vestem quæ in domo sit, ex arcis vestiariis meis proferte. — Vestem petit peculiarem, nempe *stolam* : vestem videlicet longam, talarem, ac nobilem, qua filii a servis distinguebantur. — *Et date annulum in manum ejus* : annulum intellige aureum, qui similiter ornatus erat hominis liberi et locupletis. — *Et calceamenta in pedes ejus* : qui habitus similiter ad filium ingenuum pertinebat ; calceamenta enim olim a solis personis liberis gestabantur.

23. *Et adducite vitulum saginatum, et occidite ; et manducemus et epulemur....*

Interea, dum filiali ornatu juvenem induunt, aliis servis imperat pater , ut convivium parent maxime festivum. *Adducite*, inquit, *vitulum saginatum , et occidite :* id est, illum nunc occidite vitulum, quem saginari jussi in illud tempus, quo posset nobis occasio incidere læti epuli celebrandi , qualis nunc occurrit.

Et manducemus et epulemur : id est, celebremus convivium lautum et lætum, cum cantu et choro : gaudeamus, et communi lætitiæ nos tradamus , ego, filius meus, vos quoque servi , omnesque amici nostri. Magna enim est gaudendi causa :

24. *Quia hic filius meus mortuus erat , et revixit : perierat, et inventus est. Et cœperunt epulari.*

Sicut paulo ante effectibus, ita nunc verbis pater misericordiam ac amorem erga filium, et gaudium de ejus reditu mani-

festat. *Hic*, inquit, *filius meus* : hic scilicet meo sanguine natus, et quem propterea semper ut filium amavi ; hic aliquando non filius, nunc autem iterum filius meus ; hic indignum se reputans nomine filii, et propterea dignus qui a me ut genuinus filius agnoscatur et nominetur ; hic aliquando mihi causa doloris, nunc autem causa gaudii maximi factus :

Quia mortuus erat, et revixit : perierat et inventus est : aliis verbis, quia postquam mortuus fuit, revixit ; et postquam periit, inventus est. — Præ affectus vehementia causam gaudii bis enuntiat : metaphorice primum, ac dein propriis verbis. *Mortuus*, inquit, *erat* : id est, velut mortuus fuit mihi, quia longe a me separatus ; et mortuus sibi, quia vita felici privatus. *Revixit* autem mihi, quia reversus ad me ; et sibi, quia vitæ veræ ac felici restitutus est. — *Perierat* quoque sibi et mihi : perditus nempe aberrando ignotis itineribus, et languendo in miseriis extremis ; *inventus* autem *est*, nempe recuperatus ac salvatus.

Porro in eo quod dicit, *inventus est*, insinuat filium sibi esse velut thesaurum pretiosissimum, quem amissum desideravit et quæsivit ; et quo nunc invento omnes gaudere decet.

Et cœperunt epulari : pater videlicet, totaque ejus familia, amici et vicini, cœperunt lætis epulis filii reditum celebrare.

25. *Erat autem filius ejus senior in agro ; et cum veniret, et appropinquaret domui, audivit symphoniam et chorum...*

Incipit hic tertia pars parabolæ, exhibens querimonias filii primogeniti, et in ejus persona murmurationes Scribarum et Pharisæorum adversus Christum. — Aberat ille primogenitus, dum tota domus paterna gaudiis exultaret : erat enim *in agro*, occupatus colendis arvis paternis ac suis, et servos ac mercenarios in laborando dirigens. *Et cum veniret* sub vesperam, *et appropinquaret domui, audivit symphoniam et chorum* : id est, sonitum concinentium et lætantium convivarum.

26, 27. *Et* attonitus primum, *vocavit unum de servis, et interrogavit quid hæc essent ? isque dixit illi : Frater tuus venit, et occidit pater tuus vitulum saginatum, quia salvum illum recepit* : scilicet, reverso fratri tuo, totique familiæ exhibet lætum convivium, quia salvum recepit quem periisse crediderat.

28. *Indignatus est autem, et nolebat introire...*

Indignatus atque invidia tactus est : et ægre tulit, hæc a patre fieri in gratiam fratris. — Non itaque de reconciliatione succenset vel de reditu fratris ; sed de tanta ob hanc rem solemnitate : ideoque noluit introire ad convivium ut et ipse cum gaudentibus gauderet.

Pater ergo illius, nuntio per servos accepto, ipse statim *egressus* est; et *cœpit rogare illum* atque hortari ut intraret, ac lætitiæ communis esset particeps. — Novo hic modo manifestatur optimi patris benignitas et humanitas. Cum enim posset servata dignitatis suæ gravitate, intus manere, filiumque morosum et immerito conquerentem relinquere foris; ipse benigne ad illum egreditur, rogat, laborat, et in omnia se vertit, ut utrique filio satisfaciat, utriusque amantissimus.

29. *At ille* filius, nihil mitior factus tanta patris comitate, arroganter respondet; significatque patrem injuste secum agere, qui optime merenti ne præmiolum quidem ullum unquam sibi obtulerit: reverso autem huic pessime merito, maxima amicitiæ lætitiæque argumenta exhibuerit. *Respondens dixit patri suo: Ecce tot annis servio tibi*, in negotiis scilicet familiæ tuæ, et quidem fidelissime: nam *nunquam mandatum tuum præterivi; et nunquam dedisti mihi* in testimonium amoris tui, vel *hædum* de capris, *ut cum amicis meis epularer*.

30. *Sed postquam filius tuus hic, qui devoravit substantiam suam cum meretricibus, venit, occidisti illi vitulum saginatum*. Indignabundi hæc verba sunt, qui miserum fratrem suum fratris nomine non vult appellare; sed contemptim dicit: *Postquam venit filius tuus hic:* egregius scilicet filius, et tuo amore sane dignus, quippe qui *devoravit* instar helluonis *substantiam suam;* idque modo turpissimo, vivendo luxuriose *cum meretricibus... illi* sic merenti, et in gratiam ejus, ad declarandum tibi gratum esse adventum ipsius, mactasti, quo nihil habes in toto grege delicatius, vitulum saginatum... Quibus verbis improperium enuntiat in patrem suum. — Ut patet, sermone maligno vitulum hædo, fratrem sibi; et singula singulis opponit.

Quod Vulgata vertit *substantiam suam*, græco textu legimus *substantiam tuam*, portionem substantiæ quam ipsi dedisti (ὁ καταφαγών σου τὸν βίον): quod videtur odiosius. Pejus est enim alienam substantiam prodige consumere, quam propriam. Ideo, licet pater dedisset filio juniori partem ipsius, alter tamen, non ipsius fratris substantiam, sed patris dilapidatam dicit: tum quia a patre promanaverat illa substantia, tum quia pater gratis eam dederat, cum non teneretur. Ergo ut invidiam fratri prodigo excitet, *substantiam*, inquit, *tuam devoravit*, quasi diceret: Ego tota vita mea servio tibi, ut augeam facultates tuas; ille brevi tempore consumit eas et dissipat.

31. *At ipse dixit illi : Fili, tu semper mecum es, et omnia mea tua sunt :* 32. *epulari autem et gaudere oportebat, quia frater tuus hic mortuus erat, et revixit ; perierat et inventus est.*

Eadem semper bonitate sibi constans pater, iniqua filii expostulatione seu querimonia non commovetur ad iram ; nec commemorando sua in eum beneficia redarguit ejus superbiam et obmurmurationem, ne magis eum exasperet ; sed blandis verbis placare eum et lenire conatur : tum quod, occasione ita ferente, frater ipsius humaniter excipiatur, tum quod æquum non sit ipsum tristari ob hilaritatem ex recuperato fratre conceptam. — Contentio itaque fit pulcherrima, inter filii invidentiam et patris mansuetudinem : filius amaritudinem labiis evomit ; pater nihil duri, sed blande omnia loquitur, quo utrumque filium sibi conciliet.

Admittens itaque, verum esse de non exhibito ei epulo peculiari, et omissa omni objurgatione, solam rationem exponit. Fili, inquit, non est quod queraris, quasi minus tibi fecerim quam fratri tuo ; causa similis gaudii non habuit in te locum : *Tu semper mecum es*, perseverans scilicet in familiaritate mea, quæ tibi instar jugis convivii esse debet... Quasi diceret : Nihil in te novi accidit, nullam dedisti occasionem alicujus novæ et inusitatæ lætitiæ excitandæ. — *Et omnia mea tua sunt* : adeo ut non fuerit necesse, me tibi quidquam novi dare ad magnificum epulum, novamque gaudii testificationem ; quia omnibus in familia uti poteras.

Epulari autem et gaudere oportebat, me scilicet totamque familiam, et maxime te, fili, *quia hic frater tuus mortuus erat et revixit ; perierat et inventus est.* Quæ sane tibi ratio gaudendi magna, non tantum mea causa, quia ille filius meus est ; sed etiam tua causa, quia *frater tuus* est, cui bonum omne velle debes ut alteri tibi, charitate urgente.

Sensus parabolæ.

Jam sensu proprio parabolæ exposito, sensum metaphoricum seu parabolicum summatim proponamus.

1° Homo paterfamilias, Deus est ac Dominus noster Jesus Christus.

2° Duo filii, sunt homines, et quidem omnes, boni et mali.

3° Filius natu major, repræsentat homines justos : tam illos, qui sua aliorumque opinione, quam qui rei veritate justi sunt.

4° Junior repræsentat peccatorem pœnitentem.

Sanctus Augustinus tamen et nonnulli alii Patres, persona

primogeniti populum Judaicum, junioris vero Gentes significari putant : quod quidem sensu secundario, non vero primario, quem Dominus adversus Pharisæos intendit, admitti potest.

5° Recessio adolescentis in longinquam terram, est recessio hominis a Deo per peccatum.

6° Ejus miseria, est exitialis effectus peccati et miseria peccatoris.

7° Reversio ad patrem, sincera conversio peccatoris.

8° Receptio a patre jucundissima, misericordiam Dei, ejusque gaudium ob pœnitentiam peccatoris demonstrat.

9° Indignatio filii primogeniti, appendicis instar adjecta, notat Phærisæorum, qui sibi justi videbantur, iniquitatem, eo quod vituperarent Domini erga peccatores misericordiam.

—

Explicatio secunda.

Præter illud quod immediate Dominus contra Pharisæos docere intendit, conversionem videlicet peccatoris esse Deo gratissimam ; alia complura tradit in historia *prodigi* documenta. Non enim tantum hic elucet Dei erga peccatores misericordia, sed etiam ejus erga justos amor ac bonitas ; — et ex altera parte, justorum in divino servitio felicitas, peccatoris culpa et miseria ; — deinde ostenditur qualis esse debeat peccatoris pœnitentia, quæ post receptam veniam fidelitas ; — qualis justorum de fratribus aberrantibus dolor, de conversis lætitia.

Hæc autem generatim spectata, sic vario ordine proponi possunt.

1° Historia prodigi ostendit abyssum duplicem : abyssum miseriæ, et abyssum misericordiæ ; seu, -1) quanta sit miseria peccatoris, et -2) quanta misericordia Dei.

2° — 1) Quam sit conditio justi beata, -2) quam misera conditio peccatoris, donec resipiscat ; seu : -1) quam beati simus in divino servitio ; -2) quam miseri efficiamur per peccatum ; -3) quomodo e peccato surgere debeamus.

3° —1) Quam vilis sit abjectio delinquentis, -2) quam laudabilis generositas pœnitentis.

4° —1) Quanta sit peccatoris erga Deum ingratitudo ; -2) quanta ejus insania erga se ipsum.

5° —1) Quam indigne se gerat peccator erga Deum suum et erga se ipsum ; -2) quam misericorditer Deus erga peccatorem.

6° —1) Quomodo peccator a Deo discedat ; -2) quemnam in terminum deveniat ; -3) quomodo debeat reverti.

7° —1) Quomodo a mundi illusionibus cavere ; -2) erga peccatores misericordiam exercere ; -3) de conversione ac bono proximi gaudere debeamus.

8° Infortunia prodigi ostendunt illusiones mundi, ac deceptiones peccati : seu -1) quid homo peccando quærat ; -2) quid vero inveniat.

9° In parabola de prodigo, Christus non tantum depingit semetipsum, nempe in persona patris ; sed etiam unumquemque nostrum, in persona filii. Omnes enim sumus prodigi filii : *Omnes nos tanquam oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit* (Isai. LIII, 6). Quapropter memetipsum debeo in hac verissima imagine agnoscere, et considerare : -1) quomodo sicut prodigus erraverim ; -2) quomodo sicut prodigus e peccato surgere debeam ; -3) quomodo deinceps sicut prodigus patri suo, ita debeam Deo fideliter adhærere.

10° Pater prodigi imaginem verissimam, etsi imperfectam, exhibet divinæ misericordiæ : ostendens, -1) quid Deus faciat ante peccatoris discessum ; -2) in ipsis ejus aberrationibus ; -3) post ejus reditum : — seu, quid faciat, -1) ne filii sui a se discedant ; -2) ut digressi revertantur ; -3) ut reversi fideles perseverent.

11° Filius prodigus perfectum exhibet exemplum pœnitentiæ : ostendens -1) quid peccator facere debeat ante reconciliationem ; -2) quid, in ipsa reconciliatione ; -3) quid, post reconciliationis gratiam receptam.

Quod si textum parabolæ in particulari consideremus, luculentius, tum quæ modo indicata sunt, tum etiam alia perspiciemus.

Homo quidam habuit duos filios.

1° Familia ista parabolica veram humani generis conditionem repræsentat. Etenim humanum genus universum familiam quamdam grandem constituit, cujus Deus pater est et omnes homines filii : *Unus Deus et pater omnium.* Eph. IV, 6.

Est autem Deus, -1) pater verus, nempe titulo creationis, titulo redemptionis per sanguinem filii sui unigeniti, titulo adoptionis in Baptismo : *Accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus : Abba* (*Pater*) (Rom. VIII, 15). -2) Est pater bonus, omnia paterna officia, amoris, disciplinæ, provisionis hereditariæ perfecte adimplens... -3) Est pater nobilis ac dives, omnia possidens quæ ad plenam filiorum felicitatem conducere possint...

Filii dicuntur duo : quia duæ sunt hominum classes, boni et mali, justi et peccatores. -1) Justi sunt illi, qui debita officia reverentiæ, obedientiæ et amoris erga Patrem implendo, dignos

se suo genere efficiunt, patrique simillimos : *Carissimi, nunc filii Dei sumus; et nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniam, cum apparuerit, similes ei erimus* (I Joan. III, 2). -2) Peccatores, sunt inobedientes, rebelles ac ingrati filii. *Peccaverunt ei, et non filii ejus in sordibus* (Deut. XXXII, 5). Hos, quamdiu vita manet, etsi aberrantes, tanquam filios suos diligit et revocat... post mortem vero, nisi fuerint conversi, non amplius eos ut filios agnoscit, sed ut degeneres, ac filios diaboli, abjicit in æternum.....

Sic bifariam humana familia hominesque universi dividuntur ; et necesse cuique est, ut ad alterutram classem pertineat.

Pater, da mihi portionem substantiæ quæ me contingit.

Sensus est quasi diceret : Pater, nolo amplius sub obedientia tua vivere ; sed volo libere, ac independenter a te, frui bonis meis : sic enim beatus ero.

1° Hujusmodi petitio est patri injuriosa ac dolorosa, adeoque ex parte filii magnam ingratitudinem continet : ostenditque culpam et ingratitudinem peccatoris erga Deum. Peccator enim cor paternum contristat Dei sui, qui propterea sic conqueritur : *Filios enutrivi et exaltavi, ipsi autem spreverunt me.* Isai. I, 2.

2° Eadem petitio ostendit duplicem causam peccati : amorem falsæ libertatis, et illusionem mundi. — 1) Falsa libertas est licentia illa, qua homo vult sese a lege Dei subtrahere ; quasi volens nolens ligatus et obligatus non esset. Hæc falsa libertas ducit ad servitutem passionum ac diaboli : *Omnis qui facit peccatum, servus est peccati* (Joan. VIII, 34) ; estque opposita veræ libertati, quæ in obedientia legi Dei consistit, et in edomatione passionum. Ista est libertas filiorum Dei, *qua libertate Christus nos liberavit* (Gal. IV, 31). — 2) Illusio mundi, est illa fallacia, qua mundus hominum phantasiæ præsertim juniorum, ostentat gaudia, voluptates, delicias apparentes ; quas semper promittit, et nunquam largitur. Sic diabolus Christo ostendebat *omnia regna mundi et gloriam eorum, et dixit ei : Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me.* Matth. IV, 9.

3° Eadem petitio indicat periculum mali consiliarii, malive socii. Juvenis enim prodigus non eo usque devenisse censendus est, ut patrem derelinquere voluerit, nisi quia pravos adivit socios, et seductoribus aurem præbuit, qui ei de regione longinqua ac fortunata sunt fabulati....

Peregre profectus est in regionem longinquam:

1° Discessio prodigi repræsentat discessionem hominis a Deo per peccatum. Sicut enim per amorem et obedientiam anima

cum Deo conjungitur ; ita per peccatum, quod amori et obedientiæ contrarium est, a Deo, summo ac unico bono discedit et separatur. Hæc autem discessio gradatim effici solet. Est enim, -1) *inchoata*, quando homo incipit tepescere, exercitia pietatis negligere, periculis sese exponere : *Qui spernit modica, paulatim decidet* (Eccli. XIX, 1). -2) *Completa*, quando labitur in peccatum mortale, quo fit separatio. -3) *Longinqua*, quando in peccato remanet, et peccata multiplicando, pravosque habitus contrahendo, magis magisque a Deo ac salute remotus efficitur....

2° Unde discedit ? — A domo paterna, ubi bonis omnibus fruebatur : *Quia melior est dies una in atriis tuis, super millia... in tabernaculis peccatorum.* Ps. LXXXIII.

3° Quo devenit ? — *In regionem longinquam*, quæ vitam peccaminosam significat. Illic peccator longe est a Deo, ac proin longe a lumine veritatis, longe ab auxilio Dei, longe a conversatione cum Deo, longe a pace... Deus autem non est longe a peccatore : sed prope est, ut ejus peccata videat, ut eum corripiat, ut revocet, ut puniat...

Dissipavit substantiam suam vivendo luxuriose.

1° En fructus falsæ libertatis, dissipatio patrimonii : id est, perditio omnium bonorum quæ a Patre nostro cœlesti accepimus. Utinam filius imprudens sub paterna obedientia ac tutela mansisset, suaque bona in Patris manibus reliquisset ! Non utique sese misere omnibus privatum videret.... Quare propheta dicit : *Dominus pars hæreditatis meæ et calicis mei : tu es qui restitues hæreditatem meam mihi.* Ps. XV.

2° Dissipavit autem substantiam *vivendo luxuriose.* Luxuriæ vitium notat Dominus, ut illud fugiamus. — Innuuntur autem, tum luxuriæ causa, tum pessimi ejus effectus. -1) Causa luxuriosæ vitæ prodigi nostri est, quod recesserit a paterna domo : ut discamus, castitatem mox periclitari, si quis recesserit a domo Dei : id est, si orationem neglexerit, et mundi periculis se objecerit. -2) Effectus luxuriæ est, dissipatio omnium hominis bonorum. Perdit enim luxuriosus gratiam sanctificantem, animam innumeris peccatis mortalibus coinquinando ; — perdit pacem et quietem ; — perdit honorem ac famam ; — perdit omnem dignitatem, et vilissimis animalibus similis efficitur....

Quæ damna ut vitentur, omni cura atque cautela castitas custodienda est. *O quam pulchra est casta generatio cum claritate !* Sap. IV, 1.

Facta est fames valida in regione illa.

1° En imago verissima status peccatoris : *fames valida* e

insatiabilis, qua devoratur in hac vita ; et, nisi resipiscat, qua in æternum devorabitur. — Est autem fames illa desiderium bonorum sensibilium, voluptatum nempe et honoris hujus mundi : horumque appetitus vehemens, qui, similis igni, *nunquam dicit sufficit* (Prov. XXX, 16). Ipsi homines ditissimi hac fame torquentur : *Divites eguerunt et esurierunt* (Ps. XXXIII). Scilicet hæc fames libidinum expleri nequit, neque cor hominis potest sensibilibus bonis satiari, quia homo ad altiora factus est ; et quamvis quoad corpus abundare videatur, interius tamen in anima sua, vacuus est et egenus.

Quapropter aperire cor suum debet homo desiderio meliori, appetitui bonorum quæ ipsi destinata sunt a Deo; et tunc satiabitur. Hæc est fames sancta, quam Dominus commendat, dicens : *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam : quoniam ipsi saturabuntur* (Matth. V, 6). Saturabitur utique suavissime totus homo, in intellectu, — in voluntate, — imo in ipso corpore, quod aliquando glorificabitur. *Qui replet in bonis desiderium tuum*. Ps. CII.

2° Fames valida occurrens prodigo, imaginem exhibet deceptionum peccatoris. — Videmus delusum juvenem aliud prorsus invenire, quam id quod quæsivit. -1) Quid enim quæsivit et sibi pollicitus est, nisi gaudia, libertatem, gloriam, ac jactantiam divitiarum, omniumque bonorum abundantiam ?.... -2) Quid vero invenit, nisi famem, nuditatem, tristitiam, animique perturbationes, ignominiam, servitutem turpissimam ?...

Et adhæsit uni civium regionis illius : et misit illum in villam suam ut pasceret porcos.

Servitus prodigi repræsentat servitutem peccatoris sub potestate diaboli.

1° Illa servitus qualis est ? — 1) Est servitus profunda : sicut enim prodigus ab hero subjicitur inferioribus ministris, qui in villa sunt ; ita peccator passionibus suis internis, — et respectui humano, pravisque factionibus, tanquam totidem tyrannis externis subjacet. — 2) Est servitus vilis ac turpissima : *Ut pasceret porcos*. Abjecta sane conditio, qua nobilis ille juvenis inter animalia vilissima versatur, tanquam eis similis effectus. *Homo cum in honore esset, non intellexit : comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis* (Ps. XLVIII). — 3) Est servitus dura ac misera : *Cupiebat implere ventrem suum de siliquis quas porci manducabant ; et nemo illi dabat*. Miserabilis sane status, et quidem illius, qui in paterna domo omnibus abundaverat... Quam misere a pristino statu delapsus ! *Filii Sion incluti, et amicti auro primo : quomodo reputati sunt in vasa testea ?... Qui vescebantur voluptuose, interierunt in viis ; qui*

nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercora..... Candidiores Nazaræi ejus nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, sapphiro pulchriores : denigrata est super carbones facies eorum, et non sunt cogniti in plateis ; adhæsit cutis eorum ossibus, aruit et facta est quasi lignum... Quomodo obscuratum est aurum ?... Thren. IV, 1 seqq.

2° Servitutem istam quinam incurrunt ? — Quotquot cum prodigo derelinquunt Patrem suum, ejusque obedientiam deserunt. Ergo eligendum est inter obsequium Dei et servitutem diaboli : *Duobus* enim *dominis servire nemo potest.* Matth. VI, 24.

In se autem reversus, dixit...

1° Illusionibus dissipatis, in miseria ac solitudine positus, juvenis rerum veritatem considerat : hæc est consideratio ac meditatio sancta, principium conversionis omnisque boni ; et cujus neglectus fit mali omnis origo : *Desolatione desolata est omnis terra, quia nullus est qui recogitet corde.* Jerem. XII, 11.

2° Salutarem hujusmodi considerationem adducit miseria et humilatio, quam Deus misericorditer peccatori infligit ut resipiscat. *Vexatio intellectum dabit* (Isai. XXVIII, 19). — *Imple facies eorum ignominia, et quærent nomen tuum, Domine* (Ps. LXXXII). — *Bonum mihi quia humiliasti me, ut discam justificationes tuas.* Ps. CXVIII.

Surgam, et ibo ad patrem meum.

1° Sanctum istud est ac generosum verbum, quod eo intuitu Christus Dominus ore prodigi profert, ut a nobis omnibus repetatur. Unusquisque enim dicere debet : Surgam ex mea negligentia, ex tepiditate, — ex peccatis, — ex servitute passionum, — ex pravis habitibus vitiorum, — ex sordibus superbiæ, luxuriæ....

2° *Surgam, et ibo ad patrem.* En exemplum conversionis. Est autem conversio prodigi vera, honorabilis et beata. — 1) Conversio vera, cujus duæ sunt partes : propositum et executio. -*a*) Propositum concipit ille generosum et efficax, humile et fiduciale. *Surgam*, inquit, *et ibo ad patrem meum, et dicam ei : Pater, peccavi in cœlum et coram te ; jam non sum dignus vocari filius tuus : fac me sicut unum de mercenariis tuis.* — *b*) Executionem perficit promptam, fortem, integram : *Et surgens venit ad patrem suum... dixitque ei filius : Pater, peccavi in cœlum et coram te : jam non sum dignus vocari filius tuus.*

-2) Conversio est honorabilis : generosi enim ac nobilis animi est errorem agnoscere, et agnitum corrigere ; — semetipsum vincere ; — obstacula quæ bono operi obsistunt superare....

-3) Conversio est beata, quia prodigum ad felicissimam cum patre reconciliationem reducit, — eum ab omni sua abjectione ac miseria liberat, — et in pristinum statum restituit....

Quum adhuc longe esset, vidit illum pater ipsius, et misericordia motus est.

Sicut in filio prodigo ostendit nobis Dominus exemplum pœnitentiæ ; ita in patre prodigi imaginem exhibet suæ erga pœnitentem misericordiæ. — Imago autem tenuis est ac imperfecta, et nequaquam plene ineffabilem illam bonitatem Dei refert, qua peccatores in ipsis eorum errationibus sua gratia prosequitur.

1° Revertentem vidit eum pater ipsius, *et misericordia motus est* : en effectus pœnitentiæ : Deum statim ad misericordiam movet, quamvis indignus sit peccator. *Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se.* Ps. CII.

2° Magnitudo misericordiæ manifestatur effectibus. Nam -1) sub vili habitu custodis porcorum, quia videt pœnitentem, pater filium agnoscit....

-2) Non objurgat ingratum ac indignum juvenem : quia hic ultro culpam agnoscit....

-3) Non respicit ejus pauperiem nisi ad commiserandum.

-4) Quia filius confitetur peccata, ei pater condonat omnia ; — quia sese humiliat, eum pater erigit et amplectitur. Pater, inquit ille, non sum dignus amplexu tuo, peccavi enim nimis... — Peccasti, fili ; sed quia te pœnitet, ego condono : teque amplector ut filium, peccatorum tuorum jam oblitus. Sic enim per prophetam locutus sum : *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis... omnium iniquitatum ejus quas operatus est, non recordabor.* Ezech. XVIII, 21, 22.

-5) Quia ille indignum se confitetur nomine filii, ideo pater eum filii nomine iterum appellat, et in dignitatem pristinam restituit. Statimque stolam splendidam, annulum, calceamenta ei afferri jubet, et dapes optimas parari : stolam scilicet gratiæ et charitatis ; annulum in manu, symbolum libertatis filiorum, et fidelitatis, qua posthac opera manuum suarum patri consecrabit ; calceamenta in pedibus, ut constanter deinceps in via virtutis, absque deflexione perseveret.... — Dapes autem paratæ, sunt mensa Eucharistica, omniaque spiritualia alimenta, quibus animæ sanctæ jam in hac vita reficiuntur....

Hic quæri potest, quomodo filius prodigus tantæ patris clementiæ responderit ? aut quomodo in posterum vixerit ? Quod etsi Evangelium non dicit, cogitatione et corde possumus facile supplere. Amore scilicet et gratitudine perenni repletus est,

-1) in corde, ut nunquam obliviscatur, nec suæ præteritæ miseriæ, nec patris misericordiæ... -2) in opere; ut nunquam amplius a paterna domo discedat... sed patri constanter adhæreat, et in omnibus servire studeat ac placere....

Quia hic filius meus mortuus erat, et revixit.

His verbis indicat Dominus, quid sit status peccati mortalis, et quid status gratiæ. — Status peccati mortalis est vera mors animæ. Quamdiu homo in hoc misero statu manet, *mortuus est*, quia vita animæ, id est, gratia sanctificante privatus. Quare oculis Dei est cadaver putridum, sine visu, sine auditu, sine sensibus quibus cœlestia bona percipere valeat.... et si in illo statu moriatur, sepeliendus in inferno.... E contra, status gratiæ est vita, et conversio peccatoris resurrectio, qua anima reviviscit. Justus hac vita vivens, habet oculos spirituales, et aures aliosque sensus, quibus frui bonis cœlestibus possit, et idoneus fiat ad habitandum in domo Dei, Patris sui : nunc quidem per fidem... postea vero per visionem ac speciem....

Fili, tu semper mecum es, et omnia mea tua sunt.

1° Hac responsione Pater misericordiarum felicitatem ostendit, jam in præsenti vita concessam justis, qui illi serio deserviunt. Consistit autem felicitas illa in conjunctione atque commercio cum Deo, et in participatione bonorum ejus.

-1) Conjunctio, convictus, conversatio cum Domino, tanquam cum patre amantissimo : *Fili*, inquit, *tu semper mecum es*. Quæ major in hac vita felicitas desideretur? Quidve jucundius animæ contingere possit, quam semper esse cum Deo suo, in domo Dei, in obedientia ejus, sub gubernatione et protectione ejus... ejusque alloquio indesinenter frui?...

-1) Participatio bonorum Dei : *Et omnia mea*, inquit, *tua sunt*, quasi diceret : Tua est gratia mea, tua sunt dona mea, auxilia, sacramenta... tuum cœlum, tuus est Filius meus unigenitus, Salvator... tuus sum ego ipse, ego cum omni mea potentia et sapientia, ega Deus tuus et omnia... — Sic Deus servis suis centuplum, et velut paradisum tribuit jam in hac vita.

2° Quod si tanta est felicitas justorum in vita præsenti, quanta erit in futura? Si in hoc exilio, et sub nube fidei versantes, jam cum Domino suo habitant, ejusque bonis fruuntur; postea in patria, luce gloriæ illustrati, quanto felicius cum Deo suo erunt! quanto plenius ejus bona possidebunt!... *Inebriabuntur ab ubertate domus Dei.* Ps. LXXXV.

2° Multi autem, similes filio primogenito parabolæ, quem

pater optimus alloquitur, sua bona non satis cognoscunt : imo quandoque conquerendi causam sibi esse existimant, quasi a Deo longe abessent, ejusque auxiliis destituti... Cujus rei ratio est, quod fide vivida carent, qua Deum intueantur sibi præsentem ; et fervore charitatis, quo dona ejus copiosius recipere mereantur.... Quapropter ferventer et ex animo sese tradant obsequio Dei, officiisque charitatis in proximum : et mox, fide vividiore illustrati, audient in corde suo atque intelligent hanc suavissimam Patris sui vocem : *Fili, tu semper mecum es, et omnia mea tua sunt.*

—

ORATIO DOMINICA.

Pater noster. Matth. VI, 9-13.

9. Sic vos orabitis : Pater noster, qui es in cœlis : sanctificetur nomen tuum. — 10. Adveniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, sicut in cœlo et in terra. — 11. Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie. — 12. Et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. — 13. Et ne nos inducas in tentationem. Sed libera nos a malo. Amen.

—

Explicatio prima.

Sic vos orabitis : Pater noster...

Docet divinus Magister orandi formulam, quam *orationem Dominicam* appellamus, eamque discipulis suis præcipit usurpandam : *Sic*, inquit, *vos orabitis...*

Non ita tamen præcipit, ut hac unica semper velit nos oratione uti ; sed orandi formam tradit ac normam, ad quam efformare etiam orationes alias possimus. Aliud vero nihil petere orando licet : cum quidquid recte a Deo peti possit, hac unica oratione contineatur.

Eamdem bis tradidisse Dominus videtur. Nam juxta S. Matthæum docuit eam sermone in monte ; juxta Lucam vero, cum rogaretur ab uno discipulorum dicente : *Domine, doce nos orare, sicut docuit Joannes discipulos suos* (Luc. XI, 1). — In utroque loco formula est quoad sensum eadem, etsi verbis paulo brevior

---

Luc. XI, 2. Quum oratis, dicite : Pater, sanctificetur nomen tuum. Adveniat regnum tuum. — 3. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. — 4. Et dimitte nobis peccata nostra, siquidem et ipsi dimittimus omni debenti nobis. Et ne nos inducas in tentationem.

apud Lucam. Hinc, si non constat plane utrum bis fuerit a Domino proposita ; probabilius tamen id affirmatur, quia refertur eadem oratio a duobus Evangelistis diversis cum circumstantiis.

Quod autem dignatus sit Salvator hoc modo nos ad precandum instituere, ineffabilis profecto est benignitatis argumentum. Quoniam scilicet tanti momenti est in re salutis oratio, ita eam voluit docere, ut omnes quotquot discipuli ejus sumus, perfecte orare possimus. Etenim ne ignoraremus fortasse quomodo alloquendus sit Deus, ipse nobis in os posuit verba. Ne dubitemus utrum ultra paratus sit Deus ad exaudienda vota nostra, ipse nobis orandi suggerit modum qui semper exauditione sit dignus. Demum ne conqueramur, dum orationis forma præscripta est, ademptam nobis esse quæ voluerimus petendi libertatem : quidquid recte desiderare possimus, id omne unica formula complexus est.

Oratio hæc Dominica, ut facile intelligitur, undequaque est excellentissima, tum ratione auctoris, tum ratione sui.

1° Auctor enim est ipse Salvator, Unigenitus Patris : quapropter nulla oratio esse potest dignior, nulla Deo acceptior, hominibus honorabilior, ad impetrandum efficacior ; nulla demum quæ nobis esse debeat charior et familiarior...

2° Ratione sui oratio ista plane perfecta est : qualis necessario esse intelligitur oratio, quam ipse Deus, Sapientia incarnata nos docet. Scilicet, ut verborum brevitate, ita et rerum plenitudine, et ordine, et suavitate mirabilis, merito a Tertulliano *Evangelii breviarium* appellatur.

Constat brevi prooemio, et septem petitionibus. — Petitiones tres priores spectant ad Deum, reliquæ quatuor ad necessitates nostras. Sicut enim lex Dei duabus Tabulis distinguitur, quarum prior officia pietatis erga Deum, posterior charitatis erga proximum continet ; ita oratio Dominica duplici constat petitionum serie, quarum una petimus quæ principalius ad Deum, altera quæ ad nos ipsos pertinent. — Cæterum, dum ea petimus quæ respiciunt gloriam Dei, consequenter atque indirecte etiam nostra petimus bona, in quibus Dei gloria sita est ; et vicissim, dum nostra precamur bona, in Dei gloriam ut finem ultimum respicimus.

Oratio hæc divina, omnique ex parte perfecta, non tantum, ut S. Thomas docet (2. 2, q. 83, art. 9), continet omnia quæ recte desiderari possint ; sed etiam eo ordine quo desideranda sunt : adeo ut non solum instruat postulare, sed simul sit informativa totius nostri desiderii et affectus. Id autem sequenti modo angelicus Doctor explicat.

Primo loco petuntur quæ pertinent ad hominis finem, deinde quæ ad media.

1° Finis noster est Deus, seu Dei gloria, propter quam creati sumus, et ad quam tendere debemus : tum eam volendo in se : *Sanctificetur nomen tuum* ; — tum in sui fruitione, nempe ea frui cupiendo : *Adveniat regnum tuum.*

2° Media sunt quinque : quorum,

-1) Duo utilia sunt *per se* : -*a*) unum directe et principaliter, nimirum obedientia Deo, qua beatitudinem meremur : *Fiat voluntas tua ;* -*b*) alterum instrumentaliter, et quasi coadjuvando nos ad serviendum Deo, nempe panis quotidianus : *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.*

-2) Tria reliqua media sunt utilia *per accidens*, scilicet removendo impedimenta tria :

-*a*) Peccatum, quod excludit a regno Dei : *Dimitte nobis debita nostra...*

-*b*) Tentationem, quæ impedit impletionem divinæ voluntatis : *Ne nos inducas in tentationem.*

-*c*) Malum pœnalitatis, quod impedit sufficientiam vitæ, estque tentationum et peccatorum origo : *Sed libera nos a malo.*

Pater noster, qui es in cœlis.

Procemium orationis Dominicæ, quo Dei bonitatem et potentiam prædicantes, ejus benevolentiam nobis conciliamus ; simulque nosmetipsos debita reverentia et fiducia animamus. Dicendo nimirum *Pater*, Dei laudamus bonitatem ; et addendo *qui es in cœlis*, ejus potentiam et majestatem confitemur : utroque autem nomine, ut consideranti facile patebit, fiducia replemur et reverentia.

Pater.... Ineffabilis dignatio, ut homo possit Deum appellare patrem ! *Quanquam hoc nominis*, ait Cyprianus, *nemo nostrum in oratione auderet attingere, nisi dignationis ejus et bonitatis ubertas id permisisset.*

Major hic nobis gratia datur quam olim Judæis. Illi enim, utpote sub Lege servi, docti erant Deum in oratione appellare *Dominum ;* Christiani vero, Spiritu adoptionis donati, clamant : *Abba, Pater.* Gal. IV, 6.

Q. Dicendo : *Pater noster*, quamnam personam alloquimur ?

R. 1° Alloquimur totam SS. Trinitatem : tres enim personæ sunt unus Pater noster, unus exauditor, unus gratiarum largitor. — Nomen scilicet *Patris*, sumptum, *essentialiter*, seu *secundum essentiam divinam*, ob respectum ad creationem, vel ad gratuitam hominum in Dei filios adoptionem, toti Trinitati commune est.

2° Alloquimur etiam speciatim *Deum Patrem*, sensu *notionali* intelligendo primam personam SS. Trinitatis, Patrem Salvatoris nostri Jesu Christi : quem in nomine ejusdem unigeniti Filii, imo una cum ipso, ore Ecclesiæ suæ orante, oramus.

Q. Quo sensu, aut quo titulo Deus est noster *Pater ?*

R. Deus, Creator ac Dominus noster, est etiam vero nomine noster Pater, quia nobis vitam dedit, et omnia officia optimi patris erga nos implere dignatur. — Scilicet Pater noster est,

1° Titulo creationis, qua nos ad imaginem et similitudinem suam condidit.

2° Titulo redemptionis, qua sanguine suo divino Christus in cruce nos genuit.

3° Titulo adoptionis, qua in Baptismo per gratiæ infusionem vere nos in filios suos regeneravit.

4° Titulo hæreditatis, cum nos adoptando in filios, *hæredes* constituit *secundum spem vitæ æternæ.* Tit. III, 17.

5° Titulo educationis, sustentationis et providentiæ paternæ perpetuæ.

Q. Cur Deus voluit a nobis in hac precatione nomine *Patris* compellari ?

R. 1° Ut amorem in nobis excitaret et fiduciam.

2° Ut orationem auspicaremur a laudanda ejus bonitate : qua præcipue laude delectatur.

3° Ut honestum afferamus titulum ad impetranda quæ petimus.

4° Ut insinuet, velle sibi a nobis filiali affectu ac spiritu serviri.

5° Ut innuat, ea duntaxat esse petenda, quæ a tali Patre tales filios petere deceat : nempe bona cœlestia, et quæ ad e a conferunt.

Q. Cur præcipit Dominus ut cum pronomine plurali dicamus *Pater noster ?*

R. Non ideo quia nos multos simul orare supponit ; nam paulo ante dixit, unumquemque etiam privatim in suo cubiculo orare debere ; — sed,

1° Ut agnoscamus infinitam ejus liberalitatem, qua, cum non habeat nisi unicum Filium naturalem, innumeros voluerit habere adoptivos : quos singulos amat et curat atque si soli essent.

2° Ut pronomine multitudinis *noster* indicet, quemadmodum Deum habemus Patrem, ita omnes nos esse fratres, sive divites, sive pauperes.

3° Ut amoris nos admoneat erga proximos, doceatque pro nobis mutuo orare : et quidem pro omnibus, justis et peccatoribus, amicis et inimicis : neminem excludendo, de nemine desperando... et implendo præceptum quod ipse constituit : *Orate pro persequentibus et calumniantibus vos* (Matth. V, 44). — Quæ tamen universalis charitas non obstat quominus pro amicis et benefactoribus nominatim oremus.

4° Ut doceat nos humilitatem : cum omnes ponamur coram Deo æquales, nec quisquam possit se super fratrem extollere ; debeatque rex orare pro mendico, locuples pro paupere, pro servo dominus.

5° Ut intelligamus, a nobis adoptivis filiis distingui unicum Filium Dei Jesum Christum, cujus proprium est dicere *Pater mi* .. Quanquam orationibus aliis seorsim dicere *Pater mi* nequaquam prohibemur.

Q. Cur addidit Dominus : *Qui es in cœlis ?*

R. Non quia Deus solummodo in cœlis est , cum sit ubique... sed,

1° Quia in cœlis peculiari modo regnat, suamque gloriam manifestat.

2° Ut mihi ostenderet Patris mei dignitatem ac potentiam : quippe qui in cœlo tanquam in aula gloriæ et in supremo throno residet ut Rex mundi, cujus potestati et imperio omnia subjacent.

3° Ut mihi reverentiam inderet et fiduciam : ostendendo mihi Patrem esse, non minus potentem quam benignum ut omnia concedat.

4° Ut cor meum a terrenis ad cœlestia erigeret.

5° Ut intelligam me esse exulem et peregrinum in terra.

6° Ut cœlestem puritatem, sine qua in cœlos non pervenitur, habere contendam.

7° Ut in oratione cœlestia bona respiciam ac petam.

Mystice, his verbis *qui es in cœlis*, mentio fit justorum, in quibus Deus per gratiam suam inhabitat, et qui propterea appellantur *cœli :* quales esse debemus omnes.

Sanctificetur nomen tuum.

Petitio prima , qua rogamus gloriam Dei : seu , ut Dei gloria in mundo reluceat, ut Deus qualis est inter homines cognoscatur, sancteque colatur, ac digne glorificetur ab omnibus.

Sanctificetur, id est, vi vocis, *sanctum prædicetur*, sancteque celebretur.

Nomen Dei hic intelligitur Deus ipse , ut inter homines noscitur ac nominatur ; nec non Dei attributa, et quidquid de Deo agnoscimus.

Illud : *Nomen tuum* , sensu exclusivo intelligendum est , quasi diceretur : Sanctificetur nomen *tuum*, Deus, non *nostrum : Quia exaltatum est nomen tui solius.* Ps. CXLVIII.

Q. Cur potius dixit Dominus *nomen tuum* , quam *majestas tua*, vel *tu ?*

R. Quia *nomen Dei* latius extenditur : comprehendit enim non

tantum Deum ipsum ejusque majestatem ; sed etiam quidquid cum Deo conjungitur, aut ab ipso sicut lux a sole dimanat : ut lex Dei, templa ejus, ministri ejus .. quæ cuncta venerabilia, gloriosa ac *sancta* haberi decet.

Q. Cur potius dixit *sanctificetur* quam *magnificetur*, *glorificetur*, aut *laudetur* nomen tuum ?

R. 1° Eo quod *sanctitas* sit attributum maxime Deo pretiosum, quod præ cæteris ipsi gratum est ac gloriosum prædicari. Quapropter in aula cœlorum ei Cherubim ac Seraphim incessabili voce proclamant : *Sanctus*, *Sanctus*, *Sanctus*, *Dominus Deus sabaoth !*

2° Eo quod sub hoc respectu ac nomine vult homines sui fieri imitatores : *Sancti estote*, *quoniam ego sanctus sum.* Levit. XI, 44.

Q. A quibus sanctificandum petimus nomen Dei ?

R. A nobis et ab omnibus : tum Angelis ac Beatis in cœlo ; tum hominibus in terra, sive fideles sint, sive infideles : imo ab ipso Deo. Nam sanctificat etiam Deus ipse nomen suum, ubi novis magnisque operibus sese declarat hominibus ; facitque ut hi agnoscant misericordiam suam, justitiam, sanctitatem ac majestatem.

Q. Quid sanctificatio nominis Dei practice continet ?

R. Ut Judæi et Gentiles convertantur, hæretici reducantur, peccatores pœnitentiam agant ; justi demum pie sancteque vivant, Deoque assidue benedicant ac gratias agant.

Etenim huc etiam gratiarum actio pertinet : petimus enim ut Deus simpliciter in omnibus laudetur ; adeoque ut illi omnia bona referantur accepta, ejusque in omnibus beneficia grato animo agnoscantur.

Huic sanctificationi nominis Dei opponitur ejusdem pollutio vel profanatio, quam Scriptura tribuit pravæ eorum vitæ qui Deum cognoscunt, et se profitentur populum Dei.

Petitur demum hac oratione sanctificatio nominis Dei perfecta, ea videlicet quæ inchoatur in hac vita, perficietur autem in æterna vita : quando non sanctificabitur nomen Dei creditum, sed Deus ipse spectabilis. *Beati qui habitant in domo tua, Domine : in sæcula sæculorum laudabunt te.* Ps. LXXXIII.

Adveniat regnum tuum.

Secunda petitio, qua precamur ut gloriosum Patris nostri regnum adveniat, nosque illo beate fruamur.

Q. Quodnam Dei regnum hic intelligitur ?

R. Principaliter regnum gloriæ, secundario etiam regnum gratiæ, nequaquam vero regnum naturæ.

Triplex enim distinguitur Dei regnum :

1° Regnum naturæ, seu universale : quo Deus mundi universi quem creavit, supremus est Dominus, rerumque ordinem potestate summa mirabilique providentia sustentat, regit ac moderatur, suos ad fines cuncta perducens. — De hoc Dei regno non petimus ut adveniat ; existit enim et perdurat ab initio creationis : *Regnum tuum regnum omnium sæculorum.* Ps. CXLIV.

2° Regnum gratiæ est illud, quo Deus in servis suis, et servi Dei in ipso regnant per gratiam. Scilicet per gratiam, et per fidem, spem, charitatem aliaque Dei dona quæ ex gratia sequuntur, Deus ita regnat in animabus, ut animæ Deo tanquam Regi obediant, ejusque influxum in se suscipiant. Simul autem per eamdem gratiam animæ a servitute peccati liberatæ, in mundum, carnem et diabolum regnant ; non tamen omnino tranquille nec sine certamine.

Hoc regnum Dei vocatur ab Apostolo *justitia et pax et gaudium in Spiritu sancto.* Rom. XIV, 17.

Hujusmodi Dei regnum principaliter quidem internum est, in ipsis animabus absconditum : *Regnum Dei intra vos est* (Luc. XVII, 21) ; est tamen etiam externum, et corporalibus actibus manifestatur. Porro quatenus externum quoque est ac visibile, vocatur Ecclesia, regnum Dei in terris a Christo fundatum supra firmam petram, et inter hostes plurimos per gratiam permanens invictum.

Jam vero neque de isto regno Dei agitur directe et primario sensu in his verbis : *Adveniat regnum tuum.* Etenim -1) illud regnum gratiæ jam præsens est in multis, ideoque non simpliciter optandum est ut *adveniat ;* sed potius, ut augeatur et propagetur. -2) Quia idem continetur in subsequentibus, tertia, quinta et sexta petitionibus.

3° Regnum gloriæ est regnum Dei in cœlis : regnum pacatum prorsusque tranquillum ac perfectum, quo Deus in Sanctis, et Sancti in Deo beate et æternaliter regnant. — Inchoatur illud Dei regnum mox a morte in illis animabus, quæ reatus omnis expertes ex hac vita decedunt ; perficietur autem glorificatis quoque corporibus, in die resurrectionis. Tunc enim nihil, non tantum in animabus, sed neque in corporibus quidquam remanebit, quod Dei non sit : nulla peccati labes, nulla corruptio ; cum scilicet *corruptibile hoc induerit incorruptionem* (I Cor. XV, 53). Quare tunc Deus perfecte in Sanctis suis regnabit, tum singulis, tum universis, quando illos plenissime ut suos possidens, *erit ipse omnia in omnibus.* I Cor. XV, 28.

Hoc erit illud regnum Israel de quo quærebant discipuli : *Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israel ?* (Act. I, 6) ; et de quo Christus ipse dixit : *Cum videritis hæc fieri, scitote quoniam prope est regnum Dei.* Luc. XXI, 31.

De hoc beato Dei regno secunda hæc orationis Dominicæ petitio simpliciter ac primario intelligenda est : hoc regnum ut adveniat precamur. — Consequenti tamen sensu intelligitur quoque regnum gratiæ.

In eo autem quod dicitur *regnum tuum*, pronomen *tuum* innuit aliud existere regnum quod Dei non est : regnum nempe peccati et Satanæ. — Scilicet regno Dei opponitur Satanæ regnum, seu potius tyrannis quam exercet et exercere nititur in homines per peccatum : ipse *princeps potestatis aeris hujus... mundi rector tenebrarum harum* (Eph. II, 2 ; VI, 12). — Hoc simul oramus a contrario ut destruatur. Nisi enim deturbato prostratoque penitus inimico regno , non erit Dei regnum suis mnino partibus absolutum.

Id autem fiet, ubi advenerit regnum Dei in fine sæculorum. Tunc diabolus et angeli ejus, et quicumque fuerint partis illius, reprobi universi, non modo Dei regnum ac populum impugnare jam non poterunt ; sed redigentur etiam in scabellum pedum Dei, agnoscentque vel inviti magnum Regem , legibusque ejus coercebuntur, *pœnas dantes in interitu æternas, a facie Dei, et a gloria virtutis ejus*. II Thess. I, 9.

Dicendo igitur : *Adveniat regnum tuum*, oramus ut aboleatur regnum Satanæ, et solum Dei Patris nostri regnum obtineat.

Dum autem hunc in modum honori Patris nostri studemus, nobis ipsis maxime prospicimus ; quandoquidem nostra beatitudo æterna cum illo Dei regno conjuncta sit. Nam 1) ut filii et hæredes Dei, omnium bonorum ejus erimus participes. 2) Ut populus Dei, beatum illud regnum cum Deo Rege nostro constituemus : erit regnum Dei in nobis, idemque regnum nostrum in Deo : nos erimus corpus, ipse vero caput et anima. Itaque sicut per resurrectionem anima gloriose vivet in corpore , pariterque corpus in anima ; ita Deus in regno suo nos gloriose possidendo ac regendo, gloria sua et beatitudine replebit.

Hoc igitur gloriosum Dei nostrumque regnum, sancto desiderio expetimus et appellamus. Sicut olim in vetere Testamento justi ardenter appellabant adventum gratiæ Christi, orabantque ut veniret in carnem nos redempturus ; ita nunc postquam Christus redemptione peracta in cœlum adscendit , flagrantissimo desiderio appellare debemus adventum gloriæ ejus, *exspectantes beatam spem et adventum gloriæ magni Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi*. Rom. VIII, 23 ; Tit. II, 13.

Jam a fine transitur ad media perveniendi ad finem. Primum medium est ut Dei voluntas fiat.

Fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra.

Tertia petitio, qua precamur ut Dei voluntas quam perfectissime impleatur in terra.

Q. Quænam autem Dei voluntas hic intelligitur ?

R. 1° Voluntas *signi* : seu voluntas præceptiva et suasiva, quæ mandatis Decalogi, superiorum ordinationibus, obligationibus cujusque status, sanctisque inspirationibus atque exhortationibus continetur.

2° Voluntas *beneplaciti* : seu voluntas efficax et permissiva, qua varii eventus, et quæcumque res occurrunt nobis in via vitæ, fiunt vel permittuntur.

Jam vero petimus ut priori voluntati, præcipienti nempe et suadenti obediamus ; alteri vero, res quascumque facienti aut permittenti, voluntatem nostram sine murmuratione subjectam conformemque habeamus.

Quod dicitur *voluntas tua*, pronomine *tua* oppositio innuitur ad voluntatem contrariam ; ita ut implicite sic oremus : Fiat, Domine, voluntas tua, non mea propria, quæ perversa est ; non carnis, quæ adversus spiritum rebellat ; non mundi, quæ vana, non diaboli, quæ injusta est : sed tua voluntas fiat, quæ sola bona est, recta et sancta, omnisque bonæ voluntatis regula.

Q. Quare petimus a Deo ut sic voluntati ejus obsequamur ?

R. Quia in nostra potestate non est, ut illud absque gratiæ auxilio præstemus. Duo autem hic necessaria nobis sunt : 1° ut Dei voluntatem cognoscamus ; 2° ut eamdem amemus et impleamus. — Utrumque oratione petimus.

Q. A quibus voluntas Dei est facienda ?

R. A creaturis liberis, nempe ab hominibus in hoc mundo viventibus, qui eidem resistere possunt et sæpius resistunt. Precamur itaque, ut a nobis, omnibusque hominibus *in terra* degentibus, Dei voluntas fiat, idque perfectissime. Additur enim :

Sicut in cœlo et in terra : scilicet, sicut fit in cœlo ab Angelis et Sanctis, ita etiam fiat in terra a nobis. — Sicut fit in cœlo ab omnibus, ita fiat in terra ab hominibus omnibus, nec ullus sit qui Dei voluntati resistat ; — sicut fit in cœlo perfectissime, ita quoque in terra, quantum fert humana conditio perfecte impleatur.

Proprium namque omnium cœlitum est Dei facere voluntatem perfecte, prout de angelis legitur : *Benedicite Domino omnes angeli ejus, potentes virtute, facientes verbum illius, ad audiendam vocem sermonum ejus. Benedicite Domino omnes virtutes ejus, ministri ejus qui facitis voluntatem ejus.* Ps. CII.

Q. Cur Dominus ad exemplum angelorum nos provocat ?

R. 1° Ut ad perfectionem aspiremus et adnitamur, quamvis eam in hac vita attingere non possimus. Sanctum enim est hujusmodi desiderium, sancta proin Deoque grata petitio.

2° Ut incipiamus jam in hac vita mores induere cœlitum, inter quos brevi cooptandi sumus. Faciendo enim voluntatem Dei perfecte, efficimur in terra homines cœlestes, sicut Christus fuit : *Secundus homo de cœlo cœlestis* (I Cor. XV, 47). Porro Christus totus erat in perficienda Patris voluntate : *Meus cibus est ut faciam voluntatem ejus qui misit me... quia quæ placita sunt ei facio semper.* Joan. IV, 34 ; VIII, 29.

3° Ut Christiani intelligant, Ecclesiam terrestrem debere, quantum fert humana conditio, imaginem exhibere cœli : quippe quæ vere *domus Dei est et porta cœli.* Gen. XXVIII, 17.

4° Ut sciamus, non sufficere nobis voluntatem Dei facere qualicumque modo ; sed curandum quantum ex nobis, eam perficere sicut in cœlo.

5° Ut insinuetur nobis, per divinæ voluntatis impletionem, terram fieri similem cœlo : domum scilicet non tantum sanctitatis, sed etiam felicitatis. *Jubet*, inquit Chrysostomus, *hic degentes conversationem cum cœli habitatoribus habere communem ; et, antequam superna illa præstetur habitatio, cœlum quodammodo vult fieri e terra, aliosque nobis angelos terram monstrare.*

Unde e contrario etiam intelligitur, per divinæ voluntatis contemptum, terram fieri similem inferno.

Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie.

Quarta petitio, qua ea rogamus, quæ in hac temporali vita secundum corpus et animam nobis necessaria sunt aut utilia, ut possimus Deo servire : hæc enim significantur nomine *panis supersubstantialis.*

Ut autem rite petitio hæc intelligatur, singula verba perpendenda sunt.

Panis hebraico sermone significat *victum ;* quo nomine per synecdochen comprehenduntur quæcumque ad corporalem vitam transigendam sunt necessaria : amictus, habitatio, valetudo, etc.

Supersubstantialis, ἐπιούσιος, id est, ad substantiam ac sustentationem nostram sufficiens ; seu communis et *quotidianus*, ut juxta antiquiorem versionem legitur in Missali.

Porro *panis quotidianus* hic intelligendus est, tum secundum corpus, tum secundum animam. Uterque enim nobis ad Deo serviendum est necessarius, præcipue tamen cibus animæ ; quare Dominus dicebat Judæis : *Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam.* Joan. VI, 27.

Panis quotidianus *corporis*, ut dictum est supra, omnia subsidia corporalia complectitur ; sed sensu limitato. Illud enim duntaxat petitur, quo natura atque conditio nostra pos-

sit esse contenta : victus frugalis, moderatus, non delicatior neque copiosior, quique necessitati serviat non voluptati.

Panis quotidianus *animæ*, est panis Eucharisticus, aliaque spiritualia dona quæ ad animæ vitam conferunt, secundum viam providentiæ communem. Nam sicut non petitur abundantia bonorum corporalium, ita neque in ordine spirituali rogantur extraordinaria dona Dei, favoresve singulares ; sed hæc suavi ordinationi providentiæ relinquuntur.

Panem dicimus *nostrum* : non quasi noster sit proprio jure, quem scilicet Deus nobis debeat, sicut mercedem mercenariis : est enim vere donum Dei ; — sed -1) quia ad nostram necessitatem sublevandam destinatus est a Patre et comparatus. -2) Quia vi promissionis ac meritorum Christi noster jam est. -3) Ut doceantur omnes abstinere a furto et fraude, omnique re aliena, nihil appetendo nisi quod *suum* vocare possint. -4) Ut insinuetur, præter panem qui nobis convenit in hac vita, alium esse et meliorem in cœlo, de quo scriptum est : *Beatus qui manducabit panem in regno Dei !* Luc. XIV, 15.

Da. Hac voce fatemur, omnem vitæ nostræ sustentandæ rationem nobis ab almo Patre Deo esse : ab illo nos pendere, et gratuita ipsius beneficentia ali, sine qua nihil efficeret universa nostra industria.

Nobis. Hanc vocem addi voluit Dominus, -1) ut spiritu charitatis fraternæ petat quisque, non pro se solo ; sed pro omnibus hominibus, etiam inimicis. -2) Ut moneamur, res temporales a Deo dari homini, non pro se solo, sed etiam pro aliis ; ut scilicet eas pauperibus impertiat.

Hodie. Non dicit : Da nobis *hodie et cras ;* sed *hodie* tantum : -1) quia vult Deus ut quotidie eum rogemus panem, et sic orationem quotidie frequentemus. -2) Ut intelligamus, nos quotidie ab ipso pendere, sicut in vita ita et in victu. -3) Ut superfluam crastinæ diei sollicitudinem abjiciamus, sicut expresse monuit Dominus : *Nolite solliciti esse in crastinum : crastinus enim dies sollicitus erit sibi ipsi : sufficit diei malitia sua* (Matth. V, 34). -4) Ut cogitemus crastinum diem esse incertum, nobisque fortassis non futurum.

Q. An nunquam potest ad proximi diei necessitates oratio extendi ?

Resp. affirmative : dummodo non avaro, anxiove animo id fiat, nec eo minus oratio quotidie frequentetur. Hic autem præsertim oportet, ut orans sese divino beneplacito subjiciat ; resque tantum petat prout Patri visum fuerit, qui solus novit quid suis filiis in temporalibus istis sit utile.

Q. Si quis divitias consecutus est a Deo, quæ multis diebus sufficiant, an et ipse sic orare debet : *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie?*

Resp. affirmative : -1) Quia quæ a Deo accepit, a Deo conservanda sunt : quæ conservatio veluti continuata largitio est. -2) Quia præter bona realia, etiam petit personalia : valetudinem, etc. ; imo et spiritualia, quæ indies a Deo servanda vel reparanda sunt. -3) Quia non pro se solo, sed pro fratribus indigentibus orat.

Et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.

Quinta petitio, qua Deum rogamus ut nobis peccata nostra condonet, sicut nos condonamus proximis nostris offensas eorum.

Dimitte nobis debita nostra....

Q. Quænam sunt nostra erga Deum *debita ?* et quomodo ea nobis a Deo remittuntur ?

R. Debita nostra sunt delicta sive peccata nostra, ut apud Lucam (cap. XI) expresse dicitur. Vocantur autem peccata *debita*, quia illis obstricti tenemur Deo tanquam ære alieno, quod divinæ justitiæ erit solvendum nisi remittatur.

Porro, ut intelligamus qua ratione dimittat nobis peccata Deus, animadvertendum est, tria quædam in peccato distingui : -1) actum, quo peccatum committitur ; -2) culpæ maculam, quæ animæ inuritur ; -3) pœnam quæ meretur ; — quorum trium, actus transit, macula manet, pœna debetur. — Jam vero tunc plene dimittit peccatum Deus, quando actum habet eo loco ac si non fuisset ; maculam, restituto animæ nitore gratiæ, eluit ; et pœnam debitam remittit.

Cæterum solet Deus ita remittere peccatum, ut maculam culpæ quidem deleat, sed pœnam temporariam solvendam relinquat : ne parva habeatur culpa, si cum ipsa finiatur et pœna.

Dicendo itaque : *Dimitte nobis debita nostra*, precamur ut nobis Deus peccata nostra plene condonet, et remittat pœnarum quæ supersunt debita.

Veniam petimus peccatorum omnium, tum venialium, tum etiam mortalium. Et quidem hujus orationis vi directe condonantur pœnitentibus venialia ; mortalia vero non item. Respectu enim mortalium, gratia duntaxat conceditur, ut congruam pœnitentiam agendo remissionem in sacramento recipiamus.

Q. Quo sensu dicitur : *Sicut et nos dimittimus debitoribus nostris ?*

R. Ut similitudo hic affertur nostra erga proximos condonatio, juxta quam nobis a Deo condonari petimus ; quasi diceremus : Ecce, Domine, nos offensam remittimus fratribus ; tu similiter offensus remitte nobis, filiis tuis. — *Similitudo*, inquam,

enuntiatur, non æqualitas : leviora enim sunt debita fratrum nostrorum erga nos, quam nostra erga Deum ; et noster condonandi actus semper est imperfectus, Dei autem remissio quam imploramus perfecta est.

Eadem autem similitudine continetur *conditio*, qua Christus nos obstrinxit : ut peccatorum nostrorum veniam non impetremus, nisi prius ex animo proximis nostris veniam concedamus.

Q. Quænam sunt illa debita proximorum, et quomodo ea dimittere debemus ?

R. Sunt injuriæ vel offensæ quælibet, sive verbis, sive factis a quocumque homine nobis illatæ.

Has offensas condonare debemus quoad injuriam, non vero quoad damnum, si quod cum ipsa injuria fuerit conjunctum. — Porro condonatio injuriæ in hoc consistit, ut actum eo habeamus loco ac si non fuisset ; et vindictam non velimus, nec per nos, nec per alios, nec per ipsum Deum sumendam ; omnemque amaritudinem ex animo excludamus.

Hujusmodi condonatio potest esse simul interna et externa. De interna hic præcipue sermo est, et de animo quem oportet nos erga fratres afferre, dum cupimus Deo reconciliari. Hæc interna condonatio essentialiter requiritur, etiamsi inimicus in sua inimicitia persistat : semper enim sua animo erga fratres suavitas salva maneat oportet ; exterior vero non semper debetur, et a circumstantiis dependet.

Q. An osor pertinax, et nolens condonare, hac petitione sententiam contra se pronuntiat ? An mentitur ? An orationem Dominicam nequit utiliter recitare ?

R. Multi auctores aiunt hujusmodi hominem mentiri Deo, damnatoriam in se sententiam ferre, divinamque iram et ultionem in se ipsum invocare : unde sequeretur hunc hominem non posse jam orationem Dominicam recitare. — At, si rigoroso sensu hæc vera sunt, benignius tamen juxta Suaresium (1) intelligi possunt. Itaque,

1° Sententiam ille pronuntiat contra se, hoc sensu, quod fatetur obicem sibi esse quominus a Deo veniam accipiat ; quasi diceret : Veniam quidem a te, Deus, cupio obtinere : sed merito mihi denegas, quoniam et ego debitoribus meis non ignosco.

2° Non mentitur : quia non dicit, *sicut dimitto ;* sed, *sicut dimittimus :* quod, juxta S. Thomam, refertur ad Ecclesiam.

3° Utiliter omnino potest orationem Dominicam recitare : ut scilicet gratiam impetret odium deponendi. Oportet autem ut gratiam hujusmodi saltem velit accipere ; et se *dimittere*

(1) Tom. XI, tract. 4, lib. 3, *De oratione voc.*, cap. 7 et 8.

dicat *debitoribus* eo sensu, quod cupiat impetrare gratiam dimittendi.

Et ne nos inducas in tentationem.

Sexta petitio, qua gratiam postulamus ne a tentatione vincamur, aut in peccatum aliquod consentiendo tentationi incidamus.

Tentatio intelligitur proprie dicta, nempe sollicitatio ad peccatum. Duplex enim tentatio distinguitur : 1° tentatio *probationis*, de qua S. Jacobus scribit : *Omne gaudium existimate, fratres mei, cum in tentationes varias incideritis* (Jac. I, 2). — 2° Tentatio *perditionis*, de qua idem Apostolus ait : *Nemo cum tentatur, dicat quoniam a Deo tentatur. Deus enim intentator malorum est : ipse autem neminem tentat.* Jac. I, 13.

Causa scilicet tentationis hujusmodi pravæ, non est Deus, Pater noster ; sed hostes animæ nostræ : tum externi, diabolus et mundus ; tum interni, caro nostræ et concupiscentiæ pravæ, militantes adversus spiritum.

Deus, inquam, tentationem non movet ; sed justis de causis permittit : sive ut virtus nostra exerceatur et crescat, sive ut meritum augeatur. Quapropter non petimus oratione Dominica ut non tentemur ; sed ut tentationi non succumbamus.

Etenim illud : *Ne nos inducas in tentationem,* significat : Ne sinas nos intrare in tentationis laqueum, nec perduci in ejus terminum, qui est peccatum. — *Inducere* scilicet in tentationem, seu in tentationis lapsum, dicitur Deus : non quod ipse faciat ut succumbamus, qui nec peccati, nec sollicitationis ad peccatum auctor esse potest ; sed quod eas tentationes non avertat a nobis, in quibus prævidet nos lapsuros ; aut quod neget nobis efficacem gratiam suam, et illud peculiare auxilium, quo destituti tentationi consentiamus. — Non enim viribus nostris tentationes vincere valemus, nisi Dei manu juvemur : quemadmodum fere qui periclitatur in aquis, auxilio indiget et quidem opportuno, ne mergatur. Et sicut auxiliator, si a periclitante repulsus eum deserat, ipsumque sibi relictum mergi sinat, recte illum dicatur in mortem tradere ; ita Deus dicitur recte in tentationem ac peccatum inducere, dum ab homine gratiæ non cooperante gratiam retrahit.

Quoniam autem potest omnino Deus pro justitia sua permittere nos ita tentari, vel nostræ infirmitati nos ita relinqui ut superemur ; suppliciter petimus, ne agat nobiscum pro severa justitia ; sed nos ita præservet a tentationibus, vel ita in iis adjuvet, ut nulli *vel consentiamus decepti, vel cedamus afflicti,* ut loquitur S. Augustinus. Epist. 121, cap. 11.

Sed libera nos a malo.

Septima petitio : qua precamur ut ab omni malo, quod vere malum sit, a cœlesti Patre nostro liberemur.

Nomine *mali* intelligitur, vel *malum*, — vel *malus*, id est diabolus : genus enim vocabuli *mali* (græce, ἀπὸ τοῦ πονηροῦ) anceps est. Probabilius autem utrumque Dominus significare voluit. Illud enim *a malo*, simpliciter et absolute dictum, id omne complectitur quod vere contrarium ac nocivum nobis est respectu salutis ; et sequenti modo potest explicari.

Liberari petimus :

1° A dæmone, ejusque potestate ac servitute : ne vel in hac vita simus ejus mancipia, vel præda ejus efficiamur in futura.

2° Ab omnibus malis præteritis, præsentibus et futuris : tum æternis, tum temporalibus ; — tum culpæ, tum pœnæ ac pœnalitatis ; — tum animæ, tum corporis... quatenus liberatio hujusmodi ad animæ nostræ bonum confert. Oramus igitur Deum ut misericorditer nos liberet a peccatis præteritis, ab ignorantiis, erroribus, miseriisque præsentibus ; a peccatis futuris, a futura ira et damnatione æterna.

Ut patet, petitio ista duas petitiones præcedentes, quæ ad malum culpæ referuntur, amplitudine sua involvit ; sed ulterius sese extendens eis superaddit reliqua mala, nimirum mala pœnæ et pœnalitatis.

Porro petimus liberari ab omni malo, quatenus vere malum est, respectu salutis nostræ et gloriæ Dei. Quapropter aliter precamur de malis animæ, aliter de malis corporis : illa ut removeantur absolute ; hæc vero ut tollantur vel mitigentur tacita sub conditione, dummodo ad gloriam Dei animæque saluti id expediat. Corporales enim hujus vitæ calamitates non semper mala sunt ; imo potius ut pretiosa participatio nobis dantur crucis et calicis Domini. Quapropter de iis semper nostra deprecatio similis esse debet deprecationi Salvatoris : *Pater mi! si possibile est, transeat a me calix iste : verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu.* Matth. XXVI, 39.

—

Explicatio secunda.

Pater noster, qui es in cœlis.

His verbis orationem auspicantes admonemur divinæ præsentiæ ; simulque docemur, tum qualis Deus sit erga nos, tum quales nos erga Deum simus et esse debeamus.

1° Monemur divinæ præsentiæ : non enim alloquimur nisi præsentem. Et quamvis dicamus Deum esse in cœlis, novimus

tamen eum ita esse in cœlis, ut simul sit in terris et in omni loco præsens, nos videns atque audiens.

Hæc præsentiæ divinæ recordatio omnis orationis conditio est et clavis. Quapropter quicumque ad orandum accedit, sese in divina præsentia constituat : *Ante orationem præpara animam tuam.* Eccli. XVIII, 23.

2° Docemur quis et qualis sit Deus erga nos. Est Pater : paterno modo hactenus nobiscum egit ; nec aliter deinceps agere cupit, eritque nobis Pater in æternum : nisi a nobis cogatur fieri judex et ultor.

-1) Quomodo Deus hactenus sese nobis Patrem probavit ? Beneficiis innumeris, quæ sic recenseri possunt : -*a*) Amor, quo tenerrime nos dilexit : *In charitate perpetua dilexi te* (Jerem. XXXI, 3). -*b*) Creatio, conservatio, provida sustentatio in ordine naturali. -*c*) Redemptio, donum fidei et justificationis, peccatorum venia, sacramenta et media salutis innumera, æternaque gloria in cœlis parata. -*d*) Specialia dona educationis, vocationis, sanctificationis altioris... Adeo ut nullus parens terrenus, ad Patrem cœlestem comparatus, patris nomine sit dignus. Quo sensu Dominus dixit : *Patrem nolite vocare vobis super terram : unus est enim Pater vester qui in cœlis est.* Matth. XXIII, 9.

-2) Quid faciet in posterum ? Dummodo nos non derelinquamus Patrem, ipse custodiet nos usque ad sanctum exitum ex hac vita ; hinc introducet nos in domum suam cœlestem, et participes nos faciet hæreditatis æternæ : *Venite,* inquiet, *benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum.* Matth. XXV, 34.

3° Docemur, quales non erga Deum et oculis Dei simus atque esse debeamus. Scilicet,

-1) Filii Dei sumus, dignitate eximia ornati, ad grandia destinati...

-2) Esse debemus hoc nomine vere digni : *a*) Patris nostri cœlestis similitudinem præferendo... -*b*) Filialia officia erga Patrem explendo : officium amoris, - cultus, - obedientiæ, - zelique gloriæ ejus. *Meminisse itaque,* ait S. Cyprianus (1), *et scire debemus, quia quando Patrem Deum dicimus, quasi filii Dei agere debemus : ut quomodo nos nobis placemus de Deo Patre, sic sibi placeat et ille de nobis filiis.*

Sanctificetur nomen tuum.

Cur primo loco petimus sanctificationem nominis Dei ? e quomodo ad hanc sanctificationem cooperari debemus ?

1° Primo loco petimus sanctificationem nominis Dei, seu

(1) *In orationem Dominic.*

gloriam Dei, -1) quia finis ille noster est, ut et creaturarum omnium. *Omnia propter semetipsum operatus est Dominus* (Prov. XVI, 4). -2) Quia bonum illud est excellentissimum, quod appetere ac desiderare super omnia debemus. -3) Quia cum illo nostra quoque felicitas conjuncta est : qui enim sanctificant nomen Dei in hac vita, iidem sanctificabunt beate in futura.

2° Ad nominis Dei sanctificationem cooperari debemus in nobismetipsis et in aliis : -1) evitando id omne quod gloriæ Dei est contrarium : præsertim blasphemiam et scandalum. -2) Conferendo ad conversionem infidelium et peccatorum... -3) Promovendo in nobis et in aliis fidem, spem, charitatem, debitumque Dei obsequium. Præcipua enim Dei glorificatio in eo sita est, ut credamus quæ Deus revelat, speremus quæ promittit, impleamus quæ jubet, eum ex toto corde diligendo : talisque nostra vita sit ac talia opera, ut *qui ea viderint, glorificent Patrem nostrum qui in cœlis est.* Matth. V, 17.

Adveniat regnum tuum.

Quodnam Dei regnum votis nostris advocamus? — Regnum gratiæ et regnum gloriæ ejus, abolito regno peccati.

1° Petimus regnum gratiæ Dei : ut Deus scilicet per gratiam suam in anima nostra plane dominetur ; sedeatque in corde nostro tanquam in throno vivo, omnibus animæ nostræ potentiis, corporisque sensibus efficaciter imperans. — Beata anima quæ huic Dei imperio plane subjecta est ! Ipsa dicere potest cum Psalmographo : *Dominus regit me, et nihil mihi deerit.* Ps. XXII.

2° Petimus regnum gloriæ Dei quod ex regno gratiæ consequitur, et aliud non est quam æterna beatitudo in cœlis. — Hæc animabus sanctis advenit, statim ac per beatam mortem ex hac vita migraverint ; — adveniet autem corporibus simul et animabus, in die resurrectionis gloriosæ. — O Regnum vere beatum, pro quo mundi hujus diademata cuncta spernenda sunt ! O regnum immortale, a Patre cœlesti nobis paratum, et valde propinquum... omni cordis affectu appetendum, omni fervore apprecandum, omni studio prosequendum, omni pretio coemendum... omni demum labore ac violentia rapiendum : *Regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud.* Matth. XI, 12.

3° Petimus ut destruatur regnum peccati : quod regnum diaboli est ; quodque in peccato fundatum, per amorem proprium, concupiscentiam, variaque vitia exercetur... — Abolendum illud imperium est, ut in ejus ruinis stabiliatur regnum Dei. — Abolendum illud imperium est per fugam peccati, per pœnitentiam, mortificationem, assiduamque pugnam spiritua-

lem, cum auxilio gratiæ sustinendam. Hæc enim totidem media requiruntur, ne *regnet peccatum in nostro mortali corpore, ut obediamus concupiscentiis ejus.* Rom. VI, 12.

Fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra.

Petimus hic non aurum et argentum ; sed, quod pretiosius est et omne bonum continet, ut sanctissima Dei voluntas a nobis, in nobis, et circa nos perfectissime impleatur : atque ita unusquisque nostrum Dei Creatoris fini, consiliis, ac beneplacito circa ipsum, plenissime respondeat.

Ut autem Dei voluntas ita fiat, duo requiruntur : nimirum ut cœlestes spiritus imitemur, tum in divina voluntate exsequenda, tum in nostra voluntate cum divina conformanda.

1° Divinæ voluntatis executio. — Quomodo Dei voluntatem angeli et beatæ animæ in cœlo exsequuntur ?

-1) Integre, non dimidiatim aut partim ; sed ita ut nihil prorsus negligatur.

-2) Pure, intentione scilicet simplici Deo placendi.

-3) Prompte, velociter et exacte, absque tergiversatione aut mora.

-4) Libenter, cum amore et ex animo, absque murmuratione aut querela.

-5) Gaudenter, omnem voluptatem constituendo in Dei voluntate perficienda : quandoquidem illa sanctissima voluntas summum bonum creaturarum contineat.

-6) Fortiter, et ad finem usque constanter.

2° Conformitas cum divina voluntate. — Angeli et Beati divinam voluntatem in omnibus quæ fiunt in cœlo et in terra, intuentur, adorant, laudant et amant : utpote in omnibus sanctam, summeque amabilem. — Similiter nos in omnibus quæ accidunt in mundo, aut contingunt nobis, -1) divinam voluntatem intueri debemus, omnia vel efficientem, vel permittentem ac tolerantem ; -2) eamdem laudare et amare : eique voluntatem nostram ita conformare, ut unum velle et idem nolle cum Patre nostro cœlesti habeamus.

Panem nostrum supersubstantialem (quotidianum) *da nobis hodie.*

Petimus hic a Patre nostro cœlesti panem, tum corpori tum animæ nostræ necessarium. De utroque quæstio occurrit.

1° Cur docuit nos Dominus petere corporalem panem, eumque quotidianum duntaxat ?

-1) Voluit nos petere nostrum panem, id est, quæcumque corporali vitæ sunt necessaria : -*a*) ut intelligamus nos esse vere ejus filios, atque infantes parvulos, a Patre omnimodis in

nostra sustentatione dependentes, sine cujus providentia non possemus nostris viribus necessaria nobis comparare ; ideoque debere nos omnia bona temporalia ipsi referre accepta. -*b*) Ut non anxia sollicitudine circa res temporales turbemur : sed adhibita rationabili cura, exspectemus de cætero sustentationem nostram a Patre cœlesti, ea fiducia quæ de providentia ejus merito est habenda.

-2) Jubendo petere panem *quotidianum*, monet nos, ut desideria nostra moderemur, nec appetamus superflua... secundum illud Apostoli : *Habentes alimenta et quibus tegamur, his contenti simus.* I Tim. VI, 8.

2° Quisnam est panis animæ, quem a Deo petere debemus ? Est multiplex, nimirum :

-1) Panis eucharisticus : supplicamus scilicet Patri cœlesti , ut nos ejusdem sumendi dignos efficiat ; ac tales, qui sacramentaliter quotidie, aut saltem spiritualiter eum sumere possimus , ejusque fructuum fieri participes.

-2) Ipse Christus Dominus : quo per fidem, spem et charitatem anima fruitur. *Ego*, inquit, *sum panis vivus, qui de cœlo descendi.* Joan. VI, 51.

-3) Sunt gratiæ auxilia, quibus animæ vita spiritualis conservatur : in quibus numerantur sacramenta, doctrina et exhortationes, inspirationes et illustrationes internæ , divinorum mysteriorum intelligentia, panisque ille mysticus de quo ipse Christus dixit : *Cibus meus est, ut faciam voluntatem ejus qui misit me.* Joan. IV, 34.

Et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.

Quare Dominus docuit nos veniam petere peccatorum, idque quotidie? Et quare voluit ut testemur, nos ipsos condonare proximis ?

1° Docuit nos quotidie veniam petere peccatorum :

-1) Ut intelligamus, nos esse peccatores, et neminem quantumvis justum, a venialibus peccatis esse immunem.

-2) Ut nostram infirmitatem nostraque peccata confitendo sancte humiliemur.

-3) Ut fiduciam habeamus in divina misericordia, dum Patris nobis ostenduntur semper patere misericordiæ viscera veniam rogantibus.

-4) Ut sciamus peccatorum veniam a solo Deo esse impetrandam : nemo enim peccata dimittere potest nisi solus Deus.

-5) Ut consequamur gratiam ac donum spirituale magnum, in hac vita maxime necessarium, veniam scilicet peccatorum. Merito enim Augustinus docet, *nostram hujus vitæ justitiam,*

magis peccatorum remissione quam virtutum perfectione constare. De civit. l. 19, c. 27.

2° Voluit Dominus ut addamus : *Sicut et nos dimittimus debitoribus nostris :*

-1) Ut moneamur gravissimi præcepti charitatis fraternæ, et condonationis injuriarum.

-2) Ut inducamur efficacissime ad veniam ex animo concedendam fratribus : cum hæc sit conditio ponenda ut ipsimet a Deo veniam consequi possimus.

Et ne nos inducas in tentationem.

Quare Dominus hujusmodi petitionem circa tentationes nos docuit ?

-1) Ut moneat nos de infirmitate nostra, et de vigilantia adhibenda, prout alibi dixit : *Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem.* Matth. XXVI, 41.

-2) Ut fiduciam nobis addat, ostendendo inimicos animæ nostræ subesse potestati Patris nostri : *Qui non patietur*, inquit Apostolus, *vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum ut possitis sustinere.* I Cor. X, 13.

-3) Ut cautos nos reddat, ne, quantum ex nobis est, ulli tentationi vel periculo nos voluntarie exponamus : *Qui enim amat periculum, in illo peribit.* Eccli. III, 27.

-4) Ut insinuet, tentationes in hac vita necessarias esse et expedire nobis : dummodo juxta exemplum Christi, et cum constanti in ipso fiducia certemus. Quare dixit Apostolo Paulo : *Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur.* II Cor. XII, 9.

CANTICUM B. M. VIRGINIS.

Magnificat. Luc. I, 46-55.

46. Et ait Maria : Magnificat anima mea Dominum : — 47. et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo. — 48. Quia respexit humilitatem ancillæ suæ : ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. — 49. Quia fecit mihi magna qui potens est, et sanctum nomen ejus. — 50. Et misericordia ejus a progenie in progenies timentibus eum. — 51. Fecit potentiam in brachio suo : dispersit superbos mente cordis sui. — 52. Deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles. — 53. Esurientes implevit bonis, et divites dimisit inanes. — 54. Suscepit Israel puerum suum, recordatus misericordiæ suæ. — 55. Sicut locutus est ad patres nostros, Abraham et semini ejus in sæcula.

Explicatio prima (1).

Cum B. Virgo Maria ex angelo nuntiante audivisset, Elisabeth, Zachariæ sacerdotis uxorem, cognatam suam divina quoque virtute concepisse filium in senectute sua, et jam sextum graviditatis mensem agere ; hinc Deo placere intellexit ut illam visitaret. Volebat enim Deus hac visitatione nova operari mysteria, et Verbum suum incarnatum velut prævia luce humanis oculis manifestare : ideo innuit Virgini ut Elisabeth cognatam adiret.

Abiit ergo Maria festinans in Hebron, oppidum Zachariæ, et salutavit Elisabeth, ei sane de divinitus concessa prole congratulando. Insonante autem salutantis voce, necdum intellecto ab Elisabeth verborum sensu, infans Præcursor in utero matris a Spiritu sancto sanctificatus est et repletus. — Ipsa vero Elisabeth, eodem Spiritu sancto similiter repleta, Mariæ vicissim congratulari cœpit : alta voce manifestando, se esse divinitus consciam mysteriorum omnium quæ Mariæ contigerant, quæque hactenus nulli mortalium potuerat Virgo credibiliter aperire. *Benedicta tu*, inquit voce magna, *inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui. Et unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me ? Ecce enim ut facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultavit in gaudio infans in utero meo. Et beata quæ credidisti, quoniam perficientur ea quæ dicta sunt tibi a Domino.*

Audiens Maria et videns tot ac tanta Dei opera ; simulque humanam nacta personam a qua intelligi, et cui cor suum aperire posset ; Spiritus sancti instinctu, effudit se in laudes Dei ob Incarnationis mysterium, hunc hymnum elocuta.

Et ait Maria, inquit Evangelista ; nec addit, quemadmodum supra de Elisabeth, eam *Spiritu sancto repletam exclamasse :* ut intelligatur, Mariam ad hunc hymnum promendum nihil fuisse commotam a Spiritu sancto, quo dudum erat plena ; et cujus instinctu semper agebat et loquebatur ita suaviter, ac si natura duce operaretur.

Itaque Maria, Spiritu sancto incitante, et Filio dictante *ait*, id est, virginea modestia locuta est carmen istud, Dei Genitrice plane dignum : quo dum præconia Dei celebrat, nobis sanctissimam suam animam manifestat.

Primum est novi Testamenti canticum, quo lingua omnium purissima, gratiæ Deo aguntur de ineffabili beneficio Incarnationis, deque cœpta præstari salute mundi, quæ in vetere Testamento fuerat promissa.

(1) Patrizi, *De Evangeliis*, lib. III, dissert. XI. — Luc. Brug., Janssen., Maldonat. etc.

Est autem hymnus styli plane prophetici, constans omnibus partibus, laudum, vaticiniorum, interpretationum ; abundans affectibus, et ad veteres Annæ ac Davidis psalmos allusionibus. Ex quo intelligere licet quanta gratia Spiritus excelluerit Virgo, quamque fuerit in sacris Litteris versata.

Sermo est totius animæ : intelligentiæ credentis, et cordis fiducia atque amore exundantis.

Carminis Mariani argumentum, ex modo dictis jam perspicuum, est laus Dei ob mysterium Incarnationis, in utero Virginis ad salutem humani generis impletum.

Primo, per modum exordii, Virgo cor suum aperit abundans laudibus et gaudio sancto, ob Incarnationis mysterium : quod mente contemplatur, verbis vero generaliter duntaxat enuntiat. — Deinde expressius, mira tamen modestia idem mysterium celebrat, tanquam opus, tum insignis ac singularis gratiæ sibi ; tum ineffabilis misericordiæ omnibus hominibus. — Postea idem laudat ut opus potentiæ, quo revelantur consilia Dei, superbos humiliantis et exaltantis humiles. — Demum sic impletam proclamat promissionem Dei, qua Abrahæ promisit benedictionem, universo humano generi communicandam.

Quatuor itaque velut partes distingui possunt, quibus plures continentur laudationum tituli, prout infra singillatim indicabuntur.

I. *Laudans et lætabunda Incarnationis mysterium contemplatur.*
II. *Incarnationem celebrat ut mysterium misericordiæ.*
III. *Eamdem celebrat ut mysterium humilitatis.*
IV. *Eamdem celebrat ut opus benedictionis mundo promissæ.*

—

46. *Magnificat anima mea Dominum* : 47. *et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo.*

Angelus et Elisabeth electam Dei Genitricem laudaverant ; ipsa vero Maria, sepositis propriis laudibus, totam se convertit ad laudandum Deum, cui omnia refert accepta. Ex intimo, inquit, corde, ex omnibus animæ viribus laudo Dominum ; et gaudiis intra me gestio propter Deum Salvatorem meum.

46. *Magnificat*, i. e. magnum prædicat, laudibus exaltat anima mea Dominum. Respondet hæc vox operationibus Domini, quas Virgo contemplabatur : Dominus enim Virginem magnificaverat, eam magnam faciendo ; vicissim Virgo magnificat Dominum, eum magnum prædicando. — Eodem sensu dicit David : *Magnificate Dominum mecum, et exaltemus nomen ejus in idipsum.* Ps. XXXIII.

Magnificat *anima mea*, i. e. ego ; sed ego ex intimis animæ sensibus, omnibusque viribus Deum laudo : *anima*, inquam,

mea ; nec solum lingua, quæ non valet tantum exprimere, quantum anima cogitatione assequi. — Similiter David cantat : *Benedic anima mea Domino : et omnia quæ intra me sunt, nomini sancto ejus.* Ps. CII.

Magnificat anima mea *Dominum* : i. e. Deum trinum et unum, optimum, maximum, fontem omnis boni, cui honor et laus omnis debetur.

47. *Et exultavit*, seu *exultat*, i. e. lætatur vehementer. Gaudium amoris ac gratitudinis significat, quo anima extra se rapta in Deum fertur. — Similiter dixerat Anna : *Exultavit cor meum in Domino, et exaltatum est cornu meum in Deo meo... quia lætata sum in salutari tuo.* I Reg. II, 1.

Exultavit *spiritus meus*, i. e. eadem mea anima, spectata præsertim quatenus est affectiva. Etenim *anima magnificans* ad intellectum, *spiritus exultans* magis ad voluntatem et affectum referri videtur. Quamquam amplior etiam hic latet sensus. Nam cum *anima* dici soleat in quantum est vita corporis, *spiritus* autem in quantum est substantia spiritalis et circa spiritalia versatur ; significat Virgo, totam animam suam quanta quanta est, omnesque animæ suæ vires, tum superiores præcipue, tum etiam inferiores, ferri ad magnificandum Dominum, et ad gaudendum in eo.

In Deo, i. e. de Deo et propter Deum. Motivum et objectum gaudii sui proclamat, non tam Dei dona, quam donorum omnium auctorem Deum, quem propterea vocat *salutare suum.*

In Deo *salutari meo*, i. e. Salvatore meo, similiter dixit propheta Habacuc : *Ego autem in Domino gaudebo , et exultabo in Deo Jesu* (Salvatore) *meo* (Hab. III, 18). — Illud *salutaris* est epitheton Deo proprium, in quantum est auctor salutis et gratiæ.

Dominus potentiam, ait Augustinus, *salutaris* misericordiam notat. Ad utriusque contemplationem Mariæ mens elevata , hinc Omnipotentis majestatem intuendo, hinc ejus beneficentiam : tum intellectu tum affectu tota in Deum fertur. Simul autem innuit, ex una parte Deum esse metuendum , ex altera vero, eum esse amore dignissimum.

In Deo, inquit, *salutari meo*. Quamvis Deus omnium sit Salvator, peculiariter tamen eum vocat Salvatorem *suum* Maria, 1° more prophetarum, ex amoris gratitudinisque vehementia ; 2° quia salutis, quam per ipsam Deus operari cœperat, ipsa imprimis erat et abundantius particeps.

48. *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ.*

Incipit recensere laudandi Dei titulos seu motiva : et imprimis beneficia sibi Virgini propria. Beneficium primum est, quod

ipsam Deus, etsi hoc honore undequaque indignissimam, dignatus est exaltare. *Respexit*, inquit, *humilitatem ancillæ suæ*: id est, infimam inter ancillas suas benignis ac beneficis oculis intueri non dedignatus est.

Respexit: figurata hæc locutio est et valde delicata, beneficentiam Dei significans. Non exprimit quidem Virgo quo beneficio a Deo affecta sit: tum quod Elisabeth id sciret, tum quod præ studio humilitatis malit id animo contemplari, quam eloqui lingua. Intelligit autem sui electionem in Matrem Dei.

Respexit *humilitatem ancillæ suæ*, i. e. ancillam humilem respexit Deus. — Se vocat *ancillam* respectu summi Domini, cui omnia serviunt: nec ancillam qualemcumque, sed *humilem*, i. e. conditione vilem et abjectam, omniumque infimam.

Humilitas itaque hoc loco non virtutem significat, sed vilitatem conditionis: qualis est conditio creaturæ comparatæ Deo, vel pauperis diviti. Eodem fere sensu dicit Apostolus: *Qui reformabit corpus humilitatis nostræ* (Phil. III, 21), i. e. corpus nostrum, nunc vile et ignobile, Christus glorificabit. — Opponit scilicet Maria hanc vilitatem suam, tum majestati Dei, a quo respecta, tum dignitati Matris Dei, ad quam evecta est. Respectam se prædicat quamvis vilem, abjectam et indignam.

Non ergo dicit Virgo, se ob profundam animi humilitatem a Deo respectam fuisse et electam. Re quidem vera, incomparabili humilitate fuit prædita, qua Dei oculos in se convertit eique mirifice placuit, et ob quam præ cæteris virtutibus judicata est digna quæ fieret Mater Filii Dei: non tamen hanc rem prædicat, sed conditione humilem se agnoscit. Quod dum facit, quanta humilitatis virtute intus ornata sit manifestat. Quare recte Cajetanus notat, hic a B. Virgine virtutem humilitatis non significari voce, sed exerceri opere.

Etenim his verbis Maria se ipsam coram Deo vilem æstimat nulliusque meriti; adeoque indignam, *negative* tamen, respectu Dei se fatetur: quomodo solent justi exiguitatem suam et indignitatem fateri, præsertim quando cum divina illa Majestate loquuntur. Sic Abraham (Gen. XVIII, 27) se pulverem et cinerem esse dicit coram Deo.

Nimirum considerat B. Virgo se ipsam qualis est oculis Dei, ex se et ex natura sua: præscindendo a supernaturalibus Dei donis, quibus se ornatam esse nequaquam ignorat. — Ex se, oculis Creatoris non aliud est quam *nihilum*, merum nihilum, Dei beneficio indutum existentia. — Ex natura sua, est filia Judæ ignobilis, opibus ac dotibus, saltem ut ipsa reputat, inferior reliquis filiabus Judæ. — Nullum itaque in se meritum agnoscit, et soli Dei misericordiæ acceptum refert sui exaltationis beneficium: in quo quidem tanto magis elucet divina

potentia et bonitas, quanto abjectior est persona quæ evehitur. — Hoc itaque sensu se infimam Dei ancillam vocat. Inferius autem descendere, et se vocare peccatricem ac *positive* indignam non poterat : cum rei veritas obstaret.

Porro alludit Virgo ad ea loca Scripturæ, quibus excelsus Dominus humilia respicere perhibetur. *Humilia respicit in cælo et in terra : suscitans a terra inopem*... Ps. CXII.

Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.

Secundum B. Virgini proprium beneficium : ab eo tempore quo Deus ipsius humilitatem respicere dignatus est, omnes hominum generationes, quamdiu mundus stabit, beatam ipsam ac beatissimam prædicabunt.

Ecce enim... Mirabunda effectum declarat aspectus Dei in se : scilicet mirabilem innuit conversionem, qua prius ignota et ignobilis, posthac omnium ore prædicabitur.

Ex hoc... puta ex hoc tempore quo respexit me. — Beatitudinem suam non adscribit fidei suæ, ut Elisabeth ; sed aspectui ac misericordiæ Dei. Respicere enim videtur ad verba Elisabeth, quæ dixerat : *Beata quæ credidisti* .. (supra, versu 45).

Beatam me dicent.... quippe evectam ab humilitate ancillæ ad dignitatem Matris Dei, ac proinde ad gloriam Reginæ cœli et terræ, denique ad summum beatitudinis gradum.

Omnes generationes, nempe in Christum ipsius Filium credituræ. — Prædicit, omni deinceps ætate fore homines in Christum credentes, ideoque Christi Matrem glorificantes. — Hic animadvertere licet quam clare intellexerit firmiterque crediderit Virgo, quæ sibi dixerat angelus : fore ut filius ejus, qui simul esset Filius Dei, *regnaret in domo Jacob in æternum*. Hinc enim cognovit, se quoque per omnia sæcula regnaturam, fore gloriosam ac beatam, et pro hujusmodi habendam.

Porro hanc suam futuram gloriam declarat, non quod inaniter de suis laudibus gaudeat ; sed -1) ut magnitudinem commendet accepti a Deo beneficii, quod sæculis omnibus futurum sit memorabile ; -2) ut lætetur de gloria Dei et lucro animarum, quæ ex suis præconiis orientur.

Quam copiose hoc Mariæ vaticinium impletum sit et porro impleatur, luce meridiana est evidentius.

49. *Quia fecit mihi magna qui potens est et sanctum nomen ejus.* 50. *Et misericordia ejus a progenie in progenies timentibus eum.*

Tertium beneficium B. Virgini proprium, tertiaque causa Deum magnificandi. Deus operatus est in ipsa mysteria magna :

miracula potentiæ et sanctitatis, quæ simul opus sunt misericordiæ, omnibus hominibus communicandæ : Fecit, inquit, mihi magna ille qui potens est, cujus nomen sanctum est, et cujus misericordia perpetuo est parata omnibus quotquot eum timere voluerint.

Quia... Causam reddit cur beata sit prædicanda : non quod ipsa fecerit magna, sed quod fecit ipsi magna Deus, cui omnia debentur accepta.

Magna, seu *magnalia*, intelligit inaudita, stupenda, et omnes naturæ vires superantia. — Porro quæ sint *magna* hæc, iterum reticet ; innuit autem duo præcipua : maternitatem virgineam ac divinam, et gratiarum apparatum tantis mysteriis congruentem : seu, unum, quod Deus fecerit eam Matrem Filii sui, idque virtute Spiritus sancti sine opera virili ; alterum, quod gratiarum plenitudine, inde ab ipsa immaculata Conceptione, eam sanctissimam anima et corpore reddiderit, dignamque quæ Sancti Sanctorum foret Mater.

Hæc duo, inquam, *innuit*. Nimirum addendo, *qui potens est et sanctum nomen ejus* : id est, ille qui est potens magna operari ; et cujus nomen est sanctum, qui est ipsa sanctitas, sanctitatisque operibus notissimus. — Etenim Deus, qualenus *potens est*, fecit opus potentiæ, in quo tota ratio facti est potentia facientis : nempe Verbum suum ex Virgine incarnando ; quatenus *sanctus*, fecit opus sanctitatis, Virginis corpus et animam in dignum Dei habitaculum præparando. — Hæc eadem jam supra respexisse videtur Maria, vocando Deum tum Dominum, tum salutarem suum.

Porro idcirco de his duobus loquitur, quia cum sciret ob utrumque se prædicandam esse beatam inter Christianos, utrumque vult in Deum referri : qui ita in ipsam exercuit omnipotentiam et sanctitatem, ut non tam ipsa quam ipse ab omnibus generationibus laudari mereatur.

Addit autem : *Et misericordia ejus a progenie in progenies timentibus eum* : ut significet, illud opus potentiæ et sanctitatis esse etiam opus misericordiæ, omnibus hominibus communicandæ. Sensus est quasi diceret : Magna mihi fecit ille cui propria sunt opera omnipotentiæ et sanctitatis, quique misericordissimus est omnibus timentibus se.

Et misericordia ejus... Intelligit Virgo, -1) non mirum esse quod tantam erga se misericordiam exercuerit, cum soleat per omnes ætates benefacere timentibus eum ; -2) mysterium Incarnationis esse fontem divinæ misericordiæ, omnibus hominibus paratum.

Timentibus eum : nempe mandata ejus servantibus et eum offendere timentibus. Aliis quidem etiam benefacit, sed non

perinde in bonum ipsis vertuntur beneficia. — Annumerat se ipsa Virgo timentibus Deum : quæ non est oblivio humilitatis, sed professio virtutis. — Respicit autem ad verba Psalmi CII : *Misericordia Domini ab æterno et usque in æternum super timentes eum.*

Hactenus Incarnationem spectavit ut opus misericordiæ ; jam idem considerat ut opus justitiæ et mysterium humilitatis : i. e. ut opus, quo humilitatis pretium oculis Dei, Deique judicia tum circa superbos tum circa humiles manifesta fiunt. Hinc sequitur; ut sicut in præcedentibus misericordia, ita in sequentibus magis justitia prædicetur.

51. *Fecit potentiam in brachio suo : dispersit superbos mente cordis sui.* 52. *Deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles.* 53. *Esurientes implevit bonis, et divites dimisit inanes.*

Novos laudationis titulos in eodem Incarnationis mysterio prædicat : per illud enim justissimam suam potentiam Deus exercet in mundo, humiliando superbos, et humiles exaltando.

Fecit, inquit, *potentiam in brachio suo :* id est, magnam exercuit potentiam, omnino propriam brachio Excelsi : suum velut brachium sustulit, tum ad auxiliandum, tum ad percutiendum.

Quodnam autem exercitium divinæ potentiæ respicitur? -1) Illud quo populum Israel olim liberavit a servitute Ægypti, et introduxit in terram promissionis. -2) Illud præcipue quo nunc humanum genus a servitute diaboli liberat, et cujus antiqua illa fuere figuræ : nempe Incarnationis mysterium, quod *opus potentiæ* per excellentiam hic Virgo appellat. — Et eo quidem aptius hac loquendi formula utitur, quod Isaias quoque Christum *brachium Domini* appellet (Isai. LIII, 1), et Paulus *Dei virtutem*. I Cor. I, 24.

Quosnam autem Deus potenti brachio attinget ? Superbos et humiles : illos severissime castigando, istos vero bonis cumulando.

Dispersit superbos mente cordis sui : id est, eos qui superbe adversus ipsum ejusque servos se erigunt, disperdidit, eorum machinas dissipando, cogitationes et consilia reddendo inania.

Hic Maria respicere videtur, -1) inimicos populi Israel quos commemorat Scriptura : præcipue Ægyptios superbos et obduratos, quos *in manu forti et brachio extento* (Deut. V, 15) submersit mari rubro. -2) Sensu spirituali designantur quoque futuri hostes Christi, et signanter Judæi : qui cogitatione cordis seu animo superbi, et ex superbia increduli, dispersi sunt per orbem terrarum.

Propter quæ cuncta Deum magnificat Maria, quia in operibus justitiæ non minus sanctus ac laudabilis est quam in operibus misericordiæ.

52. *Deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles ;* — 53. *Esurientes implevit bonis, et divites dimisit inanes.* — Continent hi versiculi duplicem actum justitiæ Dei, cum actu misericordiæ conjunctum : scilicet dicitur humiliare potentes, et exaltare humiles ; — ditare pauperes, et divites spoliare.

Porro *potentes*, seu dynastæ, principes, et *divites*, generatim intelliguntur illi magnates, qui Deum non timent, bonis hujus mundi loco Dei servientes ; *humiles* vero et *esurientes*, quilibet hujusmodi bonis destituti, dummodo Deum timeant.

Idem scilicet Maria significat, quod postmodum Filius ejus aliis verbis pronuntiavit, dicens : *Omnis qui se exaltat humiliabitur, et qui se humiliat exaltabitur* (Luc. XIV, 11). — *Beati pauperes, quia vestrum est regnum Dei. Beati qui nunc esuritis, quia saturabimini.... Væ vobis divitibus, quia habetis consolationem vestram. Væ vobis qui saturati estis, quia esurietis* (Luc. VI, 20 seq.). — Idem, quod ipsa Virgo in Prophetis legerat : *Repleti prius pro panibus se locaverunt, et famelici saturati sunt... Dominus suscitat de pulvere egenum, et de stercore elevat pauperem : ut sedeat cum principibus, et solium gloriæ teneat* (I Reg. II, 5 seq.). — *Suscitans a terra inopem et de stercore erigens pauperem, ut sedeat cum principibus, cum principibus populi sui* (Ps. CXII). — *Divites eguerunt et esurierunt : inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono.* Ps. XXXIII.

Divites supponuntur mali, et pauperes boni ac timentes Deum : quia tales esse solent, suaque conditione facile tales fiunt. Scilicet qui honores, divitias hujus mundi possident, iisdem interne loco Dei plerumque serviunt, mundano spiritu, quem mundana bona suscitant, animati. E contra, qui hujusmodi bonis carent, bona superna quærere solent, Deoque soli servire : spiritu timoris Domini, quem humiliationes fovent, animati.

Quinam autem nomine potentum ac divitum, humilium et egenorum in particulari designantur ?

1° Sensu litterali potissimum respici videntur exempla, quæ Virgini ex Scripturis erant cognita : quales sunt ex una parte, Saul, Nabuchodonosor, Aman, Vasthi, regesque Chananæi e throno et divitiis ejecti... ex altera, David, Daniel, Esther, Mardochæus, et Israelitæ humiles, e servitute Ægypti, e deserto arido ac sterili deducti in terram lacte et melle manantem.

2° Sensu spirituali designantur, ex una parte, tum potentes

ac superbi principes tenebrarum, in hoc mundo dominantes tum homines quilibet, superbiæ spiritu ducti, aut mammonæ servientes : Judæorum nominatim Scribæ et Pharisæi, horumque usque ad finem sæculorum successores : qui omnes per Christum humiliabuntur. — Ex altera parte, significantur pauperes spiritu, esurientes justitiam, mites et humiles corde : Apostoli, omnesque Christi discipuli : qui per Christum gloria bonisque omnibus implebuntur, sive in hac, sive præsertim in altera vita.

54. *Suscepit Israel puerum suum, recordatus misericordiæ suæ.* 55. *Sicut locutus est ad patres nostros, Abraham et semini ejus in sæcula.*

Dupliciter hi versus exponuntur, prout ultima verba, *Abraham et semini ejus in sæcula*, referuntur ad *misericordiæ suæ*, vel ad *locutus est*. Itaque 1° sic sententia intelligi potest : Suscepit salvandum Israel servum suum, recordatus misericordiæ suæ, Abrahamo et posteris ejus, qui usque in finem sæculorum duraturi sunt, præstandæ : sicut promisit patribus nostris. — Vel 2° sic : Suscepit Israel salvandum, recordatus misericordiæ suæ, quam locutus est et promisit patribus nostris, Abrahamo et posteris ejus per multa sæcula. — Scilicet verbum *locutus est*, græce et latine utrumque casum regit ; et hujusmodi casuum enallage seu permutatio, qualis hic occurrit, non est inusitata Hebræis (1).

Postquam dixit Virgo, Deum per Incarnationis mysterium fecisse magna suæ ancillæ, et fecisse potentiam in brachio suo ; nunc demum addit, per idem mysterium, seu per eamdem dispensationem, Deum suscepisse Israel prout promisit. Quo ultimo præconio duos iterum laudis titulos profert, qui sunt : Dei providentia singularis circa electos suos, ejusque veritas ac fidelitas in promissis.

Suscepit, inquit, *Israel puerum suum :* id est, adjuvit Israel electum populum suum, auxiliatricem ac beneficam manum ei admovit ; eum salvandum suscepit, sicut antea frequenter, ita et nunc : at nunc, præcipue et perfecte.

Israelis nomine intelligitur, -1) Israel secundum carnem, populus judaicus ; -2) Israel secundum spiritum, id est, omnes homines per Christum redimendi et in Christum credituri.

Israelem vocat *puerum* Dei, id est, servum, sed servum in familiam assumptum, qui Dominum suum agnoscit et colit, imo quasi in filium est adoptatus.

Recordatus misericordiæ suæ, id est, magnæ illius miseri-

(1) Cf. Psalm. CII, 18.

cordiæ seu benedictionis ac salutis, olim promissæ ; et cujus ob longam moram Deus videri poterat oblitus. Sensus itaque est : Salvavit Israel, implens tandem promissam pridem salutem. — Salus per Christum efficienda vocatur *misericordia*, quia gratis promissa fuit, præter hominum meritum, Deo miserente. *Causa reparationis nostræ non est nisi misericordia Dei*. S. Leo serm. 1 de jej.

Sicut locutus est, id est, quam misericordiam locutus est, vel quam promisit loquendo *ad patres nostros* : Abraham nempe, Isaac, Jacob, Davidem et prophetas. Hæc est misericordia promissa, quæ solet in Scripturis vocari *veritas*, ut in hoc loco : *Recordatus est misericordiæ suæ, et veritatis suæ domui Israel*. Ps. XCVII.

Abraham et semini ejus in sæcula. Hæc verba si ad misericordiam referantur, pleniorem faciunt sensum, indicando, per Christum salvandos, tum Abrahamum patrem credentium, tum quotquot, ejus fidem imitati, spirituales filii ejus sunt futuri. Abraham nominatur tanquam caput ; quia vero non ipsi soli promissa est benedictio seu salus, sed et posteris ejus, idcirco additur, *et semini ejus in sæcula* : nempe posteris, spiritualiter ex ipso per fidem orituris usque ad finem mundi.

Dicit itaque Maria Virgo, Deum laudandum esse ob mysterium Incarnationis : quo peculiarem misericordiam exhibet erga electum suum populum, et exhibebit erga omnes suos electos, quos nunquam derelinquet, sed suo tempore salvabit. — Addit autem ultimam Dei laudandi causam, ejus nempe in omnibus promissis fidelissimam veritatem : qua complectitur universa Dei beneficia, per Incarnationem Verbi in totum mundum, et in Ecclesiam militantem ac triumphantem effundenda per omnia sæcula sæculorum.

Explicatio secunda.

—

Magnificat anima mea Dominum.

Sicut Christus Dominus, æterna Sapientia, Magister noster factus est ; ita B. Virgo Maria, mirabili suo cantico velut prævia institutione nos erudiens, ad scholam Filii sui introducit.

Docet autem imprimis, tum officium laudandi Deum, tum modum quo Deum laudare debeamus.

1° Docet officium laudandi Deum. Dicendo enim, non *magnificavit*, aut *magnificabit* ; sed simpliciter : *Magnificat* anima mea Dominum, ostendit principale suum officium et perpetuam occupationem esse, Deum magnificare ac laudare : faciens jam

in terra, quod angeli perpetuo faciunt in cœlo. — Quod exemplum Matris suæ omnes Mariæ filii imitari debent : considerando -1) ad hunc finem se creatos esse, ut Deum laudent ; -2) idcirco evitandum esse quiquid Dei laudationi adversatur : peccatum, blasphemiam, etc. ; -3) Deum laudandum esse tota hominis vita : sive indirecte, nempe operibus ; sive directe, nempe verbis, seu laudatione proprie dicta....

2° Docet modum laudandi Deum : nimirum magnifice de Deo sentiendo, omnia ejus attributa extollendo, idque non tantum lingua, sed omnibus animæ facultatibus.

-1) Magnifice de Deo sentire, id est, magna imo immensa æstimare quæcumque ad Deum pertinent ; exigua vero et spernenda, quæcumque terrena sunt et mortalia.....

-2) Dei attributa extollenda sunt omnia : præsertim vero sapientia et omniscientia, bonitas ac sanctitas, omnipotentia....

-3) Ore quidem Deus laudandus est, magis tamen corde et anima : memoria... intellectu... voluntate...

Et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo.

His verbis docet nos Virgo, in Deo gaudendum esse ; simulque aperit, qua ratione perfecte in Deo gaudere possimus.

1° Exultare se dicit in Deo salutari suo : ut discamus gaudere, imo semper gaudere in Domino, secundum Apostoli monitum : *Gaudete in Domino semper : iterum dico, gaudete* (Phil. IV, 4). — Magna bona continet hujusmodi gaudium ; multa vero mala infert tristitia et animi dejectio.....

2° Exultare se dicit spiritu, non in quacumque hujus mundi prosperitate ; imo neque in dignitate sua Matris Dei... sed *in Deo salutari suo :* quo docet nos conditiones gaudii nostri, ut vere sanctum sit et perfectum. Scilicet,

-1) Gaudium nostrum non in creaturis, sed in Deo est collocandum ; neque in rebus corporalibus et fluxis, sed in spiritualibus quæ ad Deum pertinent...

-2) Nec magis collocandum est in nobis, quasi meritis nostris possideremus aliqua bona, etiam spiritualia ; sed in Deo, qui et illa donavit, et solus conservare potest.....

-3) Quamvis gaudendum merito sit in Deo, qua Creator noster est ; præcipue tamen gaudere decet in eo, quatenus Salvator et sanctificator noster est, nobisque salutem et salutis media paravit : *In Deo salutari meo.*

Quia respexit humilitatem ancillæ suæ.

Duplicem causam et originem divinorum beneficiorum insinuat : unam, eamque præcipuam, ex parte Dei ; alteram ex parte nostra.

1° Causa ex parte Dei est, quod benignis oculis dignetur

nos respicere ut benefaciat. Sic respiciendo justos in justitia conservat et promovet ; sic respiciendo peccatores ad pœnitentiam excitat. *Conversus Dominus respexit Petrum. Et recordatus est Petrus verbi Domini... et egressus foras flevit amare.* Luc. XXII, 61.

2° Causa ex parte nostra est humilitas : humilis nempe nostræ parvitatis ac miseriæ agnitio, qua ad divina dona percipienda disponamur. Porro,

-1) Nostra parvitas non tantum sita est in nostro nihilo, prout contingebat B. Virgini... sed præterea in peccatis nostris et abysso iniquitatis...

-2) Hanc si humiliter agnoscimus, respectum divinæ misericordiæ in nos convertemus : *Humilibus* enim *dat gratiam* (I. Pet. V, 5). *Quoniam excelsus Dominus, et humilia respicit ; et alta a longe cognoscit.* Ps. CXXXVII.

Quia fecit mihi magna qui potens est et sanctum nomen ejus.

Humili simul ac grato animo, Dei erga se beneficia Virgo prædicat : ut doceat nos Dei beneficia similiter agnoscere, et digna gratitudine compensare.

1° Quænam sunt Dei erga unumquemque nostrum beneficia ? — Omnia quæcumque bona habemus vel possidemus, sive in ordine naturæ, sive in ordine gratiæ, sive in ordine gloriæ : totidem sunt a Deo accepta beneficia.

-1) In ordine naturæ : cœlum et terra cum omnibus creaturis, tanquam habitaculum homini adornatum ; — existentia et vita nostra, — corpus cum sensibus, — anima immortalis cum facultatibus suis, — externa bona nostra. . totidem sunt dona Dei.

-2) In ordine gratiæ : destinatio ad æternam beatitudinem, — redemptio, — vocatio ad fidem, — educatio bona, — innumera salutis media, — innumeræ gratiæ speciales... totidem iterum dona Dei.

-3) In ordine gloriæ : æterna bona quæ speramus... gloria cœlestis, statim ab exitu ex hoc mundo animæ nostræ parata, — resurrectio carnis gloriosa in novissimo die... quanta dona Dei !

2° Quænam pro his gratitudo rependenda ? — Triplex : gratitudo cordis, oris, et operis.

-1) Corde Dei dona sunt agnoscenda, et recogitanda frequenter.

-2) Ore, gratiæ sunt agendæ Deo, præsertim in Missæ sacrificio.

-3) Opere, bene ac sancte omnibus Dei donis utendum est, nullis unquam abutendo ad peccandum....

Et misericordia ejus a progenie in progenies timentibus eum.

Ingentem hæc verba fiduciam spirant in Domino, simulque motivum indicant fiduciæ nostræ, nec non conditionem ex nostra parte afferendam, ut fiducia non sit inanis.

1° Motivum fiduciæ est misericordia Dei prorsus infinita, et quidem erga omnes homines quantumvis miseros. *Miserator et misericors Dominus : patiens et multum misericors. Suavis Dominus universis, et miserationes ejus super omnia opera ejus... Allevat Dominus omnes qui corruunt, et erigit omnes elisos* (Ps. CXLIV). — Omnibus dicit Christus Dominus : *Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis : et ego reficiam vos.* Matth. XI, 28.

2° Conditio ex nostra parte requisita, est timor Domini : *Misericordia ejus timentibus eum.* Scilicet oportet ut timeamus Deum offendere, et custodiamus mandata ejus : quod quidem ad justos pertinet et ad peccatores.

1) Justi in lege Domini fideliter perseverare curent...

2) Peccatores derelinquant viam pravam, et ingrediantur viam justitiæ....

Dispersit superbos mente cordis sui.

En tremenda Dei justitia erga superbos. — Duo hic circa superbiam ab humillima Virgine capere possumus documenta : in quo practice consistat superbia, et quomodo sit a Deo punienda.

1° Consistit in mente quæ adversus Deum se extollit :

-1) Ut non debite credat, submittendo intellectum verbo fidei, doctrinæ Ecclesiæ...

-2) Ut non obediat legi, sive divinæ sive ecclesiasticæ... adeoque cuivis auctoritati seu potestati rebellis est ; quæ rebellio est adversus ipsum Deum : *Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.* Rom. XIII, 2.

2° Punitio. Destruetur eorum superba cogitatio per humiliationem profundissimam, tum in hac vita, tum præsertim in futura.

-1) In hac vita, spiritus independentiæ retundetur per conscientiam, quæ legis obligationem etiam invitis inclamabit ; deinde per hujus vitæ adversitates, ac demum per mortem, quæ omnem superborum gloriam in pulverem dejiciet....

-2) In futura vita. Confusio suprema superbos manet, tum in inferno, coram omnibus damnatis ; tum in die judicii coram omnibus angelis et hominibus...

Esurientes implevit bonis, et divites dimisit inanes.

Quinam sunt illi *esurientes* implendi bonis, et illi *divites* dimittendi inanes?

1° Esurientes, puta beate esurientes, sunt,

-1) *Pauperes spiritu*, qui animæ suæ inopiam humiliter agnoscunt : nimirum peccata sua, — infirmitatem ac fragilitatem, — debilitatem in virtutibus, — et distantiam a gradu perfectionis in ipsis requisito.... Hujusmodi pauperes implebuntur bonis : *Quoniam ipsorum est regnum cœlorum.*

-2) Illi *qui esuriunt et sitiunt justitiam* : ardenti scilicet desiderio puritatem animi, humilitatem, charitatem, omnemque justitiam appetentes..... *ipsi saturabuntur* et implebuntur bonis : scilicet bonis gratiæ in hac vita, et bonis gloriæ in futura....

2° Divites e contra sunt :

-1) Quicumque suis oculis nulla re carent, et quasi locupletes sunt ; cum tamen magna animæ inopia laborent, gratiæ ac virtutum thesauris destituti. Talis erat ille angelus Laodiciæ Ecclesiæ, quem Christus in Apocalypsi sic alloquitur : *Quia dicis : Quod dives sum, et locupletatus, et nullius egeo ; et nescis quia tu es miser, et miserabilis, et pauper, et cæcus, et nudus.* Apoc. III, 17.

-2) Illi qui bonis hujus mundi inhærentes, iisque saturati et contenti, spiritualia bona neque æstimant, neque sectantur. Hi omnes viri divitiarum in hora mortis nihil invenient in manibus suis, et a Christo dimittentur his verbis : *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum.*

CANTICUM ZACHARIÆ.

Benedictus Dominus. Luc. I, 68—79.

Textus.	*Paraphrasis.*
68. Benedictus Dominus Deus Israel : quia visitavit et fecit redemptionem plebis suæ.	68. Laudetur ab omnibus Dominus Deus Israel : quia visitavit nos, populum suum, redimendo nos,
69. Et erexit cornu salutis nobis in domo David pueri sui.	69. Et suscitando nobis Regem salutiferum in familia David, servi sui dilecti. — Quod quidem fecit
70. Sicut locutus est per os sanctorum, qui a sæculo sunt, prophetarum ejus :	70. Sicut locutus est per os sanctorum ab antiquo tempore prophetarum suorum : dicendo,

71. Salutem ex inimicis nostris, et de manu omnium qui oderunt nos :

72. Ad faciendam misericordiam cum patribus nostris, et memorari testamenti sui sancti :

73. Jusjurandum quod juravit ad Abraham patrem nostrum, daturum se nobis :

74. Ut sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati, serviamus illi,

75. In sanctitate et justitia coram ipso omnibus diebus nostris.

76. Et tu, puer, propheta Altissimi vocaberis ; præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus :

77. Ad dandam scientiam salutis plebi ejus, in remissionem peccatorum eorum :

78. Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit nos oriens ex alto :

79. Illuminare his qui in tenebris et in umbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.

71. Salutem nobis fore e servitute ac potestate omnium inimicorum : salutem, inquam, ab ipso peragendam

72. Faciendo misericordiam patribus nostris promissam, et recordando testamenti sui sancti :

73. Nempe juramenti (1), quo juravit Abrahæ patri nostro, daturum se nobis,

74. Ab hostium servitute liberis, sine timore servire illi,

75. In sanctitate et justitia coram ipso omnibus diebus nostris

76. Et tu, puer, propheta Altissimi eris : nam præcursor Domini Salvatoris, parabis vias ejus

77. Docendo populum ejus salutarem pœnitentiam in remissionem peccatorum eorum, mox dandam eis

78. Per magnam Dei nostri misericordiam : qua visitavit nos de summo cœlo descendens ipse Deus Oriens :

79. Oriens, inquam, ad illuminandum eos qui in tenebris et in umbra mortis sedent ; ut sic illuminati dirigere queamus pedes nostros in viam æternæ beatitudinis.

---

(1) *Jusjurandum quod juravit*, est accusativus pro genitivo. Nam sicut græcum μνησθῆναι, ita et latinum *meminisse*, pro quo hic sumitur *memorari*, regit indifferenter genitivum et accusativum. Quod confirmat Syrus interpres, clarissime dicens : *Memorari testamenti sui sancti et jurisjurandi.*

Explicatio prima (1).

Sicut canticum *Magnificat* eximia quædam laus est ac gratiarum actio ob mysterium Incarnationis ; ita canticum *Benedictus* , et laus est similis, et prædicatio prophetica Messiæ ejusque Præcursoris. — Maria Virgo prima in terris propter beneficium redemptionis Deum laudat ; Zacharias sacerdos primus redemptionem hominibus prædicat ; ita quidem , ut filio suo Præcursori velut a longe famam conciliet et auctoritatem. qua post triginta annos ministerium suum obire possit.

Solemnibus in circumstantiis carmen istud Zacharias edidit. Dies enim erat circumcisionis Joannis Baptistæ : puer miraculo natus conspiciebatur , idemque divinitus inditum accipiebat nomen *Joannis* ; aderat vicinorum et cognatorum frequentia : cum ecce subito Zacharias pater, qui miraculo fuerat dudum privatus loquela, novo miraculo loquelam recuperat ; simulque Spiritu sancto repletus, mirantibus omnibus cœlestem incipit proferre sermonem. *Apertum est illico os ejus, et lingua ejus... et repletus est Spiritu sancto, et loquebatur benedicens Deum, et prophetavit dicens....* (Luc, I, 64, 67). Scilicet patri Præcursoris simul data est a Spiritu sancto facultas loquendi et donum prophetandi : quæ ambo mox exerens, palam erupit in Dei laudes, eum qui sequitur hymnum promens.

Argumentum. — Zacharias, Spiritu sancto illuminante, in puero Salvatoris præcursore ipsum Salvatorem videns propinquum, hujus adventum salutiferum celebrat ; atque ita quidem, ut brevi cantico epitomen quamdam omnium in Christo promissionum exhibeat.

Prædicat autem Christi adventum, tum in se spectatum, tum in ministerio Præcursoris : prophetando partim de Christo , partim de Joanne filio. — De filio suo futura prænuntiat : nimirum quid ministerii præstiturus sit advenienti Christo. — De Christo revelat mysterium, præsens quidem sed adhuc occultum, incarnationis Verbi in persona ejusdem Christi, cujus divinitatem ter enuntiat ; — dein prædicit futura beneficia quæ per eum contingent populo ; simul autem explicat promissa Patribus facta, et veterum prophetarum oracula : quæ omnia intelligenda esse ostendit de animarum imprimis salute, per remissionem peccatorum et sanctitatem vitæ consequenda. — Itaque duæ partes :

I. *De Christo.*
II. *De Christi præcursore.*

---

(1) Cf. Patrizi *De Evang.* lib. III, dissert. 14.—Luc. Brug., Maldon. etc.

68. *Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitavit et fecit redemptionem plebis suæ : 69. et erexit cornu salutis nobis in domo David pueri sui.*

Exordium a laude ob summum beneficium redemptionis, tandem concessæ per Christum.

Benedictus, inquit, *Dominus*... id est, benedicatur, laudibus celebretur ab omnibus hominibus. — Benedicunt enim Deo homines eum laudando ; Deus autem hominibus, benefaciendo.

Quod dicit, *Dominus Deus Israel*, solemnis est paraphrasis veri Dei, oppositi diis Gentium ; qua tamen eo magis hic utitur Zacharias, quod mens ejus sit loqui de redemptione Israelitici populi, juxta promissa Dei patribus, Abrahamo et Israeli, facta. — Causam tantæ laudis subjungit :

Quia visitavit (plebem suam) *et fecit redemptionem plebis suæ* : scilicet, visitavit eam in misericordia, et quidem insigniter, operando diu exspectatam redemptionem.

Metaphorice dicitur Deus *visitare* homines, quando exteriori aliquo opere, sive misericordiæ, sive justitiæ, præsentem se illis exhibet, eos nempe insigniter juvando vel puniendo ; præsertim si etiam mittat ad eos aliquem e servis suis. Sic, loquens de Moyse, ait : *Visitans visitavi vos, et vidi omnia quæ acciderunt vobis in Ægypto ; et dixi ut educam vos de afflictione Ægypti* (Exod. III, 16). — Intelligit autem Zacharias, quod nunc visitaverit Deus populum suum, non per prophetam aut angelum ; sed per se ipsum, juxta id quod promiserat : *Ecce ego ipse requiram oves meas, et visitabo eas* (Ezech. XXXIV, 11). — Visitandi igitur vocabulo, etsi obscurius prout tempus requirebat, significatur ipsa Dei, i. e. Filii Dei in carne præsentia : quæ visitatio, in utero Virginis inchoata, tamdiu duravit, quamdiu Verbum caro factum habitavit in nobis.

Hoc autem Incarnationis mysterium cognovit Zacharias, non ex uxore sua Elisabeth, multoque minus ex B. Virgine Maria ; sed ex revelatione Spiritus sancti, quam Maria in domo ejus cohabitans, inter cæteras benedictiones ipsi impetraverat.

Porro divinam hujusmodi visitationem esse misericordiæ, non justitiæ, declarat sequentibus verbis.

Et fecit redemptionem plebis suæ : id est, redemit eam a servitute Satanæ et captivitate peccati : quæ vera redemptio est, et cujus olim liberatio tum a servitute Pharaonis, tum a captivitate Babylonica fuere figuræ. — Porro *redemptio* stricte dicta, non tantum captivitatem respicit ; sed etiam pretium, quo soluto captivi redimuntur : quodque aliud non fuit quam mors et sanguis Christi : *Redemisti nos Deo in sanguine tuo.* Apoc. V, 9.

Deus dicitur redemisse *plebem suam*, i. e. populum Israel : quia genti Judaicæ directe promissa erat redemptio, inde ad omnes gentes promanatura. Quare Christus dicebat : *Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israel.* Matth. XV, 24. Dicitur autem, non *facturus*, sed *fecisse* redemptionem : ut narretur tanquam factum id, quod jam erat incarnato Verbo inchoatum. Nam etiam incarnatio Filii Dei, nativitas et cætera omnia quæ mortem ejus præcesserunt, contulerunt ad redemptionem nostram, sed quæ morte essent complenda.

Redemptionem magis declarat, addendo venisse tandem Redemptorem illum Regem, de stirpe David oriundum.

69. *Et erexit cornu salutis nobis* : id est, cornu salutare, seu salutiferum ; ut scilicet non solum nos liberet ab hostibus, sed etiam salutem felicitatemque afferat. — *Cornu*, i. e. robur, potentia, regnum, gloriosum regnum : intelligitur autem regnum cœlorum, quod Christus populo suo, utcumque nunc dejecto constituet. — At vero, quod suis salutare erit regnum, idem adversariis futurum est exitiosum.

Additur autem : *In domo David pueri sui*, i. e. in familia David servi sui, cui ob fidelitatem in regendo populo Israel, promissum erat fore ut regnum Messianum ex ejus posteritate oriretur. Alludere videtur Zacharias ad illud Psalmi CXXXI : *Illuc producam cornu David*, seu juxta versionem S. Hieronymi : *Ibi oriri faciam cornu Davidi.*

Benedicit ergo Zacharias Domino, quod misso in mundum Christo, non solum redemerit populum suum e captivitate Satanæ ; verum etiam adscripserit regno, cujus potentia defendetur a malis, et cujus prosperitate replebitur omnibus bonis.

70. *Sicut locutus est per os sanctorum qui a sæculo sunt prophetarum ejus.*

Incipit confirmare et explicare quæ de misso Redemptore enuntiavit. Respondet, inquit, hoc Dei beneficium promissionibus ejus, quas patriarchis olim fecit et per prophetas renovavit ac declaravit. Omnes enim prophetæ qui jam olim floruerunt, proxime vel remote Christi incarnationem, passionem et regnum, atque consequenter salutem populi Dei vaticinati sunt. Nam quid Deus locutus sit per os prophetarum, explicatur sequentibus, videlicet :

71. *Salutem ex inimicis nostris, et de manu omnium qui oderunt nos.*

Interpretatur hic Zacharias omnes illos prophetas, qui de liberatore Israeli mittendo, deque hostibus eorum vincendis loquuntur. Atqui nequaquam visibiles inimicos hic intelligit,

Romanos aut Græcos, quorum dominatu se liberandos Judæi carnales exspectabant ; sed spirituales, nempe illos a quibus per Christum sumus liberati : quique alii non sunt quam dæmones, mundus, caro, peccatum.

Per salutem ergo ex inimicis et odientibus, Israeli prophetarum oraculis promissam , Zacharias præcipue intelligit remissionem peccatorum per Christum præstandam. Quod confirmat Apostolus Petrus, de Christo dicens : *Huic omnes prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen ejus omnes qui credunt in eum.* Act. X, 43.

Atque ita Deus per prophetas olim locutus est redemptionem eam, quam nunc per Christum operatur.

72. *Ad faciendam misericordiam cum patribus nostris, et memorari testamenti sui sancti* : 73. *Jusjurandum quod juravit ad Abraham patrem nostrum...*

Clarius salutem Messianam explicat : hæc, inquit, erit illa misericordia, patribus tam pro se quam pro posteris quondam promissa ; et fidelis impletio fœderis sancti cum iisdem patribus initi, quodque jusjurandum est Abrahæ datum : seu, quod fœdus Abrahæ jurejurando firmavit. In Genesi enim legimus : *Per memetipsum juravi, dicit Dominus, quia fecisti hanc rem, et non pepercisti filio tuo unigenito propter me : benedicam tibi, et multiplicabo semen tuum... et benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, quia obedisti voci meæ.* Gen. XXII, 16.

Jam explicandum quid jurejurando contineatur. Juravit scilicet,

... *daturum se nobis*, 74. *Ut sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati , serviamus illi* 75. *In sanctitate et justitia coram ipso omnibus diebus nostris.*

Sensus est : juramento promisit nobis Deus, ut ex potestate inimicorum nostrorum spiritualium per gratiam Christi liberati, deinceps serviamus Deo sine timore illorum , utpote quorum vires fractæ sunt ; sancteque et juste vivamus oculis Dei, omnibus diebus vitæ nostræ.

Promisit itaque Deus, 1) liberationem ab hostibus , 2) sanctitatem, 3) securitatem perpetuam.

1) Quod dicit , *de manu inimicorum nostrorum liberati* , intelligitur liberatio, tum a peccato ejusque pœnis , morte æterna et temporali ; tum a peccati causis ac radicibus, diabolo , mundo et carne. Porro liberatio hujusmodi contingit nobis per Christum partim in vita præsenti, perfecte vero in futura.

-2) Inimicorum servituti pessimæ opponitur sanctum servitium Dei : *Ut serviamus illi in sanctitate et justitia...* Sanctitas et justitia perfectionem christianam significant : sanctitas respicit Deum, cujus cultus sanctificat colentem ; justitia respicit proximum : quasi alluderetur ad duas Legis tabulas, quarum prior complectitur officia pietatis erga Deum, posterior officia justitiæ et charitatis erga proximum.

Coram ipso referri potest ad *justitiam*, et tunc est justitia ac sanctitas vera, Deo probata, quæque talis sit oculis Dei, nec tantum oculis hominum : quo sensu Christus dixit : *Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus* (Matth. VI, 1). — Idem referri potest ad homines Deo servientes in hac vita ; tunc sensus erit : Ut serviamus Deo perfecte, cogitantes nos semper versari coram ipso, qui opera nostra omnia intueatur, et corda scrutetur. — Sensu ulteriori idem intelligi potest de servis Dei in vita futura, Deum scilicet facie ad faciem contemplantibus.

-3) *Sine timore... omnibus diebus nostris.* Hæc securitas iterum intelligitur, tum primario de vita præsenti, tum etiam de futura.

In præsenti vita per merita Christi et fidentes in ipso, servire possumus Deo sine timore peccati, puta anxio atque immodico ; sine timore mortis, ut quæ jam nocere nequeat ; sine timore pœnæ qui servorum est, cum amore autem Dei ac justitiæ, qui est filiorum. — Hæc omnia ad vitam in hoc mundo perfectam pertinent. *Aperte et breviter*, ait Beda, *quomodo sit Domino serviendum designat : videlicet, et in sanctitate ac justitia, et coram ipso, et omnibus diebus*. Hæc est vita sancta et beata sub regno salutifero Christi in hoc sæculo. At vero in sæculo futuro beatius et perfectius ab omni timore liberi, sub Christo Rege gloriæ vivemus *omnibus diebus nostris* : id est, per totam æternitatem, ubi nulla dies erit a Dei servitio et amore feriata.

Postquam adventum Christi, et ex eo proventura beneficia celebravit Zacharias, convertit sermonem ad filium suum, futurum adventus Christi præconem, et præparaturum homines ad eadem Christi beneficia recipienda.

76. *Et tu puer, propheta Altissimi vocaberis : præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus :* 77. *Ad dandam scientiam salutis plebi ejus, in remissionem peccatorum eorum.*

Puerum octiduanum alloquitur per apostrophen, prophetico more præ affectus vehementia, utque vividius adstantes doceat rem, scitu jam utilissimam : ad quid nempe destinatus

sit puer iste ; quanquam fortassis puer verba intellexit, ut multi sentiunt, eo quod usus rationis ei in utero datus permanserit.

Et tu puer, inquit, hodie tantillus, tu magnus eris, scilicet propheta ; nec, sicut reliqui, propheta Domini ; sed *propheta Altissimi vocaberis*, singulariter a Deo missus, prout scriptum est de te : *Ecce ego mitto angelum meum, et præparabit viam ante faciem meam* (Malach. III, 1). — Talis *vocaberis*, eris, et celebraberis publico testimonio ipsius Christi.

Congratulatur filio suo pater quod ipsi dabitur, non tantum in sanctitate et justitia Domino servire, sed etiam prophetam ipsius esse præcursorem. — Hæc omnia didicit a Gabriele : quæ autem minore tunc fide excepit, jam perfecte credens prædicat ut divina.

Præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus. En munus quod tanquam propheta puer obiturus est : præibit *ante faciem Domini*, id est, ante Dominum Deum in carne præsentem. Præibit ante Christum, instar nuntii præcedentis regem adventantem : tum ut annuntiet adventum ejus, tum ut receptionem præparet, præibit, sicut nunc nativitate, ita postea prædicatione, eum paucis mensibus præcedendo. — Præibit *parare vias ejus*, id est, ut præparet ac disponat mentes Judæorum ad Christum Salvatorem suum recipiendum. Prædicando scilicet Christi adventum, nec non pœnitentiam, baptismum, Spiritum sanctum et ignem, efficiet ut Domini persona, doctrina, disciplina et gratia non rudes prorsus atque abhorrentes hominum mentes offendant. — Hujusmodi autem præparationem explicat subjiciendo :

77. *Ad dandam scientiam salutis plebi ejus, in remissionem peccatorum eorum ;* quasi diceret : Parabis Domini vias docendo populum ejus, eique dando primam cognitionem eorum, quæ sub novo Testamento erunt necessaria ad remissionem peccatorum, adeoque ad salutem per Christum obtinendam — Quæ quidem revera implevit Joannes : docuit enim ineundam esse pœnitentiam, emendandam vitam, adesse Christum, Agnum Dei, qui pœnitentibus dimittit peccata et regnum cœlorum aperit, obduratos vero puniet igne inextinguibili.

Porro remissionem peccatorum profluxuram esse, non ex doctrina Joannis, quæ mere dispositiva erat ; sed ex Christo, clarius explicat sequentibus.

78. *Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit nos oriens ex alto* : 79. *Illuminare his qui in tenebris et in umbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.*

Ut pateat, præcursorem magni Regis non fore ipsum Regem,

ejusque lumen fore duntaxat lucernam, non solem justitiæ; Zacharias nos reducit ad ipsum Christum, quem velut in faciem contemplatur tanquam auctorem salutis. — Sensus est : Dispones animos ut remissionem peccatorum accipere possint a misericordia Dei, qui ipsemet venit ut peccatorum tenebras dissipet, nobisque lumen tribuat gratiæ et salutis.

Misericordiam Patribus promissam, illam misericordiam per Incarnationis mysterium mundo exhibitam, ut significet esse ineffabilem, vocat *viscera misericordiæ Dei;* et quidem Dei *nostri*, qui se nostrum esse ostendit, et noster in carne fieri dignatus est.

Ipse Dominus Deus noster, hac misericordia impellente, *visitavit nos*, ut initio dictum est, in propria persona ad nos veniendo; *ex alto*, e summo cœlo descendens et nobis *oriens*.

Oriens non hic participium, sed nomen, respondens græco ἀνατολή, *ortus*; et hebraico SEMAH. Respicitur scilicet ad loca Spirituræ ubi Messias vocatur SEMAH, i. e. *germen* oriens e terra, et *lumen* oriens e cœlo. Utrumque est Christus : nimirum secundum naturam humanam *germen terrestre*, quod de radice Jesse et de stirpe David sine viri opera repente pullulans, instar grani sinapis in arborem crevit amplissimam; — et secundum naturam divinam *germen cœleste*, quod oriens in cœlo, instar solis, tenebras mundi dissipat, prout vaticinatus est Malachias : *Orietur vobis timentibus nomen meum sol justitiæ, et sanitas in pennis ejus* (Malach. IV, 2). — Posteriori sensui inhæret Zacharias, subjungens :

79. *Illuminare his qui in tenebris et in umbra mortis sedent* : id est, ut illucescat his qui habitant in tenebris densissimis, et in afflictissimo statu, mortis imaginem referente. — Metaphora desumpta est a locis obscuris, ut sepulcris et carceribus, quæ mœstissima rerum facie præsentis mortis horrorem incutiunt. Adhibetur autem ad significandum spirituali sensu teterrimum statum, ignorantiam, errores, peccata, in quibus velut in mortis æternæ vestibulis, animæ sub servitute diaboli detinentur. — Designantur hic omnes quidem homines, imprimis tamen et directe Judæi, de quibus in toto cantico sermo est, quique clarius etiam notantur ultimis verbis :

Ad dirigendos pedes nostros in viam pacis : id est, illuminabit nos, filios Israel, in tenebris sedentes, ut lumine fidei et charitatis suæ quod mentibus infundet, dirigat affectus, consilia, et opera nostra in viam qua tenditur ad pacem æternæ beatitudinis. — Via autem ista non alia est quam via veritatis et justitiæ, lex Evangelica, seu Christi doctrina et exempla, secundum illud : *Ego sum via, et veritas, et vita.* Joan. XIV, 6.

Explicatio secunda.

Benedictus Dominus Deus Israel : quia visitavit et fecit redemptionem plebis suæ.

Sicut Zacharias, cujus verba sua facit et quotidie repetit Ecclesia, Deum misericorditer nos visitantem laudare debemus. Porro multimodis nos visitat Dominus, ut nostram redemptionem ac salutem perficiat : dummodo ejus visitationes cognoscamus, et visitantem ut par est excipiamus.

1° Quænam sunt visitationes divinæ ? Seu, quandonam nos visitat Dominus ?

-1) Visitavit nos visibiliter in Incarnatione, quando in terris visus est et cum hominibus conversatus est....

-2) Visitat nos sacramentaliter in sacra Eucharistia, cum descendit in altaria nostra ; et præcipue in sacra Communione, cum ingreditur sub tectum animæ nostræ....

-3) Visitat nos invisibiliter, quotiescumque peculiari gratia nos illustrat et movet ad bonum.

-4) Visitat nos, quotiescumque cruce qualibet graviore, ut ægritudine aut persecutione nos castigat.

-5) Demum visitabit nos in hora mortis, ubi veniet ut exules nos deducat in patriam....

2° Quomodo visitantem Dominum excipere debemus ? — Digne et fructuose : quapropter necesse est ut visitantem agnoscamus, ejusque dona rite accipiamus ...

-1) Quis est ille qui visitat nos, et quare ? Quis ille hospes Bethlehemiticus, velatus nostra humanitate?... Ille hospes tabernaculi nostri, velatus specie sacramentali ?... Ille plerumque ignotus, et specietenus inimicus, qui tribulatione seu cruce nos affligit ?... Non alius quam Dominus Deus Redemptor, afferens nobis dona salutis...

-2) Accipienda sunt dona ejus, cum fiducia filiali ; — cum gaudio sancto, pretiosa dona ut par est æstimando ; — cum gratitudine, eadem ad gloriam ejus conservando et augendo.

Et erexit cornu salutis nobis.

Cornu salutis divinitus erectum nobis, est regnum Dei et Christi, cujus objectum et finis est nostra salus ac beatitudo æterna. Utinam salutiferum hoc regnum cognoscamus, ejusque feliciter efficiamur participes.

1° Quodnam est salutiferum Christi regnum ? — Duplex distinguitur : regnum gratiæ in hoc mundo, et regnum gloriæ in futuro.

-1) Regnum gratiæ in hoc mundo illud est, quo regnat Deus in animas nostras per fidem, spem, charitatem, cæterasque virtutes : quæ sanctam legem ejus ac regimen constituunt. Porro regnum hujusmodi est, tum externum, tum internum. — Quatenus externum ac visibile, vocatur Ecclesia sancta catholica, a Christo super Petrum ædificata... Quatenus internum et invisibile, est cor uniuscujusque hominis justi, ubi velut in throno sedens Dominus imperat, anima obediente.

-2) Regnum gloriæ est civitas cœlestis, ubi Christus cum Angelis et Sanctis regnat, regnumque indies auget ac perficit... Perfectum autem evadet tandem in novissimo die, quando veniet cum gloria, et gloriose deducet populum suum sanctum in patriam æternam.

2° Quinam hoc regno fruuntur ? — Illi qui agnoscunt Regem, eique sese ex animo submittunt, ejusque protectione utuntur.

-1) Agnoscendus est Rex humani generis, Jesus Christus Dominus noster, tum in se ac propria in persona ; tum in persona vicariorum, quos suo loco constituit pastores, regere Ecclesiam suam...

-2) Obediendum est illi ex animo, repellendo omne imperium inimici, diaboli et peccati ; implendo mandata ejus et præcepta Ecclesiæ ejus...

-3) Recurrendum est ad auxilium ejus adversus molimina inimici : frequentando orationem, sacramenta, etc.

Ut serviamus illi in sanctitate et justitia coram ipso omnibus diebus nostris.

En compendium perfecti obsequii, Deo Regi nostro præstandi : oportet ut serviamus *illi*, tam bono Domino, eique soli, 1° in sanctitate et justitia, 2° coram ipso, 3° omnibus diebus nostris.

1° *In sanctitate et justitia.*

-1) Serviendum Domino *in sanctitate* : scilicet, corde puro a peccatis cultum ipsi debitum præstare debemus. Quapropter -*a*) anima a peccatis præteritis est emendanda, et a futuris custodienda, ut puris labiis purisque manibus, Deo laudes et incensum suavitatis possit offerre. -*b*) Cultus est Deo præstandus quem ipse requirit et instituit : cultus privatus per orationem frequentem, cultus publicus in templo...

-2) Serviendum Domino *in justitia*, scilicet bonis operibus : implendo virtutum omnium officia, præsertim vero charitatis erga proximos, sive superiores, sive æquales, sive subditos....

2° *Coram ipso.* — Servire Deo *coram ipso*, id est :

-1) Ejus ubique præsentiæ memoriam servare : quo custo-

diamur efficaciter a peccato, et promoveamur in bono, secundum illud : *Ambula coram me et esto perfectus*. Gen. XVII, 1.

-2) Opera nostra ita peragere, ut non tantum hominibus probentur, sed etiam oculis Dei, qui inspector est cordis et intentionis occultæ.

3° *Omnibus diebus nostris* : id est, ut nunquam a divino servitio recedamus, vel abduci nos sinamus ; sed constanter ei inhæreamus :

-1) Non solum diebus prosperis, sed etiam diebus malis...

-2) Non solum in infantia aut adolescentia ; sed etiam in juventutis æstu, et maturioris ætatis negotiis... imo etiam et præcipue in diebus infirmitatis, ut sanctificetur dies supremus, quo vita Deo dicata coronanda est....

Ad dandam scientiam saluti plebis ejus.

Inter omnes scientias præstantissima est scientia salutis, illa scilicet qua homo æternam beatitudinem consequi docetur. Hæc autem scientia quænam est, et quomodo acquirenda ?

1° Scientia salutis alia est theoretica, alia practica.

-1) Prior complectitur ea quæ credere debemus, et ostendit nobis veram beatitudinem paratam in cœlis a Deo : qui creavit nos, qui Salvatorem misit nobis Jesum Christum, futurum Judicem universi mundi...

-2) Altera, scilicet scientia salutis practica, ea tradit quæ facere debemus ut vitam æternam consequamur. Proponit legem et mandata Dei per quæ introitur ad vitam : *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata* (Matth. XIX, 17). — Nec tantum nostræ fragilitati proponit mandata, verum etiam auxilia, ac robur divinitus oblatum, quo ea servare valeamus.

2° Quomodo scientia salutis acquirenda ? — Ut pretiosa illa scientia, quæ etiam scientia Sanctorum dicitur, efficaciter acquiratur, necesse est,

-1) Ut removeatur scientia perditionis, quæ ex malis libris et malis colloquiis hauritur....

-2) Ut audiantur magistri salutis ; nimirum, tum sacerdotes Domini, in templo docentes ; tum libri sancti ac pii, qui utiles, imo sæpe necessarii sunt ad erudiendum in justitia.

-3) Ut documenta in praxim deducantur. *Qui vult plene et sapide Christi verba intelligere, oportet ut totam vitam suam illi studeat conformare*. De imit. I, 1.

Per viscera misericordiæ Dei nostri.

Vere misericordiæ viscera gerit erga nos miserrimos peccatores, Deus Pater ac Salvator noster : id est, vere misericordiam nobis exhibet ineffabilem. Quam utinam cognoscamus et plenissime suscipiamus !

1° Quanta est Dei misericordia ? — Est infinita : adeo ut nulla sit iniquitas, nulla infirmitas, quæ misericordiam Patris nostri cœlestis superet. Cujus rei argumentum est parabola filii prodigi, — effusus sanguis Christi, — et sacramenta instituta a Christo...

2° Ut Dei misericordiam oblatam suscipiamus, ejusque fiamus participes, requiritur :

-1) Fiducia filialis....

-2) Detestatio peccatorum....

-3) Misericordia ex parte nostra erga proximos : *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Matth. V, 7.

Visitavit nos oriens ex alto.

Quare Christus vocatur Oriens ? — Oriens intelligitur ille, qui instar plantæ, vel instar auroræ nascitur, et a minimo incipiens ad maxima exaltatur ; atque hoc nomine Christus appellatur, quia revera talis est, sive spectetur ipse in se, sive in suis discipulis.

1° Christus in se spectatus est *Oriens* germinans in terra, et Oriens illucescens in cœlo.

-1) Est germen in terra, secundum naturam humanam : natus enim primum humillime in Bethlehem ad vitam mortalem, paulatim, *crevit et profecit sapientia et ætate et gratia apud Deum et homines* (Luc. II, 52). Imo ubi ministerium publicum adortus est, crevit laboribus, beneficentia et charitate usque ad mortem crucis... — Post mortem crucis, iterum natus e sepulcro ad vitam gloriosam, crevit induto corpore claritatis ; moxque ascendens in cœlem, crevit gloria cœlesti oculis angelorum ; et tandem plenitudinem gloriæ attinget oculis omnium hominum, cum venerit judicare vivos et mortuos.

-2) Est Oriens in cœlo, secundum divinitatem : scilicet sol justitiæ, ab æterno ex Patre natus, in tempore autem nobis ortus ut gradatim mundum illuminaret. — Jam antiquitus per prophetas quamdam præviam velut auroræ lucem emisit ; deinde vero in sua nativitate temporali , nondum loquens , exemplo nos docuit ; demum, prædicando Evangelium, per se et per Apostolos universum mundum illuminavit...

2° Christus in suis discipulis spectatus, est similiter Oriens : ipso enim agente crescit Ecclesia, crescit unusquisque fidelium.

-1) Ecclesia crescit numero, — crescit sæculis, — crescit triumphis, — crescit claritate doctrinæ in terra ; — crescit similiter numero in cœlis...

-2) Crescit unusquisque fidelium, vel saltem crescere deberet sicut ætate, ita et fide aliisque virtutibus.... — crescet in vitæ hujus exitu, quando anima ejus corpore mortis soluta admittetur

in gloriam.... — crescet in die resurrectionis, quando gloriosa anima glorificato corpore induetur....

Ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.

Nomine *pacis* hic intelligitur id quod humano cordi est simpliciter desiderabile, nempe beatitudo seu plenitudo bonorum. Quænam autem est illa pretiosa pax ? et quæ via ducens ad eam ?

1° Pax illà invenitur tum in terra, tum in cœlis.

-1) In terra non datur perfecta pax, sed inchoata duntaxat, qualem mortalis nostra conditio capere potest. — Consistit autem in conscientia bona.... in colloquiis cum Deo... in charitate atque unione fraterna.... in spe suavissima futuræ gloriæ....

-2) In cœlis est beatitudo perfecta, qua fruetur primum anima, deinde etiam corpus glorificatum ; beatitudo, inquam, inenarrabilis, quam præparavit Deus diligentibus se....

2° Via autem ad hanc pacem ducens, est :

-1) Via mandatorum Dei...

-2) Via exemplorum Christi : adeoque ipse Christus, ducens nos per Calvariæ montem ad resurrectionem gloriosam....

-3) Via porro hujusmodi arcta est, et prorsus diversa a via lata carnis et mundi : *Spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem... arcta via est quæ ducit ad vitam.* Matth. VII, 13, 14.

—

EVANGELIUM DE COMMUNI DOCTORUM.

Vos estis sal terræ. Matth. V, 13-19.

Dixit Jesus discipulis suis : — 13. Vos estis sal terræ. Quod si sal evanuerit, in quo salietur ? Ad nihilum valet ultra, nisi ut mittatur foras, et conculcetur ab hominibus. — 14. Vos estis lux mundi. Non potest civitas abscondi supra montem posita. — 15. Neque accendunt lucernam, et ponunt eam sub modio ; sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt. — 16. Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est. — 17. Nolite putare quoniam veni solvere legem aut prophetas : non veni solvere, sed adimplere. — 18. Amen quippe dico vobis : donec transeat cœlum et terra, iota unum aut unus apex non præteribit a lege, donec omnia fiant. — 19. Qui ergo solverit unum de mandatis istis minimis, et docuerit sic

homines, minimus vocabitur in regno cœlorum : qui autem fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum.

Explicatio prima.

—

I. *Quomodo Apostoli sint sal terræ.*
II. *Quomodo sint lux mundi.*
III. *Quomodo doctores legem Dei servare debeant et docere.*

Quum Dominus in monte Galilææ sedens, circumstanti discipulorum multitudini Beatitudines proposuisset ; quæ res sub medium mensis Maii, anno secundo prædicationis ejus contigit ; intuitus duodecim Apostolos, qui propius adstabant, et evangelicæ perfectionis præcones futuri erant ; ad eosque peculiariter sermonem dirigens, dixit :

13. *Vos estis sal terræ. Quod si sal evanuerit, in quo salietur ? Ad nihilum valet ultra, nisi ut mittatur foras et conculcetur ab hominibus.*

Sensus est quasi diceret : Vos, o Apostoli, estis ex mea electione et deputatione, sal terræ : id est, illud esse debetis, et per meam gratiam reipsa eritis. Si autem sal, quod cætera salire debet, factum fuerit insulsum seu infatuatum : ad nihilum valet ultra, nisi ut mittatur foras et conculcetur ab hominibus. Non enim usum habet sal nisi ut saliat ; nec remedium datur, quo insulso sali deperdita vis restitui possit.

Dicit : Vos estis *sal*, ut notet officium, vim et dignitatem Apostolorum. — Sal substantia est exigua, minimeque speciosa, sed vim quamdam continens ac saporem acrem, quem cibis cui aspergitur communicat. — Duæ sunt præcipuæ salis proprietates : cibis saporem addit, et carnem a corruptione præservat ; unde est symbolum sapientiæ, et symbolum incorruptionis.

Marc IX, 49. Bonum est sal : quod si sal insulsum fuerit, in quo illud condietis ? Habete in vobis sal, et pacem habete inter vos.

Luc. XIV, 34, 35. Bonum est sal. Si autem sal evanuerit, in quo condietur ? Neque in terram neque in sterquilinium utile est, sed foras mittetur. Qui habet aures audiendi, audiat.

Luc. VIII, 16. Nemo autem lucernam accendens operit eam vase, aut subtus lectum ponit : sed supra candelabrum ponit, ut intrantes videant lumen. — (XI, 33.) Nemo lucernam accendit, et in abscondito ponit, neque sub modio : sed supra candelabrum ; ut qui ingrediuntur, lumen videant.

1) Symbolum sapientiæ est : quia quemadmodum sal efficit ut cibi sapiant palato ; ita sapientia facit ut verum et honestum, quæ cibus sunt animæ, sapiant menti. Sapientia enim dat nobis *recta sapere* : id est, dat nobis quæcumque sunt recta, sive speculative sive practice spectata, diligere, iisque delectari. — Jam vero Apostoli eorumque successores, sunt *sal sapientiæ*, quia facere debent ut veritas et justitia quæ hominibus insulsa videbantur, tanquam proprius ac vivificus cibus, jucunde eis sapiant.

2) Symbolum incorruptionis est : quia carnem corruptibilem servat incorruptam. — Jam vero Apostoli sunt *sal incorruptionis* omni carni, id est, hominibus universis. At vero efficaciùs agit sal Apostolicum et spirituale, quam sal corporeum. Hoc enim solummodo carnes integras, necdum corruptas, præservat a putredine ; carnes autem jam corruptas et putidas sanare et redintegrare nequit : Apostoli vero animas vitiis omnibus corruptas et putidas persanarunt, eisque integritatem quam nunquam habuerant indiderunt. Atque hunc mirabilem effectum idem sal divinum, per Apostolorum successores, in dies producere continuat.

Quod dicit sal *terræ*, catholicitatem Apostolicæ missionis indicat ; cum Apostoli non jam ut antea Prophetæ Judæam tantum, sed mundum universum sua virtute afficere debeant.

Quod sequitur : *Si sal evanuerit, in quo salietur*, etc., necessitatem ostendit Apostolis officium suum efficaciter implendi. Sicut enim sal usum habet nobilissimum, nimirum saliendi ; ita non habet usum alium. Si enim accidere possit ut ineptum fiat ad condiendos cibos et inutile ad mensam, ad nihil jam, ne ad sterquilinium quidem aut ad stercorandos agros utile esset ; sed *mittendum foras et conculcandum ab hominibus*. — Similiter Apostolus aut sacerdos quilibet, si, quod accidere potest, perdat suum salis spiritualis vigorem : id est, spiritum Christi, spiritum pietatis, humilitatis, totiusque sanctitatis evangelicæ : nullo remedio humano amissam virtutem recuperabit ; sed fiet inutilis, contemptibilis, miserrimus, hominum vilissimorum, imo et dæmonum pedibus conculcandus.

14. *Vos estis lux mundi...*

Sicut Apostoli modo dicti sunt sal terræ, ita nunc dicuntur *lux mundi* ; quo plenius hac nova figura suum munus et vocationem intelligant : considerando, quod sal est cibis et sol mundo, id se esse debere humano generi. Sensus est : Vos, o Apostoli, mea electione estis, et si gratiæ ut par est respondeatis, reipsa eritis lux mundi : ut humanum genus univer-

sum, errorum vitiorumque tenebris obscuratum, luce doctrinæ vitæque evangelicæ illuminetis.

Lux mundi est sol, mundum sua luce illuminans et calore fecundans. — Non dicit, vos estis lux firmamenti, sed *mundi* : quia considerat solem non in se, et ut splendentem in cœlo ; sed respectu mundi, et ut beneficum terræ. — Porro solis celsitudo, majestas, beneficentia, universalitas, perennitas, totidem Apostolici muneris proprietates insinuant.

Illud *vos estis*, non tantum est verbum assertivum, sed etiam *efficax*, id est, efficiens quod asserit. Sicut enim dum conderet mundum naturæ, Dominus *dixit et facta sunt ;* ita nunc condens mundum gratiæ, similiter dicit et creat : *Fiat lux, et facta est lux.* — Porro lux creata est ad lucendum, sicut sal ad saliendum : quare necesse est ut Apostoli mundo luceant. Quam necessitatem Christus duplici imagine illustrat, nempe civitatis in monte positæ, et lucernæ accensæ in domo.

Non potest civitas abscondi supra montem posita. 15. *Neque accendunt lucernam et ponunt eam sub modio ; sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt.*

Sensus est quasi diceret : Quoniam lux estis, curate ergo ut luceatis. Constituimini enim a me ad hunc finem, ut appareatis et luceatis universo mundo ; non vero ut occulti lateatis : quemadmodum neque civitas in monte ædificatur, nec lucerna accenditur, ut tam illa quam ista occultetur.

Quod dicit : *Non potest civitas abscondi supra montem posita*, innuit, -1) Ecclesiam, quam Apostoli repræsentant et principaliter constituunt, esse civitatem conspicuam, apertam omnibus, ad quam affluent gentes universæ, sicut annuntiarunt prophetæ : *Erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, et elevabitur super colles, et fluent ad eum omnes gentes* (Isai. II, 2)... *et venient in Sion cum laude* (Isai. XXXV, 10). — *Surge, illuminare Jerusalem, quia venit lumen tuum, et gloria Domini super te orta est. Quia ecce tenebræ operient terram, et caligo populos ; super te autem orietur Dominus, et gloria ejus in te videbitur. Et ambulabunt gentes in lumine tuo, et reges in splendore ortus tui. Leva in circuitu oculos tuos, et vide : omnes isti congregati sunt, venerunt tibi ; filii tui de longe venient, et filiæ tuæ de latere surgent.* Isai. LX, 1 seq.

Innuit -2) non ob metum persecutionum opus evangelicum esse occultandum ; sed Ecclesiam esse ædificandam in conspectu populorum : qui non tantum eam non destruent, sed in eam intrabunt.

Innuit -3) characterem beneficum Ecclesiæ et Apostolorum,

qui constituere debent velut mansionem securam et felicem omnibus, in ea habitare volentibus. Civitas enim, ut quodvis aliud habitaculum, non propter se, sed propter habitantes constituitur.

Quod addit : 15. *Neque accendunt lucernam*, innuit Apostolorum lucem esse mutuatam a Christo, qui est *lux vera*, primigenia, de se lucens, et qui suos Apostolos tanquam lucernas accendit.

Illud *nec ponunt eam sub modio sed super candelabrum*, indicat, non tantum Apostolos destinatos esse ad lucendum ; sed etiam curare debere, ne ullo modo sua lux captiva teneatur, vel minuatur aut exstinguatur ; utque e contra quam maxime luceat *omnibus qui in domo sunt* : id est, omnibus hominibus qui in terra vivunt.

16. *Sic luceat lux vestra coram hominibus ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est.*

En explicatio mystici salis et solis, civitatis quoque, et lucernæ candelabro impositæ ; scilicet explicatio omnium parabolarum quæ præcedunt : quarum practica applicatio respectu Apostolorum, ipsos monet, ut similiter per doctrinam et sanctitatem vitæ hominibus prosint. Luceat, inquit, lux vestræ doctrinæ et exempli coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et ita inducantur ad glorificandum Deum, cujus vos esse filios agnoscent, et ad quem ipsi per vos convertentur.

Illud *Luceat lux vestra coram hominibus*, contradicere videtur huic : *Attendite, ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis* (Matth. VI, I) ; sed prior sententia agit de bono exemplo, altera vero de vana ostentatione. In dando exemplo, finis seu intentio est glorificatio Dei ; in ostentatione vero, glorificatio sui. Quoniam autem homo, dum coram aliis hominibus bonum operatur, facile ad vanam gloriam deflectit ; curandum est, juxta S. Gregorii monitum, ut quandocumque exemplum dari debet, *opus bonum sit quidem in publico, sed intentio* uni Deo placendi *maneat in occulto* : id est, ut in intimo corde non intendamus finaliter, nec velimus aliud quam Dei gloriam et animarum bonum ; pro nobismetipsis autem, quantum fieri potest, optemus secretum. Quicumque sic agunt, hominibus, non propter se, sed propter Deum, ut scilicet eos ad Deum trahant, placere student ; et utrumque Domini monitum servant : ita nempe bonum operando, *ut Deus glorificetur* ; nequaquam tamen ad hunc finem operando *ut ipsimet videantur ab hominibus*.

17. *Nolite putare quoniam veni solvere legem aut prophetas ; non veni solvere, sed adimplere.*

His verbis Dominus sermonem ad totam audientium turbam extendit ; statuitque, legem decalogi esse omnino, et quoad omnia mandata, inviolabiliter servandam. Quoniam autem, ut videtur, accusabant eum Scribæ, quasi legem Mosaicam abrogaret, doctrinam ei novam substituendo ; accusationem illam confutat, dicens : *Non veni legem solvere, sed adimplere.* Quod assertum deinceps fusius demonstrat, opponendo doctrinam suam genuinam doctrinæ et traditionibus adulteris Scribarum.

Quod dicit *legem aut prophetas*, designat vetus Testamentum, ejusque tres partes : -1) decalogum, aliaque præcepta moralia ; -2) præcepta cæremonialia ; -3) vaticinia prophetarum : quo nomine etiam libri historici, qui figuras Christi et Ecclesiæ continent, intelliguntur.

Quod asserit : *Non veni solvere, sed adimplere*, verissime dicit. Nam -1) implevit præcepta moralia, quia illa explicatius et perfectius docuit atque sancivit : præcepta distinctius declarando, præceptis consilia evangelica adjungendo, pro pœnis præmiisque temporalibus æterna substituendo.

-2) Implevit leges cæremoniales, per semetipsum, per suos actus, et per sua sacramenta. Erant enim cæremoniæ totidem figuræ et quasi umbræ Christi ejusque Ecclesiæ ; quibus ipse, per ea quæ gessit et passus est, substituit veritatem.

-3) Implevit prophetias, omnia efficiendo quæ ipsæ futura prædicebant.

-4) Præterea ipse semper legem Mosaicam servavit ; etsi illa lege, utpote Deus, Deique Filius, non obligabatur. Etenim juxta præscripta legis circumcisus est, præsentatus in templo, etc.

-5) Legis Mosaicæ imperfectionem supplevit, justificando nos per gratiam copiosam, per fidem et per sacramenta quæ instituit.

18. *Amen quippe dico vobis, donec transeat cœlum et terra, iota unum aut unus apex non præteribit a lege, donec omnia fiant.*

Quod modo dixit, se non venisse solvere legem sed adimplere, gravissima asseveratione confirmat, dicens : firmiorem esse legem cœlo et terra, adeoque firmissimam. *Donec transeat*, inquit, *cœlum et terra*, id est, donec pereat ; vel potius, etiamsi perierit cœlum et terra, nulla legis particula peribit, seu effectu carebit ; sed verba legis omnia certissime implebuntur.

Quod dicit : *Donec omnia fiant*, significat, -1) omnia figura-

tiva et prophetica esse re et eventu implenda ; -2) moralia vero immutabilia fore quoad obligationem. Et quidem, quamvis inefficacia hæc esse possint quoad observationem ex parte hominum ; necessario tamen effectum habebunt per sanctionem præmii vel pœnæ, observatoribus vel violatoribus statutam : et sic verissime *omnia fient*. — Ex quibus patet, significari hac sententia strictam jugemque legis obligationem, vim et robur, quæ exactam omnium obedientiam requirit ; unde fluit sequens conclusio.

19. *Qui ergo solverit unum de mandatis istis minimis, et docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cœlorum ; qui autem fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum.*

Sensus est : Qui ergo vel unum de mandatis legis, etiam minimis, violarit, vel prava interpretatione perverterit, et alios docuerit simili modo illud violare : ultimus habebitur in regno cœlorum, eoque indignus : id est, damnabitur. Qui autem fecerit quæcumque lege præcepta sunt, et ea docuerit : hic salvabitur ; imo magnus erit in regno cœlorum.

Quod dicit *unum de mandatis*, stricte sumit pro præcepto gravi, obligante sub peccato mortali : uti sunt præcepta decalogi. Qui enim tale unum solverit, licet decalogi minimum, hic utique damnandus est. Hujusmodi minima sunt v. g. aspicere feminam ad eam concupiscendam ; vel eam interius concupiscere, etsi exterius opus non perpetretur : quod Pharisæi censebant esse minimum et vix ullum peccatum ; Christus autem docet esse peccatum mortale, lege decalogi vetitum.

Quod autem hæc verba : *minimum vocari in regno cœlorum*, significent *non intrare in regnum cœlorum*, seu *damnari*, ex sequentibus manifestum est : *Nisi abundaverit justitia vestra plus quam Scribarum et Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.*

Illud *magnus vocabitur in regno cœlorum*, peculiarem gloriam indicat, Ecclesiæ Doctoribus reservatam : qui, si digne munus suum impleverint, super discipulos suos exaltabuntur, et præcipuo splendore fulgebunt, secundum illud : *Qui ad justitiam erudiunt multos (fulgebunt) quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Dan. XII, 13.

Explicatio secunda.

Vos estis sal terræ.

1° Quinam sal terræ a Domino dicuntur ? — R. -1) Omnes veri Christiani, qui sub velamine humilitatis cœlestem sapientiam possident, et hanc operibus suis aspergunt, ut Dei palato sapida illa efficiant ; imo, qui saporem suum salutiferum iis omnibus communicant quibuscum agunt. Servant enim monitum Domini : *Habete in vobis sal, et pacem habete inter vos* (Marc. IX, 49). Et illud Apostoli : *In sapientia ambulate ad eos qui foris sunt, tempus redimentes. Sermo vester semper in gratia sale sit conditus, ut sciatis quomodo oporteat vos unicuique respondere.* Coloss. IV, 5, 6.

-2) Speciatim tamen sal terræ sunt sacerdotes Christi, Ecclesiæ Doctores, omnesque viri apostolici : qui ad hoc constituti sunt, ut non tantum sapientiæ spiritum in se possideant, sed illum indesinenter diffundant super omnem carnem, secundum illud : *Effundam Spiritum meum super omnem carnem.* Joel. II, 28.

2° Quodnam est christiani sacerdotis officium, quatenus est sal terræ ? — R. -1) Omnia in ipso debent esse sapida, ac spiritu sapientiæ imbuta : cogitationes, verba, opera ; ut nimirum aliis de virtute sua dare possit, nec periculum subeat ab aliis fatuitatem mundanam mutuandi....

-2) Debet homines omnes, præsertim sibi subditos, a corruptione præservare, vel eos ab insipientia et putredine vitiorum liberare : per orationes, exhortationes, exempla, sacramenta, charitatem, zelum, abnegationem, suique sacrificium...

-3) Debet sua omnia et semetipsum totum ad animarum bonum impendere, nec sibimet quidem parcere : sicut Christus et Apostoli, qui sibi non pepercerunt ; sicut ipsum sal terrenum, quod in saliendis cibis totum liquescit et consumitur. *Impendam et superimpendar ipse pro animabus vestris.* II Cor. XII, 16.

3° Quænam est illa virtus saliendi, qua vir apostolicus pollere debet ? — R. -1) Est *verum* et *bonum*, amor veri et amor boni, fides et charitas...

-2) Est spiritus Christi, qui fortis simul et suavis est, quique mortificationem et pœnitentiam cum dulcedine charitatis insinuat. — Huic prorsus oppositus est spiritus insipientiæ ac mundanæ sensualitatis...

-3) Illa vis divina sacerdoti a Christo inditur per sacramentum Ordinis ; servatur autem ab ipso sacerdote, et augetur, per orationem et christianam mortificationem ; perditur vero, per

neglectum pietatis, per dissipationem et imprudentem contactum cum sæcularibus....

4° Quanta est apostolici salis, si sit validum, excellentia? — R. -1) Maximæ est efficaciæ, adeo ut carnem, id est, humanam animam, quantumvis putridam purificet, sanam, imo spiritualem efficiat, et ad gloriosam resurrectionem disponat : *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem* (1 Cor. XV, 53). — Sic pauci Apostoli, quasi salis pugillus mundo aspersus, de omni, tum corruptionis humanæ, tum diabolicæ nequitiæ reluctantia triumpharunt....

-2) Ipsum illud sal magnifice glorificabitur : viri enim apostolici, tanquam lapides pretiosi exaltabuntur in diademate Christi. Ipsi quoque sapidas Dei epulas gustabunt in æternum. *Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo ; et sedeatis super thronos, judicantes duodecim tribus Israel.* Luc. XXII, 29, 30.

5° Quanta est salis apostolici, si evanuerit, vilitas? — R. -1) *Ad nihilum valet ultra nisi ut mittatur foras* ex gratia, ex ministerio sacro, ex regno cœlorum... *et conculcetur ab hominibus*, id est, a vilissimis laicis, a Judæis, a Gentilibus ; nec tantum in hac vita, sed etiam in die judicii... et in imo inferno.... Etenim *corruptio optimi pessima.*

-2) Non solum ad nihilum valet sacerdos, spiritu status sui destitutus ; sed præterea fit nocivus : nocivus sibi, nocivus aliis... corruptionem quam tollere debebat propagat. — Quo quid detestabilius ? *Bonum erat ei si natus non fuisset homo ille* (Matth. XXVI, 24). De Juda Iscariote hæc dicta sunt, qui salis infatuati miserum typum gessit.

-3) Dantur tamen, sicut in salis apostolici virtute, ita in ejus defectu, varii gradus, in quos paulatim proceditur.... *Nemo repente fit summus, nemo repente fit pessimus.*

-4) Illud terribile *in quo salietur ?* non quidem omne prorsus remedium excludit, sed difficultatem in remedio applicando insinuat....

Vos estis lux mundi.

1° Quinam lux mundi a Domino vocantur ? — R. 1) Omnes veri Christiani, qui sanctæ conversationis exemplo lucere debent, sicut luminaria in mundo. — 2) Peculiari tamen modo, viri apostolici, et evangelici doctores. — 3) Excellentiore autem ac principali modo ipse Christus Dei Filius, incarnata Sapientia : *Ego sum lux mundi... lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Joan. VIII, 12 ; I, 9.

2° Quodnam est officium viri apostolici, quatenus est lux

mundi ? — R. 1) Sicut accenditur lucerna , aut sol in cœlo constitutus est ad lucendum : ita sacerdos in Ecclesia. Non ergo luminis Christi, scientiæ, ac gratiæ Dei factus est particeps, ut sit illuminatus ipse pro semetipso tantum ; sed ut etiam alios illuminet, quasi diffusivus sui... *Gratis accepistis, gratis date* (Matth. X, 8). — *Quoniam sine fictione didici, et sine invidia communico, et honestatem illius non abscondo.* Sap. VII, 13.

-2) Hoc autem officium duo complectitur : doctrinam et exemplum, — scientiam et sanctitatem vitæ, — prædicationem et bona opera : *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona.*

-3) Lucere debet, non tantum sicut lucerna, ut illuminet ; sed etiam sicut sol, ut vivificet et recreet homines : ut nempe tenebras errorum auferat ab intelligentiis, simulque tenebras peccatorum a cordibus...

-4) Officium illud, sicut est nobilissimum, ita quoque maxime necessarium : *Væ mihi est si non evangelizavero* (I Cor. IX, 16). — Quid, si lucerna non daret lumen ? nonne abjiceretur a candelabro, et accenderetur alia ? *Memor esto itaque unde excideris ; et age pœnitentiam, et prima opera fac : sin autem, venio tibi, et movebo candelabrum tuum de loco suo, nisi pœnitentiam egeris.* Apoc. II, 5.

3° Quomodo vir apostolicus officium lucendi bene implebit ?

R. 1) Oportet ut ipsemet sit totus lucidus : in mente, per fidem vividam, et in corde, per ardentem charitatem ; ut sicut Joannes Baptista præcursor Domini , sit lucerna ardens et lucens, accensa ex lumine Christi, *ad dandam scientiam salutis plebi ejus.* Luc. I, 77.

-2) Perfecte lucebit, si removerit a se id omne, quod exstinguere suum lumen possit ; præsertim flatum superbiæ , et respectum humanum ac timorem hominum ; — et si quotidie nutrierit flammam suam oleo devotionis et orationis sanctæ.

-3) Item, si removerit a se amorem proprium, quo tanquam modio, vel vase fictili, lumen impeditur, ipsaque flamma suffocatur...

-4) Item, si super candelabrum manserit elevatus, ac separatus a terrenis cupiditatibus et inquinamentis...

-5) Item, si sicut sol in cœlo manserit, corde et animo unitus Deo, in cœlestibus consistens ; nec inde ipsemet descendens, sed tantum radios suos mittens in terram : ut dum corpore inter homines versatur , mente conversetur in cœlis... Sic fiet, ut quemadmodum sol illuminat cloacas putridas nec inquinatur ; et sicut angelus custos hominem docet ac juvat ; ita sacerdos, vir spiritualis, doceat homines carnales, eosque emendet, quin ullam ab eis labem contrahat...

Civitas supra montem posita.

1° Quænam est hæc civitas mystica? — R. -1) Est Ecclesia catholica universim spectata, a Christo ædificata supra montem sanctum, qui ipse Christus est. -2) Ecclesia docens ac regens: id est, Ecclesia hierarchica, Pastores Ecclesiæ, qui inter se uniti, et erga fideles paterna charitate animati, instar civitatis esse debent: in qua omnes protectionem, gubernationem, securitatem inveniant.

2° Ædificatur civitas illa super fundamentum Apostolorum et Prophetarum, ex lapidibus vivis, id est, ex hominibus, fide et charitate viventibus; per manus præsertim sacerdotum Domini, qui Dei sunt adjutores: qui ut sapientes architecti, super fundamentum positum solide ædificare debent (I Cor. III, 9 seq.): id est, ædificare laborando strenue, Christi atque Apostolorum exempla sequendo, Deique adjutorio semper innitendo: *Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam.* Ps. CXXVI.

3° Quomodo civitas sancta custoditur? — R. Per vigilantiam, et auxilium Dei continua oratione implorandum: *Nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat qui custodit eam.* Ibid.

4° Quomodo civitas Dei omnibus apparere et patere debet? — R. *Apparere* debet, -1) per signa veræ Ecclesiæ propria: quæ sunt unitas, sanctitas, catholicitas et apostolicitas... -2) Per splendorem charitatis: *In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.* Joan. XIII, 35.

Patebit autem et ingressum faciet omnibus, atque alliciet animas, per charitatem et virtutum variarum exercitium, quibus Christi bonus odor diffunditur...

Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona...

En præceptum boni exempli.

1° Quinam hominibus exemplo præfulgere debent? — R. -1) Superiores omnes, præsertim vero Ecclesiæ pastores, quippe qui cum Apostolo dicere debeant: *Imitatores mei estote, sicut et ego Christi* (I Cor. IV, 16). -2) Divites pauperibus, seniores junioribus; imo unumquemque proximo suo ædificationem afferre decet.

2° Bonum exemplum datur verbis et operibus sanctis; præcipue vero patientia, charitate, modestia, et accurata impletione officiorum sui status....

3° Quanta sit boni exempli efficacia facile patet, si consideremus sæpissime eos exemplo trahi, qui verbis gravissimis moveri

non poterant. Ideo necesse est, ut quicumque alios ad virtutem exhortatur verbis, exemplo suo verba corroboret. *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis* (Joan. XIII, 15). — *Cœpit Jesus facere et docere.* Act. I, 1.

4° Quanta e contra, sit vis exempli pravi, seu scandali, præsertim si a superioribus detur ; quantaque hujusmodi perversitatis sit malitia, facile intelligitur.

Non veni solvere legem, sed adimplere.

Idem dicere debet post Christum, minister Evangelii Christi : quandoquidem hic similiter missus sit, non ut legem solvat, sed, ut eam impleat. At vero legem solvere, aut legem adimplere, quid est ?

1° Legem solvere est, 1) eam violare atque opere transgredi. -2) Eam docendo corrumpere, aut nimio rigore restringere, vel nimia indulgentia relaxare. In medio stat veritas et virtus, illud omne et solum quod Christus docuit, et Ecclesia, columna veritatis proponit : *Docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis.* Matth. XXVIII, 20.

2° Legem implere est eam servare, et servandam ab aliis curare. -1) Hic dantur gradus, quorum summum quisque intendere debet : Ut *iota unum aut unus apex a lege non prætereat, donec omnia fiant.* -2) Ut autem legem perfecte impleat doctor ac pastor, duo requiruntur : *facere* et *docere ;* quæ duo si præstiterit, magnus erit coram Deo et coram hominibus, tum in hac vita, tum præsertim in futura : *Qui fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum.*

—

DE COMMUNI CONFESSORIS NON PONTIFICIS, EVANGELIUM PRIMUM.

Sint lumbi vestri præcincti. Luc. XII, 35-40.

Dixit Jesus discipulis suis : — 35. Sint lumbi vestri præcincti , et lucernæ ardentes in manibus vestris ; — 36. et vos similes hominibus exspectantibus dominum suum quando revertatur a nuptiis : ut, cum venerit et pulsaverit, confestim aperiant ei. — 37. Beati servi illi, quos, cum venerit dominus, invenerit vigilantes : amen dico vobis, quod præcinget se, et faciet illos discumbere, et transiens ministrabit illis. — 38. Et si venerit in secunda vigilia, et si in tertia vigilia venerit, et ita invenerit, beati sunt servi illi. — 39. Hoc autem scitote, quoniam si sciret paterfa-

milias qua hora fur veniret, vigilaret utique et non sineret perfodi domum suam. — 40. Et vos estote parati : quia qua hora non putatis, Filius hominis veniet.

Explicatio prima.

I. *Quonam modo adventus Domini sit exspectandus.*
II. *Quo tempore idem adventus exspectandus sit.*

Tertio prædicationis suæ anno, mense Novembri, cum Judæam peragraret Dominus, interpellatus a quodam, dicente : *Dic fratri meo ut dividat mecum hæreditatem ;* cœpit discipulos ab avaritia, nimioque rerum temporalium studio dehortari, ostensa vitæ hujus brevitate, et mortis, seu adventus Domini incertitudine : quapropter parabolam proponit ministrorum, dominum suum reversurum a nuptiis præstolantium.

35. *Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris ;* 36. *et vos similes hominibus exspectantibus dominum suum, quando revertatur a nuptiis...*

Utrum duplex hic an unica duntaxat proponatur similitudo, non constat. Si duæ distinctæ similitudines admittantur, sensus est quasi Dominus diceret : Vos, discipuli mei, similes estote, -1) hominibus, qui succincti lumbos, et instructi lucernis, prompti stant ac parati ; -2) similes quoque estote servis, de nocte exspectantibus dominum, a nuptiis reversurum.

Si similitudo unica intelligatur, sensus erit : Similes estote domesticis famulis, qui lumbis præcinctis, et lucernis ardentibus, dominum de nocte exspectant, dum revertatur a nuptiis. — Nos, cum Maldonato, hunc posteriorem sensum admittamus, ambas nempe sententias conjungendo, quasi unam eamdemque parabolam constituant.

Porro parabolicis hisce sententiis admonet nos Dominus, ut assidua vigilantia adventum ipsius, qui in morte nostra contin-

Matth. XXIV, 42. Vigilate ergo : quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit. — 43. Illud autem scitote, quoniam si sciret paterfamilias qua hora fur venturus esset, vigilaret utique, et non sineret perfodi domum suam. — 44. Ideo et vos estote parati : quia qua nescitis hora Filius hominis venturus est. — 45. Quis, putas, est fidelis servus et prudens, quem constituit dominus suus super familiam suam, ut det illis cibum in tempore ? — 46. Beatus ille servus, quem, cum venerit dominus ejus, invenerit sic facientem. — 47. Amen dico vobis, quoniam super omnia bona sua constituet eum.

get, exspectemus : quatenus ab ipso in cœlum deduci mereamur.

Quod dicit *quando revertatur a nuptiis*, videtur esse merum parabolæ emblema, ac proin non necessario applicandum rei significatæ. Potest tamen etiam ad significationem facere hoc sensu, quod Christus, qui in sua Incarnatione celebravit mystica cum Ecclesia ac fidelibus omnibus sponsalia, nuptias vero æternas consummat in cœlo ; inde quasi redeat ad mortem uniuscujusque fidelium, ut novam sponsam, animam nempe sanctam, illuc deducat. Nuptiæ porro cœlestes sunt summa unio, summumque gaudium quod divinus Sponsus habet cum Beatis in domo gloriæ suæ.

Quod autem dicit : *Sint lumbi præcincti, et lucernæ ardentes*, figurativa locutio est, alludens ad morem Orientalium, apud quos famuli in magnatum domibus, amplas ac longiores vestes supra tunicam gerebant ; quas laboraturi, vel ministraturi, aut exituri, cingulo collectas circa lumbos alligabant, ut expediti essent, nec vestibus in incessu ac motu assidue impediti. Quod si contingeret, ut de nocte dominum exspectarent, v. g. ab itinere, vel a nuptiali cœna rediturum, non tantum præcinctos lumbos, sed insuper lucernas accensas manibus tenere debebant.

Notandum tamen, non solos famulos lumborum cingulum adhibere solitos ; sed eo etiam uti consuevisse operarios quoslibet, nec non viatores ac milites, ut ad laborem, oneraque portanda, ad iter, aut ad pugnam prompti essent et expediti.

Hic autem de opere ac labore sermo est, et illud *sint lumbi vestri præcincti*, idem est ac si diceretur : Omni abjecto impedimento, strenue incumbatis operi, nunquam desides sitis, sed semper occupati operibus virtutum, semper intenti agendis iis quæ venturo Domino sint grata.

Etenim hunc in sensum explicat divinus Magister, cur famuli exspectent dominum sic præcincti, et lumina tenentes ; subjungit enim :

Ut, quum venerit et pulsaverit, confestim aperiant ei.

Ut nempe parati sint, sine mora dominum excipiant, introducant, omnique ministerio juvent. Hujusmodi enim obsequium et quidem promptissimum, nocte intempesta revertens dominus censetur requirere; adeo ut omnem hic negligentiam aut moram ex parte famulorum molestissime ferret. At e converso, si hisce in circumstantiis famuli sese promptos exhibeant, benevolentiam domini et mercedem dignam merebuntur.

37. *Beati servi illi, quos quum venerit dominus, invenerit vigilantes... Amen dico vobis, quod... transiens ministrabit illis... 38. Si in secunda , et si in tertia vigilia venerit, et ita invenerit, beati sunt servi illi.*

Sensus est quasi diceret : Quod si dominus ille quocumque noctis tempore venerit, sive in secunda, sive in tertia vigilia, et servos invenerit vigiles ac paratos, eorum obsequium tanti faciet, ut splendidissima mercede eos remuneraturus sit. Scilicet *præcinget* ipse *se et ministrabit illis* , quasi sui domini essent : qua hyperbolica sententia amor domini erga famulos , et gaudium atque honor quibus eos cumulabit, exprimitur.

38. *Et si venerit in secunda vigilia, et si in tertia vigilia venerit* : id est, quocumque demum tempore, sive citius, sive tardius venerit... — A dimidio jam sæculo, nimirum a Pompei tempore, Judæi, Romanorum usum secuti, noctem in quatuor vigilias, unamquamque trium fere horarum, dividebant. Prima ab occasu solis, id est, ab hora nostra circiter sexta, usque ad nonam protrahebatur ; secunda , a nona usque ad mediam noctem ; tertia, a nocte media usque ad horam tertiam matutinam ; quarta demum, usque ad ortum solis, id est, usque ad horam fere sextam.

Secunda itaque et *tertia vigilia* spatium indicat ab hora nona vespere, usque ad horam tertiam mane. De prima vigilia et de quarta mentio non fit, quia similitudo id non patitur. Nuptiale enim convivium vigilia prima incipiebat ; nec inde quisquam tardius quam vigilia tertia revertebatur. Alia ratio assignatur, cur secundæ et tertiæ vigiliæ Dominus meminerit : quia nimirum tunc somnus solet esse pronior ac profundior, ideoque tunc servi, si fideles sint, maxime in vigilando studiosi esse debent. — Quæ omnia, nimirum servorum vigilantia, lucernæ ardentes, præcincti lumbi, et fidelitatis præmium, sensu allegorico adumbrant nobis assiduam, quam in exspectando Christi adventu servare debemus, diligentiam.

39. *Hoc autem scitote, quoniam si sciret paterfamilias qua hora fur veniret, vigilaret utique, et non sineret perfodi domum suam.*

Sensus est quasi Dominus diceret : Intelligite hanc gravissimam veritatem : sicut furem in nocte, ita Filium hominis in hoc tempore transitoriæ vitæ, venturum esse. Atqui si sciret paterfamilias, futurum esse, ut aliqua, etsi incerta, noctis hora fur veniret , vigilaret utique , et non sineret perfodi ac spoliari domum suam ; ita et vos, mei discipuli, cum sciatis Filium hominis certo venturum esse per noctem hujus vitæ, at hora

aliqua incerta, imo illa hora qua minus putatis : ideo vigilate, et parati estote omni hora.

40. *Et vos estote parati : quia qua hora non putatis, Filius hominis veniet.*

1° *Filius hominus venturus est*, -1) in hora mortis, ut animam uniuscujusque vocet ad judicium particulare ; -2) in fine mundi, ut omnes homines cogat ad judicium universale.

2° Christus Dominus se comparat furi, non quoad actum furandi ; sed quoad silentium et secretum, quo fur captat horam quum patremfamilias abesse vel dormire putat, ut clam invadat incautum, ejusque domum perfodiat et diripiat. Simili enim modo Christus omnes homines incerta hora vocat ad mortem et judicium ; quare omnes monet, dicens : *Ecce venio sicut fur* (Apoc. XV, 15). — Cujus sententiæ veritas quotidiana experientia comprobatur. Videmus enim plerosque homines eo tempore morte abripi, quo sibi sani esse videntur et mortem longe a se abesse, vel saltem nondum instare putant.

Quoad actum furandi, hunc exercet, vel potius exercere videtur Dominus erga incautos tantum. Etenim cautis ac paratis famulis, tanquam dominus beneficus advenit, et aperta janua excipitur : *Ecce venio cito, et merces mea mecum est* (Apoc. XXII, 12). — *Vos autem, fratres*, inquit Apostolus, *non estis in tenebris, ut vos dies illa tanquam fur comprehendat. Omnes enim vos filii lucis estis et filii diei ; non sumus noctis neque tenebrarum.* I Thess. V, 4.

Incautis vero incidit tanquam fur : quasi consulto inopinantes opprimere vellet, quasi violenter ad eos penetrare, eosque spoliare et perdere intenderet. At hæc tantum hostilitatis species est, et effectus mali status peccatoris : quippe qui veluti domum claudit adventanti Christo, et terrenis bonis ita sese agglutinat atque adhæret, ut violenter ab iis divellendus sit, atque hinc propter peccata in æternam mortem detrudendus. — Quæ quidem omnia, ut patet, ex parte hominis sese tenent. Ex parte enim Christi, creaturam suam ex vita revocantis, nulla perditionis intentio est : *Quoniam Deus mortem non fecit, nec delectatur in perditione vivorum* (Sap. I, 13). — *Nolo mortem impii, sed ut convertatur impius a via sua et vivat* (Ezech. XXXIII, 11). — *Quod si non fuerit conversus a via sua, ipse in iniquitate sua morietur* (Ibid. 9). — Porro mors hujusmodi pessima est et terribilis : *Horrendum est incidere in manus Dei viventis*. Hebr. X, 31.

Ideo *estote parati* : id est, estote in statu gratiæ semper, a peccatis alieni, et bonis operibus dediti. *Igitur non dormiamus* (somno peccati) *sicut et cæteri, sed vigilemus et sobrii simus...*

induti loricam fidei et charitatis , et galeam spem salutis. I. Thess. V, 6, 8.

—

Explicatio secunda.

—

Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris ; et vos similes hominibus exspectantibus dominum suum quando revertatur a nuptiis : ut quum venerit et pulsaverit, confestim aperiant ei.

1° En nostra conditio in hac mortali vita : sumus *exspectantes ;* nempe exspectare Dominum, nosque ad ejus adventum præparare debemus, ut ab ipso, cum venerit, in cœlum assumi mereamur. *Quia vado*, inquit, *parare vobis locum. Et si abiero, et præparavero vobis locum, iterum venio et accipiam vos ad me ipsum, ut ubi sum ego et vos sitis* (Joan. XIV, 3). — *Unde etiam*, inquit Apostolus, *Salvatorem exspectamus , Dominum nostrum Jesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ.* Phil. III, 20.

Itaque -1) non habemus hic manentem civitatem, nec locum quietis, aut oblectationis, aut oblivionis Dei...

Sed -2) occupamus locum transitorium, et tempus præparationis. At vero ad jucunditatem magnificam nos præparamus : ita ut velut in pervigilio versemur splendidissimæ festivitatis...

-3) Quicumque alio oculo præsentem vitam intuentur, ii carnis, mundi ac diaboli illusionibus decipiuntur.

-4) Quæcumque speciosa vel jucunda occurrunt in vita, nec ad præparationem nostram pertinent, fallacia sunt, et illusoria, somniisque vanis simillima. — At quonam modo Dominum exspectare debemus ?

2° Modus indicatur in proposita parabola, quo nos ad Domini adventum, sive ad mortem præparare debeamus. Tria enim nobis præcipit Christus : lumbos præcingere, lucernas tenere, et assidue vigilare.

-1) Præceptum primum : *Sint lumbi vestri præcincti.* — Præcincti lumbi generatim concupiscentiæ pravæ refrenationem designant , et passionum omnium quibus in divino servitio impedimur.

In particulari vero, lumborum cingulum -*a*) castitatem indicat : unde *cingulum continentiæ et castitatis* dici solet. Quare S. Gregorius scribit : *Lumbos præcingimus, cum carnis luxuriam per continentiam coarctamus.* — Porro cingulum illud cas-

titatem custodiens, est cingulum cilicii, seu mortificatio et assidua abnegatio universim...

-*b*) Idem illud cingulum est etiam symbolum laboris et patientiæ : quia servi ad ministrandum, bajuli ad onera ferenda, sese præcingunt...

-*c*) Idem est symbolum itineris : quia viatores ad iter se præcingunt. Quapropter præceperat Deus, ut Hebræi in memoriam transitus ex Ægypto, agnum paschalem manducarent præcincti, calceati, et baculos manibus tenentes, quasi expediti ad inchoandum iter : quæ figura erat Sanctorum ex terra transeuntium et contendentium in cœlum...

-*d*) Idem est symbolum celeritatis : quia nuntii et legati accingunt lumbos, ut celeres sint ad legationem obeundam. Hinc angeli, qui Dei sunt nuntii, pinguntur lumbis accinctis, quasi veloces et agiles ad jussa Dei exsequenda. — Hos quoque Christiani imitari debent.

-*e*) Idem est symbolum strenuitatis, et in certando fortitudinis : quia milites et athletæ accingunt lumbos cingulo, quod propterea *cingulum militare* vocatur ; quo firmiores sint, validiusque decertent. — Atqui Christiani sunt milites Christi, qui contra diabolum, carnem et mundum certare debent, juxta illud : *State succincti lumbos vestros in veritate, et induti loricam justitiæ*. Eph. VI, 14.

-2) Præceptum secundum : *Lucernæ ardentes in manibus vestris*. — Lucerna ardens in manibus indicat, -*a*) fidem, qua per noctem hujus vitæ, via nostra illuminatur, gressusque nostri diriguntur.

-*b*) Indicat spem, qua cœlestia bona affulgent nobis, nosque ardore accendunt ut ea persequamur.

-*c*) Indicat charitatem, qua corda nostra ad amandum Deum et proximum inflammantur.

-*d*) Indicat gratiam sanctificantem, qua, veluti vitali luce Dei, anima nostra vivificatur.

-*e*) Indicat hæc omnia simul, quæ internam animæ vitam, ex lumine fidei oriundam, constituunt.

-*f*) Indicat lumen boni exempli, bonorumque operum, præsertim operum charitatis : atque idcirco dicuntur lucernæ ardentes *in manibus* tenendæ. *Lucernas ardentes*, inquit Gregorius, *in manibus tenemus, cum per bona opera proximis nostris lucis exempla monstramus*.

Itaque, præcingere lumbos et lucernas tenere jubemur, ut cum christiana abnegatione, cum gratia sanctificante, cum fide, spe et charitate efficaci, Christo Domino venienti occurramus. Et merito ex hac Christi sententia ortus est mos fidelibus agonizantibus in manus dandi cereum benedictum accensum : ut

hic velut actus sit et externa professio fidei, spei et charitatis, qua e vita migrantes testentur se occurrere Christo Domino.

-3) Præceptum tertium : *Estote vigilantes*, id est, ne date vos somno. — De somno spirituali sermo est, a quo cavere jubemur. -*a*) Qualis autem somnus ille spiritualis sit, ex corporali intelligetur. Somnus scilicet corporalis suspendit omnem hominis actionem : ita ut dormiens neque incedere pedibus, neque operari manibus, neque videre, audire aut loqui possit ; et solummodo exerceatur illusionibus somniorum, quos mox expergefactus, inanes imagines atque phantasmata esse deprehendit. — Inducitur autem somnus per otium, per mollitiem et crapulam ; arcetur vero per operationem, per incommoda et privationes.

Similiter somnus spiritualis omnem animæ actionem adimit respectu salutis ; ita ut quasi mortua, sine visu, auditu, etc. jaceat ; et duntaxat vanis illusionum phantasiis detineatur....

-*b*) Hujusmodi autem somnus distinguitur triplex : somnus negligentiæ, somnus tepiditatis, et somnus peccati mortalis....

-*c*) Cavendum ne in eum incidamus : nempe per otiositatem, per vitam mollem ac sensualem, et præsertim per sobrietatis oblivionem. — Curandum vero e contra, ut eum arceamus : nempe assidue laborando, mortificationi et jejunio operam dando....

-*d*) Quod si quis misere obdormiverit, aut vanitatis somniis se illudi sentiat, evigilet subito, insonante hoc Domini monito : *Vigilate ergo... ne quum venerit repente, inveniat vos dormientes. Quod autem vobis dico, omnibus dico : Vigilate* (Marc. XIII, 37). Et hoc Apostoli : *Surge qui dormis, et exsurge a mortuis, et illuminabit te Christus.* Eph. V, 14.

-*e*) Hic quæri quoque potest, quomodo illusiones vitæ, quæ velut somnia, ex parte mundi, carnis ac diaboli, tam facile homini in nocte præsentis temporis obrepunt, discutiendæ sint ? — R. 1-) Per fugam mundi, et christianam modestiam, qua oculos seductionibus occludamus. *Averte oculos meos ne videant vanitatem* (Ps. CXVIII).—2) Per miserias ac tribulationes vitæ, quas Deus misericorditer immittit, ut somniantes excutiat. -3) Per memoriam mortis, quæ hominem cum omni sua gloria, voluptate, opulentia, cumque omni phantastica sua magnitudine et felicitate, in sepulcri putredinem ac pulverem redigit. *Nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis* (Ps. LXXV). — Nihil scilicet manum mortis effugit nisi quod spirituale est : anima nempe ejusque merita.

3° Rationes adduntur, cur sic exspectare Dominum debeamus : -1) quia venienti et pulsanti *confestim aperiendum* est ; -2) quia ignoramus, *qua vigilia* vel hora sit venturus.

-1) Confestim aperiendum est Domino, ubi venerit : porro, ut S. Gregorius exponit, « venit Dominus, cum ad judicium « properat ; pulsat vero, cum jam per ægritudinis molestias « esse mortem vicinam designat. Cui confestim aperimus, si « hunc cum amore suscipimus. » — Aperiendum dicitur *statim*, quo verbo intelligamus necesse esse, ut in vita paremus virtutes ac merita, quibus in morte ornati, gaudentes occurramus Christo. Nec enim in lecto mortis locus erit aut tempus operandi, nec vix pœnitendi : tunc enim sensus sunt hebetati ; et animus ægritudine oppressus, vix potest de peccatis et de salute sua cogitare.

-2) Ignoramus qua vigilia Dominus venturus sit. Quatuor scilicet vigiliæ quatuor vitæ ætates, adolescentiam, juventutem, ætatem virilem, et senectutem repræsentant... in quibus singulis, ut experientia patet, Dominus venire potest. Quapropter omni tempore vigilandum nobis est ; nec sufficit ut aliquando, aut ad tempus vigiles simus : v. g. in prima adolescentia aut in senectute ; sed in vigilando perseverandum est, quamdiu hæc vita durat, et donec Dominus veniat.

Quod si Christus secundæ et tertiæ vigiliæ expressam faciat mentionem, illud ideo facere videtur, ut peculiari modo juvenes atque ætate maturos admoneat, ne voluptatibus carnis, aut negotiis hujus mundi absorpti, funesto somno obdormiscant....

Beati servi illi... Amen dico vobis, quod prcinget se, et faciet illos discumbere.

1° En beatitudo bonæ mortis. — Servis suis Christus par pari se promittit redditurum in hora mortis eorum : nam quia propter obsequium suum præcincti fuerunt, et ipse pro eis præcinget se ; quia laboraverunt pro Domino suo, ipse faciet eos quiescere et discumbere in æternum ; et quia ministraverunt Domino, ipse vicissim mira dignatione eis ministrabit.

Quæ quidem, ut patet, parabolice accipienda sunt. Significat enim Dominus : -1) se infinitum quemdam servis suis honorem et gloriam redditurum esse in cœlo, ut ibi ex servis faciat eos quasi dominos. -2) Significat, ineffabiles eis se daturum delicias, participes eos reddendo epuli sui nuptialis, id est, felicitatis cœlestis et æternæ. Quod quidem se facturum insinuat cum multiplicibus et indesinentibus ferculis, i. e. jucunditatibus tum animæ tum corporis. *Modicum laboravi, et inveni mihi magnam requiem* (Eccli. LI, 35). — *Momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* II Cor. IV, 17.

2° Insinuatur quoque malæ mortis miseria. Supplenda enim est altera parabolæ pars : Si veniens dominus servos invenerit

dormientes, vel imparatos, aut perversa agentes : cum indignatione excipiet eos et puniet ; eorumque brevem ac intempestivam quietem, aut jucunditatem, in luctum commutabit. *Quod si dixerit servus ille in corde suo : Moram facit dominus meus venire ; et cœperit percutere servos et ancillas, et edere et bibere, et inebriari : veniet dominus servi illius in die qua non sperat, et hora qua nescit, et dividet eum, partemque ejus cum infidelibus ponet.* Luc. XII, 45, 46.

Hoc autem scitote...

Scitote, id est, intelligite, et præ oculis habete, mortis horam incertam esse, ac jugiter instantem. En *memoria mortis*, tam salutaris, tam necessaria, tamque communiter oblivioni tradita.

1° Salutaris est, cum doceat nos bene vivere, peccata fugere, pœnitentiam agere, operibus bonis merita æternæ vitæ comparare ; —cum tanquam lucida face, terrenarum rerum vanitatem ac fluxitatem, cœlestium vero soliditatem ostendat ; — cum omnes carnalis vitæ illusiones sua veritate dissipet ; — cum faciat nos peritura mundi despicere, et solis æternis bonis adhærere....

2° Necessaria mortis memoria : quia necessaria est bona mors, et necessaria consequenter ad mortem præparatio. Ad hanc autem præparationem necessaria quoque est frequens mortis memoria et consideratio: secus enim, vi naturalis socordiæ, fluxis mundi illecebris, ac speciosis illusionibus decipitur homo...

3° Mortis memoria nimis oblivioni tradita. -1) Sic enim plurimi vivunt, quasi semper victuri : ita divitias quærunt, ita fortunam sibi ædificant, ita Deum offendunt, quasi nunquam morituri, aut Deo suo rationem reddituri : ideo quia mortis non recordantur.... -2) At mors nihilominus veniet, et repentina irruet, eosque terrenis spoliabit, et peccatis onustos sistet coram Judice...

Quoniam si sciret paterfamilias, qua hora fur veniret, vigilaret utique...

1° En bona mors, Dei famulis non formidanda, sed potius exoptanda. Nam justus moriturus, -1) nullum a morte patitur detrimentum : -*a*) domus ejus non perfoditur, eam æternam sibi ædificavit in cœlis. *Scimus enim quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam, in cœlis* (II Cor. V, 1) — -*b*) Ejus bona non diripiuntur : nam *thesaurizavit sibi thesauros in cœlo, ubi fures non effodiunt nec furantur* (Matth. VI, 20). — -*c*) Ejus persona non vulneratur : novit enim ideo sese corpus deponere, ut *corruptibile hoc induat incorruptionem, et mortale hoc induat immortalitatem.* II Cor. XV, 53.

-2) Potius liberatur e carcere, ab exilio, a miseriis... *Quis me liberabit de corpore mortis hujus* (Rom. VII, 24)? — *Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum.* Apoc. XXI, 4.

-3) Et accipit vitam veram et gaudia perfecta a Christo : *Euge serve bone et fidelis.... intra in gaudium Domini tui.* Matth. XXV, 21.

2° En quoque mors peccatoris, calamitosa et pessima. Peccatori enim -1) mors advenit dormienti, ut somni turbatrix, ut spectrum horrendum, quodque effugi nullo modo potest. *O mors! quam amara est memoria* (quanto magis visitatio ?) *tua homini pacem habenti in substantiis suis !* Eccli. XLI, 1.

-2) Domus ejus perfoditur et spoliatur, id est fortuna ejus terrestris abripitur. *Stulte, hac nocte animam tuam repetunt a te .. quæ autem parasti cujus erunt ?* Luc. XII, 20.

-3) Ipsemet pessime mulctatur, secundum corpus et secundum animam. *Sepultus est in inferno.* Luc. XVI, 22

3° *Vigilaret utique...* En quomodo a fure domum animæ custodire nos oporteat. — Fures autem sunt plurimi : nam imprimis fur insidiosus est Zabolus seu diabolus.... deinde mundus... mors, non tantum corporis, sed multo magis illa mors animæ, quæ sub forma objecti cujuslibet illecebrosi, per sensus nostros male custoditos, in animam penetrat : *Ascendit mors per fenestras nostras.* Jerem. IX, 21.

Et vos estote parati : quia qua hora non putatis, Filius hominis veniet.

1° Cur Deus voluit mortis horam nobis esse absconditam ? — R. -1) Ut semper simus parati. -2) Ut nihil temporis perdamus, nihilque boni in crastinum differamus ; sed assidue sine mora neque intermissione laborare festinemus, secundum regulam : *Quam primum et quam diligentissime.*

2° Quomodo malam mortem effugere, bonam vero consequi, imo certam nobis efficere possumus ? — R. Jugi vigilantia ; seu assidue, in dies nos parando per opera pœnitentiæ, pietatis et charitatis... atque non committendo ut, vel per unam horam in statu peccati mortalis existentes, imparati simus : *Estote parati....* — Quicumque, juxta hoc Domini monitum semper parati sunt ad moriendum, illi quidem velut in umbra mortis ambulant, sed hoc ipso felicissime vivunt. *Et si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.* Ps. XXII (1).

(1) Reliqua Evangelia de communi Sanctorum, similiter explicata invenire est in ejusdem Auctoris opere cui titulus : Evangelia de communi Sanctorum, *explicationibus ad mentem SS. Patrum, aliorumque interpretum dilucidata, ut non minus populi instructioni quam sacerdotum devotioni serviant.*

INDEX.

Dedicatio.
Præfatio.
Introductio : De excellentia et studio Scripturarum deque scopo et œconomia hujus cursus 1

PARS PRIMA.

Prolegomena in Sacram Scripturam.

CAPUT PRIMUM.

DE SACRÆ SCRIPTURÆ LIBRIS.

ARTICULUS I.

DE LIBRIS BIBLICIS IN SE SPECTATIS.

§ 1. *Notiones generales.*

Quæstio 1. Quot sunt libri biblici, et quonam ordine recensentur? 8
Quæstio 2. Quomodo libri biblici varie dividuntur? . . . 9
Quæstio 3: Quot et quinam libri sunt protocanonici, quot et quinam deuterocanonici? 11
Quæstio 4. A quibusnam auctoribus, et quo tempore libri biblici editi sunt? . . . . *ib.*
Tabula chronologica scriptorum veteris et novi Testamenti 13
Quæstio 5. Quo idiomate libri sacri primum fuere conscripti?
Quæstio 6. Quo genere sermonis libri sacri compositi sunt, metrico an prosaico? 16

§ 2. *Notiones particulares.*

Quæstio 1. Quænam particularius de libris singulis, tum veteris, tum novi Testamenti, animadvertenda sunt et tenenda? 16

De libro Genesis . . . . *ib.*
De libro Exodi 17
De libro Levitico 17
De libro Numerorum 18
De libro Deuteronomii . . . . *ib.*
De libro Josue . . . . *ib.*
De libro Judicum . . . . *ib.*

De libro Ruth 19
De quatuor libris Regum . . . . . . *ib.*
De duobus libris Paralipomenon 20
De duobus libris Esdræ. . . . . . . *ib.*
De libro Tobiæ 21
De libro Judith . . . . *ib.*
De libro Esther 22
De libro Job. . . . . *ib.*
De libro Psalmorum 23
De libro Proverbiorum 26
De libro Ecclesiastæ . . . . *ib.*
De Cantico canticorum 27
De libro Sapientiæ . . . . *ib.*
De libro Ecclesiastici 28
De Isaia . . . . *ib.*
De Jeremia et Baruch 29
De Ezechiele 30
De Daniele . . . . *ib.*
De duodecim Prophetis minoribus. . . . 31
De Osee 32
De Joele . . . . *ib.*
De Amos . . . . *ib.*
De Abdia 33
De Jona . . . . *ib.*
De Michæa . . . . *ib.*
De Nahum . . . . *ib.*
De Habacuc 34
De Sophonia . . . . *ib.*
De Aggæo . . . . *ib.*
De Zacharia . . . . *ib.*
De Malachia . . . . *ib.*
De duobus libris Machabæorum 35
De quatuor Evangeliis generatim 36
De Evangelio Matthæi 38
De Evangelio Marci 39
De Evangelio Lucæ . . . . *ib.*
De Evangelio Joannis 40
De Actibus Apostolorum 41
De Epistolis B. Pauli generatim . . . . *ib.*
De Epistola ad Romanos 42
De Epistola I et II ad Corinthios 43
De Epistolis ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses, et ad Thessalonicenses . *ib.*
De Epistolis ad Timotheum, ad Titum, et ad Philemonem 44
De Epistola ad Hebræos 45
De septem Epistolis catholicis . . . . *ib.*
De Epistola B. Jacobi Apostoli 46
De duabus Epistolis B. Petri Apostoli . . . *ib.*
De tribus Epistolis B. Joannis Apostoli. . . *ib.*
De Epistola B Judæ Apostoli. 47
De Apocalypsi B. Joannis Apostoli. . . . *ib.*

QUÆSTIO 2. Quo sensu inter se distinguuntur S. Scripturæ textus, versiones, codices et editiones ? . . . 48
QUÆSTIO 3. Quid sciendum de textu hebræo, ejusque codicibus et editionibus ? 49

QUÆSTIO 4. Quid cognoscendum de textu græco, ejusque codicibus, lectionibus et editionibus ? . . . *ib.*
QUÆSTIO 5. Quænam sunt principuæ SS. Bibliorum versiones, hodie exstantes ? 51
QUÆSTIO 6. Quænam est et quanti pretii versio LXX Interpretum ? 52
QUÆSTIO 7. Quid dicendum de versionibus orientalibus reliquis, Samaritana, Chaldaica, etc. ? 53
QUÆSTIO 8. Quid intelligitur nomine versionis *Italæ*? . *ib.*
QUÆSTIO 9. Quænam dicitur versio *Hieronymiana* ? . . 54
QUÆSTIO 10. Quid tenendum de versione *Vulgata*, deque ejus correctoriis et editionibus ? . . . . . *ib.*

ARTICULUS II.

DE LIBRORUM BIBLICORUM AUCTORITATE.

§ 1. *De auctoritate librorum generatim.* 56
§ 2. *De auctoritate humana Scripturarum.* 57

QUÆSTIO 1. Quid est librorum genuinitas, integritas et veracitas ? . . . . *ib.*
QUÆSTIO 2. Quomodo hæc tria : genuinitas, integritas et veracitas, libris Scripturæ inesse demonstrantur ? . 58
PROPOSITIO I. Libri novi Testamenti, speciatim libri Evangeliorum, genuini sunt, integri et veraces . . . *ib.*
PROPOSITIO II. Libri veteris Testamenti, et speciatim Pentateuchus , genuini sunt , integri et veraces. . . . 60
DIFFICULTATES contra authenticitatem pentateuchi. 61
QUÆSTIO 3. Quid operis Esdras circa libros veteris Testamenti effecit ? 63
QUÆSTIO 4. Quid de Masorethicis punctis, eorumque auctoritate dicendum est ? 64

§ 3. *De auctoritate divina Scripturarum.* 65

QUÆSTIO 1. Quid est divina Scripturarum auctoritas ? . . *ib.*
QUÆSTIO 2. Quid est inspiratio ? . . . . . . *ib.*
QUÆSTIO 3. An Scriptura sacra est divinitus inspirata ? . . 66
QUÆSTIO 4. Qualis est Scripturæ inspiratio ? seu quis inspirationis modus, et quæ extensio est admittenda ? . *ib.*
QUÆSTIO 5. Quid est canon Scripturarum ? 67
QUÆSTIO 6. Quis est genuinis canon Scripturarum ? . . *ib.*
QUÆSTIO 7. Quis textus, quæve versio, et quæ editio est authentica ? 68

—

CAPUT SECUNDUM.

DE SACRÆ SCRIPTURARÆ INTERPRETATIONE.

ARTICULUS I.

DE INTERPRETATIONIS NECESSITATE. . . 70

ARTICULUS II.

DE APPARATU HERMENEUTICO . . . 72

ARTICULUS III.

DE SENSIBUS SCRIPTURARUM . . . *ib.*

QUÆSTIO 1. Quid intelligitur nomine sensus Scripturæ ? et quotuplex hic distinguitur ? 73
QUÆSTIO 2. Quis sensus dicitur grammaticalis ? . . . *ib.*
QUÆSTIO 3. Quis est sensus litteralis, et quomodo dividitur ? . 74
Exempla sensus litteralis varie distincti . . *ib.*
QUÆSTIO 4. Quis est sensus mysticus et quomodo dividitur ? . 75
QUÆSTIO 5. Quænam inter sensum mysticum et typos relatio intercedit ? et quid typorum nomine intelligendum? 76
QUÆSTIO 6. Quid de sensu accommodatitio dicendum ? . . 77
QUÆSTIO 7. Quænam circa sensus modo explicatos practice sunt adnotanda ? 78

ARTICULUS IV.

DE SENSUS INVESTIGATIONE.

SECTIO I.

DE REGULIS 80

§ 1. *Regulæ generales.*

QUÆSTIO 1. Quænam est regula dogmatica Tridentini in Scripturis interpretandis sequenda ? . . . . *ib.*
QUÆSTIO 2. Quænam sunt regulæ hermeneuticæ pro sensu mystico ? 81
QUÆSTIO 3. Quinam sunt præcipui typi, seu figuræ quæ in vetere Testamento reperiuntur ? 82
Nomina Christi in vetere Testamento. . . 96
Nomina Christi in novo Testamento . . . 98
Nomina B. Mariæ Virginis , ex utroque Testamento desumpta 99
QUÆSTIO 4. Quænam sunt regulæ pro sensu litterali et grammaticali ? 100
QUÆSTIO 5. Quinam sunt præcipui idiotismi hebraici ? . . 109
QUÆSTIO 6. Quid de ponderibus, mensuris et pecuniis Hebræorum sciendum est ? 113

§ 2. *Regulæ speciales.* 115

QUÆSTIO 1. Quænam sunt regulæ speciales pro interpretandis Prophetis . . . . *ib.*
QUÆSTIO 2. Quænam sunt regulæ pro Psalmis ? . . . 116
Summarium vitæ Davidis. 117
QUÆSTIO 3. Quænam dantur regulæ pro Evangeliis ? . . 119

SECTIO II.

DE SACRÆ SCRIPTURÆ LECTIONE ET STUDIO . . . *ib.*

§ 1. *De dispositionibus animi* . . . . . *ib.*
§ 2. *De methodo.* 122

SECTIO III.

DE USU INTERPRETUM.

QUÆSTIO UNICA. Quinam sunt præcipui Scripturarum interpretes. tum antiqui, tum recentiores ? . . . . *ib.*

PARS SECUNDA

Explicationes. 127

SECTIO PRIMA.

SOLUTIO DIFFICULTATUM. . . . . *ib.*

Difficultates libri Genesis . . . . . . *ib.*

§ 1. *De auctoritate historica Moysis* . . *ib.*
§ 2. *De chronologia Mosaica* . . . 130

QUÆSTIO 1. Nonne auctoritatem Moysis minuit ipsius chronologia, cui contradicere videtur chronologia seu antiquitas plurium monarchiarum, nec non testimonium quorumdam monumentorum fossilium ? . *ib.*
QUÆSTIO 2. Chronologia Moysis quænam est ? . . . *ib.*
QUÆSTIO 3. Quomodo chronologiæ Biblicæ officere nequit ulla chronologia aliunde quæsita ? 132
QUÆSTIO 4. Quomodo revera chronologiæ Biblicæ non officit antiquitas ulla, quibuscumque populis attributa ? . *ib.*
QUÆSTIO 5. Quomodo Moysis chronologiæ non adversatur testimonium monumentorum fossilium ? . . . 135

§ 3. *De hexaemero, seu opificio sex dierum.* . *ib.*

I. Difficultas geologica. 136
QUÆSTIO 1. Quisnam scopus est narrationis genesiacæ ? . . *ib.*
QUÆSTIO 2. Quænam in hac narratione sive dogmatice sive exegetice certa sunt ? quænam vero disputata remanent et libera ? 137

QUÆSTIO 3. Quænam hactenus in geologia videntur certa? . 139
QUÆSTIO 4. Quomodo ostendi potest, narrationi Mosaicæ rite intellectæ facta geologica certa non adversari? . 140
II. Difficultas physiologica 141
III. Difficultas astronomica . . . . . *ib.*

§ 4. *De serpente tentatore* . . . 142
§ 5. *De gigantibus.* 143
§ 6. *De Noe et diluvio* 144
§ 7. *De iride.* 146
§ 8. *De longævitate patriarcharum.* . *ib.*
§ 9. *De sacrificio Melchisedech.* . . *ib.*
§ 10. *De uxore Loth.* 147

Difficultates libri Exodi, et reliquorum librorum Pentateuchi . . . . *ib.*
Difficultates libri Josue 154
Difficultates libri Judicum. 156
Difficultates libri Ruth 158
Difficultates libri I Regum. 159
Difficultates libri II Regum. 164
Difficultates libri III Regum 166
Difficultates libri IV Regum 167
Difficultates libri I et II Paralipomenon . . 169
Difficultates libri I et II Esdræ 170
Difficultates libri Tobiæ 171
Difficultates libri Judith 172
Difficultates libri Esther 174
Difficultates libri Job . . . . . *ib.*
Difficultates libri Psalmorum 176
Difficultates libri Proverbiorum. . . . 179
Difficultates libri Ecclesiastæ . . . . *ib.*
Difficultates Cantici canticorum. . . . 181
Difficultates libri Sapientiæ . . . . *ib.*
Difficultates libri Ecclesiastici 182
Difficultates Prophetarum universim . . . 183
Difficultates Isaiæ prophetæ 185
Difficultates Jeremiæ prophetæ . . . . *ib.*
Difficultates Ezechielis prophetæ . . . 186
Difficultates Danielis prophetæ 187
Difficultates Prophetarum minorum . . . 188
Difficultates libri I et II Machabæorum . . 191
Antilogiæ et difficultates Evangeliorum . . 192
Difficultates libri Actuum 202
Difficultates Epistolæ ad Romanos . . . 204
Difficultates Epistolæ I et II ad Corinthios . . *ib.*
Difficultates Epistolæ ad Galatas, et reliquarum Epistolarum B. Pauli. . . 205
Difficultates Epistolarum catholicarum. . . 207
Difficultates libri Apocalypsis 210

SECTIO SECUNDA.

EXPOSITIONES SELECTÆ. 212

—

SERIES I.

PROPHETIÆ ET EPISTOLÆ SELECTÆ . . . . *ib.*

Sabbato sancto, prophetia tertia.
Tentavit Deus Abraham. Gen. XXII, 1-19.
Explicatio prima 213
Explicatio secunda. 223
In officio Defunctorum ad Matutinum, lectio I.
Parce mihi, Domine. Job. VII, 16-21.
Explicatio prima. 231
Explicatio secunda. 234
In officio Defunctorum, lectio VIII.
Pelli meæ, consumptis carnibus. Job. XIX, 20-27.
Explicatio prima. 238
Explicatio secunda 243
Feria IV. Quatuor Temporum Adventus. Lectio Isaiæ : *Erit in novissimis.* Isai. II, 2-5 247
Explicatio prima. . . . . *ib.*
Explicatio secunda 252
Sabbato Quatuor Temporum Adventus. Lectio Isaiæ : *Hæc dicit Dominus christo meo Cyro.* Isai. XLV, 1-8 . . 256
Explicatio prima. . . . . *ib.*
Explicatio secunda. 262
Feria V in Coena Domini, ad matutinum. Lectiones. *Quomodo sedet sola civitas...* Jerem. Thren. I, 1-14. . . . 267
Explicatio prima. 268
Explicatio secunda. 277
Dominica prima Adventus. Lectio Epistolæ ad Romanos : *Scientes quia hora est.* Rom. XIII, 11-14. . . . 282
Explicatio prima. . . . . *ib.*
Explicatio secunda 285
Dominica secunda Adventus. Lectio Epistolæ ad Romanos : *Quæcumque scripta sunt.* Rom. XV, 4-13. . . . 289
Explicatio prima. . . . . *ib.*
Explicatio secunda 295
Dominica in quinquagesima. Lectio Epistolæ prima ad Corinthios : *Si linguis hominum.* I Cor. XIII, 1-13 . . . 300
Explicatio prima. 301
Explicatio secunda 308
Dominica tertia Adventus. Lectio Epistolæ ad Philippenses : *Gaudete in Dominô semper.* Philipp. IV, 4-7 . . . 315
Explicatio prima. 316
Explicatio secunda 318
Sabbato Sancto. Lectio Epistolæ ad Colossenses : *Si consurrexistis cum Christo.* Coloss. III, 1-4 322
Explicatio prima 323

Explicatio secunda 325
Epistola B. Petri Apostoli prima. 328
Caput I 329
Explicatio 331
Caput II 338
Explicatio 339
Caput III 346
Explicatio 348
Caput IV 353
Explicatio 355
Caput V 359
Explicatio 360

SERIES II.

EVANGELIA SELECTA.

Dominica duodecima post Pentecosten.
Parabola boni Samaritani. Luc. X, 23-37 . . . 364
Explicatio prima 365
Explicatio secunda 372
Dominica decima tertia post Pentecosten.
Decem leprosi. Luc. XVII, 11-19 379
Explicatio prima. . . . . *ib.*
Explicatio secunda. 384
Dominica decima quarta post Pentecosten. *Nemo potest duobus dominis servire*. Matth. VI, 24-33 388
Explicatio prima 389
Explicatio secunda 395
Dominica decima quinta post Pentecosten. *Resurrectio filii viduæ Naïm*. Luc. VII, 11-16 402
Explicatio prima. 403
Explicatio secunda 408
Feria quinta infra hebdomadam secundam Quadragesimæ.
Evangelium *de Divite epulone*. Luc. XVI, 19-31. . . 412
Explicatio prima. 413
Explicatio secunda 424
Sabbato infra hebdomadam secundam Quadragesimæ.
Evangelium de *Filio prodigo*. Luc. XV, 11-32. . . 429
Explicatio prima. 431
Explicatio secunda 443
Oratio Dominica. *Pater noster*. Matth. VI, 9-13 . . . 451
Explicatio prima. . . . . *ib.*
Explicatio secunda 465
Canticum B. Mariæ Virginis : *Magnificat* 470
Explicatio prima. 471
Explicatio secunda 480
Canticum Zachariæ : *Benedictus*. 484
Explicatio prima. 486
Explicatio secunda 493
Evangelium de communi Doctorum : *Vos estis sal terræ*. . 497

Explicatio prima. 498
Explicatio secunda 504
Evangelium de communi Conf. non Pontificis : *Sint lumbi vestri præcincti* 508
Explicatio prima 509
Explicatio secunda 513

CURSUS
SCRIPTURÆ SACRÆ

TOMUS II.

CURSUS SCRIPTURÆ SACRÆ

—

EXPOSITIONES SELECTÆ.

SERIES III

Psalmi selecti (1).

—

PSALMUS I.

Beatus vir qui non abiit.

Textus Vulgatæ.	*Paraphrasis.*
1. Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum, et in via peccatorum non stetit, et in cathedra pestilentiæ non sedit :	1. Beatus vir qui non est secutus consilium impiorum, nec institit viam peccatorum, nec sedit in consessu pestifero despicientium legem Dei ;
2. Sed in lege Domini voluntas ejus : et in lege ejus meditabitur die ac nocte.	2. Sed in lege Domini voluntatem omnem ac studium posuit ; et in eadem lege cogitanda, adimplenda ac docenda, occupatur die ac nocte, id est, assidue.
3. Et erit tanquam lignum quod plantatum est secus decurcus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo :	3. Etenim erit sicut arbor plantata juxta rivos aquarum, quæ fructum suum dabit in tempore suo ;
4. Et folium ejus non defluet : et omnia quæcumque faciet prosperabuntur.	4. Quæ ne folia quidem amittet, sed jugiter omnique ex parte crescet et prosperabitur.
5. Non sic impii, non sic : sed tanquam pulvis quem projicit ventus a facie terræ.	5. Non sic impii, non sic : sed instar pulveris levissimi a vento dispersi, rapientur a facie terræ.

(1) Notiones de *Libro Psalmorum*, deque præstantia ejus, vid. tom. I, cap. 1, art. 1, p. 23. — *Summarium vitæ Davidis*, ibid. cap. 2, art. 4, p. 116 seqq.

6. Ideo non resurgent impii in judicio : neque peccatores in concilio justorum.	6. Ideo in die judicii ac retributionis, non sic resurgent impii, ut sint in concessu et consortio justorum ; sed inferis adjudicati in cœtu reproborum erunt.
7. Quoniam novit Dominus viam justorum : et iter impiorum peribit.	7. Quoniam agnovit Dominus ut bonam, approbat et amat viam id est, vitam justorum : iter vero impiorum, Domino non probatum, ad interitum ducit.

—

Explicatio.

Argumentum psalmi est beatitudo hominis justi. — Et quidem ideo psalmus iste ponitur primo loco, quasi totius psalterii proemium, quia agit de beatitudine, quæ fundamentum et principium est doctrinæ moralis in psalmis traditæ. Psalmorum enim liber moralis est, et, ut ait Augustinus (1), *communis quidam bonæ doctrinæ thesaurus, apte singulis necessaria subministrans.* — Itaque ab initio beatitudo tanquam splendidus finis proponitur, ac velut meta aurea, quæ ad ardenter currendum omnes excitet et inflammet.

Psalmus hortatorius est, quo propheta homines ad sectandam justitiam provocat, præ oculus posita, hinc felicitate justorum, inde vero impiorum miseria ; ita ut oratio tota reduci possit ad hæc duo :

I. *Justus divinæ legis studiosus, omni prosperitate florebit.*
II. *Impius vero miserrimus erit, in hoc sæculo et in futuro.*

—

1. *Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum, et in via peccatorum non stetit, et in cathedra pestilentiæ non sedit : 2. Sed in lege Domini voluntas ejus : et in lege ejus meditabitur die ac nocte.*

Celebraturus justi felicitatem, ipsum hominum justum imprimis describit, tum negative, tum positive. Scilicet perfecte justus est ille, qui recedit ab omni malo, et sese impendit omni bono secundum legem Domini.

Qui non abiit, inquit, *in consilio impiorum* : id est, qui non egit sive secundum consilia ac suasiones impiorum, sive secundum eorum sensum ac sententiam. — *Et in via peccatorum non stetit* : id est, non posuit gressus, nec ambulavit in via qua peccatores ambulant. — *Et in cathedra pestilentiæ non sedit* :

(1) In *Prologo.*

juxta hebræum, non sedit *in sede seu consessu derisorum*, eorum nimirum qui derident et contemnunt legem Dei.

Hæc tria, *non abiit... non stetit... non sedit...* tres velut gradus male viventium denotant : nimirum eorum qui peccare incipiunt, vel qui peccare pergunt et sæpius relabuntur, vel qui plane jam in mala vita conquiescunt. — Ab istis omnibus vir justus recedit, *ab omni specie mala abstinens se.* I Thess. V. 22.

Porro non tantum declinat a malo, sed facit bonum : *In lege Domini voluntas ejus*, ex toto scilicet corde divinæ legi inhæret, et in eadem assidue *meditabitur* seu *meditatur*. Latina vox *meditari*, sicut correspondens græca (μελετήσει) et hebraica (IEHGEH) referri potest ad exercitium sive cogitationis, sive vocis, sive operis. Vis igitur vocis *meditari* est exerceri, occupari in aliqua re, eidem sese impendere, et quidem omni modo, cogitatione, voce et opere. — Hinc intelligitur, verba ista : *In lege Domini voluntas ejus, et in lege ejus meditabitur die ac nocte*, animam denotare omnino rectam, Deo interne et externe, omnibusque facultatibus suis devotam.

Perfecte justus qualis hic describitur quisnam est ? Sensu litterali nullus in particulari respicitur : imago tantum et idea delineatur perfectæ justitiæ, quæ cuilibet homini possit convenire. — Sensu autem altiore designatur 1° Christus, justorum princeps et exemplar ; 2° quivis Christi discipuli et imitatores, qui velut stellæ solem justitiæ sequuntur. Ipsis enim imago illa ac delineatio congruit.

Postquam ostendit qualis sit justus de quo loquitur, ejus beatitudinem explicat :

3. *Et erit tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo :* 4. *Et folium ejus non defluet : et omnia quæcumque faciet prosperabuntur.*

Erit, inquit, tanquam arbor fructifera, bene irrigata, fecunda, immortalis. — His verbis adumbratur copiosissima benedictio et felicitas, qua fruetur justus, tum in hoc sæculo, secundum ordinem gratiæ, tum in futuro secundum gloriam.

Quod dicitur tanquam lignum, seu arbor, innuit cedrum, palmam vel olivam : quæ arbores comarum honorem semper retinent, et quibus Scriptura passim justos comparare solet. Eodem fere modo Jeremias dicit : *Et erit quasi lignum, quod transplantatur super aquas, quod ad humorem mittit radices suas : et non timebit cum venerit æstus. Et erit folium ejus viride, et in tempore siccitatis non erit sollicitum, nec aliquando desinet facere fructum.*

Decursus aquarum indicant gratiarum abundantiam, quibus justus irrigabitur ; arboris plantatio, fructus in tempore, folium non decidens, totidem proprietates justorum innuunt.

Et omnia quæcumque faciet prosperabuntur. Vel ad justum hæc referri possunt, vel ad arborem : melius tamen intelliguntur de arbore, quia id magis convenire videtur contextæ orationi, et similitudini arboris : quæ similitudo sic multo pulchrior videtur et plenior. — Sensu metaphorico, ut satis liquet, citata verba significant, justis omnia in bonum cedere, quamvis contraria videantur ; iisque consonat illud Apostoli : *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Rom. VIII, 28.

Parallelismum arboris fructiferæ et hominis justi sic explicat Lorinus : —1) Arbor fructifera seritur et eget cultura ; sic justus nemo nascitur, sed fit per Dei gratiam, et cooperationem propriam. —2) Arboris inferior pars deformis , superior pulchra ; similiter in justo sese habet pars inferior seu caro, et superior seu spiritus. —3) Radix, unde omnia trahit arbor, latet in terra, et quo procerior arbor est, eo illa profundior ; sic justus humilitate nutritur et exaltatur. —4) Hieme rigescit arbor, videturque mortua, veris tempore reviviscit ; justus in hac vita velut mortuus videtur et crucifixus : transacta vero hac hieme, surget immortalitate plenus. —5) Ex eadem radice prodit varietas ramorum ; ex eadem charitate virtutes multæ. —6) Fructificat arbor aliis ; justus quoque Deo et proximo, per veram charitatem. —7) Arbor robusta ventis et imbribus resistit ; sic justus rebus adversis. — 8) Sicut in arbore, ita in justo sunt folia, nempe cogitationes honestæ ; flores, sancti affectus ; fructus, bona opera : seu frondes ac viror doctrinæ et fidei, flores orationis, fructus operationis sanctæ. —9) Fructus maturus colligitur et infertur in domum domini arboris ; sic justus in paradisum. Non enim tantum fructus seu opera justorum glorificabuntur , sed ipsimet justi exaltabuntur in gloria, *plantati in domo Domini, in atriis Domus Dei nostri florebunt.* Ps. XCI.

Prosperitas justi, similitudine arboris in psalmo descripta, attribuenda est principaliter Christo ; deinde secundario omnibus Christi discipulis ; ideoque de singulis Confessoribus dicit Ecclesia : *Omnia quæcumque faciet semper prosperabuntur.*

5. *Non sic impii, non sic : sed tanquam pulvis quem projicit ventus a facie terræ.*

6. *Ideo non resurgent impii in judicio : neque peccatores in concilio justorum.*

7. *Quoniam novit Dominus viam justorum : et iter impiorum peribit.*

Incipit secunda pars, *miseria impiorum.* — Prorsus, inquit,

diversam sortem nanciscentur impii : non sicut arbor irrigua et fecunda ; *sed tanquam pulvis...*

Pulvis intelligitur minutissimæ paleæ, quæ facile vento raptatur : vox enim hebraica (MÔTS) proprie significat paleam exiguam et levissimam. — Tanquam pulvis hujusmodi, abjectus erit impius, aridus, sterilis, mobilis, *quem projicit ventus...* Ventus ille est -1) Spiritus superbiæ aliarumque passionum, quibus agitantur impii ; deinde -2) spiritus furoris Dei, quo rapientur *a facie terræ.* Terram hic intellige hujus vitæ, cui tanquam stabili suæ mansioni adhærent ; deinde vero terram viventium, quam nunquam possidebunt.

Postquam ostendit impiorum sortem in hoc sæculo, eam multo pejorem indicat fore in futuro. Non enim sufficit ut tollantur a facie terræ, et rebus terrenis spolientur ; insuper subibunt confusionem summam in die judicii, et inde ruinam æternam : *Ideo non resurgent impii in judicio, neque peccatores in concilio justorum.* De novissimo judicii die hæc communiter intelligunt Patres et interpretes. — Dupliciter autem sententia intelligi potest. Prima expositio : Non erigent caput impii in die judicii, nec audebunt prodire sicut justi coram tribunali Dei. — Expositio altera : Impii in die resurrectionis non consistent inter justos, quia finis eorum est interitus ac reprobatio ; Judex enim exaltabit justos, impios vero perdet : *Quoniam novit Dominus viam justorum : et iter impiorum peribit.*

Sensus liturgicus.

Psalmus I recitatur, 1° in officio de Christo : in festis nimirum spineæ Coronæ, Lanceæ et Clavorum , Resurrectionis et Corporis Christi ; — 2° in officio de Sanctis, sive Martyribus sive Confessoribus.

1° In officio de Christo, vir justus in Ecclesiæ mente est Christus, cujus sanctitas, prosperitas et gloria celebratur. — Quod dicitur de ligno, innuit passionem Domini, qui cruci affixus, factus est arbor vitæ. — Quod dicitur de fructu, indicat tum sanguinem Domini , nostramque redemptionem , quam velut proprium fructum Salvator protulit ; tum sacramenta quæ velut e vulneribus ejus fluxerunt præcipue sacramentum corporis et sanguinis ejus Eucharistici. Quod quidem declaratur in antiphona *Fructum salutiferum gustandum dedit Dominus mortis suæ tempore.* — Quod demum dicitur in psalmo de resurrectione , refertur ad resurrectionem Christi, tanquam causam exemplarem resurrectionis omnium justorum.

2° In officio de Sanctis, Ecclesia singulis Martyribus aut Confessoribus psalmum applicat, quasi diceret : Beatus vir, qui, sicut ille quem hodie colimus, non abiit in consilio impio-

rum, sed legi Domini fideliter inhæsit... et factus est velut lignum vitæ, omni benedictione cumulatus... — His verbis : *Et folia ejus non defluent*, innuuntur tribulationes quas servi Dei passi sunt, absque animæ, imo absque ipsius corporis vero detrimento, secundum illud : *Et capillus de capite vestro non peribit* (Luc. XXI, 18). — In fine ostenditur triumphus de morte, de mortificatione, deque omni humiliatione, quo justi in resurrectione gloriosa fruentur.

—

PSALMUS II.

Quare fremuerunt.

1. Quare fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania ?

1. Quare infremuerunt gentiles, et populi judaici meditati sunt inania ?

2. Astiterunt reges terræ, et principes convenerunt in unum : adversus Dominum et adversus Christum ejus.

2. Consurrexerunt imprimis reges terræ et principes, conveneruntque in unum adversus Dominum et adversus Christum ejus.

3. Dirumpamus vincula eorum : et projiciamus a nobis jugum ipsorum

3. Legem scilicet evangelicam videntes : Dirumpamus, inquierunt, vincula eorum, Dei nimirum et Christi ; et projiciamus a nobis jugum ipsorum.

4. Qui habitat in cœlis irridebit eos : et Dominus subsannabit eos.

4. Qui autem habitat in cœlis irridebit eos : et Dominus subsannabit, illudet eos.

5. Tunc loquetur ad eos in ira sua : et in furore suo conturbabit eos.

5. Respondebitque eis, non verbis, sed ira sua ac verberibus ; et furore seu terribili vindicta eos confundet.

6. Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus : prædicans præceptum ejus.

6. Ego, inquiet Christus, constitutus sum Rex, non ab hominibus, sed ab ipso Deo Patre, super Sion, civitatem sanctam ejus in monte positam : et en palam facio decretum divinum constitutionis meæ.

7. Dominus dixit ad me : Filius meus es tu, ego hodie genui te.

7. Dominus enim Pater dixit ad me : Filius meus es tu, ego hodie genui te.

8. Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam : et possessionem tuam terminos terræ.

8. Jure igitur filiali postula a me et dabo tibi imperium in omnes gentes, tanquam hæreditatem tuam : et omnem terram usque ad ultimos ejus fines, tanquam possessionem tibi debitam.

9. Reges eos in virga fer-

9. Reges populos sceptro ferreo

rea : et tanquam vas figuli confringes eos.

10. Et nunc, reges, intelligite : erudimini, qui judicatis terram.

11. Servite Domino in timore : et exultate ei cum tremore ;

12. Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus : et pereatis de via justa.

13. Cum exarserit in brevi ira ejus : beati omnes qui confidunt in eo.

cui resistere nequeant ; et qui resistere tentaverint, tanquam vas figuli confringes eos.

10. Quapropter, reges, populorum duces ac judices, agnoscite veritatem, et sapienter agite.

11. Servite Domino Christo filiali amore, et diligite eum sancto timore.

12. Amplectimini ex animo doctrinam ejus, ne incurratis iram ejus, et a via justitiæ seclusi prorsus pereatis.

13. Brevi exardescet ira ejus : id est, brevi aderit dies secundi adventus ejus quo tanquam judex apparebit et vindex terribilis impiis : beati tunc omnes qui confidenter adhæserint ei.

—

Explicatio.

Psalmus iste congrue ponitur secundo loco, quia, ut ait Leblanc, sicut in primo beatitudo proponitur justitiæ studiosis, ita in hoc secundo, ostenditur Christus per quem justitia consequenda est.

Argumentum enim psalmi est de Christo, ut patet ex Act. IV, 24, seqq., ubi legimus : *Domine, tu es qui fecisti cœlum et terram, mare et omnia quæ in eis sunt ; qui Spiritu sancto per os patris nostri David, pueri tui, dixisti : Quare fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania ? Astiterunt reges terræ et principes convenerunt in unum, adversus Dominum et adversus Christum ejus. Convenerunt enim vere in civitate ista, adversus sanctum puerum tuum Jesum, quem unxisti, Herodes et Pontius Pilatus, cum gentibus et populis Israel, facere quæ manus tua et consilium tuum decreverunt fieri.* (Cfr. Hebr. I, 5, et V, 5 ; item Act. XIII, 33.)

Insuper, doctores antiquæ Synagogæ semper psalmum hunc de Christo intellexerunt. — De SS. Patribus superfluum est dicere, eos unanimiter nihil hic nisi Christum videre.

Psalmus itaque de Christo est, nempe prophetia de regno Christi. David prophetico Spiritu videns, adveniente Messia, motum magnum populorum ac principum contra ipsum insurgentium, inanes esse proclamat conatus eorum ; Christum enim divina et ineluctabili potentia regnaturum esse per totum

orbem. — Quæ quidem propheta sic annuntiat, ut simul indicet Christi passionem, resurrectionem, Ecclesiam, triumphum de Gentibus, providentiam et justitiam. — Hinc tres psalmi partes :

I. *Judæorum et gentium furor.*
II. *Dei Patris de eis triumphus.*
III. *Christi regnum divinitus constitutum per orbem.*

—

1. *Quare fremuerunt gentes et populi meditati sunt inania ?*

2. *Astiterunt reges terræ et principes convenerunt in unum : adversus Dominum, et adversus Christum ejus.*

3. *Dirumpamus vincula eorum : et projiciamus a nobis jugum ipsorum.*

En populorum furor : propheta 1° ostendit eos tumultuantes et frementes instar sævi maris, deinde conspirantes adversus Christum ; 2° aperit tantæ conspirationis causam, inducendo ipsos loquentes.

Quare fremuerunt ?... Admiratur hac interrogatione stultitiam hominum, contra Dominum et Christum conspirantium : quandoquidem ex una parte lex Ejus et dominatio est suavissima, et ex altera Deo resistere non poterunt.

Nomine *gentium* hic intelligendos esse gentiles, et nomine *populorum* Judæos, patet ex verbis Actuum supra citatis : *Convenerunt.... Herodes et Pontius Pilatus, cum gentibus et populis Israel* (1). — Porro insurgere dicuntur principes et reges, quia præcipue magnates et divites Christo resistunt.

Dirumpamus vincula eorum... En ratio seu motivum rebellionis, quasi dicerent : Repellamus imperium Dei et Christi ejus, neque ei subdamur : *Nolumus hunc regnare super nos.* (Luc. XIX, 13.) Violentiam, superbiam, contemptum spirant verba impiorum, ad quæ alluditur Jerem. II, 20 : *Confregisti jugum meum, rupisti vincula mea, et dixisti : Non serviam.* — Vincula vocant et jugum tyrannicum legem evangelicam et jugum Christi suavissimum.

4. *Qui habitat in cœlis irridebit eos : et Dominus subsannabit eos.*

5. *Tunc loquetur ad eos in ira sua : et in furore suo conturbabit eos.*

Secunda pars : Dei Patris triumphus. Regibus terræ oppo-

(1) Non obstat quod numero plurali dicitur *cum populis Israel*, græce σὺν λαοῖς : nam auctor versionis latinæ antiquæ posuit *cum populo Israel*, adeoque legit σὺν ἔθνεσι καὶ λαῷ Ἰσραήλ. Hæc est forsitan vera lectio ; aut λαοῖς positum est pro singulari λαῷ, quo accuratius hæc verba responderent verbis supra (Act. IV, versu 25) e Psalmo nostro allatis.

nitur Rex cœlestis, cui subjecta sunt omnia. Sicut præcedentia motu et effervescentia plena sunt ; ita quæ de Deo dicuntur imperturbabilem majestatem ac securitatem indicant.

Irridebit, subsannabit eos, metaphorice dicuntur, ad significandum, 1° inanes prorsus esse hominum contra Deum conatus et molimina ; 2° eadem impiis vertenda esse confusioni et ruinæ.

Tunc loquetur ad eos.... tempore scilicet harum conspirationum et persecutionum, vel quando tempus supplicio opportunum judicaverit. — *Locutio* autem hic significatur illa quæ fit, non verbis sed actibus. Loquetur scilicet Deus, et respondebit insultantibus inimicis, gravissimas illis pœnas infligendo, etiam in hac vita. Cujus rei exempla videmus in excidio Jerosolymæ, in Herode ad Angelo percusso, in Maximino vermibus consumpto, etc.

Loquetur in ira sua : non est proprie ira nec furor in Deo, qui semper cum tranquillitate judicat ; sed dicitur per metaphoram irasci et furere, quando severe punit ; et tunc præsertim, quando punitio delinquentibus non prodest ad salutem. Hinc David : Ps. VI, dicit : *Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me ;* cupit enim argui et corripi, sed paterne non hostiliter : ad salutem non ad interitum.

6. *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem Sanctum ejus : prædicans præceptum ejus.*

7. *Dominus dixit ad me : Filius meus es tu, ego hodie genui te.*

8. *Postula a me et dabo tibi gentes hæreditatem tuam : et possessionem tuam terminos terræ.*

9. *Reges eos in virga ferrea et tanquam vas figuli confringes eos.*

Incipit *tertia pars :* Christi regnum divinitus constitutum per orbem — Inducitur loquens ipse Christus, et proclamans suum imperium ejusque titulos.

Constitutum se dicit regem a Deo Patre super Sion montem sanctum ejus, i. e. super Ecclesiam : Constitutus sum rex Ecclesiæ. — Sion enim mons sanctus, ponitur pro civitate Jerusalem : quæ typus est Ecclesiæ, quatenus civitas regia, sacerdotalis, sancta. Porro pro Jerusalem sæpe ponitur pars ejus præcipua, *mons Sion*, in quo erat palatium David et templum Domini.

David scilicet expugnatam Jebusæorum arcem in vertice Sionis positam, ita adornavit et munivit, ut eamdem inhabitare et a nomine suo *civitatem David* voluerit appellari : *Habitavit autem David in arce, et vocavit eam civitatem David* (II Reg.

V, 9). — In medio hujus arcis munitissimæ erat domus regia David, et locus sanctus Tabernaculi atque Arcæ fœderis. Postea in eodem monte Sion, e regione civitatis David, meridiem versus, ædificatum est a Salomone templum Domini. — Ideo pro Jerusalem frequenter ponitur Sion, ut pars ejus præcipua, magisque a Deo dilecta et sanctificata juxta illud : *Diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob*. Ps. LXXXVI.

6. *Prædicans præceptum ejus ;* in hebræo : *Enarrabo decretum ejus*. Scilicet *præceptum* hic significat decretum, quo Deus statuit Christi regnum per totum orbem propagandum. Sic enim vox hebraica (CHOC) *præceptum, decretum*, adhiberi solet, ut in Psalmo CIV : *Et statuit illud Jacob in præceptum, et Israel in testamentum æternum, dicens : Tibi dabo terram Chanaan ;* ubi ut patet, significatur decretum Dei de donanda filiis Israel terra promissionis.

7. *Dominus dixit ad me : Filius meus es tu...* Hoc est initium et fundamentum decreti divini : nam Christo debetur omnis potestas in cœlo et in terra, quia est verus et naturalis Filius Dei.

8. *Ego hodie genui te*. Tres sunt hujus loci sensus, et quidem omnes, si minus litterales ut Bellarminus dicit, saltem intenti a Spiritu sancto (1). Primus est de generatione æterna ; *Cui enim dixit aliquando angelorum : Filius meus es tu, ego hodie genui te ?* (Hebr. I, 5.) — Secundus sensus est de resurrectione Domini, qua ex sepulcro gloriose renatus est, *Deo resuscitante Jesum, sicut et in psalmo secundo scriptum est : Filius meus es tu, ego hodie genui te* (Act. XIII, 33). — Tertius sensus est de nativitate Domini secundum carnem, ut colligitur ex Hebr. V, 5, 8 : *Christus non semetipsum clarificavit ut pontifex fieret : sed qui locutus est ad eum : Filius meus es tu, ego hodie genui te... Et quidem, cum esset Filius Dei, didicit ex iis quæ passus est, obedientiam*.

9. *Reges eos in virga ferrea, et tanquam vas figuli confringes*. Virga seu sceptrum ferreum, symbolum est inflexibilis justitiæ, et irresistibilis potentiæ, præsertim respectu vasis figuli quod hic apponitur. Significatur autem potestas Christi summa et justissima, tum ad regendam Ecclesiam, tum ad remunerandos justos et puniendos impios. — Illud ergo *confringes* proprie non indicat actum, sed potentiam : id est, non significat, Christum confracturum esse omnes gentes ; sed tanta dominaturum potestate, ut eas confringere possit sicut vasa lutea. Sensu tamen altiore, etiam actu confringet homines : alios nempe in misericordia, conterendo infidelitatem et peccata eorum ; alios in sua justitia, damnando eos ad æterna supplicia,

(1) Cfr. Berthier in h. l.

et sic confringendo eos sicut vasa quæ comminuta refici non possunt. ✗

10. *Et nunc, reges, intelligite : erudimini qui judicatis terram.*
11. *Servite Domino in timore : et exultate ei cum tremore.*
12. *Apprehendite disciplinam, nequando irascatur Dominus : et pereatis de via justa.*
13. *Cum exarserit in brevi ira ejus : beati omnes qui confidunt in eo.*

Ipse nunc propheta in propria persona loquens, hortatur omnes homines, præcipue vero reges a quibus cæteri dependent, ut Christo, supremo et omnipotenti Regi, sponte obediant : ei subjiciendo intellectum ac voluntatem, ei credendo, serviendo, ac perseveranter adhærendo.

Nunc, inquit, nempe hoc tempore prædicationis evangelicæ, et dum pœnitentiæ locus ac tempus conceditur ; *intelligite*, *erudimini* : id est, sapite, agnoscite hunc Regem, suscipite fidem ejus, et servite ei cum debita reverentia et amore.

Apprehendite disciplinam : hæc verba Septuaginta Interpretum, ab aliis ex hebræo redduntur, *osculamini*, vel *adorate filium* : scilicet agnoscite, amplectimini Filium Dei, Christum, tanquam Regem ; ac proin ejus disciplinam seu legem complectimini, magnoque affectu suscipite. — Unde patet, versiones istas quoad sensum non differre.

Cum exarserit in brevi ira ejus... Conclusio hæc est totius psalmi, qua propheta pronuntiat, in die judicii qui propinquus est, cum venerit idem ille Christus terribili justitia armatus, eos solos in tuto fore, qui toto corde ipsi obediverint : *Beati omnes qui confidunt in eo*. Intelligenda autem hic est fiducia perfecta, quæ cum legis adimpletione conjuncta sit, quasi diceretur : Beati omnes qui totam fiduciam in Domino constituerunt, eique ex animo adhærent et obediunt. Vel etiam : Beati qui sic Domino serviunt, ut merito in eo confidere possint.

Psalmo jam per partes intellecto, expedit ut sensum ejus propheticum in sua integritate spectemus.

I. — Vaticinium istud est vivida quædam imago Christi, grandibus lineamentis depicti ; seu tota Christi historia summatim contexta, ab adventu ejus in mundum, usque ad ultimum judicium. — Imo historia Ecclesiæ, adeoque totius mundi hic sub oculos evolvitur.

Etenim quæ de Christo dicuntur, etiam Ecclesiæ Christi et fidelibus conveniunt, quatenus Christi Ecclesia et fideles cum

ipso Christo, velut corpus et membra cum Capite uniuntur. Seclusis ergo iis, quæ Christo ut Capiti sunt propria, prophetia ista directe et explicite pertinens ad Christum, indirecte et implicite etiam ad Ecclesiam et ad fideles extenditur.

Sicut insurgunt contra Christum hostes multi et potentes; ita quoque contra Christi Ecclesiam et fideles, persecutores multi, inimici interni et externi insurgunt. *Quare fremuerunt gentes?...*

Sicut hostes illi divinitus vincuntur; ita quoque hostes Ecclesiæ omnes vincendi sunt; et similiter superantur inimici cujusque Christiani, dummodo hic in Deo sperare non desistat, et auxilio Dei obstaculum non ponat. *Qui habitat in cœlis irridebit eos...*

Sicut Christus est Filius Dei naturalis; ita Ecclesia est Filia adoptiva, omnesque fideles filii adoptivi Dei: *Filius meus es tu: ego hodie genui te.*

Sicut Christus est Rex, ita Ecclesia Regina, et fideles omnes regni cœlorum participes. *Ego autem constitutus sum rex ab eo, super Sion montem sanctum ejus.*

Quæ pertinent ad Christi sceptrum seu potentiam absolutam, datam ei in cœlo et in terra; item quæ ad Judicium spectant quod exercebit in novissimo die, ipsi, ut patet, sunt propria. Attamen etiam in his, Dominus Ecclesiæ ac membris suis, quantum eorum comportat conditio, aliquam participationem concedit, secundum illud: *Pater, claritatem quam dedisti mihi, dedi eis* (Joan. XVII, 22). — Et: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos* (Joan. XX, 21). — Et: *Sedebitis et vos super sedes duodecim. judicantes duodecim tribus Israel.* Matth. XIX, 28.

II. — Non solum historiam Christi, et eorum qui Christo adhærent, psalmus exhibet; sed etiam sortem et historiam eorum qui Christo adversantur. Impii enim velut in scenam prodeunt; eorumque tumultus, conatus semper irriti, et demum eorum ruina, sub oculis devolvuntur: *Fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania... Dirumpamus vincula eorum.... Qui habitat in cœlis irridebit eos... Apprehendite disciplinam ne quando irascatur Dominus, et pereatis de via justa....* — Ita ut totius mundi aperiatur quasi spectaculum, ubi velut oculis cernimus agi id, quod Simeon dixit: *Ecce positus est hic in ruinam et in resurrectionem multorum.* Luc. II, 34.

Sensus liturgicus.

Psalmum *Quare fremuerunt*, eximium Christi præconium, cantat Ecclesia, 1° in festis Nativitatis Domini, Circumcisionis, Passionis quæ vario titulo celebratur, et Resurrectionis; — 2° in festo septem Dolorum B. M. V.; — 3° in festis omnium Martyrum et Confessorum.

1° In officio de Christo, Ecclesia prophetæ verbis, non jam futurum, sed actu præsentem Christum, Salvatorem ac Regem, et præcipua ejus mysteria celebrat. Etenim memorat Domini passionem : *Quare fremuerunt gentes... adversus Dominum et adversus Christum ejus ?* — Memorat ejus nativitatem et resurrectionem : *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Iisdem verbis innuit ejus Circumcisionem, qua signaculum accipit filiorum Abrahæ agnosciturque ut filius Abrahæ per excellentiam, id est, ut Filius Dei. — Memorat demum omnem Christi gloriam ac potestatem, quæ passionem ejus ac resurrectionem consequitur : *Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam...*

2° Idem psalmus recitatur in festo septem Dolorum B.M.V., quia Maria passionis Filii sui fuit particeps, nec non magnitudinis ejus. Verba illa : *Filius meus es tu...* peculiari ratione ad Matrem dolorosam pertinent : cum ipsa eodem nomine compellare possit Jesum ; imo et unumquemque nostrum. Facta est enim Mater nostra his Christi morientis verbis : *Mulier, ecce filius tuus.*

3° Psalmus quoque applicatur Sanctis, quia et ipsi participes fuerunt passionum Christi, conformes facti imaginis Filii Dei, ideoque digni quibus Pater dixerit : *Filius meus es tu : ego hodie genui te.* — Participes quoque effecti magnitudinis ac potestatis Christi, quem hominibus prædicarunt, et cui soli spe perfecta adhæserunt. Quo sensu Ecclesia cantat : *Beatus iste sanctus, qui confisus est in Domino, prædicavit præceptum Domini, constitutus est in monte sancto ejus.*

PSALMUS III.

Domine, quid multiplicati sunt.

1. Domine, quid multiplicati sunt qui tribulant me ? Multi insurgunt adversum me.

1 Domine, quid multiplicati sunt qui tribulant me ? Ecce multi insurgunt adversum me.

2. Multi dicunt animæ meæ : Non est salus ipsi in Deo ejus.

2. Multi jam mihi desperantes dicunt : Non est amplius salus ei in Deo ejus.

3. Tu autem, Domine, susceptor meus es : gloria mea et exaltans caput meum.

3. Tu tamen, Domine, protector meus es, atque adeo gloria mea, et exaltans depressum caput meum.

4. Voce mea ad Dominum clamavi : et exaudivit me de monte sancto suo.

4. Voce mea ad Dominum clamavi : et exaudivit me de monte sancto suo Sion.

5. Ego dormivi, et soporatus sum : et exsurrexi, quia Dominus suscepit me.	5. Equidem quasi succumbens obdormivi et jacui somno oppressus : sed exsurrexi, quia Dominus sustentavit me.
6. Non timebo millia populi circumdantis me : exsurge, Domine, salvum me fac, Deus meus.	6. Ideo non timebo millia rebellis populi circumdantis me : tu tantum exsurge, Domine, salvum me fac, Deus meus.
7. Quoniam tu percussisti omnes adversantes mihi sine causa : dentes peccatorum contrivisti.	7. Jam video me liberatum per te : tu percussisti omnes injuste adversantes mihi : dentes, seu robur peccatorum penitus contrivisti.
8. Domini est salus : et super populum tuum benedictio tua.	8. Vere a Domino est salus : a te, Domine, benedictio super populum tuum.

—

Explicatio prima.

Argumentum hujus psalmi ex titulo innotescit ; inscribitur enim : ***Psalmus David, cum fugeret a facie Absalom filii sui.*** Est itaque oratio Davidis, a Deo opem poscentis in rebellione Absalonis, de qua II Reg. XV, 12 seq. legimus : *Facta est conjuratio valida, populusque concurrens augebatur cum Absalom. Venit igitur nuntius ad David, dicens : Toto corde universus Israel sequitur Absalom.* — Coactus ergo fugere a facie Absalom ejusque fautorum, hoc psalmo David clamavit ad Dominum. Quod tamen non sic intelligendum est, quasi tunc, in ipsa Davidis fuga psalmus esset conscriptus ; sed postmodum, secundum sensus in illa tribulatione habitos, Deo inspirante exaratus est.

Sensus autem mysticus est de Christo, quem David, ut typus, repræsentat persecutiones a Judæis patientem, dein morientem, et demum resurgentem.

I. *David ait se a multis hostibus impeti.*
II. *Addit se illos, Deo auxiliante, non timere.*

—

1. *Domine, quid multiplicati sunt qui tribulant me? Multi insurgunt adversum me.*

2. *Multi dicunt animœ meœ : Non est salus ipsi in Deo ejus.*

Videns David hostium multitudinem undique contra se insurgere, oculos ad Deum convertit et exclamat : *Domine, quid*

multiplicati sunt qui tribulant me?... Interrogatio est hæc animi stupentis et conquerentis. David enim fiducialiter Deum suum alloquens, cum stupore conqueritur de multitudine persecutorum suorum, quibus tamen omnibus benefecerat.

Multi dicunt animæ meæ... id est, dicunt *mihi : Non est salus ipsi...* Periit, derelictus a Deo ; desperatus est.

3. *Tu autem, Domine, susceptor meus es : gloria mea et exaltans caput meum.*

4. *Voce mea ad Dominum clamavi : et exaudivit me de monte sancto suo.*

Incipit *secunda pars*, fiducia de certo Dei auxilio. — Tantum abest, inquit, ut sim desperatus, ut potius exploratum in te, Domine, triumphum possideam. Exaudisti enim orationem meam.

Tu autem, Domine, ubi me omnes homines derelinquunt, tu fidelis mihi perseveras, et *susceptor meus es*, id est, protector meus : tu scilicet suscepisti me protegendum. In hebræo : *Clypeus meus es ;* nempe contra omnia hostium tela. — Nec solum me defendis, sed etiam glorificas : ideo es etiam *gloria mea*, i. e. causa gloriæ meæ.

Exaudivit me de monte sancto suo. Duplicem id expositionem admittit : 1° de monte Sion, ubi erat Arca et Propitiatorium, in sacro tentorio ibi a Davide constructo (I Paral. XV, 1). Porro Propitiatorium seu operculum Arcæ, erat velut thronus Dei, ubi sedebat super Cherubim et audiebat preces orantium ; — 2° de cœlo sublimi, sanctissima sede Majestatis Dei, et throno gloriæ ejus. Sion scilicet et Jerusalem, non tantum Ecclesiæ, sed etiam cœli figura erat. *Accessistis*, inquit Apostolus, *ad Sion montem, et civitatem Dei viventis, Jerusalem cœlestem, et multorum millium angelorum frequentiam.* Hebr. XII, 22.

5. *Ego dormivi, et soporatus sum : et exsurrexi, quia Dominus suscepit me.*

6. *Non timebo millia populi circumdantis me : exsurge, Domine, salvum me fac, Deus meus.*

Explicat quomodo a Deo sit exauditus ; et victoriam futuram quasi jam actu præsentem enarrans, ostendit nullam hostium vim sibi esse metuendam.

Ego dormivi, et soporatus sum : et exsurrexi, quia Dominus suscepit me ; id est : jacui tanquam obdormiens viribus destitutus ; nec potuissem per proprias vires surgere ; sed exsurrexi brachio Domini sustentatus.

Non timebo millia populi... De exercitu Absalonis loquitur, et de rebellibus, quos multiplicatos esse nimis significavit ab initio.

7. *Quoniam tu percussisti omnes adversantes mihi sine causa : dentes peccatorum contrivisti.*

8. *Domini est salus : et super populum tuum benedictio tua.*

Quod modo dixit, se ab omnibus hostibus quantumvis numerosis Dei manu defendi, amplius declarat, ostensa adversariorum ruina.

Quoniam tu percussisti omnes adversantes mihi sine causa. Duplex iterum expositio admitti potest : 1° Exsurge, Domine, salvum me fac, quoniam semper me contra injustos persecutores, Saulem, Abnerum, et alios defendisti. — Vel 2° : Video me esse auditum ; jam prostratos manu tua conspicio adversarios meos. — Quod addit : *Dentes peccatorum contrivisti*, id est, fregisti robur eorum quatenus nocivum. Peccatores enim qui justos persequuntur, considerat tanquam lupos rapaces, vel canes : quibus confringuntur dentes ut mordere, id est nocere non possint ; sed latrare ac terrere solum possint. — Specialim dentes mordaces innuunt detractionem et calumniam.

Domini est salus : et super populum tuum benedictio tua : id est, super populum tuum velut requiescit permanenter tuus favor, omniumque bonorum copia : nam benedicere Dei est benefacere. — Ultimus versiculus est psalmi conclusio per laudem Dei, quasi dicat : Domino igitur accepta referenda est salus, quæ salus est benedictio tua, Domine, super populum tuum.

Explicatio secunda.

Sub cortice litterali Davidicæ orationis latet sublimior Christi et Ecclesiæ oratio, quæ præcipue consideranda est.

Psalmus ergo, si quæratur spiritus non littera, est, I. *Vox Christi*, in passione sua constituti, ubi ingratam Judæorum multitudinem undique irruentem in se videns, mirans et conquerens ad Patrem clamat : *Domine, quid multiplicati sunt qui tribulant me ?* ..

Nequaquam vero fortitudine vel spe deficit, sed Domino innixus, invicte consistit et triumphat : *Tu autem, Domine, susceptor meus es, gloria mea et exaltans caput meum.*

Dominum invocat petens triumphum de peccato per mortem suam, et triumphum de morte per resurrectionem suam : *Exaudivit me : ego dormivi et soporatus sum ; et exsurrexi, quia Dominus suscepit me.* Visus est scilicet inimicis suis succumbere, moriendo in cruce et descendendo in sepulcrum : at vero non cecidit nisi ut resurgeret.

Mortem suam vocat *dormitionem*, 1° quia mors quasi externa tantum fuit, et talis ut in ipsa esset vita abscondita. — 2° quia brevi, ex morte velut ex somno resurrecturus erat. — Verbo *exsurrexi* indicatur, 1° resurrectio corporis Domini ; 2° ejus glorificatio : quia post mortem suam ut Salvator ac Rex humani generis constitutus est et agnitus.

Redivivus ex mortuis, addit : *Non timebo millia populi circumdantis me...* loquens jam non ratione capitis, sed ratione corporis : id est, non pro persona sua, sed pro corpore suo quod est Ecclesia, quæ in illis initiis innumerabiles habuit inimicos, sed Deo freta omnes devicit.

Demum intuens triumphum Ecclesiæ suæ usque ad finem sæculorum, Deum laudans exclamat : *Quoniam tu percussisti omnes adversantes mihi... Domini est salus, et super populum tuum benedictio tua.*

II. In voce Christi continetur quoque vox Ecclesiæ et uniuscujusque fidelium, in tribulatione Dominum invocantium. Dicens enim, *qui tribulant* ME, intelligit se et suos : quo sensu ad Saulem persecutorem dicebat. *Saule, Saule, quid me persequeris ?* Act. IX, 4.

Qui tribulant Ecclesiam, sunt omnes interni et externi persecutores, visibiles et invisibiles inimici animarum.

Illud *exaltans caput meum*, in ore Ecclesiæ peculiariter refertur ad personam Christi, qui sponsus est et caput Ecclesiæ.

Dormitio et velut occasus Ecclesiæ, sunt magnæ imo extremæ illæ angustiæ, quibus Ecclesia inimicis externe triumphantibus devicta videtur, et quos semper subsequitur ejus resurrectio et victoria.

Propterea dicit, Domino susceptori suo innixa, *se non timere millia populi circumdantis se* : quia omnes usque ad finem sæculorum hostes ejus ita Dominus domuit. ut prævalere non possint : *Dentes peccatorum contrivisti... portæ inferi non prævalebunt.*

Idem dicere potest unusquisque fidelium, dummodo perfecta fiducia clamet : *Exsurge, Domine, salvum me fac, Deus meus.*

Dormitio et surrectio, respectu membrorum Ecclesiæ, est etiam mors naturalis, et resurrectio futura corporis in gloria. — Tropologice vero : 1° dormitio est somnus peccati ; resurrectio vero conversio. — 2° Dormitio est tepor animæ ; resurrectio reditus ad fervorem. — 3° Dormitio est oratio et contemplatio ; resurrectio vero ascensio ad altiores virtutes. — 4° Dormitio est perfecta animæ humiliatio ; resurrectio exaltatio ejus : *Qui se humiliat, exaltabitur.*

Sensus liturgicus.

Iste psalmus, sicut præcedens, recitatur 1° in officio de Christo : nempe in festo Orationis Domini, pretiosi Sanguinis, Lanceæ et Clavorum, denique Resurrectionis ; 2° in officio septem Dolorum ; 3° in officio de Sanctis.

1° Quatenus pertinet ad officium de Christo, est vox ipsius Christi, in sua passione orantis , morientis , et resurgentis, prout declaratur per antiphonam : *Ego dormivi et somnum cepi : et exsurrexi, quoniam Dominus suscepit me.*

2° In festo septem Dolorum , verba psalmi fiunt verba B. M. V. ; quoniam sanctissima Mater particeps fuit passionum et consolationum sui Filii.

3° In officio de Sanctis, est vox cujusque Martyris aut Confessoris, qui conformes facti divino Magistro suo, ejus verba, sensu quodam sibi proportionato, usurpare possunt, et sicut ipse loqui de suis tribulationibus, de suis orationibus, de dormitione, resurrectione ac gloria sua.

Ecclesia itaque, seu, quod idem est, fideles aut ministri Ecclesiæ, in persona Christi, Virginis, vel Sanctorum hæc verba recitant ; et recitando iisdem sensibus adhærent, iisdemque affectibus velut imbuuntur.

PSALMUS IV.

Cum invocarem.

1. Cum invocarem exaudivit me Deus justitiæ meæ, in tribulatione dilatasti mihi.

2. Miserere mei, et exaudi orationem meam.

3. Filii hominum, usquequo gravi corde ? Ut quid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium ?

4. Et scitote quoniam mirificavit Dominus sanctum suum : Dominus exaudiet me cum clamavero ad eum.

5. Irascimini et nolite peccare : quæ dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini.

6. Sacrificate sacrificium

1. Cum invocarem Deum, auctorem ac testem justitiæ meæ, exaudivit me : imo, Domine, ex arcta tribulatione in latos campos dimisisti me.

2. Eia , Domine , porro miserere mei, et exaudi orationem meam.

3. Vos autem , filii hominum , fortunæ meæ invidi , quamdiu corde eritis gravi ac in terram prono ? Ut quid diligitis vanitatem et quæritis mendacium, me persequentes ?

4. Scitote enim quoniam ipse Dominus tam mire hactenus protexit me , sanctum suum , seu oleo suo consecratum : utique Dominus exaudiet me quoties clamavero ad eum.

5. Vos igitur in ira vestra contra me, cavete ne peccetis : et quæ cogitatis mala contra me, ea toto corde in cubilibus vestris, in silentio , coram Domino deflete.

6 Imo mutata ratione agendi ,

justitiæ, et sperate in Domino. Multi dicunt : quis ostendit nobis bona ?

sacrificate sacrificium justitiæ, et sperate in Domino. — Multi mihi dicunt : ubi sunt, o David, bona quæ a Deo tibi nobisque exspectas ?

7. Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine : dedisti lætitiam in corde meo.

7. O Domine, manifeste apparet super nos lumen faventis vultus tui : quo in mediis tribulationibus dedisti lætitiam in corde meo.

8. A fructu frumenti, vini, et olei sui, multiplicati sunt.

8. Alii quidem abundantia frumenti, vini et olei sui locupletantur;

9. In pace in idipsum : dormiam et requiescam.

9. Ego vero in pace dormiam simulque secure quiescam

10. Quoniam tu, Domine, singulariter in spe constituisti me.

10. Quoniam tu, Domine, ipsemet, et quidem tu solus fidelissimis promissionibus tuis constituisti me in spe ac fiducia secura.

—

Explicatio.

Argumentum. — Monet Spiritus sanctus homines, ut, relictis vanitatibus et peccatis, convertantur ad Deum, faciant bonum, et sic felicitatem inveniant.

Quod attinet ad psalmi occasionem seu tempus, censet Cajetanus eum pertinere ad persecutionem Saülis et liberationem ab illa. Nec improbabiliter existimat Le Blanc cum Lyrano, esse canticum Davidis post liberationem ab obsidione in deserto Maon, ubi a Saule ac viris ejus in modum coronæ cinctus est ita, ut *desperaret se posse evadere* (I Reg. XXIII, 26), viribus scilicet humanis. Liberatus itaque, inquiunt, præter omnem spem, liberatori suo Deo psalmum hunc in gratiarum actionem concinit.

De hac sententia, quæ ad psalmi corticem duntaxat pertinet, quidquid censeatur (1) ; id quod est præcipuum, et ad partem

(1) Etsi hujusmodi conjecturæ, quoniam ad litteralem sensum melius assequendum juvare possunt, utilitate non carent, non tamen plus æquo eis est inhærendum.

Recte enim Berthier, *introductione ad psalmum V*, principium quoddam generale enuntiat, sic scribens : « L'objet particulier de ce psaume n'est déterminé par aucune circonstance de la vie du Prophète. Ceux qui l'appliquent au temps où David éprouvait les persécutions de Saül, ou les fureurs de son fils Absalon, ne forment que des conjectures qu'il est aussi facile de nier que d'avancer. Et pour le dire ici une fois pour toutes, cette manière d'expliquer la plupart des psaumes où il est fait mention de traverses, de calamités, de douleurs, d'inquiétudes, est aussi peu lumineuse que triviale et surannée. On ne voit presque dans le psautier expliqué à la manière d'un grand nombre de commentateurs, que Saül, Absalon, Séméi,

formalem spectat, indubium non est : nempe sensu mystico sermonem de Christo fieri. Scilicet ipse Christus ore Davidis, sui typum gerentis, prænuntiat nominis sui exaltationem, dicitque Ecclesiam suam omnibus bonis gratiæ et virtutum abundaturam, seque in æterna pace cum sanctis suis quieturum.

Imprimis si spectetur psalmus secundum sensum litteralem, et ut probabiliter est oratio Davidis, has partes habet :

I. *Ait propheta orationem suam esse a Deo exauditam.*
II. *Monet hostes suos ut resipiscant.*
III. *Explicat quænam a Deo bona sit consecutus.*

---

1. *Cum invocarem exaudivit me Deus justitiæ meæ : in tribulatione dilatasti mihi.*
2. *Miserere mei, et exaudi orationem meam.*

Propheta hortaturus homines ut ad Deum convertantur et in eo fiduciam ponant, exemplum suum proponit, dicens se in tribulatione constitutum, a Deo exauditum et liberatum esse. *Exaudivit*, inquit, *me Deus justitiæ meæ*, id est, Deus a quo est omnis mea justitia, et qui hujus justitiæ meæ causa me

Achitophel, Doëg, persécutant, calomniant, injuriant David. Cela est aussi peu prouvé que peu ingénieusement imaginé. Je ne disconviens pas que plusieurs psaumes n'aient trait à ces faits ; mais on abuse de cette solution, on la prodigue trop, et il y a une raison particulière qui la rend comme nulle : c'est que, de l'aveu des mêmes interprètes, les psaumes étaient destinés au culte public ; on devait les chanter dans les assemblées de la religion, la synagogue les fit servir dans tous les temps aux cérémonies et aux fêtes de la nation. C'est même ce qu'indique en particulier l'épigraphe, *præcentori* (au chef des musiciens), que les partisans de l'hébreu adoptent presque unanimement. Or, quel intérêt tout le peuple pouvait-il prendre, longtemps après David, aux chagrins que lui avaient donnés Saül, Absalon et ses autres persécuteurs ? Pourquoi du moins l'obliger à s'occuper si souvent de ces faits anciens ? — Cette raison est bien plus forte en considérant les psaumes comme le recueil des prières de l'Eglise chrétienne. Cette sainte Mère des fidèles n'aurait-elle donc à mettre sous les yeux de ses enfants, dans la plupart de ses offices, que les fureurs de Saül ou d'Absalon avec les plaintes de David persécuté et souffrant ? Ne suffit-il pas que ces disgrâces soient rappelées dans quelques psaumes plus caractérisés que les autres ? Il y a certainement dans ces divins cantiques des sujets bien plus variés, des sens bien plus profonds, des instructions bien plus étendues. Les saints Pères ont eu sur tout cela des vues plus sages que les nôtres. Comme ils ne pouvaient douter que le Prophète n'eût reçu du Saint-Esprit des lumières très-vives sur Jésus-Christ et sur son Eglise, ils trouvent, et même presque toujours, ces grands objets dans les psaumes. Ils voient les ennemis du salut dans la plupart des méchants et des persécuteurs dont se plaint le Psalmiste. Ils regardent ces explications comme très-littérales et conformes aux vues d'un Prophète. Par là ils instruisent et ils édifient les peuples ; et ils se délivrent d'une infinité de difficultés que font naître les imprécations si répandues et si répétées dans les psaumes. »

diligit. — *In tribulatione dilatasti mihi*, phrasis hebraica pro *dilatasti me* : id est, ex loco angusto eduxisti me in vias apertas ; vel ex angustiis cordis in latitudinem gaudii : et sic recreasti me ac liberasti.

Miserere mei et exaudi orationem meam. Accepta misericordia excitatus, et perpetuæ suæ indigentiæ conscius, rogat Dominum ut eamdem misericordiam sibi præstare pergat.

3. *Filii hominum, usquequo gravi corde? ut quid diligitis vanitatem et quæritis mendacium?*

4. *Et scitote quoniam mirificavit Dominus sanctum suum : Dominus exaudiet me cum clamavero ad eum.*

Incipit *secunda pars*, qua monet propheta hostes suos ut resipiscant. Quamdiu, inquit, persequemini falsa bona? et cur non illa quæ in Deo sunt, qualia ego tam mirabiliter accepi?

Filii hominum. id est, o homines. — Hæc autem locutio aliquando adhibetur deteriore sensu, ita ut *filii hominum* opponantur filiis Dei (1). Imo S. Chrysostomus censet hoc loco *filios hominum* vocari eos, qui sequuntur improbitatem et vitia. — Porro, qui filii hominum sunt natura, filii Dei efficiuntur gratia : *Dedit eis filios Dei fieri*.

Ut quid diligitis vanitatem et quæritis mendacium? Vanitas et mendacium significant *bonum quodlibet vanum et mendax*, quod non est verum, non solidum, seu quod non est bonum in re, sed tantum in specie, quodque vulgo *illusio* dicitur. Hic autem sensu litterali respicitur triumphus, vindicta et pax, quæ Davidis inimici in ejus ruina quærebant.

4. *Mirificavit Dominus sanctum suum*. Nomine *sancti* designatur ipse David, qui sanctus dicitur, 1° quia a Deo electus erat ad munus quoddam sacrum, nempe ut esset rex Israel, et ipsius Dei summi Regis veluti vicarius ; — 2° quia unctus oleo sancto, adeoque *christus* Domini erat, figuram gerens Christi Salvatoris, qui unctus est Sanctus Sanctorum. Dan. IX, 24.

5. *Irascimini et nolite peccare : quæ dicitis in cordibus vestris in cubilibus vestris compungimini.*

6. *Sacrificate sacrificium justitiæ, et sperate in Domino. Multi dicunt : Quis ostendit nobis bona?*

Postquam admonuit ut resipiscant, instruit eos ac docet 1° ut resistant pravis desideriis ; 2° ut, si forte peccaverint, doleant et compungantur ; 3° ut non tantum declinent a malo, sed etiam sacrificent sacrificium justitiæ faciendo bonum.

(1) Ut Gen. VI, 2.

Irascimini et nolite peccare; id est : Ita irascimini, ita vos dum suboritur ira, gerite, ut non peccetis. — *Quæ dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini*, id est : Si tamen peccaveritis, vespere ante somnum vos pœniteat. — Hæc interpretatio consonat cum sensu Apostoli, Eph. IV, 26, ubi integrum versiculum nostrum respicere videtur, dicens : *Irascimini et nolite peccare : sol non occidat super iracundiam vestram.* His enim verbis monet nos, iracundiæ motus suborientes in nobis ita cohibere, ut non rapiamur in peccatum. — Ex hac Apostoli citatione etiam docemur, ea quæ David inimicis suis commendat, etiam nobis, omnibusque hominibus convenire. *Quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt.* Rom. XV, 4.

In hebræo legimus ad verbum : *Corde vestro recogitate super cubili vestro, et tacete ;* in græco vero sic : *Quæ dicitis in cordibus super cubilia vestra, compungimini.* Hinc, ut Bellarminus ait, lectio nostra sic videtur ordinanda : *Quæ dicitis in cordibus vestris* (sedentes) *in cubilibus vestris, de his compungimini tacentes ;* et textus conciliantur hunc in sensum : Tempore nocturno seu vespertino cum estis soli in cubilibus, liberi ab omnibus aliis curis , tunc in cordibus vestris cogitate omnia vestra errata ; et quæ dicitis atque confitemini apud vos in corde, de his coram Deo, tacentes præ verecundia, compungimini.

6. *Sacrificate sacrificium justitiæ, et sperate in Domino* : id est, offerte Deo opera bona, et præsertim satisfactoria pro peccatis, quibus divina justitia placetur: jejunium, eleemosynam, orationem ; et sic agentes, secure sperate a Domino retributionem. Opera bona quælibet merito dicuntur *sacrificia*, quia mortificationem carnis semper aliquam requirunt, et Deo grata sunt instar victimarum. Dicuntur autem *sacrificia justitiæ*, quia justitiæ seu virtutis ac sanctitatis actus sunt et exercitium. Hoc fere sensu Apostolus dicit : *Exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem* (Rom. XII, 1). Et : *Repletus sum, acceptis ab Epaphrodito quæ misistis, odorem suavitatis, hostiam acceptam, placentem Deo.* Phil. IV, 18.

6. *Multi dicunt : Quis ostendit nobis bona ? Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine*... .Objectio ista, ut omnino videtur, in ore ponitur eorum qui gravi sunt corde et diligunt vanitatem, quique semper bona præsentia ac sensibilia quærentes, dicunt :*Quis ostendit nobis*, vel, ubi sunt, *bona*, quibus obtentis felices simus ? — Respondet propheta : *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine*....

7. *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine; dedisti lætitiam in corde meo.*

8. *A fructu frumenti, vini, et olei sui multiplicati sunt.*
9. *In pace in idipsum : dormiam et requiescam.*
10. *Quoniam tu, Domine, singulariter in spe constituisti me.*

Tertia pars : explicat quænam a Deo bona jam acceperit vel adhuc speret : lumen Dei, lætitiam et securam pacem.

Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine. — Quod dicitur *lumen vultus Dei*, intelligi potest, 1° Dei favor erga Davidem : qui favor fuit veluti radius emanans ab oculis et facie Dei, illum recreans et aliis illustrem faciens, atque ab eo in socios ejus et adjutores sese diffundens. De cætero, Dei benevolentia et misericordia solet vocari *ostensio* vultus ; *illuminatio* faciei Domini. Exempli gratia : *Deus misereatur nostri et benedicat nobis : illuminet vultum suum super nos et misereatur nostri.* Ps. LXVI.

2° Sensu altiore, *lumen* vultus Dei nos illuminans, est -1) lumen gratiæ, fidei et charitatis ; -2) lumen gloriæ ; -3) ipse Christus Dominus, qui est lumen et spendor Patris, ac sol animarum ; -4) Spiritus sanctus, qui animas illuminat et inflammat.

3° Sensu accommodato, a multis accipitur *lumen Dei signatum super nos*, pro lumine rationis.

Dedisti lætitiam in corde meo. — Lætitia cordi divinitus indita, seu lætitia cœlestis, oritur a lumine emicante ex vultu Dei : sive per lumen intelligas favorem Dei, sive Christum aut Spiritum sanctum ; sive gratiam in hac vita aut gloriam in altera. — Sensu litterali, respectu David, intelligitur gaudium ob Dei singularem protectionem, et ob certam fiduciam de promissionibus ejus. — Porro gaudium suum quam magnum sit explicat sequentibus verbis :

A fructu frumenti vini et olei sui, multiplicati sunt ; id est : Dedisti cordi meo lætitiam majorem lætitia eorum, qui fructu frumenti, vini et olei abundant. — Expositio ista videtur verior, et vulgatam conciliat cum hebræo textu, qui sic habet : *Dedisti lætitiam cordi meo præ tempore* (quo) *frumentum et mustum multa sunt.* Atqui in versione Vulgata, illud *a* significare potest *potius quam, præ* ; potestque subaudiri pronomen, vel *lætitia eorum qui*... multiplicati sunt.

Dicit itaque propheta : Dedisti mihi. Domine, lætitiam majorem quam si locupletasses me fructibus terræ, omnibusque bonis, quæ sibi ostendi postulant homines vani et mendaces. — Præterea thesaurum alium pretiosiorem habeo, pacem Domini.

In pace in idipsum dormiam et requiescam : id est, vel 1° in pace pariter cum sociis meis secure quiescam ; vel 2° in pace

dormiam simulque quiescam perfecte. — Sensu litterali David significat, bona quidem externa, ut frumentum, vinum et oleum quibus alii abundant non multa se habere ; sed possidere quod pretiosius est, bonum internum pacis : et hanc esse solidam prorsus ac perfectam et minime fallacem, quoniam divinitus sibi est indita cum spe in promissionibus Domini.

10. *Quoniam tu, Domine...* Particula causalis *quoniam* a quibusdam cum Euthymio habetur hic ut expletiva ac redundans. Et re quidem vera, sæpe apud Hebræos particula hujusmodi est mere ad ornatum et harmoniam sermonis, quin conferat ad sensum ; hoc tamen loco videtur habere suam vim causalem, et indicare fundamentum pacis Davidicæ : firmissimam scilicet ac prorsus infallibilem spem in Deo, qui ipsi per os Samuelis regnum promiserat, et promissionem hanc singulari protectione atque continuis fere prodigiis confirmabat. Ideo exultanti corde addit : *Quoniam tu, Domine, singulariter in spe constituisti me*, id est, tu solus me in fiducia plenaque securitate constituisti. Nam juxta veritatem hebraicam, pro *singulariter* ponitur *solus ;* pro *constituisti*, — *habitare fecisti ;* pro *in spe*, — *in fiducia, in securitate.*

Hactenus expositus est sensus litteralis, quatenus psalmus censetur esse oratio Davidis. — At vero sub cortice litteræ altior habetur sensus, secundum quem idem psalmus est oratio Christi, sive in propria persona loquentis, sive in persona totius corporis sui mystici, Ecclesiæ, sive in persona cujuslibet membrorum suorum, nempe fidelium. Quæ quidem luculentius patebunt ex sensu liturgico.

Sensus liturgicus.

Psalmus *Cum invocarem* recitatur, 1° in officio de Christo, ubi mysterium mortis aut sepulturæ ejus recolitur : nimirum in Sabbato sancto, in festo Corporis Christi, Coronæ spineæ, Lanceæ et Clavorum ac sacræ Sindonis. — 2° Recitatur in officio de Sanctis, sive Martyribus sive Confessoribus ; — 3° in Completorio.

1° In officio de Christo, psalmus est vox ipsius Christi Domini, in hunc modum loquentis : Cum invocarem Patrem in tribulatione passionis meæ, exaudivit me mirabiliter, constituendo me, Sanctum suum, humani generis Redemptorem ; et cumulando me bonis, quorum omnes homines possunt esse participes. Quapropter, filii hominum, terrena bona despicite, cœlestia quærite, pœnitentiam agite ; et si quæratis ut ostendam oculis vestris cœlestia illa bona quæ promitto : scitote hæc invisibilia esse et æterna, nempe bona gloriæ in futura vita, et gratiæ in præsenti.

Gratia porro ista lumen præstat, lætitiam et pacem : lumen fidei, et lætitiam cordis. Quæ quidem lætitia est in Domino, melior omni jucunditate quam abundantia corporalis frumenti, vini et olei præstare posset. Hæc enim corporis alimenta figura tantum sunt interioris gratiæ, ideoque ut sacramentorum materia adhibentur. — Ad pacem demum quod attinet, hanc gratia tribuit quoque veram ac cœlestem : nempe pacem spe firmatam, in qua justus tranquille quiescit, sicut ego Christus in sepulcro dormivi et requievi.

2° In officio de Sanctis, loquitur ipse sanctus Martyr aut Confessor, quasi diceret : In tribulatione vitæ meæ mortalis positus, Dominum invocavi, et mirabiliter exaudivit me instar Sancti sui, Christi, cujus gloriæ me participem effecit. Respicite, o filii hominum, exemplum meum, et, spreta mundi felicitate, bona superna in Christo quærite : ideoque, sicut ego feci, peccata fugite, virtutes colite. Tunc eadem quæ dedit mihi, dabit vobis Dominus, bona gloriæ in sæculo futuro, et bona gratiæ in præsenti : nempe lumen, gaudium, et pacem illam pretiosam, qua tranquille quiescetis in vita, et ubi mors advenerit, obdormietis in spe suavissima futuræ resurrectionis. His congruit antiphona : *Filii hominum, scitote quia Dominus Sanctum suum mirificavit.... Dominus exaudivit eum et constituit eum in pace.*

3° In Completorio sunt verba Ecclesiæ, quæ materna voce filios hominum increpat, quod gravi corde quærant mendacium, potius quam veritatem seu vera bona ; dein eos docet hæc vera bona inveniri in Christo ; tertio hortatur eos ad resipiscentiam, ad pœnitentiam et ad opera bona ; quarto, tanquam stimulum addit : *Et sperate in Domino*, quasi diceret : Sic sperare poteritis bona, Dei servis promissa. Quæ porro bona, qualia sint et quam certa, explicat usque ad finem psalmi.

Dici etiam potest, vocem esse fidelium, verba Christi usurpantium per modum orationis vespertinæ, in hunc sensum : O Domine, qui semper nos audis, quandocumque invocamus te, hanc nostram orationem vespertinam exaudire digneris. Sciamus autem omnes, filii hominum miram a Domino misericordiam præstari iis, qui Sancto, id est Christo, ejusque justitiæ adhærent. Quapropter omnes nos ad justitiam convertamus, et præsertim nunc in fine diei, peccatorum veniam petentes, corde contrito et humiliato compungamur. Sic fiet ut recipiamus lumen ac gaudium Domini, utque conquiescamus in pace somno hujus noctis, et aliquando etiam somno mortis obdormiamus in spe : *Quoniam tu, Domine, singulariter in spe constituisti me.*

PSALMUS V.

Verba mea auribus percipe, Domine.

1. Verba mea auribus percipe, Domine : intellige clamorem meum.

I. Verba mea auribus percipe, Domine, intellectu considera clamorem meum.

2. Intende voci orationis meæ : Rex meus et Deus meus.

2. Attentionem adhibe voci orationis meæ, Rex meus, et Deus meus.

3. Quoniam ad te orabo : Domine, mane exaudies vocem meam.

3. Quoniam ad te, Domine, orabo fiducialiter et studiose : jam primo mane audies vocem meam.

4. Mane astabo tibi, et videbo : quoniam non Deus volens iniquitatem tu es.

4. Summo mane astabo tibi orans, et fiducialiter considerans quod tu non es Deus approbans iniquitatem ;

5. Neque habitabit juxta te malignus : neque permanebunt injusti ante oculos tuos.

5. Neque diu manere patieris malignum, nec tolerabis semper injustos ante oculos tuos.

6. Odisti omnes qui operantur iniquitatem : perdes omnes qui loquuntur mendacium.

6. Odisti omnes qui operantur iniquitatem : perdes omnes qui contra innocentes loquuntur mendacium.

7. Virum sanguinum et dolosum abominabitur Dominus. Ego autem in multitudine misericordiæ tuæ,

7. Virum præsertim sanguinis effusi et nefarii doli reum abominabitur Dominus. Ego autem, Domine, ab illis persecutoribus magna misericordia tua liberatus, ut firmissime confido,

8. Introibo in domum tuam : adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo.

8. Introibo in domum tuam, ubi habitas cum Arca sancta tua : adorabo ad illud sanctum templum tuum in timore tuo.

9. Domine, deduc me in justitia tua : propter inimicos meos dirige in conspectu tuo viam meam.

9. Domine, deduc me in via justitiæ tuæ, propter inimicos meos insidiantes mihi : fac ut ambulem coram te per viam rectam.

10. Quoniam non est in ore eorum veritas : cor eorum vanum est.

10. Quoniam non est in ore eorum veritas circa me : cor eorum pravitate plenum est.

11. Sepulcrum patens est guttur eorum, linguis suis dolose agebant : judica illos, Deus.

11. Sepulcrum patens est guttur eorum, linguis suis dolos nectunt : judica et cohibe illos, Deus.

12. Decidant a cogitationibus suis, secundum multitudinem impietatum eorum expelle eos : quoniam irritaverunt te, Domine.

12. Excidant spe sua et cogitationibus suis : propter multitudinem impietatum eorum, longe repelle eos : quia justam iram tuam meruerunt, Domine.

13. Et lætentur omnes qui sperant in te : in æternum exultabunt et habitabis in eis.

13. Et sic præsta, ut in servitio tuo lætentur omnes, qui, sicut nos, sperant in te : quique, vi promissionum tuarum, post hanc vitam in æternum, exultabunt in domo gloriæ tuæ ubi habitabis cum eis.

14. Et gloriabuntur in te omnes qui diligunt nomen tuum : quoniam tu benedices justo.

14. Ibi gloriose lætabuntur in te omnes qui diligunt te : nam tu divinam certamque benedictionem reservas justo.

15. Domine, ut scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos.

15. Quare, Domine, nos servos tuos semper benevolentia tua, velut clypeo, in mediis hostibus circumcingis.

Explicatio prima.

Argumentum. — Sensu litterali videtur hic oratio esse Davidis, ut Deum in templo suo feliciter adorare possit. — De tempore et occasione psalmi non constat ; admitti tamen potest opinio eorum qui censent, eum referri ad persecutionem Saulis, cum errare coactus in desertis impediretur David ab accessu ad Tabernaculum fœderis. Ex hac itaque sententia David Dominum orat, ut liberatus ab insidiis inimicorum, adire possit adoraturus Sanctuarium, et consequenter cum omnibus justis in Domino lætari.

Sensu autem allegorico, est vox ac gemitus Ecclesiæ, quæ partim precando, partim peccata detestando petit a Sponso suo, ut ab hostibus spiritualibus liberata, Domino perfecte serviat, et ab ipso deducatur ad hæreditatem æternam.

Spectemus imprimis sensum litteralem, quatenus psalmus probabiliter est oratio Davidis, et duas distinguamus partes.

I. *Orat psalmista, fiduciæ suæ fundamentum exponens.*
II. *Petit ut, sublatis hostium impedimentis, ad gaudium in Domino perveniat.*

---

1. *Verba mea auribus percipe, Domine, intellige clamorem meum.*

2. *Intende voci orationis meæ : rex meus et Deus meus.*

3. *Quoniam ad te orabo ; Domine, mane exaudies vocem meam.*
4. *Mane astabo tibi....*

Hoc velut præambulo propheta sese ad orandum disponit, petendo ut a Deo audiri mereatur, et excitando semetipsum ad diligentiam et fervorem.

Quod dicit : *Verba mea auribus percipe... intellige... intende...* postulat ut Dominus orationem suam perfecte audiat ; ad quod requiruntur tria : vocis perceptio, significationis intellectio, et attentio rebus aliis non distracta.

Quod addit : *Quoniam ad te orabo*, significat, se dignam et qualem Deus vult, quantum est ex se, orationem esse facturum.

Mane exaudies vocem meam : mane astabo tibi... Accipi potest illud *mane*, vel proprie, pro tempore matutino ; vel figurate, ita ut significet *cito*, *prompte*, *diligenter*. — Eadem autem vox *mane* repetitur, ut summa orantis diligentia exprimatur. — Ad hæc verba peculiariter respicere videtur Ecclesia, cum psalmum hunc in officio matutino recitat.

Mane astabo tibi, nempe salutatorum instar, qui principibus sese mane sistere solent honoris et obsequii causa : sic ego, inquit, astabo tibi, ut te oratione mea colam et honorem.

4. *Mane astabo tibi, et videbo : quoniam non Deus volens iniquitatem tu es :*
5. *Neque habitabit juxta te malignus : neque permanebunt injusti ante oculos tuos.*
6. *Odisti omnes qui operantur iniquitatem : perdes omnes qui loquuntur mendacium.*
7. *Virum sanguinum et dolosum abominabitur Dominus...*

Hæc est velut prima pars orationis prophetæ, quæ in sancta consideratione coram Domino consistit.

Astabo, inquit, *et videbo*, id est, considerabo perfectiones tuas et legem sanctam tuam : speciatim autem *quoniam non Deus volens iniquitatem tu es.* En fundamentum fiduciæ, quod propheta pie considerabit ac meditabitur, ut tum sancta meditatione Deum laudet, et ipsemet fiducia in Deo atque amore divinæ legis crescat. Hujusmodi enim consideratione, ex una parte, honorabit sanctitatem Dei ; et ex altera confirmabitur ipsemet in odio iniquitatis, et in fiducia ac spe divinæ misericordiæ.

Perdes omnes qui loquuntur mendacium : intellige mendacium perniciosum, atque calumniam adversus proximum. — Sensu autem tropologico, significatur non tantum mendacium quod-

libet proprie dictum ; sed etiam omne peccatum : ut censet S. Chrysostomus, qui ait, omnes peccatores esse mendaces. Et re quidem vera, homo peccando mentitur practice et exercite, dicens : Bonum mihi est obedire creaturæ potius quam Creatori, passionibus potius quam Deo. — Porro hujusmodi sensu lato, distinguitur mendacium cordis, oris et operis ; non secus ac peccatum. Eodem sensu, mendacio opponitur veritas, nempe practica, veritas justitiæ ac legis Dei : *Lex tua veritas.* Ps. CXVIII.

Virum sanguinum et dolosum abominabitur Dominus. Vir sanguinum est vir homicida, crudelis, sanguinem innocentem effundens. Censet Le Blanc cum Cajetano, hic intelligi a Davide Saulem, qui tot sacerdotes jussit occidi (I Reg. XXII, 16) ; nec non Doeg Idumæum, qui cædis ejusdem fuit instrumentum. — Mystice, vir sanguinum est, 1° diabolus, qui fuit *homicida ab initio ;* 2° homo scandalizans proximum aut quovis modo animas occidens : *Sanguinem ejus de manu tua requiram* (Ezech. III, 18). — 3° Quilibet peccator, ut patet ex hoc Osee IV, 2 : *Et sanguis sanguinem tetigit*, id est, peccata adjecta sunt peccatis. Sic enim locum hunc exponunt S. Hieronymus, S. Cyrillus et S. Gregorius, qui ait : *Sanguis sanguinem tangit, quando peccatum peccato additur, ut ante Dei oculos adjunctis iniquitatibus anima cruentetur.* (Homil. 2 in Ezech.)

7.... *Ego autem in multitudine misericordiæ tuæ,*

8. *Introibo in domum tuam : adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo.*

Semetipsum opponit impiis, quasi diceret : Quoniam odisti, Domine, iniquitatem, ideo et ego eam magis magisque fugiam, legique tuæ magis magisque adhærebo : quo fiet ut magnam misericordiam tuam sim experturus.

In multitudine misericordiæ tuæ : id est, per misericordiam tuam magnam, in qua ex animo confido, reducar ab exilio ad locum sanctum tuum.

Introibo in domum tuam, adorabo ad templum sanctum tuum... id est, prosternar coram Tabernaculo tuo. Intelligit enim Tabernaculum fœderis, non templum lapideum, quod postea tantum a Salomone ædificatum est.

9. *Domine, deduc me in justitia tua : propter inimicos meos dirige in conspectu tuo viam meam.*

10. *Quoniam non est in ore eorum veritas, cor eorum vanum est.*

11. *Sepulcrum patens est guttur eorum, linguis suis dolose agebant : judica illos, Deus.*

12. *Decidant a cogitationibus suis, secundum multitudinem impietatum eorum expelle eos : quoniam irritaverunt te, Domine.*

Incipit *altera pars*, petitio. — Petit imprimis propheta, ut manu Domini removeantur impedimenta, quæ ab hostibus variis suscitantur.

9. *Deduc me in justitia tua : propter inimicos meos dirige in conspectu tuo viam meam.* — Interpretatio duplex : 1° Deduc me ratione justitiæ tuæ, qua moveri te decet ad protegendum me innocentem contra injustos inimicos ; et ne incidam in eorum manus, dirige benevole vias et gressus meos. — 2° Deduc me per semitas rectas justitiæ et legis tuæ et ita dirige actiones meas, ut semper agam in præsentia tua et quidem digne oculis tuis.

10. *Non est in ore eorum veritas, cor eorum vanum est* : scilicet cor gerunt pravitate plenum. — Juxta hebræum : cor eorum *pravitates* ; unde istuc *vanum* vulgatæ, æquivalet voci *pravum*.

11. *Sepulcrum patens est guttur eorum* : id est , eructans sermones fetidos, pestilentes et mortiferos. Sicut guttur exhibetur ut sepulcri ostium ; ita insinuatur, cor improborum esse ipsum sepulcrum, in quo mors et putredo velut inhabitat, et ex quo verba pestifera naturaliter prodeunt : *Ex abundantia enim cordis os loquitur* (Matth. XII, 34). — Eadem similitudine utitur Christus Dominus, loquens de Pharisæis, quos comparat sepulcris dealbatis, quæ *intus plena sunt ossibus mortuorum et omni spurcitia.* Matth. XXIII, 27.

Judica illos, Deus : id est, eos pro merito damna et puni ; vel potius, damnabis et punies. Non enim ex animo odii vel vindictæ loquitur propheta ; sed ex notitia certa futuri, illud prædicit quod divina justitia efficiet.

13. *Et lætentur omnes qui sperant in te : in æternum exultabunt, et habitabis in eis.*

14. *Et gloriabuntur in te omnes qui diligunt nomen tuum : quoniam tu benedices justo.*

15. *Domine, ut scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos.*

Exponit jam ultimum petitionis terminum : ut nempe ab inimicis manu Dei liberatus, intret in domum Dei, ibique cum omnibus justis lætetur in Domino.

Lætentur omnes qui sperant in te... id est, lætentur justi, servi fideles Dei : intelliguntur enim illi, qui opponuntur impiis. Dicuntur autem hic justi *sperantes in Deo* : nempe perfecte

sperantes, illa scilicet spe, quæ cum charitate totiusque legis observatione conjuncta sit. Ideo illi *qui sperant in te*, mox dicuntur, *qui diligunt nomen tuum.* — Illud *in æternum exultabunt, et habitabis in eis*, significat, manebis in medio eorum, eos protegens et velut obumbrans. Vox enim hebræa indicat, Dominum justos protecturum per modum tentorii ; proinde ipsi quoque in Deo erunt, et erit Deus in eis, *Deus omnia in omnibus.* I Cor. XV, 28.

Et gloriabuntur in te... id est, gloriando exultabunt in te ; seu, gaudebunt velut ostentando omnium oculis bonum quod possident, et omnium congratulationes ac laudes recipiendo : fere sicut divites gloriantur iu divitiis. — Hinc intelligitur, tres lætitiæ gradus exprimi dum dicitur : *Lætentur... exultabunt... gloriabuntur in te.*

Ut scuto bonæ voluntatis... id est, velut scuto benevolentiæ, misericordiæ protexisti nos. — Quoniam omnium bonorum radix est benevolentia ac misericordia Dei, cum ex illa procedat vocatio, justificatio, merita bona et ipsa glorificatio ; ideo concludit : *Domine, ut scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos.*

—

Explicatio secunda.

Psalmus quintus mystice spectatus, est oratio Ecclesiæ excellentissima, continens 1° præambulum seu præparationem animæ ; 2° considerationem sanctam ; 3° petitionem veri boni.

1° Præambulum. — *Accedens ad orationem præpara animam tuam, et noli esse quasi homo qui tentat Deum* (Eccli. XVIII, 23). Cujus moniti observantissima Ecclesia, ab initio orationis, Deum suum viva fide alloquens rogat, ut sese ad bene orandum juvare dignetur. Etsi enim solum videtur petere ut a Deo audiatur, re ipsa tamen indirecte petit gratiam digne et competenter orandi.

Etenim dicendo : *Verba mea auribus percipe, Domine...* non sic rogat ut Deus percipiat, intelligat, attendat, quasi ille non omnia perciperet, intelligeret, semperque attenderet ; sed quia quandoque orantem contemnit quasi non perciperet, vel non intelligeret, nec attenderet. Hoc autem modo Deus se gerit, quoties orans culpabiliter non attendit, vel non intelligit quæ petit ; vel ita frigide orat, ut vox ejus sursum ascendere non possit. Quapropter Ecclesia, Spiritu sancto suggerente, gratiam petit sic orandi, ut Deus non repellat orationem suam, sed percipiat sonum, intelligat sensum, et attentionem præbeat.

2° Consideratio sancta. — *Astabo tibi et videbo...* in oratione mea imprimis considerare volo quam detestabile sit peccatum.

Etenim tu, Deus, peccatum odio habes et peccatorem pro justitia tua certo punies. Quapropter peccatum ut malum maximum, omnisque miseriæ ac ruinæ principium, super omnia detestandum ac fugiendum est ; justitia vero persequenda omni affectu ac studio, plenaque fiducia in Deo, qui justitiæ studiosos amat, et misericordissime adjuvat : *Videbo quoniam non Deus volens iniquitatem tu es...odisti... perdes omnes qui loquuntur mendacium. Ego autem in multitudine misericordiæ tuæ, introibo in domum tuam.*

3° Petitio. — Non aurum neque argentum, aut bona quælibet hujus mundi ego postulo ; sed gratiam perfecte tibi, Domine, serviendi, tibique laudes et obsequia deferendi in domo tua : quam gratiam a misericordia tua mihi non denegandam certo confido. *In multitudine misericordiæ tuæ introibo in domum tuam : adorabo ad templum sanctum in timore tuo.*

Interim vero hostes obstant, qui me impedire et retrahere a Domino contendunt. Tu, Domine, inter eorum insidias, in locis inviis et tenebrosis dirige gressus meos, esto mihi lumen et præsidium : *Domine, deduc me in justitia tua : propter inimicos meos dirige in conspetu tuo viam meam...* Hostes istos, sive visibiles, sive invisibiles, coerce, Domine, nec permittas nocere mihi, tu defensor justitiæ et ultor iniquitatis : *Judica illos, Deus,... quoniam irritaverunt te, Domine.* — Hic etsi Ecclesia tantum prædicit certam vindictam peccatoribus infligendam ; formula tamen quasi imprecatoria aut comminatoria utitur, quo magis semetipsam omnesque homines a peccato deterreat, et iniquitatis odio inflammet.

Profligatis hostibus lætabimur, inquit, in Domino : et quidem in hac vita imperfecte, in futura vero plene et perfecte. Tam optabilem ergo lætitiam, Domine, nobis concede : *Et lætentur omnes qui sperant in te...* Gratiam hanc certa confidentia, a tua fidelitate in promissis et a tua misericordia exspecto : *Quoniam tu benedices justo, Domine ; ut scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos.*

Sensus liturgicus.

Recitatur psalmus iste quintus, 1° in officio spineæ Coronæ, nec non Lanceæ et Clavorum Domini ; 2° in officio de Martyribus et Confessoribus ; 3° in officio Defunctorum.

1° Quatenus psalmum recitat in officio de Christo, spectat Ecclesia Christum ejusque passionem, atque hinc promeritam justis omnibus gloriam. — Sic, ubi loquitur de *viro sanguinum,* intelligit peccatorem, effusi sanguinis Christi reum ; — ubi describit inimicos justitiæ, respicit eos præsertim malitiam suam exercentes contra Christum ; — demum, ubi considerat lætitiam, benedictionem et coronam justo reservatam, respicit

justum per excellentiam, Christum Dominum, qui per passionem suam, clavos ac spineam coronam, sibi nobisque omnibus meruit gaudium Spiritus sancti, coronam gratiæ et coronam gloriæ.

2° Quatenus eumdem psalmum ponit in officio Martyris vel Confessoris, sensum huic particulari Sancto accommodat. Itaque ubi loquitur de odio peccati, de timore Dei et oratione, de justo inter inimicos et persecutores Dei manu deducto, ac demum de justi præmio et corona, Ecclesia respicit illum justum, cujus sanctitatem et gloriam celebrat. Quod satis patet ex antiphona : *Lætentur omnes qui sperant in te, Domine : quoniam tu benedixisti justo, scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti eum.*

3° Quatenus psalmum usurpat in officio Defunctorum, Ecclesia intuetur animam justam ad visionem Dei in purgatorio suspirantem ; vel potius personam induens animæ, vel animarum, quas fere jam in cœlum introduxit, pia Mater divinam misericordiam supplex alloquitur. Itaque in earum persona orat, detestatur peccatum, aspirat ad domum Dei ; rogat deduci in conspectu Dei, inter inimicos et obstacula spiritualia, ad beatum terminum, ad consortium omnium Sanctorum, ad cœlestem lætitiam et coronam. His congruit antiphona : *Dirige, Domine Deus meus, in conspectu tuo viam meam.*

—

PSALMUS VI.

Domine, ne in furore tuo.

1. Domine, ne in furore tuo arguas me : neque in ira tua corripias me.	1. Domine, ne in furore tuo quem peccando commerui, arguas me : neque in ira tua corripias me.
2. Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum : sana me, Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea.	2. Sed clementer miserere mei, Domine, considerans quoniam infirmus sum : et sana me, tam spiritualiter quam corporaliter ægrotum. Turbatæ enim sunt omnes vires meæ ;
3. Et anima mea turbata est valde : sed tu, Domine, usquequo ?	3. At præcipue anima mea turbata est valde, tum peccatorum vulneribus, tum compunctione. Tu ergo, Domine, usquequo iratus eris mihi pœnitenti ?
4. Convertere, Domine, et eripe animam meam : salvum me fac propter misericordiam tuam.	4. Convertere misericorditer, et libera animam meam a peccatis et a periculo damnationis : salvum me fac propter misericordiam tuam.

5. Quoniam non est in morte qui memor sit tui : in inferno autem quis confitebitur tibi ?

5. Quoniam non est in morte illa æterna , qui memor sit tui ad te laudandum : in inferno autem quis laudibus suis confitebitur tibi ?

6. Laboravi in gemitu meo , lavabo per singulas noctes lectum meum : lacrymis meis stratum meum rigabo.

6. Ecce peccati pœnitens , fatigatus sum gemitu meo : fletibus meis madefacio singulis noctibus lectum meum, et lacrymis meis stratum meum irrigo.

7. Turbatus est a furore oculus meus : inveteravi inter omnes inimicos meos.

7. Turbatus est et caligavit conspectu furoris tui oculus meus : contemptibilis factus sum inter omnes inimicos meos. — At eos jam repuli, dicens :

8. Discedite a me omnes qui operamini iniquitatem : quoniam exaudivit Dominus vocem fletus mei.

8. Discedite a me omnes qui operamini iniquitatem. — Atque ideo , ut certo confido, exaudivit Dominus vocem fletus mei.

9. Exaudivit Dominus deprecationem meam , Dominus orationem meam suscepit.

9. Exaudivit, inquam, Dominus deprecationem meam : Dominus orationem meam suscepit.

10. Erubescant et conturbentur vehementer omnes inimici mei : convertantur et erubescant valde velociter.

10. Erubescant ergo, et conturbentur vehementer omnes inimici animæ meæ : convertantur in fugam, et erubescant valde velociter.

—

Explicatio.

Argumentum. — Psalmus iste, quem Ecclesia primum inter pœnitentiales posuit, est oratio peccatoris, divinum judicium timentis, et ad reconciliationem aspirantis.

Juxta Hebræorum doctores, a Davide conscriptus est pro sanitate corporis recuperanda , cum in pœnam peccati sui morbo gravi laboraret. Horum opinionem inter alios sequitur Muisius, ita ut psalmum per accommodationem duntaxat de morbo spirituali intelligendum putet. — At Bertherius cum Bellarmino, Lorino, multisque aliis, censet eum litteraliter ad pœnitentiam pertinere. Quæ sententia eo probabilior est, quod Ecclesia ab antiquissimis temporibus hunc spalmum inter pœnitentiales, et primo etiam loco numeravit.

Dicendum itaque videtur, prophetam occasione morbi ob peccatum inflicti, deplorare ægrotantis animæ miseriam, anxietatem, et certamina ; Deumque orare ut ex hoc statu liberetur (1). — Convenit sensus psalmi omni animæ pœnitenti, et a Deo veniam petenti.

Mystice, per totum psalmum Christum Dominum spectare licet. Nam tres priores versiculi, nec non versus 6 et 7, sensum exhibent Christi, peccatorum nostrorum et justitiæ divinæ pondus portantis, atque animæ pœnitentis exemplar præbentis. — Versu 4 et 5 petit gratiam suæ resurrectionis, quæ nostræ justificationis typus est. — Demum a versu 8 usque ad finem pœnas annuntiat, suis inimicis impœnitentibus infligendas.

I. *Petit ne in rigore justitiæ a Deo puniatur.*
II. *Pœnitentiæ suæ vehementiam significat.*
III. *Testatur gaudens se jam esse exauditum.*

—

1. *Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.*

Oratio vere pœnitentis : non enim pœnam et castigationem recusat, vel simpliciter deprecatur ; sed petit ut Dominus eum castiget in misericordia, non in ira. — Scilicet Deus peccatorem *in ira* corripit, quando non castigat ut salvet, et ex amore paterno ; sed percutit ut perdat, ac justitiæ satisfaciat. Quod quidem facit in hac vita, sinendo peccatorem delabi in cæcitatem et obdurationem ; in altera vero, mittendo in gehennam.

Petit itaque David ut castigetur a Deo misericorditer. Quod ut impetret varia profert argumenta, nimirum 1° infirmitatem suam, 2° turbationem animæ suæ, 3° misericordiam Dei, 4° gloriam Dei.

2. *Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum : sana me, Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea.*

Argumentum desumptum ab ægritudinis suæ doloribus. Miserere, inquit, Domine, quoniam infirmitate gravi oppressus sum, tum corporali tum spirituali. Fateor quidem me juste castigari ; at vero ne punias ut judex, sed sana ut medicus. — *Quoniam conturbata sunt ossa*, id est robur meum fractum est et debilitatum, ægrotus sum valde.

3. *Et anima mea turbata est valde : sed tu, Domine, usquequo* (non misereberis et non sanabis)?

Argumentum sumptum a turbatione animæ : id est a salutari

(1) Sententiam hanc in explicatione sequemur : qui aliter sentiunt, expositionem ut mere accommodatam accipiant.

dolore de peccatis ac timore pœnarum, quo intime movetur. — Magnam vim habet illud *usquequo ?* velut prolatum ab anima ita turbata, ut phrasim absolvere nequeat.

4. *Convertere Domine, et eripe animam meam : salvum me fac propter misericordiam tuam.*

Argumentum desumptum a misericordia. *Convertere*, id est, converte ad me faciem tuam, placare mihi. — *Eripe animam*, eam libera, nempe e servitute, e carcere peccati, e manibus inimicorum. — *Salvum me fac*, reddendo mihi gratiam tuam et salutem. Non enim sufficit venia peccatorum, insuper restituenda sunt jura ad hæreditatem æternam per peccatum amissa.

5. *Quoniam non est in morte qui memor sit tui : in inferno autem quis confitebitur tibi ?*

Argumentum desumptum a gloria Dei. Parce, inquit, Domine ; quia secus in mortem æternam deciderem, et sic memoria tua et laus tua ex parte periret.

Si David hic, ut quidam censent, liberationem peteret a morbo et morte corporali, *mors* significaret obitum, et *infernus* sepulcrum ; sensusque foret, homines vita functos non posse jam Deum laudare in cœtu fidelium, aut Dei cultum et gloriam in hoc mundo propagare. — At vero, si, quod verius est, propheta tantum respicit veniam peccatorum a Deo impetrandam, tunc *mors* erit privatio gratiæ, et *infernus* gehenna. — Sanctus Augustinus mortem et infernum, de obcæcatione et obduratione peccatoris exponit.

6. *Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum : lacrymis meis stratum meum rigabo.*

7. *Turbatus est a furore oculus meus : inveteravi inter omnes inimicos meos.*

Secunda pars : pœnitentiæ suæ vehementiam describit ; quod sane eo etiam intuitu facit, ut veniam impetret. Pœnitentiam autem suam exponit, indicatis quatuor circumstantiis : 1° *Laboravi*, inquit, *in gemitu meo*, id est fatigatus sum gemendo et suspirando. 2° *Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo :* id est, madefeci lectum abundantia lacrymarum, quas orando et vigilando fundebam. 3° *Turbatus est*, id est, caligavit oculus meus præ ira tua, seu præ timore judiciorum tuorum ; — vel etiam, præ mœrore meo, atque indignatione a me concepta contra peccatum. 4° *Inveteravi inter omnes inimicos meos*, id est, præ tristitia ac dolore quasi senio confectus sum, velut emarcui, videns me devictum et captivum

inter omnes inimicos meos. — Vocat inimicos, eos omnes qui eum ad peccandum impulerunt, sive dæmones, sive homines, sive ipsa vitia et habitus mali. Hos a se discedere jubet.

8. *Discedite a me omnes, qui operamini iniquitatem : quoniam exaudivit Dominus vocem fletus mei.*

9. *Exaudivit Dominus deprecationem meam : Dominus orationem meam suscepit.*

Tertia pars : testatur gaudens se jam esse exauditum. — Inimicos suos hic vocat eos qui *operantur iniquitatem* ; intellige, qui eam operantur ac producunt in ipso. Hos a se repellit, simulque declarat, se veniam impetrasse. Quibus verbis duo nos docet : 1° omne commercium esse rumpendum cum iis qui nobis sunt occasio peccati ; 2° orationem animæ vere pœnitentis a Deo exaudiri. Utque significet certitudinem exauditionis, idem bis, terque repetit, subjungens : *Exaudivit Dominus deprecationem meam, Dominus orationem meam suscepit.*

10. *Erubescant, et conturbentur vehementer omnes inimici mei : convertantur et erubescant valde velociter.*

Concludit exoptando finem perfectum bellorum spiritualium. Sensus est : Confundantur pudore et conturbentur timore, utpote devicti, et discedant velocissime omnes inimici mei. — Potest etiam hæc conclusio intelligi tanquam oratio prophetæ pro conversione eorum hominum, qui vel persequendo vel alliciendo, ipsi causa peccandi fuerunt. Hoc sensu orat, ut illi, peccata sua agnoscendo, salutari pudore ac timore repleantur, et sic convertantur ad Deum velociter. — Potest denique esse imprecatio, seu prædictio, implenda in die judicii ; quando omnes impii turbabuntur, convertentur frustra ad agnitionem sui erroris, et maxima confusione condemnabuntur in æternum.

Sensus liturgicus.

Psalmus iste ponitur 1° in officio Defunctorum ; 2° inter Pœnitentiales, primo loco.

1° Quatenus recitatur pro Defunctis, est vox Ecclesiæ, quæ personam induens filiorum suorum in purgatorio gementium, humiliter misericordiam Dei et levamen implorat. Petit nimirum, ut effectus justæ iræ suæ, flammas nempe piaculares, Dominus mitiget : misericorditer considerans, tum extremam miseriam ad quam redactæ sunt purgatorii animæ ; tum laudem Dei quæ non in carcere Purgatorii, sed in aula cœlesti cantanda est ; tum intimam animarum pœnitentiam et dete-

stationem de peccatis. Et quoniam pœnitentibus veniam promisit Deus, certa fiducia se prompte audiendam esse proclamat : *Dominus orationem meam suscepit. Erubescant et conturbentur vehementer omnes inimici mei* spirituales, qui me perdere voluerunt ; *convertantur* in fugam, *erubescant valde velociter.*

2° Qua psalmus pœnitentialis, est oratio uniuscujusque fidelium, qui timore divinæ justitiæ salutariter contritus et humiliatus, peccata confitetur ac detestatur, sibique misericorditer condonari postulat. Domine, inquit, ne in furore tuo me percutias, sed potius in misericordia : ne peream morte æterna in inferno, ubi laudare non possem nomen tuum, ad quod tamen laudandum creatus sum. *Quoniam non est in morte qui memor sit tui : in inferno autem quis confitebitur tibi* . — Deinde ut veniam mereatur, ostendit pœnitentiæ suæ lacrymas, et propositum non peccandi de cætero : *Discedite a me omnes, qui operamini iniquitatem...*

—

PSALMUS VII.

Domine, Deus meus, in te speravi.

1. Domine, Deus meus, in te speravi : salvum me fac ex omnibus persequentibus me, et libera me.

1. Domine, Deus meus, in te, qui solus me liberare potes, speravi : salvum me fac ex omnibus persequentibus me, et libera me.

2. Nequando rapiat ut leo animam meam : dum non est qui redimat, neque qui salvum faciat.

2. Ne quando inimicus rapiat ut leo animam meam : dum non est qui redimat, neque qui salvum faciat.

3. Domine Deus meus, si feci istud : si est iniquitas in manibus meis :

3. Vide, Domine Deus meus, hac in causa innocentiam meam : si enim feci istud de quo me accusant, si est vel ulla iniquitas in manibus meis ;

4. Si reddidi retribuentibus mihi mala : decidam merito ab inimicis meis inanis (1).

4. Imo, si reddidi nocentibus mihi mala : non recuso pœnam : decidam merito ab inimicis pulsus, omni successu vacuus ; et in super

5. Persequatur inimicus animam meam, et comprehendat, et conculcet in terra vitam meam : et gloriam meam in pulverem deducat.

5. Persequatur inimicus animam meam, et comprehendat me, et conculcet in terra vitam meam, et gloriam meam in pulverem deducat. — At quoniam innocens sum,

(1) In hebræo : *Si rependi amico meo malum, et si mihi immerito adversantem spoliavi.*

6. Exsurge, Domine, in ira tua : et exaltare in finibus inimicorum meorum.

6. Exsurge, Domine, in ira justa tua : et ostende te defensorem meum in conspectu inimicorum meorum.

7. Et exsurge, Domine Deus meus, in præcepto quod mandasti : et synagoga populorum circumdabit te.

7. Et exsurge, Domine Deus meus in exsequendo præcepto tuo quod statuisti de regno Israel in me transferendo : tunc synagoga populi tui circumdabit te cum laudibus.

8. Et propter hanc in altum regredere : Dominus judicat populos.

8. Propter hanc synagogam populi, in altum tribunal tuum conscende, ut vere dici possit : Dominus judicat populos.

9. Judica me, Domine, secundum justitiam meam : et secundum innocentiam meam super me.

9. Judica me, Domine, ac defende secundum justitiam meam, et secundum innocentiam meam quæ est in me.

10. Consumetur nequitia peccatorum, et diriges justum, scrutans corda et renes Deus.

10. Tunc peribit atque irrita cadet nequitia peccatorum : et prospere deduces justum, o Deus, qui vere justos cognoscis, scrutans corda et renes.

11. Justum adjutorium meum a Domino, qui salvos facit rectos corde.

11. Ideo justum adjutorium mihi a Domino veniet, utpote qui salvos facit rectos corde.

12. Deus judex justus, fortis, et patiens : numquid irascitur per singulos dies ?

12. Utique judex justus est Deus, nec minus fortis quam patiens : putatisne eum comminari semper absque effectu ?

13. Nisi conversi fueritis, gladium suum vibrabit : arcum suum tetendit, et paravit illum.

13. Nisi conversi fueritis a peccando, gladium suum vibrabit oculis vestris. Jam enim arcum suum tetendit et paravit ;

14. Et in eo paravit vasa mortis : sagittas suas ardentibus effecit.

14. Et in eo paravit instrumenta mortis : sagittas, inquam, suas, quas flammis similes effecit.

15. Ecce parturiit injustitiam : concepit dolorem, et peperit iniquitatem.

15. Ecce inimicus meus parturiit injustitiam et peccata : concepit enim dolorem, mihi justo inferendum, et inde peperit ac perfecit concepta facinora contra me.

16. Lacum aperuit, et effodit eum : et incidit in foveam quam fecit.

16. Foveam aperuit et effodit eam ; et, Deo sic faciente, incidit ipse in foveam quam fecit mihi.

17. Convertetur dolor ejus in caput ejus : et in

17. Nam labor ejus et conatus nocendi vertetur in caput ejus : et

verticem ipsius iniquitas ejus descendet.

18. Confitebor Domino secundum justitiam ejus : et psallam nomini Domini altissimi.

in verticem ipsius iniquum ejus consilium descendet.

18. Ego vero, Domino protegente triumphans, confitebor Domino propter justitiam ejus : et psallam nomini Domini altissimi.

Explicatio.

Argumentum. — Oratio justi, qui calumniis, persecutionibus, doloribusque obnoxius, Dei opem implorat, ipsique inviolabilem fidelitatem promittit.

Occasio historica hujus psalmi probabiliter fuit, vel calumnia Saulis, qua Davidem tanquam sibi insidiantem perduellionis accusavit (I Reg. XXII, 8) ; — vel vituperium et calumnia Semei, qui maledixit Davidi, cum fugeret persecutionem Absalonis, et ait regi : *Egredere, vir sanguinum, et vir Belial : reddidit tibi Dominus universum sanguinem domus Saul, quoniam invasisti regnum pro eo* (II Reg. XVI, 8). Hæc enim respicere videtur psalmista, dicens : *Domine si feci istud, si est iniquitas in manibus meis....*

Quæcumque autem externæ circumstantiæ fuerint, et quidquid immediate et velut humano oculo David respexerit ; illud certum est, eum cujuscumque justi, calumniam sustinentis, præcipue vero Christi, prophetice personam gessisse. Etenim per os Davidis, Christus in passione positus, Patris opem implorat, ut per Resurrectionem ab omni calumnia, omnique malo liberetur ; sic enim futurum, ut homines Patrem agnoscant, et ad eum laudandum in unam Ecclesiam conveniant. Deinde ipse, constitutus judex, inimicis suis terribile annuntiat judicium, nisi convertantur ; ac demum æternas Patri gratias agit.

I. *Exponit Deo innocentiam suam.*
II. *Dei defensionem postulat.*
III. *Inimicos de vindicta Dei præmonet.*

---

1. *Domine Deus meus, in te speravi : salvum me fac ex omnibus persequentibus me, et libera me.*

2. *Nequando rapiat ut leo animam meam : dum non est qui redimat, neque qui salvum faciat.*

Orationem incipit testando spem suam ac fiduciam, quam in solo Deo constituit, a quo solo possit a certa morte liberari.

In te, inquit, *Domine*, non in humanis præsidiis, *speravi*, vel spero; tu salva me, secus periturum: cum nemo præter te salvare me possit. — Inimici et persecutores respectu Davidis, erant Saul, vel Absalom et omnes eis adhærentes. — Respectu Christi, Ecclesiæ, et animæ justæ, inimici designantur non tantum visibiles, sed etiam invisibiles, ut facile intelligitur.

Quod addit in numero singulari: *Ne rapiat ut leo*, respicit aliquem ducem hostium suorum: sive Saulem, sive Absalom, sive hujus consiliarium Achitophel. — Mystice indicatur *leo rugiens*, adversarius noster diabolus.

Non est qui redimat, id est, qui liberet: utitur enim Scriptura voce *redemptionis* pro quacumque liberatione, etiamsi non fiat proprie per solutionem pretii.

3. *Domine Deus meus, si feci istud, si est iniquitas in manibus meis.*

4. *Si reddidi retribuentibus mihi mala: decidam merito ab inimicis meis inanis.*

5. *Persequatur inimicus animam meam, et comprehendat, et conculcet in terra vitam meam: et gloriam meam in pulverem deducat.*

Ostendit Deo innocentiam suam in crimine, quod per calumniam sibi objicitur; testaturque se ad quamvis pœnam esse paratum, si oculis Dei reus fuerit. Ista loquendi libertas ac securitas ex bona Davidis conscientia oritur respectu Saulis. — Respectu autem Dei, quantumvis bona et tranquilla sit conscientia nostra, timide semper et humiliter loqui debemus, sicut Paulus: *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum.* I Cor. IV, 4.

Si est iniquitas in manibus meis, nempe si iniquitatem illam commisi, quam de me suspicatur Saul. — De innocentia facti loquitur, non personæ; alioquin omnes sumus peccatores, et gratia Dei indigemus. Quatenus tamen Christi typum gerit propheta, justitia quam sibi attribuit, ut patet, absolute intelligenda est.

Illud *si est iniquitas in manibus meis*, etiam significare potest: Si inique egi erga Saul, reddens ei malum pro beneficiis. Sic enim jam incipit pulcherrima gradatio, qua oratio crescit usque ad finem hujus testificationis.

4. *Si reddidi retribuentibus* (id est, nocentibus) *mihi mala*... Non modo non reddidi malum pro bono, sed quod magis excusabile foret, ne malum quidem ullum pro injuriis reddidi (1). — En injuriarum condonatio, nobilis vindicta christiana,

(1) Uti jam notatum supra, hebræo vox *retribuentibus* sumitur in bonam partem: ita ut alia exsurgat gradatio, et egregius parallelismus: *Si reddidi amico meo malum: et si spoliavi inimicum meum sine causa...*

victoria quam justus de semetipso et de inimicis suis refert, secundum illud Apostoli : *Noli vinci a malo, sed vince in bono malum.* Rom. XII, 21.

Decidam merito ab inimicis meis inanis : id est, si me reum vides, Domine, non recuso pœnam, ne des mihi victoriam, fac discedam e prælio sine ullo successu militari ; imo inimicus meus persequatur me ut occidat, me capiat, ignominiose destruat vitam meam, et nomen meum cum infamia deleat.

6. *Exsurge, Domine, in ira tua, et exaltāre in finibus inimicorum meorum.*

Secunda pars : Dei defensionem petit, et explicat quomodo causam suam ad ipsius Dei laudem vindicari velit. Exsurge, inquit, Domine, velut e somno, ut debelles inimicos meos ; appare sublimis in regione eorum, eos ibi vincendo.

7. *Et exsurge, Domine Deus meus, in præcepto quod mandasti, et synagoga populorum circumdabit te.*

Rationem affert cur Deum *exsurgere* deceat. Sensus est : Defende, Domine, causam meam, quæ etiam est causa tua, propter decretum quo mandasti mihi gubernare populum tuum, additis promissionibus. Da ergo mihi victoriam de hostibus, et populus, inter me et Absalom divisus, iterum conjungetur in unum, et quidem coadunabitur, Domine, circa te, quia in tuo cultu per me confirmabitur. — Præter hanc expositionem communem, alia datur probabilis, statuens psaltem provocare ad Dei justitiam, juxta quam præcepit jus cuique suum tribuendum. *Sensu spirituali*, synagoga populorum est Ecclesia, seu regnum Dei, Christo Domino datum *præcepto* seu decreto divino.

8. *Et propter hanc in altum regredere. Dominus judicat populos.*

Propter hanc synagogam, inquit, et cœtum fidelium, in tribunal tuum seu judicii solium ascende, o Domine, qui judicas populos. — Dicit *regredere*, iterum ascende ; quia Deus, dum differt impiorum pœnam, videtur justitiæ suæ sedem reliquisse ; et ad illam reverti, quando incipit punire. — *Dominus judicat populos*, id est : Sicut judicis terreni est proprium judicare privatos ; ita Domini est, judicare ipsos judices, reges et populos.

9. *Judica me, Domine, secundum justitiam meam ; et secundum innocentiam meam super me.*

Hæc velut petitionis conclusio est, quasi dicat : Itaque, Domine, propter gloriam tuam, reversus ad tribunal tuum

justam meam causam defende. — Innocentia mea *super me*, intelligitur, ut S. Hieronymus vertit, quæ est *in me*. — De innocentia iterum loquitur sua erga Saulem, cui nihil nocuit; non de sua innocentia erga Deum, cui omnes sumus peccatores ac debitores.

10. *Consumetur nequitia peccatorum, et diriges justum : scrutans corda et renes, Deus.*

Tertia pars, inimicos de divina vindicta præmonet, atque hoc modo eos hortatur ut resipiscant. — Peribit, inquit, iniquitas impiorum, nempe non alium fructum producet quam ruinam ipsorum; sed justum, o Deus, in via sua diriges et custodies. Ratio est quod tu, o Deus, scrutans corda et renes, cognoscis qui sint vere justi : cum intima hominum tibi manifesta sint. — *Corda et renes* in Scripturis designant secreta et intima hominis, ita tamen ut *cor* potius indicet cogitationes, *renes* vero affectus et desideria.

11. *Justum adjutorium meum a Domino, qui salvos facit rectos corde.*

Enuntiatam sententiam universalem applicat causæ suæ in particulari, quasi diceret : Quoniam proprium est Dei corda scrutantis, salvos facere rectos corde; ideo dabit mihi adjutorium justum.

12. *Deus Judex justus, fortis et patiens : numquid irascitur per singulos dies?*

Convertit se ad inimicos, ut eos directe admoneat, dicens, Deum esse judicem, patientem quidem et minime præcipitem; sed tamen justum, et qui a comminationibus ad pœnas inevitabiles deveniet.

Numquid irascitur, id est, *an non comminatur* quotidie? Hic verus sensus videtur textus Vulgatæ, qui sic omnino conciliatur cum hebræo. Textus enim hebræus hoc modo a S. Hieronymo vertitur : *Deus judex justus et fortis, comminans tota die*; scilicet minatur quidem antequam puniat, patienterque exspectat peccatoris conversionem; at solummodo aliquamdiu, usque ad horam justitiæ. Quod idem S. Petrus sic enuntiat : *Patienter agit propter vos, nolens aliquos perire sed omnes ad pœnitentiam reverti.* II Pet. III, 9.

13. *Nisi conversi fueritis, gladium suum vibrabit : arcum suum tetendit, et paravit illum.*

14. *Et in eo paravit vasa mortis : sagittas suas ardentibus effecit.*

Minas impiis divinitus intentatas explicat per hypotyposin Dei

irati et comminantis. Nisi, inquit, mature conversi fueritis ad justitiam, manu Dei percutiemini et peribitis. Jam paravit (hebraice *acuit*) gladium et arcum mortiferum : brevi et terribiliter feriet pertinaces inimicos. — Utitur similitudine gladii et arcus, ut significet Deum ferire tam eminus quam cominus.

Sagittas suas ardentibus effecit : id est, tela paravit, fabricavit contra ardenter persequentes justum, seu contra peccatores pertinaces et impœnitentes. — Juxta alios : Paravit instrumenta mortifera, et sagittas confectas ex ardenti materia, nempe tela ignita, quæ velocissime et summa vi penetrent omnia. Aliquando enim, aiunt, Antiqui sagittàs muniebant pice, aliisve rebus concipiendo igni aptis, et ignitas mittebant.

15. *Ecce parturiit injustitiam : concepit dolorem, et peperit iniquitatem.*

16. *Lacum aperuit et effodit eum : et incidit in foveam quam fecit.*

17. *Convertetur dolor ejus in caput ejus : et in verticem ipsius iniquitas ejus descendet.*

His tribus versiculis ostendit effectum minarum Domini. et quomodo impii inevitabilem ruinam incurrant, Dei justitia mirabiliter faciente, ut omnes eorum machinationes in ipsos convertantur. Ecce enim, inquit, aliquam iniquitatem, aliquas insidias struxit justo, eique velut foveam paravit : sed ipsemet incidit in eam ; omniaque mala quæ alteri molitur, ipsemet tanquam lapides sursum projectos, in suum caput recipiet.

Quod dicit *parturiit injustitiam,* statim distinctius explicat, addendo : *Concepit dolorem,* id est, dolorem inferendum animo statuit, ex quo velut semine paritur *iniquitas*, seu iniquum opus externum. — *Fovea* designare videtur insidias occultas, *dolor et iniquitas*, violentiam manifestam ; quæ omnia similiter in auctores recident.

18. *Confitebor Domino secundum justitiam ejus : et psallam nomini Domini altissimi.*

Concludit dicendo, laudaturum se Deum *secundum justitiam ejus*, id est, prout meretur ejus justitia, quæ tam mirabiliter liberat justos, et punit impios. Testimonium gratitudinis est, quo propheta promittit, se laudaturum semper justissimum Dominum, cujus manu ab omnibus inimicis suis liberatus est.

Sensus liturgicus.

Psalmus iste recitatur in officio Defunctorum tanquam oratio, qua Ecclesia, in persona cujusvis fidelium piacularibus flammis traditorum, liberationem a Deo petit.

Hæc autem petitio allegorice proponitur. Anima enim orans sese constitutam exhibet velut inter inimicos, a quibus acerrime et injuste prorsus opprimitur. Quapropter suam innocentiam Deo præ oculis ponens, divinam justitiam appellat, ut ab iniquis vexationibus liberata, Dei laudes cum gratitudine et amore celebrare possit.

Atqui in sensu Ecclesiæ, *inimici injusti* sunt inimici animæ, diabolus et peccatum, quorum effectus sunt pœnæ purgatorii. Qui quidem inimici vere injusti sunt, quia perdere volunt animam, Christi sanguine redemptam, et regni cœlorum hæredem.

Anima se dicit *innocentem :* non quidem in se, nam ipsa peccavit, et ignem expiatorium meruit ; sed in Christo, qui sanguine suo pro peccatis ipsius satisfecit.

Itaque Dei justitiam appellat, ut satisfactionibus Christi sibi applicatis, pœnas Purgatorii remittat ; et sic in creatura sua de spirituali hoste, peccato, perfecte triumphet. Tunc ipsa anima, in cœlum admissa, Christi justitiam ac triumphum cantabit : *Confitebor Domino secundum justitiam ejus : et psallam nomini Domini altissimi.*

PSALMUS VIII.

Domine, Dominus noster.

1. Domine, Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra !

1. Domine, Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum, ac splendor operum tuorum in universa terra !

2. Quoniam elevata est magnificentia tua super cœlos.

2. Vere fulget magnificentia tua in altitudine cœlorum.

3. Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos : ut destruas inimicum et ultorem.

3. Quod autem non minus mirabile, ex ore infantium et lactentium educis laudem perfectam ; et quidem propter inimicos tuos et persecutores, ut eos confundas et evidenti justitia punias.

4. Quoniam videbo cœlos tuos, opera digitorum tuorum : lunam et stellas quæ tu fundasti.

4. Quoties contemplor cœlos tuos, quos tuis digitis tam mirabiliter ornasti ; lunam et stellas, quas e nihilo condidisti : toties admirans majestatem tuam laudo.

5. Quid est homo, quod memor es ejus ? aut filius

5. Inde vero oculos deflectens in hominem, obstupescens exclamo :

hominis, quoniam visitas eum?

Quanta, o Deus, huic humillimæ creaturæ conferre dignatus es! quid enim est homo ut ita memor sis ejus, tantaque misericordia eum visites?

6. Minuisti eum paulo minus ab angelis, gloria et honore coronasti eum: et constituisti eum super opera manuum tuarum.

6. Ecce condidisti eum tam nobilis naturæ ut non sit inferior angelis nisi modico; formando eum ad imaginem et similitudinem tuam, gloria et honore quasi coronasti eum, et regali dominio eum instruendo, constituisti super opera manuum tuarum.

7. Omnia subjecisti sub pedibus ejus, oves et boves universas: insuper et pecora campi.

7. Omnia enim subjecisti sub pedibus ejus, non tantum animalia domestica, ut oves et boves; sed etiam silvestria:

8. Volucres cœli et pisces maris: qui perambulant semitas maris.

8. Imo aves cœli, et ipsos pisces maris cum omnibus quæ moventur in abyssis aquarum.

9. Domine, Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra!

9. Non possum utique quin propterea exclamem: Domine, Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra!

—

Explicatio.

Argumentum. — Nocturno tempore, ut multi existimant, stellatum cœlum aspiciens propheta, in Dei laudes erumpit, Deique potentiam, sapientiam ac benignitatem celebrat, præcipue erga genus humanum.

Psalmus etiam propheticus est, prænuntians Christi regnum et potestatem, nec non humani generis per Christum exaltationem.

Etenim, 1° hunc sensum psalmistæ verbis subesse unanimiter Patres et interpretes docent; etsi non omnes totum psalmum litteraliter, proprie, et immediate ad Christum referunt.

2° Deinde id patet, tum ex Evangelio, tum ex Epistola ad Hebræos. Etenim apud Matthæum (XXI, 15, 16), videntes principes sacerdotum et scribæ *mirabilia quæ* (Jesus) *fecit, et pueros clamantes in templo et dicentes: Hosanna filio David: indignati sunt, et dixerunt ei: Audis quid isti dicunt? Jesus autem dixit eis: Utique. Nunquam legistis: quia ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem?* — Item Paulus scribit, Hebr. II, 9: *Eum autem qui modico quam angeli minoratus est videmus Jesum, propter passionem mortis, gloria et honore coronatum.* Cf. 1 Cor. XV, 26; Eph. I, 22.

Duæ psalmi partes distingui possunt :

I. *Dei magnificentia in universo mundo resplendens.*
II. *Dei benignitas erga hominem, quem universi mundi regem constituit.*

—

Quo clarior autem expositio evadat, tradenda videtur explicatio triplex : prima litteralis, non Messianica ; altera item litteralis, de Messia ; tertia mystica, quatenus est laus Dei in ore Ecclesiæ.

1. *Domine, Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra !*

Exclamatio admirantis opera Dei : Quam admirabile, inquit, est, o Domine, *nomen tuum !*... id est, quam admirabilis gloria tua, manifestatio ac splendor tui, seu tuæ magnitudinis ! — *Nomen Dei*, prout in Scriptura usurpari solet, est 1° ipse Deus, quatenus cognitus aut manifestatus. — 2° Quandoque est simpliciter Deus, et quidquid ad Deum ejusque cultum pertinet. — 3° Non raro etiam est Dei virtus, potentia, protectio, auctoritas, et quilibet influxus Dei in hominem.

Ut istud velut præambulum explicetur, enumerantur varia Dei mirabilia : nimirum, 1° firmamentum, 2° laus Dei in ore parvulorum, 3° cœlum stellatum, 4° Dei benignitas erga hominem. Postremo repetitur initialis exclamatio.

2. *Quoniam elevata est magnificentia tua super cœlos.*

Primum inter opera mirabilia Dei, majestas firmamenti. Particula *quoniam* probabilius hic mere connexiva est, et non causalis ; quod apud Hebræos frequenter occurrit. — *Elevata est magnificentia tua super cœlos* : id est, spectabilis est, magnifica gloria tua in altis cœlis, seu in altitudine cœli. Eodem fere sensu cantavit Habacuc : *Operuit cœlos gloria ejus, et laudis ejus plena est terra.* Hab. III, 3.

3. *Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos : ut destruas inimicum et ultorem.*

Alterum opus Dei mirabile : laus ejus a parvulis celebrata.

Illud *ex ore infantium et lactentium*, videtur esse metaphora hyperbolica : significans, tantam esse ac tam perspicuam gloriam Dei, ut ipsi infantes et lactentes eam videre quodammodo et celebrare possint.

Ut destruas, inquit, *inimicum et ultorem* : seu, ut perdas inimicos nominis tui et adversantes tibi : id est, ut justam rationem habeas et habere te ostendas eos delendi.

4. *Quoniam videbo cœlos tuos, opera digitorum tuorum, lunam et stellas quæ tu fundasti.*

Tertium miraculum, splendor stellarum.

Quod dicit : *Quoniam videbo cœlos tuos*, id est, quando. quoties cœlos aspicio. — *Opera digitorum tuorum*, id est, manuum tuarum. Dicit autem, non *manuum* nec *brachiorum*, sed *digitorum* : 1° ut ostendat summa facilitate cœlos a Deo fuisse conditos, non secus ac Isaias dicit : *Quis appendit tribus digitis molem terræ ?* (Isai. XL, 12.) — 2° Ut ostendat cœlorum pulchritudinem et artificium : digitis enim fiunt opera subtilia et pretiosa, ad quæ facienda ingenium, non labor requiritur. *Videbo... lunam et stellas...* Solis non meminit, 1° quia loquitur forte nocturno tempore. Imo id solitum erat prophetæ, ut nocte orationi et contemplationi vacaret ; cum tempus illud ob quietem ac silentium ad res divinas sit aptius : *Media nocte*, inquit, *surgebam ad confitendum tibi*. CXVIII.

5. *Quid est homo, quod memor es ejus ? aut filius hominis, quoniam visitas eum ?*

6. *Minuisti eum paulo minus ab angelis, gloria et honore coronasti eum : et constituisti eum super opera manuum tuarum.*

Pars altera : Dei benignitas et magnificentia erga hominem.

Quid est homo... Novum et maximum miraculum, quod. Deus hominem, creaturam tantillam diligere et exaltare dignatus est. Considerans scilicet propheta, firmamentum omnemque ornatum cœli creatum esse propter hominem, exclamat : *Quid est homo quod memor es ejus ? aut filius hominis quoniam visitas eum ?* id est, quod eum tam studiose curas ac tanta providentia prosequeris. Quod enim dicitur Deus *memor esse*, *visitare*, intelligitur ad benefaciendum. — Beneficia porro Dei erga hominem quænam sunt ?

Minuisti eum paulo minus ab angelis : id est, paulo duntaxat inferiorem eum constituisti angelis, eisque fere æqualem ; deinde *gloria et honore coronasti eum, — et constituisti eum super opera manuum tuarum.* — Hoc versiculo commemorantur Dei erga hominem beneficia tria : 1° humanæ naturæ nobilitas, fere angelis æqualis ; 2° honor imaginis ac similitudinis Dei, in eo resplendens ; 3° potestas ei data ac dominium in omnia opera Dei, præsertim in animalia, domestica et silvatica, aerea et aquatica.

7. *Omnia subjecisti sub pedibus ejus, oves et boves universas : insuper et pecora campi.*

8. *Volucres cœli et pisces maris : quæ perambulant semitas maris.*
9. *Domine, Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra !*

Quod supra dixit, hominem a Deo præpositum esse reliquis creaturis, hic per enumerationem explicat : omnia, inquiens, ei subjecisti, oves, boves et pecora campi, volucres cœli et pisces maris : — quibus alludere videtur ad verba Dei de homine prolata in principio : *Præsit piscibus maris, et volatilibus cœli, et bestiis, universæque terræ, omnique reptili quod movetur in terra.* Gen. I, 26.

In fine concludit dicens : Ergo mundus universus, præcipue homo, mirabilis quædam manifestatio est divinarum perfectionum : *Quam admirabile est nomen tuum in universa terra !*

—

Explicatio secunda.

Quatenus propheticus est psalmus, et respicit Christum Dominum, longe clarior apparet et pulchrior. Intuens enim propheta mundum, Christi lumine perfusum : Domine, exclamat, qui vere es Dominus *noster*, quam admirabile est nomen tuum in universa terra ! Ubique celebraris et adoraris ut Deus omnipotens, trinus et unus, Creator omnium visibilium et invisibilium.

Per Jesum Christum Filium tuum *elevata est magnificentia tua super cœlos* : id est, doctrina et operibus plane cœlestibus Messiæ, mirabilia mysteria tua manifestabuntur.

Quæ quidem Christi doctrina et miracula vel ex ore infantium elicient laudem tuam ; atque occasio erunt ruinæ inimicorum ea respuentium. Pueri enim in templo clamabunt : *Hosanna filio David ;* Pharisæi vero interim Christo mortem parantes incurrent vindictam Dei et excidium. — Pueri autem illi repræsentant omnes spiritualiter parvulos, nempe Apostolos, humilesque Christi discipulos ; Pharisæi vero, superbos ac sapientes sæculi, inimicos Christi et persecutores. *Abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis.* Matth. XI, 25.

Sequentibus verbis : *Quoniam videbo cœlos tuos... lunam et stellas quæ tu fundasti,* Spiritus sanctus imaginem exhibet Ecclesiæ terrestris, quæ nocturno tempore hujus sæculi figuratur symbolo lunæ. Ecclesia enim instar lunæ , amicta est lumine *solis justitiæ*, Christi, qui tamen nunc in terris visibi-

lis non est ; progrediturque stipata stellis innumeris, quæ sunt imago Apostolorum, Pastorum, Doctorum, Sanctorum omnium Ecclesiam coronantium.

Quid est homo, quod memor es ejus ? aut filius hominis... Intelligitur hic *homo et filius hominis* per excellentiam : Christus, Filius Dei incarnatus. Quid est ille secundum naturam humanam, ut eum, o Pater æterne, appelles Filium tuum unigenitum, dilectum, in quo complacuisti tibi !

Minuisti eum paulo minus ab angelis... Dupliciter hoc intelligi potest : 1° Filium tuum incarnando inferiorem angelis constituisti, nempe in natura humana, qua angelis est paulo inferior. — 2° Infra angelos et in mortali humilique conditione eum constituisti *paulisper*, ac brevi tempore. Scilicet Christus tempore suæ vitæ mortalis humiliatus est ; deinde vero, in resurrectione atque ascensione, *gloria et honore coronatus.*

Omnia subjecisti sub pedibus ejus... En Christi regnum, ejusque potestas suprema in cœlo et in terra. *Sub pedibus ejus* i. e. sub humanitatis ejus dominatu, subjecta sunt omnia, cœlestia, terrestria et infernalia. *Suscitans illum a mortuis, et constituens ad dexteram suam in cœlestibus, supra omnem principatum et potestatem... Omnia subjecit sub pedibus ejus ; et ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam.* Eph. I, 20, seq.

—

Explicatio tertia.

Psalmus sensu mystico spectatus, et quatenus editus, non in persona prophetæ, sed in persona Ecclesiæ, est ejusdem Ecclesiæ vox, magnalia ac mirabilia Dei universa, Spiritu sancto suggerente, celebrantis.

Aspiciens enim oculo fidei opera Dei, admiratione atque amore rapta exclamat : « *Domine, Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra !...* Quam admirabile non tantum in ordine naturæ, sed etiam et præcipue in ordine gratiæ, per Christum manifestatæ !

« At vero, quia abscondisti hæc præsertim Christi mysteria, a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis ; quia ore infantium hæc celebranda voluisti : da mihi oculos humilium, et labia pura infantium, ut perspiciam et enarrem omnia mirabilia tua.

« Tunc videbo cœlos tuos : i e. totum ordinem gratiæ, ordinem illum excelsum, spiritualem, super omnem terrenam mutabilitatem in æternum constitutum... Videbo Ecclesiam tuam, cum Pastoribus, Doctoribus, omnibusque Sanctis suis regnantem in universo mundo, sicut luna cum stellis splendentibus

dominatur in universo firmamento. *Videbo cœlos tuos, lunam et stellas quæ tu fundasti.*

« Non autem opera tua duntaxat, sed te ipsum videbo, in Jesu Christo, filio tuo unigenito, qui propter nos homines descendit de cœlo, et incarnatus, et homo factus est : *Quid est homo, aut filius hominis, quoniam visitas eum !* Siccine dilexisti mundum, ut Filium tuum unigenitum dares ! Facta sunt hæc *per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit nos oriens ex alto.* Luc. I, 78.

« Hunc autem Christum tuum ut undequaque mirabilem efficeres, primum humiliatum, deinde exaltatum, constituisti Regem universorum. *Eum qui modico quam angeli minoratus est, videmus Jesum, propter passionem mortis, gloria et honore coronatum. Omnia subjecisti sub pedibus ejus* (Hebr. II, 8, 9) : angelos, hominesque justos, imo etiam peccatores. »

Psalmi conclusio. — Tam stupendo mysteriorum Dei spectaculo magis magisque admiratione rapta et amore succensa, Ecclesia sicut exorsa est, ita concludit, exclamans : *Domine, Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra !*

Quo affectu sanctissimo velut absorpta conquiescit.

Nota 1° (1). Sic SS. Patres animalia in psalmo enumerata intelligunt, ut domestica designent angelos, omnesque justos ; reliqua vero, omnis generis peccatores. Oves et boves, inquit Augustinus in hunc locum scribens, intelligamus omnes sanctos : vel, sicut oves, innocentiæ fructum dantes ; vel etiam, ut boves, operantes ut terra fructificet, id est, ut terreni homines ad spiritualem ubertatem regenerentur. Has ergo animas sanctas, non hominum tantum, sed etiam omnium angelorum oportet accipere.

Deinde S. Doctor observat, illud INSUPER *et pecora campi*, indicare, non tantummodo sanctos ac justos Christi imperio subesse ; sed etiam peccatores, tribus animalium speciebus quæ sequuntur designatos. Scilicet, -1) *pecora campi* illi sunt, qui concupiscentiæ carnis serviunt, et per viam latam ad interitum gradiuntur. -2) *Volucres cœli* sunt superbi, de quibus dicitur : *Posuerunt in cœlum os suum.* Ps. LXXII.

-3) *Pisces maris* sunt bonorum temporalium cupidi, qui perambulant semitas maris : id est, inquirunt in profundo hujus sæculi temporalia bona, quæ tanquam semitæ in mari tam cito evanescunt et intereunt, quam rursus aqua confundi-

(1) Hoc velut specimen adjiciendum duximus, quo pateat quam accurate ac minutatim SS. Patres vel doctissimi, ut Augustinus, verba sacra perpendant, quamque longe sensum in divinis oraculis latentem persequantur.

tur, postquam transeuntibus locum dederit. — Tria itaque genera animalium repræsentant peccatores, triplici concupiscentia impulsos (1).

Nota 2°. Quæcumque in Psalmo dicuntur de Christo, ejusque humiliatione et subsequenti gloria atque dominio; eadem secundario quodam sensu pertinent ad quemlibet fidelem christianum, quatenus pro modulo suo et conditione, discipulus similis esse debet Magistro suo, servus Domino, secundum illud : *Si quis mihi ministrat, me sequatur ; et ubi sum ego, illic et minister meus erit* (Joan. XII, 26). Et istud : *Pater... ego claritatem quam dedisti mihi, dedi eis*. Joan. XVII, 22.

Sensus liturgicus.

Splendidus iste psalmus canitur, 1° in festis spineæ Coronæ, Clavorum et Lanceæ, Transfigurationis et Ascensionis Christi ; nec non 2° in solemnitate SS. Trinitatis ; 3° in festis B. M. V., ac cæterarum Virginum ; 4° in festis Martyrum et Confessorum.

1° In festis mysteriorum Christi, celebratur Christi humanitas, tanquam præcipuum universæ creationis ornamentum : humanitas illa humiliata primum, deinde vero *propter passionem mortis*, ac propter ignominiæ coronam, *gloria et honore coronata* (Hebr. II, 9). Quæ quidem gloria Christi, tum in Transfiguratione, tum in Ascensione ejus peculiari quodam modo effulsit.

2° In festo SS. Trinitatis canitur Dei unius ac trini mirabile nomen, majestas ac magnificentia : manifestata quidem per mundum universum, præcipue tamen per Incarnationis mysterium, quo visibiliter Deum cognoscimus et cœlos velut apertos spectamus : *Quoniam videbo cœlos tuos... Domine, Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra !*

3° In festis B. M. V. canitur Dei Genitricis gloria, -1) indirecte nimirum in præconio Filii, cui ipsa simillima est, et cujus magnitudinis particeps ; -2) directe, quatenus inter mirabilia opera Dei eminet ipsa, tanquam insignis divinæ magnificentiæ manifestatio, non secus ac luna inter stellas. Imo in imagine lunæ peculiariter respicitur Maria Virgo, mulier amicta claritate Solis justitiæ, cui Ecclesia etiam accommodat hæc verba : *Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna ?* Cantic. VI, 9.

Idem psalmus canitur in officio Virginum, -1) quia ipsæ, virginum Reginæ aliquomodo similes, eam veluti stellæ lunam, sequuntur ; -2) quia inter pulcherrima Dei opera in ordine

(1) Cfr. S. Aug. *in hunc locum*.

gratiæ, singulariter emicat virginitas. Hinc antiphona : *O quam pulchra est casta generatio cum claritate !*

4° In officiis demum Martyrum et Confessorum, Ecclesia respicit insignes illos Christi discipulos tanquam Domino suo simillimos, sicut ipsum gloria et honore coronatos, ejusque potestatis ac regalis domini participes. Ideo in antiphona dicit : *Quia gloria et honore coronasti Sanctum tuum, et constituisti eum super opera manuum tuarum.*

—

PSALMUS X.

In Domino confido.

1. In Domino confido : quomodo dicitis animæ meæ : Transmigra in montem sicut passer ?

1. In Domino confido... Quomodo vos dicitis mihi : Fuge in montana sicut passer fugiens aucupem ?

2. Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum, paraverunt sagittas suas in pharetra : ut sagittent in obscuro rectos corde :

2. Quoniam ecce impii hostes tui intenderunt arcum , paraverunt sagittas suas in pharetra (in nervis arcuum), ut sagittent insidiose te tuosque socios innocentes ;

3. Quoniam quæ perfecisti , destruxerunt : justus autem quid fecit (1) ?

3. Et quæcumque pro patria fecisti calumniando destruxerunt. Justus autem quid mali eis fecit ?

4. Dominus in templo sancto suo : Dominus in cœlo sedes ejus.

4. His respondeo : Dominus in templo sancto suo , Dominus , inquam, in cœlo sedem ac tribunal habet.

5. Oculi ejus in pauperem (2) respiciunt : palpebræ ejus interrogant filios hominum.

5. Oculi ejus (in oppressum justum) respiciunt : oculi ejus aperti sunt , ut considerent omnes filios hominum

6. Dominus interrogat justum et impium : qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam (3).

6. Dominus ut Judex examinat justum et impium : proinde qui diligit iniquitatem , odit animam suam.

(1) Juxta hebraizantes vertendum potius ita foret : *Et cum ipsa rerum fundamenta* (leges nempe et mores) *destructa sint, vir justus quid facere possit ?*

(2) Illud *in pauperem*, quod habet Vulgata, deest in hebræo.

(3) Juxta hebræum : *Dominus explorat justum* (et cognitum amat) : *at impium, et eum qui diligit iniquitatem, odio habet anima ejus.*

7. Pluet super peccatores laqueos : ignis, et sulphur, et spiritus procellarum, pars calicis eorum.

8. Quoniam justus Dominus, et justitias dilexit : æquitatem vidit vultus ejus.

7. Nam pluet Dominus, super peccatores laqueos inevitabiles : ignis, et sulphur, et spiritus procellarum pars eorum erunt.

8. Quoniam justus Dominus est, et justitias servorum suorum diligit : et æquitatem eorum benevole respicit oculus ejus.

Explicatio.

Argumentum. — Juxta probabilem Lyrani sententiam, psalmum hunc David in persecutione Saulis, conscripsit, cum esset in præsidio Moabitarum, et in Judæam reverti juberetur a Gad propheta, divinitus dicente : *Noli manere in præsidio, proficiscere et vade in terram Juda* (I Reg. XXII, 5). Quam reversionem cum Davidi dissuaderent amici, ut periculis plenam propter sævitiem Saulis ; ille Dei voci obtemperare volens, ait, se Deo fretum nulla hostium tela timere.

Sensu spirituali, loquitur David in persona cujuslibet justi, Ecclesiæ membri, tempore persecutionum in Deo perfecte confidentis ; atque ita nos omnes, in quovis discrimine positos, confidentiam et patientiam docet.

I. *Quanta pericula Davidi fugam suadeant.*
II. *Quanta tamen confidentia ipse securus maneat.*

---

1. *In Domino confido : quomodo dicitis animæ meæ : Transmigra in montem sicut passer ?*

Fugam suadentibus, Deo aliter volente, amicis suis, opponit propheta unum verbum : *In Domino confido...* Id enim unum omnibus humanæ prudentiæ sermonibus respondet.

Hos autem sermones tanquam inanes rejiciendo repetit : *Quomodo dicitis animæ meæ* (id est, mihi) : *Transmigra in montem sicut passer ?* id est : Quære locum tutum in montibus, sicut avicula ab aucupibus impetita, in montis cacumine latebras quærit. — Sensu morali, hæc verba sunt carnalis prudentiæ, servis Dei suadentis ut bonum opus, ex voluntate Dei susceptum et peragendum, ob molestias aut pericula deserant.

2. *Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum, paraverunt sagittas suas in pharetra : ut sagittent in obscuro rectos corde.*

3. *Quoniam quæ perfecisti destruxerunt : justus autem quid fecit ?*

Rationem addunt suasores duplicem, cur in Judæam abeundum non sit : 1° quia Davidi jam paratum est exitium ; 2° quia omnis Davidis spes in Judæa odio inimicorum destructa est. Jam, inquiunt, paraverunt sagittarum copiam in pharetra ; vel juxta textum hebræum, aptaverunt sagittas nervis arcuum, ut ex insidiis transfigant te, sociosque tuos, quamvis innocentes : *Ut sagittent in obscuro rectos corde.*

Nec putes tibi adhuc præsidium esse in favore populi propter facinora tua, quibus tam bene de rege deque republica es meritus ; nam quæcumque laudabiliter fecisti, adversarii tui calumniis corruperunt et destruxerunt. *Quoniam quæ perfecisti destruxerunt.*

Et quidem sic opera tua calumniati sunt ex mero et pessimo odio, cum nullam ad id eis dederis occasionem : *Justus autem quid fecit ?* Davidem alloquuntur in tertia persona.

Juxta hebræum, versiculus 3 exponendus foret ita : Etiamsi, o David, incolumis in Judæam pervenias, frustra ibidem laborabis. Cum enim publici ordinis fundamenta convulsa sint, omniaque turbata ac desperata, quid in hac rerum strage, tu homo justus efficere poteris ?

4. *Dominus in templo sancto suo : Dominus in cœlo sedes ejus.*

5. *Oculi ejus in pauperem respiciunt : palpebræ ejus interrogant filios hominum.*

6. *Dominus interrogat justum et impium : qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam.*

Incipit *secunda pars*, fiducia in Deo. — Hostium suorum sævitiæ opponit Deum judicem ac vindicem. Dominus, inquit, et Judex omnium, sedet in cœlesti suo sanctuario, omni humana potentia superior, omnia cognoscens et intuens, ut innocentiæ illatas injurias vindicet.

5. *Oculi ejus in pauperem respiciunt*, id est, in hominem afflictum, ac persecutionibus obnoxium. *Palpebræ ejus interrogant filios hominum...* In hebræo simpliciter dicitur : *Inde oculi ejus prospiciunt : palpebræ ejus explorant filios hominum ;* scilicet, e summo cœlo Deus omnia videt...

6. *Dominus interrogat justum et impium :* id est, attente respicit, explorat et pernoscit opera, tum justi, tum etiam impii : ut nempe præmium vel pœnam pro cujusque merito rependat.

Inde sequitur quod addit : *Qui autem diligit iniquitatem, odit*

animam suam, id est (1), odit animæ suæ bonum et salutem. Nam in peccato causam ponit pœnæ subeundæ, imo mortis æternæ. Quare Apostolus dicit : *Stimulus mortis peccatum est* (I Cor. XV, 56) ; scilicet, peccatum est stimulus, per quem nobis mors præcipue nocet, nosque pungendo confodit. Sicut scorpius in aculeo, ita mors in peccato robur habet, nec aliter nocere potest.

7. *Pluet super peccatores laqueos : ignis, et sulphur, et spiritus procellarum, pars calicis eorum.*

En abundantia et varietas pœnarum quas impii sibi inducunt ; et sic, quamvis peccando sese videantur amare, revera oderunt ac perdunt semetipsos.

Laquei significant vim ineluctabilem divinæ justitiæ, quam nemo evadere poterit ; vel etiam, diaboli laqueos, passiones et peccata, quibus in hac vita magis magisque, Deo sic permittente, involventur. — Isti tamen *laquei* sumi possunt pro fulminibus : nam juxta metaphoram Arabibus etiamnum usitatam, *laquei* dicuntur longi fulminum tractus. Qui sensus recte quadrat cum cæteris.

Ignis et sulphur sunt fulmina ; vel etiam alludunt ad pluviam ignis et sulphuris, qua consumpta est Pentapolis. — Spiritualiter indicant supplicia gehennæ, quorum imaginem exhibuit conflagratio Sodomæ et Gomorrhæ.

Spiritus procellarum, sunt vel venti frigidissimi, quibus etiam cruciabuntur damnati ; vel indicant perturbationem animæ et conscientiæ eorum. — *Pars calicis*, id est, sors, portio quæ illis debetur, metaphora desumpta e conviviis Hebræorum, in quibus unicuique sua pars vini in calice distribuebatur.

8. *Quoniam justus Dominus, et justitias dilexit : æquitatem vidit vultus ejus.*

Hæc vera ratio est, cur Deus tam atrociter impios puniat, *quia justus est* in se : *Deus enim lux est, et tenebræ in eo non sunt ullæ* (I Joan. I, 5). Nec tantum justus est in se, sed *et justitias dilexit*, seu *diligit* : id est, opera justitiæ requirit et amat in creaturis, ad imaginem suam creatis.

Id ipsum repetit aliis verbis, dicens : *Æquitatem vidit vultus ejus*, id est, justitiam aspiciunt visione approbationis, seu aspicere delectantur oculi ejus. — In hebræo, vox *æquitas*, refertur ad personas, ita ut vertendum sit : *Rectos corde benevole respicit facies ejus.*

(1) Juxta hebræum *odium* istud refertur ac Deum, qui odio habet iniquitatem. Cf. supra, *Text.*(3).

Sensus liturgicus.

Psalmus X occurrit, 1° in officio de Passione, de quinque Plagis, de Corona spinea, et de Ascensione Domini ; 2° in officio de Angelis ; 3° in officio de Martyribus.

1° Ecclesia recitans psalmum hunc in officio de Passione Domini, loquitur in persona Christi, qui confidens in Patre, persecutiones et insidias Judæorum non metuit ; ideoque ipse a morte liberatus est et exaltatus, meruitque liberationem et exaltationem justorum, vindicta interim impiis reservata : *Quoniam justus Dominus, et justitias dilexit : æquitatem vidit vultus ejus.*

In officio de Corona spinea et de Ascensione, peculiarem sensum habet versiculus 4 : *Dominus in cœlo sedes ejus :* ostendere enim videtur Christum ut Regem summum, in throno suo sedentem, et capite cinctum diademate.

2° In festo Angelorum, respiciuntur ex una parte pericula et insidiæ spirituales paratæ justis ; ex altera vero, paterna Dei providentia erga filios hominum, qua angelos custodes eis dare dignatus est : Hinc tanta justi fiducia : *In Domino confido... Dominus in cœlo sedes ejus : oculi ejus in pauperem respiciunt.*

3° In festis Martyrum, loquentes inducuntur athletæ fidei, Christique patientis imitatores. Intrepide autem confitentur suam in Deo fiduciam, persecutorumque minas et jussa principum contemnunt propter judicia Dei, supremi Judicis : *Dominus interrogat justum et impium...*

—

PSALMUS XIV.

Domine, quis habitabit.

1. Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo ? aut quis requiescet in monte sancto tuo ?	1. Domine, quis habitabit in cœlesti tabernaculo tuo ? aut quis requiescet in cœlorum monte sancto tuo ?
2. Qui ingreditur sine macula : et operatur justitiam.	2. Qui vitam degit sine macula, et operatur justitiam.
3. Qui loquitur veritatem in corde suo : qui non egit dolum in lingua sua.	3. Qui assentitur veritati in corde suo, nec loquitur fraudes lingua sua.
4. Nec fecit proximo suo malum : et opprobrium non	4. Nec proximo damnum infert opere, nec ad aures suas admittit

accepit adversus proximos suos.

contumeliam ullam aut detractionem contra proximos.

5. Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus : timentes autem Dominum glorificat.

5. Qui pro nihilo habet quoscumque malos ; timentes autem Dominum honorat.

6. Qui jurat proximo suo et non decipit ; qui pecuniam suam non dedit ad usuram : et munera super innocentem non accepit.

6. Qui jurat proximo suo et non decipit ; qui pecuniam tribuit, sed non ad usuram ; et munera seductoria super innocentem non accipit.

7. Qui facit hæc : non movebitur in æternum.

7. Qui facit hæc, requiescet in monte sancto Domini securus in æternum.

—

Explicatio.

Argumentum. — Declaratur hoc psalmo via ad vitam æternam ; seu docetur qua ratione vivendum sit, maxime cum proximo, ut in cœlestibus tabernaculis aliquando habitare mereamur.

Propheta nimirum, personam Ecclesiæ gerens, desiderio captus collium æternorum, eoque fideles deducere cupiens ; sublatis sursum oculis, Dominum interrogat, quis dignus sit futurus ut illic habitet. Moxque divinitus edoctus proclamat, hunc fore hominem immaculatum a peccato, et virtutibus ornatum.

Duæ partes distingui possunt :

I. *Indicatur beatitudinis terminus.*
II. *Designatur via ducens ad illum.*

—

1. *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requiescet in monte sancto tuo?*

En desiderabilis terminus, cœlestis nempe habitatio, ubi cor hominis conquiescere poterit. — De cœlo enim hic agitur, et de domo gloriæ Domini ; non vero de Tabernaculo fœderis neque de monte Sionis, ubi Tabernaculum erat positum. Etenim 1° Tabernaculum fœderis non erat domus habitationis respectu hominum ; sed tantum domus seu locus orationis. — 2° Neque beneficium ac privilegium tantum erat quantum hic supponitur, ut quis adire posset Tabernaculum testimonii, nec

tanta ad id sanctitas requirebatur in Lege. Itaque merito communis interpretum sententia verba hæc de Tabernaculo Dei æterno intelligit, id est de cœlo.

Cœlum autem vocatur *tabernaculum* et *mons sanctus*, nempe Sionis, quia — 1° Tabernaculum fœderis figurabat cœlum, Tabernaculum Dei non manu factum ; et — 2° mons Sion figurabat Jerusalem cœlestem. *Accessistis*, inquit Apostolus, *ad Sion montem, et civitatem Dei viventis, Jerusalem cœlestem, et multorum millium angelorum frequentiam* (Hebr. XII, 22). — Et de eadem Jerusalem nova dicitur : *Ecce, tabernaculum Dei cum hominibus, et habitabit cum eis.* Apoc. XXI, 3.

Porro dicendo : *Quis habitabit?... quis requiescet in monte sancto tuo*, insinuat, 1° cœlum esse domum Dei, ac patriam nostram desiderabilem ; 2° esse mansionem stabilem instar montis, simulque arduam ac laboriosam ascensu ; 3° demum, esse quietem perfectam, de qua Apostolus : *Relinquitur sabbatismus populo Dei... festinemus ergo ingredi in illam requiem.* Hebr. IV, 9, 11.

2. *Qui ingreditur sine macula : et operatur justitiam.*
3. *Qui loquitur veritatem in corde suo : qui non egit dolum in lingua sua.*
4. *Nec fecit proximo suo malum : et opprobrium non accepit adversus proximos suos.*

Altera pars : Via ducens ad cœlum. — Undecim enumerantur conditiones ad beatum ingressum cœli requisitæ : declinare a malo, facere bonum, dicere veritatem in corde, non fallere verbis, non lædere operibus, non fieri cujusvis injuriæ participem, contemnere vitium ubicumque occurrit, honorare virtutem ubicumque invenitur ; servare juramentum, si quis jurare debuerit ; non fenori dare pecuniam, si quis fuerit dives ; non corrumpi se sinere muneribus, si judicis officio quis fungatur.

Ut patet, octo priores conditiones pertinent ad omnes homines, tres ultimæ ad quosdam duntaxat. — Alio sub respectu, duæ priores conditiones continent principium fundamentale justitiæ, fugiendi malum et faciendi bonum ; sequentes vero illud principium explicant, indicando quomodo cogitatione, verbo, et opere justitia servanda sit, tum erga Deum, tum erga proximum.

2. *Qui ingreditur sine macula et operatur justitiam.* Dicitur *ingredi* seu vivere *sine macula*, ille qui, ut Bellarminus ait, vivit sine culpa lethali ; *operari* autem *justitiam*, qui facit omnia ad quæ tenetur, non timore pœnæ, sed amore justitiæ.

Ille autem immaculatus et justus hic descriptus, quis est ?

Resp. Propheta generaliter et abstractive loquitur nec quemquam in particulari designat. Quia tamen descriptio non convenit nisi Christo et Sanctis ejus, ideo Spiritus sanctus altiore sensu ad illos respexisse censendus est. Propterea et Ecclesia has antiphonas adhibet : *Ingressus sine macula* (Christus) *et operatus justitiam, coronatus est in monte sancto tuo* (Offic. de S. spinea Corona). — *Domine, iste sanctus habitabit in tabernaculo tuo, operatus est justitiam, requiescet in monte sancto tuo* (Offic. de Confess.).

3. *Qui loquitur veritatem in corde suo* : id est, qui loquitur sincere ac profert ore veritatem, quam novit corde ; — vel melius : qui veritati corde adhæret eamque amat. — Bellarminus sensum latius extendit, nempe ad exclusionem omnis peccati interni. Quicumque enim, inquit, in peccatum aliquod consentit, loquitur falsum in corde suo : quia judicat expedire sibi id, quod revera sibi non expedit.

4. *Nec fecit proximo suo malum*... id est, alterum non læsit opere aut verbis. De læsione nociva et proprie mala sermo est ; non de illa quæ, etsi proximo sæpe ingrata, tamen salubris est, ut correptio. *Opprobrium accipitur adversus proximos*, cum calumniis aliisve injuriis assensus præstatur.

5. *Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus : timentes autem Dominum glorificat.*

6. *Qui jurat proximo suo et non decipit ; qui pecuniam suam non dedit ad usuram : et munera super innocentem non accepit.*

Adjiciuntur reliqui characteres perfecte justi, ad cœlum aspirantis. — *Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus*... id est, ille qui malos homines, quamvis potentes aut divites, contemptui habet : non quidem quatenus sunt fratres sui, aut forsitan superiores ; sed præcise quatenus sunt impii et Deo ipsi contemptibiles Scilicet quæcumque naturalia talenta justus non æstimat ut bona homini, si desit justitia ; e contra temporalem abjectionem quamlibet non æstimat ut malum, dummodo adsit justitia : ideoque vitium ubicumque illud invenit, spernit ; virtutem vero vel in homine pauperrimo honorat.

7. *Qui facit hæc, non movebitur in æternum.*

Respondet quæstioni in primo versiculo propositæ, dicitque eos qui ita vivunt, habituros firmissimam in cœlesti Tabernaculo mansionem.

His verbis concludens : *Qui facit hæc, non movebitur in æternum*, implicite Spiritus sanctus homines invitat ad exami-

nandum, utrum hæc faciant, et enumeratas conditiones impleant : quæ sicut necessariæ sunt , ita etiam sufficiunt, ut homo ad patriam cœlestem perveniat. Etenim conditiones propositæ totam continent legem justitiæ , totum decalogum, totamque legem evangelicam, quæ in dilectione Dei et proximi consistit. Sed quemadmodum in Evangelio et in decalogo, ita etiam in hoc psalmo ea quæ ad proximum spectant fusius explicantur, quam quæ pertinent ad Deum : ut sciamus, majorem legis partem a nobis implendam, esse dilectionem proximi : qua servata, lex tota implebitur : *Qui diligit proximum , legem implevit.* Rom. XIII, 8.

Sensus liturgicus.

Adhibetur psalmus iste, 1° in officio Sabbati sancti, Coronæ spineæ, sacræ Sindonis , ac Plagarum Domini ; 2° in officio omnium Martyrum et Confessorum.

1° Quatenus ad Christum ejusque passionem spectans, est vox Ecclesiæ, filios suos viam cœli docentis, ostendendo eis ipsius Domini vitam immaculatam, justitiamque perfectam : id est talem, quæ etiam inter opprobria usque ad mortem perseveret. Consonat cum verbis Petri, scribentis, Christum reliquisse exemplum, ut sequamur vestigia ejus : *Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus ; qui quum malediceretur non maledicebat ; quum pateretur, non comminabatur : tradebat autem judicanti se injuste.* I Pet. II, 22.

2° Quatenus celebrat Sanctos, Ecclesia eodem psalmo describit vitam eorum, qui Agnum immaculatum et propter justitiam immolatum sequendo, sicut ipse ad æterna Dei tabernacula pervenerunt ; hinc antiphona : *Domine iste Sanctus habitabit in tabernaculo tuo : operatus est justitiam , requiescet in monte sancto tuo.*

PSALMUS XV.

Conserva me, Domine.

1. Conserva me, Domine, quoniam speravi in te. Dixi Domino : Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.

1. Conserva me, Domine, ac tuere, quoniam speravi in te, et dixi tibi : Deus meus es tu, a quo omnia bona accepi, quique bonis meis non indiges.

2. Sanctis qui sunt in terra ejus, mirificavit omnes voluntates meas in eis (1).

2. Sed dedisti mihi miram benevolentiam et charitatem erga sanctos tuos in terra.

(1) In hebræo : *Sanctis qui sunt in terra, miram exhibere cupio benevolentiam et charitatem.*

In textu hebraeo verbum quod hic transfertur per infirmitates potest etiam significare idola. Hinc sensus: Multiplicata sunt idola eorum; postea acceleraverunt. Non congregabo conventicula idolorum — Vulgata repellit et conventicula idolorum et Judaeorum. Hinc nulla contradictio

3. Multiplicatæ sunt infirmitates eorum : postea acceleraverunt (1).

3. Ipsi prius in via peccatorum miserrimi ; postea per me redempti, celeriter via virtutis ad salutem properarunt.

4. Non congregabo conventicula eorum de sanguinibus : nec memor ero nominum eorum per labia mea.

4. Non enim eos ex Judæis et Gentibus sic in unam congregabo Ecclesiam, ut adhuc sacrificia cruenta offerant : imo ista prorsus abolita et oblivioni tradita volo.

5. Dominus pars hæreditatis meæ et calicis mei : tu es qui restitues hæreditatem meam mihi (2).

5. Ecce quod petivi a Domino, magnifice impetravi : Dominus ita me conservavit, ut ipse sit pars hæreditatis meæ : utique tu es, Domine, qui dabis hæreditatem meam mihi.

6. Funes ceciderunt mihi in præclaris, etenim hæreditas mea præclara est mihi.

6. Portio mihi obtigit præclara : etenim hæreditas mea præstantissima est mihi.

7. Benedicam Dominum qui tribuit mihi intellectum : insuper et usque ad noctem increpuerunt me renes mei.

7. Benedicam Dominum qui tribuit mihi tanti boni intelligentiam (3) : et tota die usque ad noctem, intimo gratitudinis affectu erga ipsum, moventur viscera mea.

8. Providebam Dominum in conspectu meo semper : quoniam a dextris est mihi, ne commovear.

8. Simul autem assistentem mihi Dominum habui in conspectu meo semper : quoniam a dextris est mihi ne a perseverando dimovear.

9. Propter hoc lætatum est cor meum, et exultavit lingua mea : insuper et caro mea requiescet in spe.

9. Propter hoc in ipsa passione mea lætatum est cor meum, et laudabunda exultavit lingua mea (anima mea) : insuper et caro mea immolata, requiescet in spe resurrectionis.

10. Quoniam non derelinques animam meam in inferno : nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.

10. Non enim derelinques animam meam in limbo : nec permittes corpus Sancti tui pati corruptionem.

11. Notas mihi fecisti vias vitæ, adimplebis me lætitia cum vultu tuo : delectationes in dextera tuo usque in finem.

11. Notas mihi fecisti ex inferis vias vitæ seu resurrectionis : post quam adiimplebis me lætitia, dando mihi visonem vultus tui, et delectationes cælestes, sessuro in dextera tua usque in æternum.

(1) In hebræo : *Multiplices erunt eorum dolores, qui aliorsum* (ad alios deos) *festinant*.

(2) Hebraica lectio verti potest : *Amplam fecisti mihi hæreditatem meam*.

(3) Juxta hebr., *qui mihi tam bene consuluit*.

Explicatio.

Argumentum. — Oratio Christi ad Patrem, qua et conservationem suam petit, sibique gratulatur, tum ob justorum multitudinem per se libertate filiorum Dei donatam ; tum ob præclaram hæreditatem sibi a Patre datam, quæque animæ beatitudinem continet una cum corporis sui resurrectione ac gloria.

Psalmum esse de Christo, probatur ex interpretatione Apostolorum. Etenim, Act. II, 25 seq. S. Petrus postquam recitavit quatuor ultimos hujus psalmi versus, addit, non posse illa convenire Davidi, sed de Christo esse dicta. *David*, inquit , *propheta cum esset, et sciret quia jurejurando jurasset illi Deus de fructu lumbi ejus sedere super sedem ejus ; providens locutus est de resurrectione Christi , quia neque derelictus est in inferno, neque caro ejus vidit corruptionem.*

Eodem fere modo loquitur S. Paulus, Act. XIII, 35 seq. — Unde sic argumentamur : De Christo et non de Davide intelligendos esse quatuor versus postremos, ac præsertim illa verba : *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem*, docent Apostoli ; atqui non possunt intelligi quatuor ultimi versus de Christo, quin totus psalmus de Christo intelligatur : cum totus psalmus sit oratio quædam ejusdem personæ continuata ; ergo psalmus integer de Christo intelligendus est.

Sensu igitur litterali et immediato est oratio Christi ; sensu autem mediato et consequenti, est oratio omnis Christiani : quam nempe quivis Christi discipulus sibi applicare potest.

I. *Oratio Christi , conservationem suam a Patre petentis.*
II. *Celebratio hæreditatis a Patre impetratæ.*

—

1. *Conserva me, Domine, quoniam speravi in te. Dixi Domino : Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.*

Loquitur Christus ut homo, in sua passione constitutus , petitque sui conservationem : seu, ut servetur incolumis a morte, et a morte liberetur, nimirum per resurrectionem sibi promissam ; aliis verbis , petit vitam, sicut alibi dicitur : *Vitam petiit a te, et tribuisti ei longitudinem dierum* (Ps. XX). De hac oratione Domini sic loquitur Paulus : *Qui in diebus carnis suæ , preces supplicationesque ad eum qui possit illum salvum facere a morte , cum clamore valido et lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia* (Hebr. V, 7). — Petit itaque vitam ac resurrectionem a Patre, et tanquam motivum pro-

ponit suam in solo Patre ac Deo suo perfectam fiduciam : *Quoniam speravi in te.*

Dixi Domino (id est, tibi Domino meo) : *Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* Sensus est : In te speravi, quia Deus meus es, infinite perfectus, summe tibi ipse sufficiens, nullo modo indigens me, aut ulla alia creatura tua. — Fiduciam suam profitetur, fundatam non in suis meritis quibus Deus non indiget ; sed in solo Deo, in divinis perfectionibus, in potentia et misericordia Dei sui, quem ex toto corde amplectitur : *Deus meus es tu !*

2. *Sanctis, qui sunt in terra ejus mirificavit omnes voluntates meas in eis.*

Transpositio hic habetur verborum, quæ sic componenda sunt : Mirificavit Deus omnes voluntates meas erga sanctos suos qui sunt in terra.

Pergit Christus alloqui Patrem in tertia persona (1), quasi diceret : Non indiget Dominus meis bonis ; sed sancti qui sunt in terra ab ipso creata, eis indigent : ideoque miram fecit meam erga ipsos benevolentiam et charitatem. — Sancta Christi humanitas Patri tribuit animæ suæ dispositionem, qua tam mire dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis. Fatetur, hæc sua bona atque merita, Deo tam glorifica, nullatenus divinæ Majestati esse necessaria ; sed a divina misericordia mirabiliter ordinata ad redemptionem humani generis, et salutem electorum.

3. *Multiplicatæ sunt infirmitates eorum : postea acceleraverunt.*

4. *Non congregabo conventicula eorum de sanguinibus : nec memor ero nominum eorum per labia mea.*

Duplici hoc versu effectum explicat charitatis suæ erga electos, et mortis quam pro eis subiit. Multæ, inquit, erant infirmitates eorum spirituales ; postea vero, per gratiam sanguine meo promeritam, sanati sunt fortesque effecti, et ideo exultaverunt ad currendam viam. His consonant Isaiæ verba (LIII, 4, 5) : *Vere languores nostros ipse tulit... Posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum... et livore ejus sanati sumus.*

Addit autem : *Non congregabo conventicula eorum de sanguinibus, nec memor ero nominum eorum per labia mea.* Quibus verbis plenius explicat, quomodo per mortem suam Sanctos in via justitiæ promoturus sit : indicando scilicet, cultum Syna-

(1) In hebræo est persona prima.

gogæ, qui in sanguine et carne animalium consistebat, atque imperfectus et carnalis erat, mutandum esse in cultum spiritualem ac perfectum Ecclesiæ suæ. — Sensus namque hujus loci sic probabiliter exponitur : Non enim congregabo eos in cœtus religiosos, ut offerant animalium sanguinem ; sed potius, ut offerant mihi victimam sanctam Eucharisticam, et hanc victimam perfectam vitæ suæ sanctitate imitentur. Mosaica sacrificia erunt prorsus abolita, de iis non erit amplius sermo apud me, ea ne nominabo quidem deinceps : *Nec memor ero nominum eorum per labia mea* (1).

5. *Dominus pars hæreditatis meæ, et calicis mei : tu es qui restitues hæreditatem meam mihi.*

Secunda pars, quomodo Christus sit exauditus a Patre : quomodo conservatus sit, bonis cumulatus. — Dominus, inquit, quem unice elegi, et in quo uno spem constitui, spem meam non fefellit ; sed dignatus est semetipsum mihi dare in hæreditatem ac thesaurum, omnia bona continentem.

Dominus pars hæreditatis meæ, id est, pars hæreditaria, quæ mihi ex divisione hæreditatis contingere debet : scilicet, quidquid omnino exspecto, id mihi Dominus est : ipse mihi est omnia, et loco bonorum omnium. — *Pars calicis mei* idem significat metaphorice : nam calix, qui dividi solebat inter convivas, pro hæreditate accipitur quæ dividitur inter hæredes. — Nonnulli quoque per hæreditatem opes, per calicem delicias intelligunt. — *Tu es qui restitues*, id est, qui possidendam dabis, *hæreditatem meam mihi*. Istud additur, quia cum Christus adhuc mortalis hæc diceret, nondum plene possidebat hæreditatem suam. Quæ quidem verba, ab omnibus Christi fidelibus simili sensu usurpanda, eis ostendunt *hæreditatem incorruptibilem, conservatam in cœlis*. I Pet. I, 4.

(1) Superiores tres versus, 4, 3, 2, pro more exposuimus secundum versionem Vulgatam. Fatendum autem, Vulgatam hic esse valde obscuram, atque inde ipsam expositionem incertam et nonnihil violentam. — Paulo clarior est originalis textus, qui interpretandus videtur hunc in sensum :

Sanctis et electis Dei qui sunt in terra, miram benevolentiam exhibui, eosque salvos feci. — E contra, multiplicabuntur dolores eorum qui sancti esse nolunt, et ad alium, seu ad alienum deum confugere festinant. — Istorum cruenti atque polluti altaris non ero particeps, nec nomina eorum pronuntiabo labiis meis. — Sed Dominus solus pars mea...

Scilicet, postquam ab initio Christus petivit a Patre conservationem sui et resurrectionem, eo quod spem suam totam in Patre constituit : allatum hoc motivum explicat dicens, se ardenter quærere sanctificationem ac salutem animarum, purissimumque cultum Dei Patris. — Hunc Deum ac Dominum suum se elegisse, ait, in partem hæreditatis : quæ quidem præclarissima est, fons et complexus bonorum omnium, constantiæ in passione, et resurrectionis a morte.

6. *Funes ceciderunt mihi in præclaris : etenim hæreditas mea præclara est mihi.*

Præstantiam suæ hæreditatis explicat, quasi diceret : In partem hæreditariam mihi obvenit quod est omnium præstantissimum : nempe Deus, Dei gratia ejusque regni possessio ; cum alii humanas opes ac vanitates soleant sibi pro hæreditate eligere.

Funes ponuntur pro hæreditaria parte, quia funiculis solebant mensurari partes hæreditariæ agrorum. Et quoniam distributio inter hæredes sorte fiebat, ideo dicebantur funiculi in præclaram partem cadere, quando pars optima contingebat. — Meminit sortis, inquit Bellarminus, quia principium hujus hæreditatis a prædestinatione ducitur ; prædestinationis autem gratia respectu nostri sors quædam est. Unde S. Paulus : *Sorte vocati sumus ;* et : *Dignos nos fecit in partem sortis sanctorum.* Eph. I, 11 ; Coloss. I, 12.

7. *Benedicam Dominum qui tribuit mihi intellectum : insuper et usque ad noctem increpuerunt me renes mei.*

8. *Providebam Dominum in conspectu meo semper : quoniam a dextris est mihi, ne commovear.*

Jam exponere incipit quomodo hæreditatem hanc præclaram adire debuerit et revera adierit. Imprimis eam cognovit, desideravit omnique labore consequi studuit, Dei auxilio fretus — *Benedicam*, inquit, *Dominum qui tribuit mihi intellectum* : id est, qui dedit mihi ut cognoscerem, et prudenter eligerem magnificum illud bonum ; — vel, ut in hebræo, laudabo Dominum, qui tam benefice mihi consuluit.

Insuper et usque ad noctem increpuerunt me renes mei : h. e. et ideo usque ad noctem intimo cordis affectu ei gratias agam. — *Renes* in Scriptura pro mente ejusque affectibus sumuntur, fere sicut *cor*. — *Usque ad noctem*, i. e. tota die, semper. — Sunt qui metaphorice noctem tribulationum hic intelligunt, ita ut sensus sit : Ideo semper, usque ad noctem passionis et mortis meæ, Dominum laudabo.

8. *Providebam Dominum in conspectu meo semper : quoniam a dextris est mihi, ne commovear.* Ex intellectu illo, et affectu bono erga Deum Patrem, factum est, ut hunc semper ante oculos habuerit, et præsentem consideraverit. Quæ quidem non falsa consideratio fuit : quoniam vere Dominus semper ipsi adfuit tanquam adjutor fortis, ne moveretur in tribulationibus suis, sed perseveraret usque in finem.

Porro illa divina assistentia, et per eam perseverans perpessio tribulationum usque ad mortem, mortem autem crucis, Christo

velut introductio fuit et via adeundæ hæreditatis suæ gloriosæ ; quam viam sequentibus versibus explicat.

9. *Propter hoc lætatum est cor meum, et exultavit lingua mea : insuper et caro mea requiescet in spe.*
10. *Quoniam non derelinques animam meam in inferno : nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.*
11. *Notas mihi fecisti vias vitæ, adimplebis me lætitia cum vultu tuo : delectationes in dextera tua usque in finem.*

Effectus divinæ assistentiæ : hac confirmatus, gaudens moritur, gaudens descendit ad inferos, unde resurgit gloriose, ascendit in cœlum ut ad dexteram Patris sedeat.

Propter hoc, inquit, Deo scilicet sic mirabiliter me confirmante ; *lætatum est cor meum, et exultavit lingua mea* (hebraice, *anima mea*) : id est, in ipsis passionis doloribus in ipsa nocte tribulationis meæ gaudio repletum est cor meum, et os meum laude. — Imo positus in sepulcro, non tanquam cadavere jacui vermibus agitatum ; sed ut dormiens sauvi somno, et quiscens in spe proximæ resurrectionis : *Insuper et caro mea requiescet in spe.*

10. *Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.* Uti supra dictum est, explicata hæc sunt, Act. II et XIII ; ex quibus, contra Bezam et hæreticos protestantes, patet, hic agi de descensu Christi post mortem ad inferos, id est, ad limbum sanctorum Patrum ; deque corporis ejus sepulti incorruptione ac resurrectione. — Eadem verba, quamvis proprie de solo Christo dicta, omnes tamen Christiani usurpare possumus, tum quia membra Christi sumus, et in illo *conresuscitavit nos Deus* (Eph. II, 6) ; tum quia animæ nostræ non relinquentur *in inferno*, id est, in Purgatorio : neque caro nostra videbit æternam corruptionem.

11. *Notas mihi fecisti vias vitæ :* id est, docuisti me modum redeundi ad vitam post mortem. Metaphora pulcherrima, declarans resurrectionem Christi, qua solus ipse, per se de morte rediit ad vitam veram ac beatam.

Hæc porro beatitudo et gloria, in cœlis præsertim Christo redivivo reservata, explicatur ultimis verbis : *Adimplebis me lætitia cum vultu tuo : delectationes in dextera tua usque in finem.* — Et hæc est perfecta hæreditas a patre promissa Christo, ab eoque possidenda ad dexteram Patris in æternum.

Sensus liturgicus.

Recitatur Psalmus iste, 1° in Sabbato sancto, et in officiis pretiosi Sanguinis, sacræ Sindonis, et Corporis Christi ; 2° in officio de communi Martyrum.

1° Ubi agitur de Passione Domini, recitatur psalmus in sensu litterali, scilicet tanquam oratio Christi, gratias Patri agentis pro sua passione, proque ejusdem passionis fructu, hæreditate nempe æterna, sibi totique humano generi comparata.

In Sabbato sancto et in festo sacræ Sindonis, respiciuntur præcipue ista : *Caro mea requiescet in spe. Quoniam non derelinques animam meam in inferno : nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.* — In festis vero pretiosi Sanguinis et Corporis Christi, spectantur ista : *Non congregabo conventicula eorum de sanguinibus, nec memor ero nominum eorum per labia mea. Dominus pars hæreditatis meæ et calicis mei : tu es qui restitues hæreditatem meam mihi.*

2° In officio de Martyribus, respiciuntur Martyres ut Christo patienti et resurgenti simillimi. Peculiari sensu eis accommodantur ista : *Conserva me, Domine, quoniam speravi in te... Dominus pars hæreditatis meæ et calicis mei : tu es qui restitues hæreditatem meam mihi... Benedicam Dominum qui tribuit mihi intellectum... quoniam a dextris est mihi ne commovear... notas mihi fecisti vias vitæ.*

PSALMUS XVIII.

Cœli enarrant gloriam Dei.

1. Cœli enarrant gloriam Dei : et opera manuum ejus annuntiat firmamentum.	1. Cœli splendore suo enarrant gloriam Dei : et qualia sint opera manuum ejus annuntiat firmamentum.
2. Dies diei eructat verbum : et nox nocti indicat scientiam.	2. Dies diei tam ordinate succedens hanc eamdem rem loquitur : et nox nocti similiter ejusdem rei cognitionem præbet, ostenditque quam potens et mirabilis sit Deus in opere suo.
3. Non sunt loquelæ, neque sermones, quorum non audiantur voces eorum.	3. Nullus est sermo, nulla lingua, qua non intelligantur voces illæ cœlorum.
4. In omnem terram exivit sonus eorum : et in fines orbis terræ verba eorum.	4. In omnem enim terram exivit sonus eorum : et in fines orbis terræ verba eorum.
5. In sole posuit tabernaculum suum (1) : et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo,	5. Loquitur autem præ cæteris sol, in quo Deus velut posuit tabernaculum suum : et ipse sol tanquam sponsus procedens de thalamo suo,

(1) Juxta hebræum : *Soli posuit tabernaculum in eis* (in cœlis).

6. Exultavit ut gigas ad currendam viam : a summo cœlo egressio ejus ;

7. Et occursus ejus usque ad summum ejus : nec est qui se abscondat a calore ejus.

8. Lex Domini immaculata, convertens animas : testimonium Domini fidele, sapientiam præstans parvulis.

9. Justitiæ Domini rectæ, lætificantes corda : præceptum Domini lucidum, illuminans oculos.

10. Timor Domine sanctus, permanens in sæculum sæculi : judicia Domini vera, justificata in semetipsa.

11. Desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum multum : et dulciora super mel et favum.

12. Etenim servus tuus custodit ea : in custodiendis illis retributio multa.

13. Delicta quis intelligit ? Ab occultis meis munda me : et ab alienis parce servo tuo (1).

14. Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero : et emundabor a delicto maximo.

15. Et erunt ut complaceant eloquia oris mei : et meditatio cordis mei in conspectu tuo semper.

6. Exultavit ut gigas ad currendam viam : ab extremo Oriente egressio ejus ;

7. Et decursus ejus usque ad extremum Occidentem extenditur : ita ut nemo sit qui se abscondat a calore ejus, eoque beneficio excludatur.

8. (Similiter) lex Christi Domini immaculata, convertens animas : testimonium Domini fidele, sapientiam præstans parvulis.

9. Justitiæ Domini rectæ, lætificantes corda : præceptum Domini lucidum, illuminans oculos.

10. Timor Domini sanctus est, permanens fructu suo in sæculum sæculi : judicia Domini vera, justa ex se et suapte natura.

11. Desiderabilia quoque super aurum et lapidem pretiosum multum : et observantibus dulciora super mel et favum. Quod quidem ego expertus sum :

12. Etenim servus tuus, Domine, custodit ea : ipsique fuit in custodiendis illis merces ac suavitas multa.

13. Quod non sic dixi, quasi me omni culpa vacare crederem. Delicta enim sua quis perfecte intelligit ? Ideo precor, ab occultis meis munda me, Domini, et ab hominibus perversis cave mihi servo tuo.

14. Qui si in me non fuerint dominati, tunc facile immaculatus ero, et servabor mundus a delicto quovis mortali.

15. Et placebunt tibi orationes oris mei : et meditatio cordis mei accepta tibi, ideoque in conspectu tuo semper erit.

(1) In hebræo hodierno : *A perversis custodi servum tuum, ne dominentur mei.*

16. Domine adjutor meus, et redemptor meus.

16. Quod tamen fiet ex gratia tua, Domine, qui est adjutor meus in bonis, et liberator a malis.

—

Explicatio.

Argumentum. — Propheta laudes celebrat tum operum Dei in firmamento, tum legis Dei in hominibus. — Altiore autem sensu, celebrat Evangelii præcones, Apostolos, et ipsam Legem evangelicam. Duplex igitur est sensus : alter de Deo creatore, alter de Deo reparatore ; et quidem alter litteralis et alter allegoricus ; nisi, quod Bertherio et aliis placet, uterque sensus pro litterali habendus videatur.

Sensu altiore seu spirituali (1) agi de Apostolis et Ecclesia cognoscimus ex S. Paulo, qui versiculum quartum citat quasi Apostolos designans. Sic enim scribit : *Numquid non audierunt* (prædicationem Evangelii) ? *Et quidem in omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum* (Rom. X, 18). Ex quo testimonio infertur, psalmum integrum ad evangelicam Legem spectare. Principium enim illud passim ab eruditis admittitur : quoties in novo Testamento fragmentum aliquod ex vetere, ut est versiculus alicujus psalmi, declaratur tanquam certum eventum designans ; tunc reliquæ partes cum eodem fragmento conjunctæ ad eumdem eventum, vel saltem ad idem tempus pertinent : ratione nempe connexionis et harmoniæ, quæ in textu toto obtinere censenda est.

Prædicit itaque David hoc psalmo evangelicæ Legis promulgationem ; Evangeliique præcones allegorice cœlorum nomine designando, multis in rebus similes fore cœlis insinuat : in eo nempe quod fuerint elevati a terra per contemplationem ; ampli, per charitatem ; splendidi, per sapientiam ; sereni, per animi tranquillitatem ; pluentes, per instructionem ; tonantes, per objurgationem ; fulgurantes, per miracula ; multa bona terris largientes, et nihil ab eis quærentes, per liberalitatem ; purissimi, per sanctitatem ; denique habitaculum Dei, per justitiam (2).

(1) Interpretes recentiores non pauci existimant, in Epist. ad Rom. X, 18. versum 4 hujus psalmi adhiberi sensu duntaxat accommodatitio ; quasi Apostolus diceret : *Numquid non audierunt ? Impossibile hoc est, si quidem, ut verbis Scripturæ utar, in omnem terram exivit sonus eorum.* Cf. Beelen, in Rom. X. — Juxta hanc sententiam, psalmus de Apostolica prædicatione non loquitur, sed eidem merito accommodatur. — Contrarium autem docet S. Thomas, cujus vid. *Commentar. in Rom.* X, 18.

(2) S. Augustinus in hunc psalmum.

I. *Laus operum Dei in cælo.*
II. *Laus legis Dei in terra.*

—

1. *Cœli enarrant gloriam Dei : et opera manuum ejus annuntiat firmamentum.*

Exponemus primo sensum immediatum de ordine naturæ, deinde subjungemus sensum altiorem de ordine gratiæ. — Quod dicit : *Cœli enarrant gloriam Dei...* id est, magnifica corpora quæ in cœlis splendent, totaque structura firmamenti veluti proclamat gloriam Dei creatoris, ejus sapientiam et potentiam creaturis rationalibus manifestando. — *Cœli* sumendi videntur pro astris quæ in cœlo splendent, et *firmamentum* pro loco, spatioque immenso in quo astra moventur.

2. *Dies diei eructat verbum : et nox nocti indicat scientiam.*
3. *Non sunt loquelæ neque sermones, quorum non audiantur voces eorum :*
4. *In omnem terram exivit sonus eorum : et in fines orbis terræ verba eorum.*

Sicut in primo versu indicavit quid loquantur cœli, ita in sequentibus explicat quomodo loquantur ac Deum prædicent. Loquuntur nimirum, 1° per vicissitudinem dierum et noctium, tam rato ordine et constantia decurrentem ; 2° per loquelam omnibus intelligibilem ; 3° per vocem quæ universum mundum replet.

2. *Dies diei eructat verbum : et nox nocti indicat scientiam :* id est verbum illud quod de Deo enarrant cœli, pronuntiant dies et noctes singulæ, ad invicem loquentes. Hac prosopopœia quæcumque in firmamento mirabilia occurrunt, brevissime significantur. Etenim cœli loquuntur, 1° per splendorem ac magnitudinem suam ; 2° per motum ordinatissimum, et inde effectus humanæ vitæ saluberrimos : quæ cuncta, velut compendio, vicissitudine dierum ac noctium continentur.

Dum igitur dicit propheta, diem unum diei alteri, nempe perpetuo subsequenti, loqui verbum Dei, et noctem nocti similiter indicare scientiam et cognitionem ejus ; plurima paucis complectitur, quasi sic diceret explicatius : Cœli loquuntur per singulos dies et singulas noctes quas producunt, et quibus tum splendorem suum, tum motuum suorum ordinem et constantiam ostendunt. Etenim dies diebus constanter succedunt, et noctes noctibus ; inter se dies et noctes mira vicissitudine componuntur ; inde nascuntur eodem ordine, eademque constantia

ac vicissitudine menses et anni, hiems et æstas cum sua varietate atque ornatu, hominum vitæ sapientissime accommodato. Ergo dies et noctes loquuntur, et quidem loquuntur per suam successionem perpetuam atque vicissitudinem ; loquuntur omnes et singuli, quisque ad alterum seu respectu alterius, quasi dicentes vicissim : *Ego sum sicut tu ; nos omnes sumus mirabile opus Dei.*

Porro hæc lingua creaturarum ad homines spectat, et ab omnibus hominibus auditur et intelligitur.

3. *Non sunt loquelæ neque sermones ; quorum non audiantur voces eorum* : id est, nulla sunt idiomata, quæ non exprimantur vocibus cœlorum ; vel nullæ sunt gentes quocumque idiomate loquantur, qu non intelligant idioma cœlorum : quia cœli quodammodo omnium linguis loquuntur. — Alii sic exponunt : Voces cœlorum non sunt obscuræ, neque tales ut earum sensus non intelligatur.

4. *In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum.* Sensus est quasi diceret : Non solum sine intermissione et omnibus linguis, sed etiam in universa terra audiuntur cœli enarrantes gloriam Dei.

5. *In sole posuit tabernaculum suum : et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo ;*

6. *Exultavit ut gigas ad currendam viam : a summo cœlo egressio ejus.*

7. *Et occursus ejus usque ad summum ejus : nec est qui se abscondat a calore ejus.*

Quamvis totum cœlum enarret gloriam Dei, tamen præcipue id facit pars nobilissima cœli, quæ est sol ; ideo solem singulariter propheta considerat, ejusque pulchritudinem, robur et beneficentiam describit, quasi diceret : In cœlis quos velut amplissimum gloriæ suæ indicium expandit Deus, solem posuit, divinæ suæ Majestatis singulare symbolum.

5. *In sole*, inquit, *posuit tabernaculum suum* : id est, in sole Deus, seu divina majestas velut inhabitat, sicut rex in regio tabernaculo ; aliis verbis, sol ita Dei gloriam loquitur ac manifestat, sicut regium tabernaculum splendore suo inhabitantis regis majestatem ostendit. — Scilicet Deum ipsum palam non videmus, sed per speculum et sub velamine creaturarum, et quidem in sole velut in tentorio latentem, ex quo tamen splendor majestatis ejus effulgeat. Effulget scilicet triplici hujus creaturæ excellentia, quæ declaratur.

Et ipse (scilicet sol) *tanquam sponsus procedens de thalamo suo...* En prima solis excellentia, pulchritudo : ipse, inquit,

decorus, nitidus, ornatus exoritur, quasi sponsus, qui primo die nuptiarum e cubiculo suo exiens, vestibus auro gemmisque radiantibus, roseo vultu, corona nuptiali et coma rutilante progreditur. — Ut patet, respicit solem orientem, cum mane rutilans velut e purpureo thalamo surgit.

6. *Exultavit ut gigas ad currendam viam* : *a summo cœlo* (ab extremo Oriente) *egressio ejus ; et occursus ejus usque ad summum ejus* (usque ad Occidentem). — Altera excellentia solis, gigantea ejus vis, magnitudo, celeritas. — *Occursus ejus*, id est, cursus, conversio usque ad Occidentem, respondens *egressioni*.

7. *Nec est qui se abscondat a calore ejus.* — Tertia solis excellentia, calor et influxus beneficus in universam terram. Insinuatur, ideo solem tam alacriter totum circuire orbem, ut res nulla se abscondat, id est, excludatur a participatione tam insignis beneficii.

Hactenus explicatio *sensus primi.* — Ad *sensum secundum* et altiorem quod attinet, *cœli*, seu cœlestia luminaria, sunt Apostoli ; *firmamentum* est Ecclesia ; *gloria Dei* et *opera manuum ejus* quæ prædicantur, sunt opera redemptionis et gratiæ ; *dierum* successio est successio apostolica, seu perpetuitas ministerii, constantia successionis hujusmodi, est indefectibilitas ministerii et prædicationis ; vicissitudo seu successio alterna dierum et noctium, est vicissitudo persecutionum et pacis, certaminum, ac triumphorum. Sol in medio cœlo positus ad illuminandum mundum universum, est Christus, sol justitiæ, *qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* (Joan. I) ; qui est velut tabernaculum divinitatis splendidissimum (1) : *Quoniam Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi* (II Cor. V, 19) ; — *quia in ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter* (Col. II, 9) ; — *qui est imago Dei invisibilis* (Col. X, 15), — *splendor gloriæ et figura substantiæ ejus* (Hebr. I, 3). — Huic soli justitiæ, Christo Domino, ut patet, conveniunt quæ dicuntur de solis pulchritudine sponsali, de gigantea ejus vi, et effusa beneficentia.

8. *Lex Domini immaculata, convertens animas : testimonium Domini fidele, sapientiam præstans parvulis.*

9. *Justitiæ Domini rectæ, lætificantes corda : præceptum Domini lucidum, illuminans oculos.*

(1) Si admittatur versio S. Hieronymi : *Soli posuit tabernaculum in eis,* sensus erit hujusmodi : Soli justitiæ Christo paravit Deus Ecclesiam tanquam tabernaculum proprium, secundum illud : *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, et habitabit cum eis.* Apoc. XXI, 3.

10. *Timor Domini sanctus, permanens in sæculum sæculi : judicia Domini vera justificata in semetipsa.* 11. *Desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum multum : et dulciora super mel et favum.*

Incipit *pars altera* psalmi, laus divinæ legis, per experientiam prophetæ confirmata. — Hæc pars cum præcedenti non obscura relatione connectitur. Etenim quod est sol in mundo physico, id in mundo morali est lex divina ; ita ut duo tantum in hac vita homini sint necessaria, lumen solis pro vita corporis, et lumen legis pro vita ac pace animæ.

Laudatur autem lex ab ejus proprietatibus, quæ analogæ sunt proprietatibus solis, et ad pulchritudinem seu puritatem, ad efficaciam ac beneficentiam pertinent.

Proprietates hujusmodi enumerantur octo, quatuor versiculis, in quibus lex variis nominibus designatur. Vocatur enim non tantum *lex Domini*, sed etiam *Domini testimonium, justitiæ, præceptum, timor, judicia* (1).

Lex itaque est 1° immaculata et convertens animas ; 2° fidelis et sapientiam præstans parvulis ; 3° recta et lætificans corda ; 4° lucida et illuminans oculos ; 5° sancta et permanens in sæculum sæculi ; 6° vera et justificata in semetipsa ; 7° est pretiosior omni auro et gemmis ; 8° est dulcior omni melle et favis.

De quanam autem lege hic sermo est ? — Dicendum, agi de lege triplici : nempe de lege naturali, mosaica, et evangelica ; sed *lex evangelica* præcipue respicitur, cum ei omnia quæ dicuntur plenissime conveniant.

Lex dicitur 1° *immaculata*, perfecta in se, nullam continens imperfectionem ac maculam peccati ; et immaculatos efficiens observantes. — *Et convertens animas*, i. e., a malo et erroribus revocans in viam, corrigens, reducens ad Deum : quod efficit tum sua puritate ac pulchritudine, tum gratia Christi.

2° Lex Domini est *fidelis*, id est, non fallens, et certissime conferens, tum præmia quæ promittit ipsam servantibus ; tum pœnas quas violantibus comminatur. — *Sapientiam præstans parvulis* : id est, sapientiam docens,-1) insipientes, qui erroribus, vitiis, vel ignorantia laborant ; -2) humiles ac simplices, secundum illud : *Revelasti ea parvulis.* Matth. XI, 25.

3° Lex Domini est *recta*, regulam continens ac normam agendi perfecte. *Lætificans corda*, scilicet corda observantium legem, eis infundendo pacem bonæ conscientiæ, quæ est quasi juge convivium.

(1) Iisdem nominibus utitur Psalmista in Ps. CXVIII, ubi et explicata videri possunt infra, suo ordine.

4° Lex Domini *lucida* : id est, instar solis lumen veritatis continens sine tenebrarum admixtione. — *Illuminans oculos*, id est, non tantum in se tenebris carens, sed tenebras et nubes etiam pellens ab oculis cordis. Scilicet lex Dei dissipat vitia quæ cor obscurant ; et deinde apparet ipsa cum tota sua claritate, ad dirigendos gressus nostros.

5° *Timor Domini sanctus*, nempe timor offensionis Domini, quem lex docet ; seu ipsa lex Domini est *sancta* : id est, pura, puritate Dei, et hujusmodi puritatem observantibus communicans. — *Permanens in sæculum sæculi*, puta quoad fructum suum, qui est perpetuus ; nam durat in cœlo, et hinc migrantem hominem sequitur.

6° *Judicia Domini*, seu lex Domini *vera*, juxta hebræum, *veritas* : id est, lex Domini est enuntiatio ipsius æternæ veritatis, est ipsa veritas. — *Justificata in semetipsa* : id est, justa, non per accidens, et ratione circumstantiarum loci vel temporis ; sed justa ex se ac suapte natura : quia enuntiatio est ipsius justitiæ. — Hinc legis præcepta nulla indigent demonstratione qua veritas et honestas eorum patefiat, cum hæc sua claritate sit manifesta. — Quod facile intelligimus, si consideremus Legem evangelicam : hæc enim cum nihil sit nisi pura innocentia, humilitas, obedientia, charitas, beneficentia.... propterea tanquam ipsa veritas et justitia evidenter ab omnibus agnoscitur.

7° et 8° Lex Domini pretiosior omni auro ac gemmis, — et dulcior melle dulcissimo. — 11. *Desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum*... sensus est : Tam pretiosa lex est, ut præponenda sit omnibus divitiis ; simulque tam jucunda, ut sit præferenda omnibus deliciis hujus mundi. — Quod dicit, *super lapidem pretiosum multum*, in hebræo, *super topazion multum*, id est, in maxima copia habitum ; *super mel et favum*, id est, super favum plenum et redundantem melle purissimo ; nam in hebræo dicitur : *Super mel et redundantiam favorum*. — Quam longe remota est hæc veritas a sensu carnalium hominum ! Quam pauci inveniuntur, qui pro parvo lucro vel exigua delectatione non contemnunt omnia divina præcepta ! Et tamen verissimum est, legis observantiam meliorem esse omnibus thesauris atque omni voluptate.

12. *Etenim servus tuus custodit ea : in custodiendis illis retributio multa.*

Incipit velut alterum membrum secundæ partis. Quæ de lege exposuit propheta, confirmat experientia sua, quasi diceret : Revera, Domine, servus tuus in custodienda lege, maxima bona percepit.

13. *Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me, et ab alienis parce servo tuo.*

Dixit, propheta se legem Dei *custodire*; id est, se ex animo curare ut eam observet : quæ cura sufficit quidem ad multa bona consequenda, sed in homine fragili non excludit omne delictum. Quare sicut Paulus dicebat : *Nihil mihi conscius sum; sed non in hoc justificatus sum* (I Cor. IV, 4); ita David agnoscit sua delicta *occulta*, et ea sibi ignosci postulat : *Ab occultis meis munda me.* — Simul autem Dei auxilium petit ad perfectius legem servandam, et ad vitandum omne peccatum. Ideo addit : *Ab alienis parce servo tuo* : id est : ab hominibus perversis, qui alieni sunt a te et a lege tua, quique scandalo mihi forent, custodi me. — Homines enim bonæ voluntatis, qualis erat sanctus propheta, ab ignorantia propriorum delictorum, et a seductione pravorum sodalium imprimis cavere debent.

14. *Si mei non fuerunt dominati, tunc immaculatus ero : et emundabor a delicto maximo.*

15. *Et erunt ut complaceant eloquia oris mei : et meditatio cordis mei in conspectu tuo semper.*

Rationem reddit, cur tantopere improborum societatem timeat. *Si mei non fuerint dominati* : si alieni, inquit, isti non prævaluerint mihi, in pravum suum sensum me trahendo, *tunc immaculatus ero, et emundabor a delicto maximo* : id est, mundus ero a peccato mortali. Hoc enim *maximum* delictum est, ait Bellarminus, cum a Deo, bono maximo, avertat, et ad pœnam gehennæ plane maximam perducat.

Non solum tunc immaculatus ero, sed *erunt ut complaceant eloquia oris mei* : id est, oratio mea tibi erit grata; *et meditatio cordis mei in conspectu tuo semper* : id est, oratio cordis mei grata oculis tuis ascendet, quia nimirum de mundo corde et simplici ore prodibit. Meditationem cordis cum eloquiis oris conjungit, quia oratio illa mentis est orationis vocalis velut anima.

16. *Domine adjutor meus et redemptor meus.*

Sensus est : Placebunt tibi orationes meæ, non ex meritis meis, sed ex gratia tua, Domine, qui es adjutor mihi in bonis, et redemptor a malis. — Quibus verbis propheta sese divinæ gratiæ et misericordiæ fiducialiter commendando, psalmum concludit.

Sensus liturgicus.

Splendidus iste psalmus adhibetur, 1° in Nativitate, Circumcisione et Ascensione Christi ; 2° in festo SS. Trinitatis ; 3° in officio B. Mariæ Virginis, cæterarumque Virginum ; 4° in festis Apostolorum ; 5° in officio de Angelis.

1° Dum celebrantur mysteria Christi Domini, est laus Verbi incarnati, cujus nomen gloriosum prædicant Apostoli eorumque successores, omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi ; qui ut Sol justitiæ exortus est, ut illuminet omnem hominem venientem in hunc mundum : *Et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre.* Lux autem salutifera quam diffundit, est Lex evangelica, lex immaculata, suavissima.... ad quam servandam simul gratiam largitur petentibus, *ipse adjutor et redemptor Dominus.*

In officio de Nativitate et Circumcisione peculiarius respicitur *tabernaculum* Dei, id est, humanitas Christi ; nec non *egressio ejus de summo cœlo, de thalamo suo...* — in Ascensione vero , *occursus ejus usque ad summum ejus* : terminus nimirum gloriosus, quo Dominus visibile vitæ suæ curriculum conclusit.

2° In festo SS. Trinitatis, Ecclesia eodem psalmo celebrat ineffabilem Dei trini et unius Majestatem, quæ suis operibus *ad extra* , præsertim Incarnationis mysterio manifestatur ; quæque per Legem evangelicam in universo mundo cognoscitur, adoratur et colitur.

3° In festis B. Mariæ Virginis, celebratur gloria Matris immaculatæ in Filio ; peculiari tamen cum respectu ad ipsam proferuntur verba hæc : *In sole posuit tabernaculum suum : et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo ... Lex Domini immaculata... si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero.* — Eadem verba similiter ad reliquas Virgines pertinent, quæ, ut Christi sponsæ, in gloriosissimo Sponso suo celebrantur.

4° In festis Apostolorum, celebrantur imprimis nomine *cœlorum* ipsi Evangelii præcones ; deinde vero eorum prædicationis objectum : Christus legislator, et Lex evangelica.

5° In festis Angelorum, celebrantur sancti Angeli tanquam præcones invisibiles Christi, ejusque Legis evangelicæ. Ipsi etiam merito vocantur *cœli*, et annuntiant, atque concinunt gloriam Dei ac Regis sui Christi ; ipsi juvant nos ad servandam Legem evangelicam, quam perfecte servando Angelorum puritatem immaculatam æmulari debemus.

PSALMUS XX.

Domine, in virtute tua lætabitur rex.

1. Domine, in virtute tua lætabitur rex : et super salutare tuum exultabit vehementer.

2. Desiderium cordis ejus tribuisti ei : et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum.

3. Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis : posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso.

4. Vitam petiit a te : et tribuisti ei longitudinem dierum in sæculum, et in sæculum sæculi.

5. Magna est gloria ejus in salutari tuo : gloriam et magnum decorem impones super eum.

6. Quoniam dabis eum in benedictionem in sæculum sæculi : lætificabis eum in gaudio cum vultu tuo.

7. Quoniam rex sperat in Domino : et in misericordia Altissimi non commovebitur.

8. Inveniatur manus tua omnibus inimicis tuis : dextera tua inveniat omnes qui te oderunt.

9. Pones eos ut clibanum ignis in tempore vultus tui : Dominus in ira sua conturbabit eos, et devorabit eos ignis.

10. Fructum eorum de

1. Domine, in potentia tua salvifica lætabitur Rex Christus ; et propter salutem a te illi præstitam exultabit vehementer.

2. Desiderium cordis ejus circa nostram salutem tribuisti ei, et petitione labiorum ejus non fraudasti eum.

3. Prævenisti eum benedictionibus suavissimis : posuisti in capite ejus coronam regiam ac sacerdotalem de lapide pretioso.

4. Vitam petiit a te, et vitam tribuisti ei, addens longitudinem dierum in sæculum et in sæculum sæculi.

5. Insuper magna gloria ei a te data est, simul cum salute : ita, Domine, gloriam et magnum decorem conferes ei.

6. Nam constitues eum ut benedictionis ac laudis objectum in sæculum sæculi : simulque lætificabis eum summo gaudio coram revelata facie tua.

7. Rex scilicet sperat in Domino ; ideo misericordia Altissimi firmatus, a nullis inimicis commovebitur.

8. Imo victoriam, o Rex gloriose, persequeris et perficies : attinget manus tua omnes inimicos tuos, dextera tua ultrix inveniet omnes qui te oderunt.

9. Reddes eos formidine æstuantes, ut clibanum ignis, in tempore irati vultus tui : tu, Dominus ac judex eorum, in ira tua conturbabis eos, et devorabit eos ignis furoris tui.

10. Filios eorum de terra perdes,

terra perdes : et semen eorum a filiis hominum.

11. Quoniam declinaverunt in te mala : cogitaverunt consilia quæ non potuerunt stabilire.

12. Quoniam pones eos dorsum : in reliquiis tuis præparabis vultum eorum.

13. Exaltare, Domine, in virtute tua : cantabimus et psallemus virtutes tuas.

et progeniem eorum extirpabis e medio filiorum hominum :

11. Eo quod adversus te machinati sunt mala, et cogitaverunt consilia pessima ; etsi ea non potuerunt opere implere.

12. Ideo vertes eos in fugam : et fugientibus sagittas tuas in faciem immittes.

13. Igitur exaltare, Domine Rex, hanc potentiam tuam exercendo : nos autem cantabimus et psallemus virtutes ac victorias tuas.

—

Explicatio.

Argumentum. — Psalmum hunc de Christo esse dubium non est. « Cum Patribus fatemur, inquit Calmet, Ecclesiæ « verba de Christi victoria, qua Christus mundum, peccatum « et diabolum superavit, hoc psalmo exhiberi. Quædam certe « hic sunt, quæ proprie uni Christo conveniunt. Chaldæus « paraphrastes, cum priscis rabbinis et recentioribus quibus« dam, ad Messiam litterali sensu refert. » — Fatendum quidem, explicationem de Davide in sensu litterali, et de Messia in sensu allegorico, non esse omnino improbabilem ; sed illa quæ de solo Christo traditur, ut probabilior est præferenda.

David itaque, visione prophetica Christum regem contemplans, gratias agit Deo Patri quod ei in prælio adversus peccatum dederit victoriam, ac deinde insigniter exaltaverit.

I. *Gratias agit de Christi triumpho.*
II. *Celebrat ejusdem triumphi continuationem et complementum.*

—

1. *Domine, in virtute tua lætabitur rex : et super salutare tuum exultabit vehementer.*

Cum summo gratitudinis sensu erga Deum Patrem, annuntiat ab initio concessam Christo victoriam ac salutem, quam *salutare* appellat, et qua continentur multa, nimirum : 1° orationis Christi exauditio ; 2° dona Dei eum prævenientia ; 3° coronatio ; 4° vita ; 5° gloria ; 6° benedictio ; 7° gaudium æternum. Hæc porro in sequentibus explicantur.

2. *Desiderium cordis ejus tribuisti ei : et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum.*

De oratione Domini hic loquitur, quasi diceret : Desiderium cordis ejus generosissimi explevisti, o Pater ; desiderium sanctum, quo gloriam tuam et hominum salutem expetivit adeo ardenter, ut propterea semetipsum humiliare atque immolare non dubitaverit. Hoc desiderium, ejus oratione tibi manifestatum, cumulasti. — Revera quidquid Christus corde desideravit, vel labiis rogavit, Deus implevit cumulate, et in dies implere pergit. Quare ipse dicebat : *Scio, Pater, quia semper me audis.* Joan. XI, 42.

3. *Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis : posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso.*

Non tantum, inquit, petitionem ejus exaudisti, sed *prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis* : id est, prompte et liberaliter cumulasti eum largis beneficiis, priusquam peteret : nempe ab ipso primo conceptus puncto, dedisti ei benedictiones et gratias suavissimas et excellentissimas.

Posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso : nimirum ut sit Rex gloriæ, Rex regum, Sacerdos summus, omnem obtinens potestatem in cœlo et in terra. — Vi vocis hebraicæ, teste Hieronymo, non tam lapis pretiosus significatur, quam *obrizum*, seu aurum purissimum ; vel *topazium*, quæ inter gemmas nobilissima olim habita, colore aurum refert.

Corona, proprium capitis ornamentum, est — 1° nota et insigne regni ; atque hic pretiosissima ponitur, ut regnum Christo datum esse significet excellentissimum. — 2° Corona quoque insigne est sacerdotii et pontificatus, qui principatus est spiritualis ; quare de Aarone dicitur : *Corona aurea super mitram ejus, expressa signo sanctitatis* (Eccli. LXV, 14). Et de Jesu, filio Josedech, sacerdote magno : *Sumes aurum et argentum, et facies coronas, et pones in capite Jesu, filii Josedech, sacerdotis magni* (Zachar. VI, 11). — 3° Corona demum est symbolum omnis majestatis ac principatus, triumphi, decoris, scientiæ, virtutis. Quapropter non unam, sed multiplicem coronam Christus gerere perhibetur a Joanne : *In Capite ejus diademata multa... Rex regum et Dominus dominantium.* Apoc. XIX, 12, 16.

4. *Vitam petiit a te : et tribuisti ei longitudinem dierum in sæculum, et in sæculum sæculi.*

5. *Magna est gloria ejus in salutari tuo : gloriam et magnum decorem impones super eum.*

En duo alia dona, vita nimirum et gloria, ambo excellentissima. *Vitam petiit...* scilicet cum moreretur pro hominibus, petiit a Patre ut revocaretur a morte ad vitam immortalem. Quam quidem resurrectionem ac vitam immortalem, ejusdemque semen, gratiam, petiit simul pro nobis : *Qui in diebus carnis suæ, preces supplicationesque ad eum qui possit illum salvum facere a morte, cum clamore valido et lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia* (Hebr. V, 7). — Vitam itaque quam petiit, impetravit gloriosam, immortalem nobisque omnibus communicabilem.

5. *Magna est gloria ejus in salutari tuo...* id est, non tantum vitam, sed et gloriam dedisti ei, quæ sit veluti coronis et complementum illius immortalitatis beatæ. Dicitur enim *gloria ejus in salutari* Dei, id est in salute, qua illum salvum fecit Deus. Scilicet *salutare* Dei erga Christum, seu salus Christo afflicto, patienti ac morienti concessa, sita est, 1° in resurrectione, conjuncta cum omni glorificatione ipsius ; — 2° in communicatione ejusdem salutis humano generi universo.

6. *Quoniam dabis eum in benedictionem in sæculum sæculi : lætificabis eum in gaudio cum vultu tuo.*

7. *Quoniam rex sperat in Domino : et in misericordia Altissimi non commovebitur.*

En admirabilis quædam Christo concessa benedictio, et lætitia ineffabilis atque æterna. — *Dabis*, inquit, *eum in benedictionem...* id est, facies ut Christus sit benedictio : quod quadrupliciter intelligi potest. 1° Possessive : ut Christus sit benedictionibus, donisque Dei plenissimus, totusque benedictio. — 2° Passive : ut sit benedictionum laudumque objectum, et ab omnibus benedicatur. — 3° Active : ut sit benedictionis donorumque Dei causa et fons. — 4° Adæquate et optime : ut sit undequaque benedictus ac benedicens : nempe benedictus ac benedicendus in se ; aliis autem omnis benedictionis ac felicitatis auctor et causa.

Lætificabis eum in gaudio cum vultu tuo : id est, addes et aliud donum, nempe gaudii inenarrabilis : *Lætificabis in gaudio.* — Cujus gaudii fons et causa indicatur, *cum vultu tuo...* fruetur scilicet Rex visione beatifica faciei Dei modo quodam principali, sedens ad dexteram Patris, prout alibi ipse dicit : *Adimplebis me lætitia cum vultu tuo : delectationes in dextera tua usque in finem* (Ps. XV). — Hinc Apostolus : *Unxit te, Deus, Deus tuus, oleo exultationis præ participibus tuis.* Heb. I, 9 ; Ps. XLIV.

7. *Quoniam rex sperat in Domino*... Bona præfata pronuntiat fore omnino stabilia et firma in æternum, fundata in spe Regis, et in misericordia Dei : *Et in misericordia Altissimi non commovebitur*.

8. *Inveniatur manus tua omnibus inimicis tuis : dextera tua inveniat omnes qui te oderunt*.

9. *Pones eum ut clibanum ignis in tempore vultus tui : Dominus in ira sua conturbabit eos, et devorabit eos ignis*.

10. *Fructum eorum de terra perdes : et semen eorum a filiis hominum*.

Secunda pars : triumphi Regis Christi continuatio et complementum, consistens in punitione inimicorum, tum in hoc sæculo, tum præsertim in futuro et in die judicii.

8. *Inveniatur manus tua omnibus inimicis tuis*.... Videtur propheta nunc alloqui Christum, non Patrem aut Trinitatem totam. Etenim Christus constitutus est Judex ac vindex : cujus manus inveniet peccatores, quantumvis sese abscondant, sive in hoc sæculo, sive in futuro ; inveniet eos in ipso sinu terræ, in sepulcris, in inferno...

9. *Pones eos ut clibanum ignis*, id est, exures et incendes eos, uti incenditur clibanus, sive fornax ardens ; perdes eos, ut ligna quæ in ignem conjiciuntur. — *In tempore vultus tui*, id est, iræ tuæ. Vultus metonymice ponitur pro ira, quia ira in vultu cernitur.

Dominus in ira sua conturbabit eos : id est, vel 1° terrore eos vehementissime commovebit ; vel 2° exturbabit, præcipitabit, videlicet a facie sua in gehennam : ubi *devorabit eos ignis*, quin tamen unquam consumat. Ignis enim hic intelligitur, 1° divina indignatio ; 2° divina vindicta in hoc mundo ; 3° ignis inferni, de quo dicet Judex : *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum*. Matth. XXV, 41.

10. *Fructum eorum de terra perdes*. — Fructus impiorum sunt, 1° filii eorum, totaque progenies seu semen. — 2° Sensu latiore, Euthymius fructum eorum de terra perdendum, sumit pro divitiis omnibusque generatim bonis pereuntibus, quæ in terra acquisierint. Hæc autem expositio minus congruit cum membro parallelo : *Et semen eorum a filiis hominum*.

11. *Quoniam declinaverunt in te mala : cogitaverunt consilia quæ non potuerunt stabilire*.

12. *Quoniam pones eos dorsum : in reliquiis tuis præparabis vultum eorum*.

Indicat inimicorum crimen, additque ruinam eorum fore consummatam.

Quoniam declinaverunt IN TE *mala* : id est, tum in tuam personam, tum in tuam Ecclesiam, in tuos servos, qui mystica tua membra sunt. Quo sensu ipse Dominus Saulo inclamabat : *Saule, Saule, quid me persequeris ?* Act. IX, 4.

12. *Quoniam pones eos dorsum : in reliquiis tuis præparabis vultum eorum.* — Versiculus iste omnino explicandus est ex hebræo ; cum in Vulgata intelligibilem sensum non habeat. Sic autem juxta Gesenium et Drach videtur vertendus : *Quoniam pones eos dorsum* (in fugam eos vertes) ; *in funibus* (arcus tui) *aptabis super* (contra) *faciem eorum.* Itaque paraphrastice : *Quoniam vertes eos in fugam : et fugientibus sagittas tuas in faciem immittes.* Sic etiam Genebrardus.

13. *Exaltare, Domine, in virtute tua : cantabimus et psallemus virtutes tuas.*

Psalmi conclusio, quæ sic enuntiari potest : Effulgeat ergo oculis universi mundi triumphus et gloria Christi Regis , quam nos populus ejus, exultantes celebrabimus in æternum.

Exaltare, Domine, in virtute tua... Ad Deum Patrem hæc spectare possunt, vel ad Christum. 1° Si diriguntur ad Patrem, sensus est : Exaltetur, Domine, gloria tua, in persona Christi, qui est virtus tua, seu magnum opus potentiæ ac misericordiæ tuæ. — 2° Si diriguntur ad Christum, est quasi diceret : Qui humiliasti temetipsum usque ad mortem , o Christe , nunc fortitudine ac potentia devictis hostibus, esto exaltatus coram mundo universo ; et accipe laudes quibus nos, electi tui, gloriam tuam celebrabimus.

Sensus liturgicus.

Pertinet psalmus vigesimus 1° ad officium de spinea Corona, et de Ascensione Domini ; 2° ad festa tum unius Martyris, tum Confessoris.

1° In officio de Christo , Ecclesia celebrat Domini gloriam, sed ut fundatam in passione ejus : qui sensus, cum sensu litterali supra exposito concordat. Scilicet aspiciens Sponsum suum humiliatum in terra, simulque desuper dexteram Patris ad ipsum exaltandum extensam : seu , quod idem est , videns *salutare* Dei de cœlo in Christum descendens ; intelligensque thesauros vitæ, gloriæ ac gaudii, in hoc *salutari* contentos : lætitia, amore, gratitudine plena, in laudis canticum erumpit.

Domine, inquit , Pater cœlestis , quam ineffabile gaudium Regi, sponso meo humiliato præparas, qui in virtute ac magnificentia tua divina, eum salvare et exaltare statuisti !...

Deinde salutare illud, seu salutem ac glorificationem Christo concessam explicat, ita ut simul innuat passionis dolores, quibus tanta gloria fuit a Christo promerita. Sic, ubi dicit : *Voluntate labiorum ejus non fraudasti eum : vitam petiit a te....* respicit orationem, qua Dominus in passione positus, sibi et nobis liberationem a morte, seu gloriosam immortalitatem postulavit. — Quod addit : *Posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso*, innuit coronam spineam et ignominias, propter quas data est ei corona gloriæ. — Illud : *Lætificabis eum in gaudio cum vultu tuo*, indicat consolationem et gaudium visionis beatificæ, qua Christus fruitur, ad dexteram Patris sedens : triumphans de omnibus inimicis, quorum persecutiones propter justitiam sustinuit.

2° In officio de Sanctis, similiter celebratur gloria discipulorum Christi : qui, sicut Magistrum in patiendo secuti sunt, ita ejus triumphi participes fieri meruerunt. Quapropter, quæ de Christo immediate dicuntur, merito Christi commilitonibus et consortibus Ecclesia applicat, in antiphonis dicens : *Vitam petiit a te, et tribuisti ei, Domine : gloriam et magnum decorem imposuisti super eum : posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso.*

—

PSALMUS XXII.

Dominus regit me.

1. Dominus regit me, et nihil mihi deerit : in loco pascuæ ibi me collocavit.	1. Dominus regit me sicut pastor, et nihil mihi deerit : nam in loco ubere pascuæ me collocavit.
2. Super aquam refectionis educavit me : animam meam convertit.	2. Ad aquam eduxit me qua sitibundus reficiar : animam meam aberrantem ad viam bonam convertit.
3. Deduxit me super semitas justitiæ, propter nomen suum.	3. Deduxit me per semitas justitiæ, propter nomen suum : ut notam faceret in me misericordiam suam.
4. Nam et si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala : quoniam tu mecum es.	4. Quapropter etsi ambulavero in quovis periculo, adeoque in medio umbræ mortis, non timebo mala : quoniam tu, Domine, mecum es.
5. Virga tua et baculus tuus ; ipsa me consolata sunt.	5. Deficientem in via, virga tua et baculus pastoralis curæ me consolata sunt, et confirmarunt.

6. Parasti in conspectu meo mensam : adversus eos qui tribulant me.

6. Ut autem tribulationes fortiter sustineam, parasti in conspectu meo mensam, adversus eos qui tribulant me.

7. Impinguasti in oleo caput meum : et calix meus inebrians quam præclarus est.

7. Utque omnem tristitiam a me amoveas, impinguasti oleo lætitiæ caput meum, et potasti me poculo jucunditatis : qui quidem calix inebrians maxime excellens est.

8. Et misericordia tua subsequetur me, omnibus diebus vitæ meæ.

8. Et illa tua misericordia subsequetur me perseveranter, omnibus diebus vitæ meæ.

9. Et ut inhabitem in domo Domini, in longitudinem dierum.

9. Atque hæc omnia eo tendunt, ut inhabitem denique in domo Domini in perpetuas æternitates.

—

Explicatio.

Argumentum. — Sub duplici allegoria, nimirum pastoris, dilectam oviculam curantis ; et hospitis, amicum domo sua excipientis, describitur in hoc psalmo ineffabilis Dei bonitas et providentia erga fideles suos.

I. *Allegoria Pastoris.*
II. *Allegoria Hospitis.*

—

1. *Dominus regit me, et nihil mihi deerit : in loco pascuæ ibi me collocavit.*

Incipit allegoria pastoris. — *Dominus regit me*, hebraice, *Dominus est pastor meus* : id est, Dominus me ut pastor ovem gubernat ; seu ovicula Dei sum. — Et quia Deus est pastor potentissimus, sapientissimus et optimus, ideo confidenter dico : *Nihil mihi deerit*, neque in vita præsenti, quoad auxilia gratiæ ; neque in futura, quoad divitias gloriæ.

Propheta personam agens cujuscumque animæ fidelis, dicit, se, tanquam oviculam a Deo ac Domino nostro Jesu Christo, ut pastore, omnibus rebus necessariis abunde donari. — Hæc autem prima sententia totius allegoriæ summa est, quæ ex iis omnibus explicatur quæ bonus pastor suo gregi præstat. — Quid enim pastor bonus pro grege facit ? 1° Præbet ei bona pascua ; 2° præbet aquas ut bibant et laventur ; 3° oves, si aberrent in viam reducit ; 4° eas semitis tutis deducit ; 5° contra lupos et fures baculo tuetur ; 6° inquietas virga

amanter castigat et coercet... Hæc omnia beneficia propheta ex parte divini pastoris sui experitur, et verbis enuntiat suavissimis, semimetaphoricis, et ordini spirituali optime accommodatis.

In loco pascuæ ibi me collocavit. Primum beneficium pastoris : pascua præstat. — Hebræus textus ad litteram habet : *In pascuis virentibus recubare me facit.* Porro pabula sive pascua spiritualia, sunt sacra doctrina, sacramenta, præsertim *Eucharistia.*

2. *Super aquas refectionis educavit me : animam meam convertit.*

Secundum et tertium beneficium, aquarum copia, reductio ab errore. — *Aqua refectionis*, est *aqua reficiens*, sive in siti sive in æstu ; spiritualiter intellecta, est gratia, de qua Dominus : *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei non sitiet in æternum.* Joan. IV, 14.

Quod dicit *animam meam convertit*, significat, a recte vivendi et credendi ratione aberrantem, ad se reduxit. Allusio ad ovis similitudinem, quæ sæpe a caulis errans, a pastore reducitur.

3. *Deduxit me super semitas justitiæ, propter nomen suum.*

Quartum bonum commemorat, ductionem per vias bonas, quasi diceret : Incedere me fecit per viam angustam præceptorum suorum, removendo pericula, minuendo obstacula, illustrando, roborando... *super semitas justitiæ.* — *Propter nomen suum*, id est, non propter mea merita, sed propter suam misericordiam suamque gloriam.

4. *Nam et si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala : quoniam tu mecum es.*

Quintum bonum, defensio. — *Medium umbræ mortis*, seu, ut habetur in hebræo, *vallis umbræ mortis*, est locus tenebrosus, variis ferarum, præcipitiorum periculis obsitus : ubi ante oculos est mortis discrimen. Illic non timebit, *quoniam*, inquit, *tu mecum es* defensor potens.

5. *Virga tua et baculus tuus : ipsa me consolata sunt.*

Sextum bonum, castigatio. — *Baculo* seu pedo utitur pastor ad oves contra invasores defendendas, vel ad eas congregandas aut coercendas, vel ad ipsum pastorem fulciendum ac sustentandum. — *Virga*, vel idem significat ac baculus, vel accipitur

pro minore bacillo, ad corrigendum potius quam percutiendum idoneo. — Utrumque dicit sibi profuisse.

Hinc facile intelligitur, virgam et baculum significare symbolice castigationem ; vel juxta quosdam, castigationem et sustentationem. — *Sensu spirituali,* ut Theodoretus docet, *virga et baculus* divini Pastoris est ejus crux salutaris : quæ omni modo nobis, non tam dolorem quam consolationem affert et sustentaculum.

6. *Parasti in conspectu meo mensam, adversus eos qui tribulant me.*

7. *Impinguasti in oleo caput meum : et calix meus inebrians quam præclarus est.*

Secunda pars : allegoria Hospitis. — Consolationem modo memoravit, quæ sibi ab optimo pastore præstatur. Quam consolationem copiosissimam ut magis declaret, ad alteram transit allegoriam, nempe hospitis, amicum lautissime excipientis. Parasti, inquit, coram me, seu mihi, mensam opiparam, tanquam consolationem oppositam tribulationibus, quas mihi ingerunt hostes mei spirituales ; oleo lætitiæ caput meum perfudisti, et poculum mihi propinasti redundans excellentissimo liquore.

Illud *adversus* hostes, juxta vim hebraicæ vocis, significat *ex altera parte*, e regione hostium ; non vero ad resistendum hostibus, etsi iste sensus etiam verus est et ex litterali consequitur. — *Calix inebrians*, id est, calix plenus vino generoso ; quod habet vim inebriandi et exhilarandi. *Quam præclarus est*, proprie non est exclamatio, sed affirmatio superlativa, idem significans ac, *utique bonus*, *profecto mirabilis est.*

Sensus prophetæ est : Dum inimici mei propinant mihi amaros molestiarum calices, tu, Deus meus, e contrario, secus ac ipsi faciunt, miris me suavitatibus recreas, mensa, oleo, vino. His tribus significatur copia bonorum spiritualium : mensa et calice designatur speciatim SS. Altaris Sacramentum ; oleum vero insinuat alia Sacramenta in quibus est usus Chrismatis et unctionis. De cætero *oleum* seu unguentum, quod ad reficiendam valetudinem ac vires adhibebatur, nec non ad recreandum odoris fragrantia gravatum caput, symbolum est gratiæ ac donorum Spiritus sancti ; imo ipsius Spiritus sancti personæ, quæ vocatur *spiritalis unctio.*

8. *Et misericordia tua subsequetur me, omnibus diebus vitæ meæ.*

9. *Et ut inhabitem in domo Domini, in longitudinem dierum.*

Concludit, summatim et velut uno conspectu beneficam Dei misericordiam exhibendo, quæ totam hominis vitam complectitur usque ad beatum terminum æternæ gloriæ. Misericordia, inquit, tua, Domine, subsequetur et comitabitur me : non ad tempus, sed diebus omnibus, etiam diebus malis ; et quidem, nisi ego prior te dereliquero, aderit perseveranter : conferendo mihi perseverantiam finalem, quod donum proprium electorum est. Et sic introduces me bonus pastor in ovile cœleste : *Ut inhabitem in domo Domini, in longitudinem dierum.*

Sensus liturgicus.

Psalmus *Dominus regit me*, ponitur 1° in festis Corporis Christi, spineæ Coronæ, et pretiosi Sanguinis Domini ; 2° in officio Defunctorum.

1° In festo Corporis Christi, Ecclesia hoc psalmo considerat, quomodo Christus, Pastor amantissimus animas nostras, oviculas suas, omni amoris beneficio repleat ; nominatim vero, quomodo in SS. Eucharistia mensam nobis præparet et calicem præclarum : ut sic nos misericorditer deducat ad beatum terminum, ad *inhabitandum nempe in domo Domini in longitudinem dierum.*

In festo spineæ Coronæ, quod est velut diadema salutis nostræ, quo Christus factus est nobis Rex mansuetus, misericors, pastoralis, Ecclesia regimen illud pastorale Domini contemplatur, tanquam fundatum in mysterio Coronæ spineæ, qua caput Christi cruciatum est, quaque speciatim meruit capiti nostro gratiarum coronam et abundantiam : *Impinguasti in oleo caput meum.*

In festo Sanguinis Domini, considerat quomodo bonus Pastor animam suam posuerit, et sanguinem fuderit pro ovibus suis ; imo quomodo eis calicem sanguinis sui propinaverit : *Calix meus inebrians quam præclarus est.*

2° In officio Defunctorum, Ecclesia eodem psalmo personam assumens animæ sanctæ Purgatorii, cum amore et gratitudine recenset universa Dei beneficia, quibus misericorditer deducta est per desertum hujus mundi ; speratque se mox perducendam usque ad beatam domum Dei : *Et ut inhabitem in domo Domini in longitudinem dierum.*

—

PSALMUS XXIII.

Domini est terra et plenitudo ejus.

1. Domini est terra, et plenitudo ejus : orbis terrarum, et universi qui habitant in eo.

2. Quia ipse super maria fundavit eum : et super flumina præparavit eum.

3. Quis ascendet in montem Domini ? aut quis stabit in loco sancto ejus ?

4. Innocens manibus et mundo corde : qui non accepit in vano animam suam, nec juravit in dolo proximo suo.

5. Hic accipiet benedictionem a Domino : et misericordiam a Deo salutari suo.

6. Hæc est generatio quærentium eum : quærentium faciem Dei Jacob.

7. Attollite portas, principes, vestras ; et elevamini portæ æternales : et introibit rex gloriæ.

8. Quis est iste rex gloriæ ? Dominus fortis et potens ; Dominus potens in prælio.

9. Attollite portas, principes, vestras ; et elevamini, portæ æternales : et introibit rex gloriæ.

10. Quis est iste rex gloriæ ? Dominus virtutum ipse est rex gloriæ.

1. Domini est terra, et omnia quæ in ea sunt : orbis terrarum, et universi qui habitant in eo.

2. Quia ipse super maria eminentem eum firmavit ; et super flumina ut stabilem habitationem præparavit eum.

3. Quis ascendet in montem, sedem tam excelsi Domini ? aut quis stabit in loco sancto ejus ?

4. Innocens manibus et mundo corde : qui non frustra accepit a Deo vitam suam, nec juravit dolose proximo suo.

5. Hic accipiet benedictionem a Domino : et misericordiam æternam a Deo salvatore suo.

6. Hujusmodi est generatio seu gens sancta quærentium Dominum, quærentium contemplari faciem Dei Jacob.

7. Horum autem pater ac princeps mihi apparet, Christus, viam aperiens... Attollite portas vestras, principes cœli ; et elevamini, portæ æternales : et introibit Rex gloriæ.

8. — Quis est iste Rex gloriæ ? — Dominus fortis et potens, Dominus potens in prælio ac victor inferni.

9. Attollite portas, principes, vestras ; et elevamini, portæ æternales : et introibit Rex gloriæ.

10. — Quis iste Rex gloriæ, veniens humano indutus corpore ? — Nomen dicam : Dominus Sabaoth, ipse est Rex gloriæ.

—

Explicatio.

Argumentum. — Sunt qui hujus psalmi argumentum litterale censent esse de ingressu Arcæ fœderis in Jerusalem, cum transferretur ex domo Obededom in montem Sion. David, inquiunt, hunc montem ac locum sanctum, Arcæ Domini destinatum intuens, exclamat : Dei esse universum terrarum orbem, sed ex omnibus locis peculiariter sibi montem Sion, tanquam habitationem inter homines delegisse. Deinde Propheta docet, qualem eum esse oporteat, qui in locum illum sanctum sit ascensurus : tum ut digne Deum colat, tum ut a Deo exaudiatur. Demum principes civitatis Jerusalem alloquens hortatur, ut apertis portis suis ingredientem Dominum cum Arca, prompti lætique suscipiant, Dominum utique gloriosum ac potentissimum (1). — Hac litterali cortice omnes admittunt contegi allegoricum sensum, de Christo in cœlos ascendente.

Alii dicunt, psalmum esse, sensu ipso litterali, hymnum propheticum Ascensionis Dominicæ. Quæ sententia videtur præferenda. Etenim cum de Ascensione in cœlum agatur in ultima psalmi parte, ut ex contextu satis patet ; similiter cœlum respici in iis quæ præcedunt, propter connexionem partium et unitatem sermonis, dicendum est.

I. *Montis Domini, seu cœli majestas.*
II. *Tituli ad ascendendum requisiti.*
III. *Ascensio Christi, Regis gloriæ.*

—

1. *Domini est terra, et plenitudo ejus : orbis terrarum, et universi qui habitant in eo.*

2. *Quia ipse super maria fundavit eum : et super flumina præparavit eum.*

3. *Quis ascendet in montem Domini ? aut quis stabit in loco sancto ejus ?*

Locuturus de ingressu in cœlum, hujus divinæ mansionis magnificentiam imprimis indicat, quasi diceret : Dominus, rex universi mundi, aulam suam cœlestem humanæ creaturæ aperire dignatur. At in tanti Regis domum quis dignus erit intrare ?

1. *Domini est terra, et plenitudo ejus...* id est, Domini est terra, et id quo terra plena est : metalla, plantæ, pecudes ; præsertim vero homines, ut patet ex altero hemistichio : *Orbis terrarum, et universi qui habitant in eo.*

Dominus, cujus terra esse dicitur, est vel Deus Creator ;

(1) Ita Jansenius.

vel specialius, Dominus ac Salvator Christus : ita ut sit implicitum quoddam vaticinium de orbis seu gentium conversione. Cui sententiæ favet Apostolus (1 Cor. X, 26), qui cum locum hunc afferat ubi de calice Domini loquitur, de ipso Domino Christo loqui videtur.

Dominium autem, quod Deo aut Christo attribuitur, triplex intelligi potest : dominium nempe universale in regnum naturæ, in regnum gratiæ, in regnum gloriæ.

Primo illo versu describitur magnitudo Dei, atque innuitur 1° magnificentia et sanctitas cœlestis domus ejus ; 2° innuitur misericordia Dei, qui sicut creavit omnes homines, ita omnium pater est, vultque omnes salvos fieri. *Unus Deus et pater omnium*. Ephes. IV, 6.

2. Quod dixit explicat, indicando originem Dominii Dei, quæ est ipsa creatio : *Quia ipse super maria fundavit eum : et super flumina præparavit eum*. Quibus verbis non tantum potentia Creatoris, sed peculiaris providentia ac benignitas insinuatur erga homines, quasi terram ipsis habitabilem parasset : *Super flumina præparavit*.

3. *Quis ascendet in montem Domini ?...* id est, quis ex hominibus excelso cœli habitaculo, et angelorum consortio, sanctissimoque Dei conspectu dignus invenietur ? — Scilicet non agitur de monte Sion terrestri, sed de monte Domini vero, nempe de cœlo, cujus ingressus tantummodo perfecte justis et immaculatis patet. Sensus ergo est quasi diceretur : Ex hominum numero eritne aliquis, et quisnam ille erit, qui dignus sit ascendere ad locum ubi proprie habitat Deus ? — Sensu accommodato, rectissime mons Domini significat altare et sacramentum Eucharisticum.

Ut patet, cœlestis curiæ magnificentiam directe non describit propheta, sed ex majestate Regis inhabitantis intelligendam suggerit. *Domini*, inquit, *est terra et plenitudo ejus...* quasi diceret : Si tanta est potentia Dei, tantum imperium, quantum spectamus in universa terra ; quam mirabilis censenda est magnificentia domus ejus in cœlo ! *Quia solummodo ibi magnificus est Dominus noster* (Isai. XXXIII, 21). Etenim *cœlum cœli Domino, terram autem dedit filiis hominum... Cœlum thronus Dei est, terra scabellum pedum ejus* (Ps. CXIII ; Matth. V, 34). — Quam excelsa igitur, quam opulenta, quam sancta illa cœlestis curia, ubi Rex regum habitat, et ab angelorum innumerabili militia, militiæque principibus adoratur !

Dicendo : *Quis ascendet in montem Domini ?...* Non tantum de conditionibus ad hanc ascensionem necessariis, inquirit, sed simul etiam tacite omnes terrigenas provocat, ut relictis terrenis curis, sursum ad montem sanctum contendant. Similiter animas allicit, dum quæstioni positæ respondens, pergit :

4. *Innocens manibus et mundo corde : qui non accepit in vano animam suam, nec juravit in dolo proximo suo.*

5. *Hic accipiet benedictionem a Domino : et misericordiam a Deo salutari suo.*

6. *Hæc est generatio quærentium eum : quærentium faciem Dei Jacob.*

Secunda pars : exponuntur tituli seu conditiones ad ascendendum requisitæ. Sunt autem hæ quatuor : innocentia vitæ, munditia cordis, fructus bonorum operum, veritas verborum erga proximum : quæ rectitudinem cordis, oris et operis perfectam, adeoque totius Evangelii compendium continent. Quod idem sic Isaias enuntiat : *Qui ambulat in justitiis, et loquitur veritatem, qui projicit avaritiam ex calumnia, et excutit manus suas ab omni munere, qui obturat aures suas ne audiat sanguinem, et claudit oculos suos ne videat malum : iste in excelsis habitabit.... Regem in decore suo videbunt oculi ejus, cernent terram de longe.... Respice Sion civitatem solemnitatis nostræ : oculi tui videbunt Jerusalem, habitationem opulentam, tabernaculum quod nequaquam transferri poterit ; nec auferentur clavi ejus in sempiternum, et omnes funiculi ejus non rumpentur : quia solummodo ibi magnificus est Dominus noster.* Isai. XXXIII, 15 seq.

Quod dicitur : *Qui non accepit in vano animam suam*, de perjurio intelligi non potest, ut ostendit Bellarminus post Genebrardum ; sensus autem est : Qui non frustra vitam accepit, nec sterilis manet in terra, sed fructus producit bonorum operum, faciendo quæcumque ad finem sibi a Deo præstitutum conducant. — Juxta hebraicam veritatem, quæ parallelismo perpetuo psalmi etiam est consentanea, sensus nonnihil differens, sic exponitur : *Qui animum non effudit in mendacium, nec dolose juravit proximo suo.*

5. *Hic accipiet benedictionem a Domino :* id est, accipiet benedictionem Dei per excellentiam, nempe salutem æternam : quæ in eo consistit, ut homo ad ingressum cœli et visionem beatificam admittatur.

6. Quod autem additur : *Hæc est generatio*... non vero : *Hic est homo*... indicat immaculatum illum qui ascendet in montem Domini, non fore singularem ; sed constituere integram generationem seu gentem : scilicet, eum non fore solum Christum, qui justus est et innocens per excellentiam ; sed Christum cum Ecclesia, caput cum corpore. *Hæc*, inquit, *est generatio quærentium eum :* id est, iste qui ascendet in cœlum, est generatio quædam hominum regeneratorum in Christo, quorum præci-

puum studium est Deum quærere, ad faciem Dei videndam anhelare, ad montem denique sanctum totis viribus niti. — Illud *quærere faciem Dei*, etsi solet significare adire templum, adire Deum per orationem ; hic tamen videtur altius quid denotare, nempe visionem beatificam.

Dicendo : *Hæc est generatio*... propheta intueri videtur progeniem quamdam longissimam immaculatorum, qui, præeunte Agno immaculato, Christo, montem sanctum conscendunt ; quo visu illuminatus exclamat, quasi diceret : *Hæc est generatio quærentium* cum Christo, non terrena, sed cœlestia, sed Deum ejusque beneplacitum, sed *faciem Dei Jacob* : illud est *genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis* (1 Pet. II, 9). — *O quam pulchra est casta generatio cum claritate !* Sap. IV, 1.

7. *Attollite portas, principes, vestras ; et elevamini portæ æternales : et introibit rex gloriæ.*

8. *Quis est iste rex gloriæ ? Dominus fortis et potens : Dominus potens in prœlio.*

9. *Attollite portas, principes, vestras ; et elevamini portæ æternales : et introbit rex gloriæ.*

10. *Quis est iste rex gloriæ ? Dominus virtutum ipse est rex gloriæ.*

Tertia pars : Ascensio Christi, Regis gloriæ. — Etenim jam videt propheta generationem illam sanctam cœlum intrare, in persona nempe Christi, Capitis ac Regis electorum ; ideoque angelis inclamat, et instanter ingeminat, ut portas *Regi gloriæ* aperiant.

Regem gloriæ appellat, quem supra vocavit *innocentem*, et infra vocat *fortem in prœlio* ; ut innuat, Christi gloriam in innocentia, et crucis humiliatione fundari.

Jubet *attolli* portas et *elevari*, ait Bellarminus, quia portæ cœli non sunt quasi in pariete, ut ad latera moveri debeant ; sed quasi in tecto vel laqueari, ut sursum versus aperiendæ sint.

8. *Quis est iste rex gloriæ ?*... Introducit principes (1) cœlestis Jerusalem interrogantes, quis sit ille Rex gloriæ ? Non quod angeli in die ascensionis Domini ignorarent, Christum esse Regem gloriæ ; sed ut exprimat admirationem, quam secum afferebat novitas illa, quod cerneretur verus homo corporalis ascendere super cœlos : non tanquam hospes, sed

(1) Hujus dialogi personæ clarius indicantur in Vulgata quam in hebræo, qui sic habet : *Attollite portæ capita vestra, et elevate vos portæ æternæ.*

tanquam Dominus gloriosæ ac sempiternæ civitatis. — Respondet autem, Regem gloriæ esse Christum, Dominum fortissimum et potentissimum, qui grandi prælio principem tenebrarum devicit, spoliavit et alligavit.

9. Repetit et rursus intonat : *Attollite portas, principes, vestras*... ut significet ingentem rei novitatem, quod homo, quod corpus terrenum supra corpus cœleste, et caro humana supra ipsos angelicos spiritus, cum ineffabili totius naturæ admiratione, et quasi stupore, conscendat.

10. Rursus igitur interrogantibus angelis respondet : *Dominus virtutum, ipse est rex gloriæ.* Hic demum plene quæstioni respondetur : *ipse est Rex gloriæ.* — Totus iste dialogus ideo tantum institutus est, ut magnitudo mysterii aperiatur, et omnes tituli Regis gloriæ explicentur. *Dominus fortis et potens, Dominus potens in prælio, Dominus virtutum,* id est, Dominus sabaoth seu exercituum, *ipse est Rex gloriæ.*

Tunc aperto cœlo intrat Rex in gloriam suam ; eumque cœli principes excipiunt adorantes, sicut scriptum est : *Et adorent eum omnes angeli Dei.* (Hebr. I. 6.) — Post ipsum autem similiter intrant omnes Sancti : *gloria* enim *hæc est omnibus sanctis ejus.* Ps. CXLIX.

Sensus liturgicus.

Psalmus iste ponitur 1° in officio Circumcisionis, Sabbati sancti, sacræ Sindonis, et Plagarum Domini ; 2° in festo SS. Trinitatis ; 3° in Dedicatione Ecclesiæ ; 4° in officio B. M. Virginis, cæterarumque Virginum ; 5° in officio Martyrum et Confessorum.

1° In officio de Circumcisione, aliisve mysteriis Dominicæ passionis, Ecclesia psalmum hunc triumphalem recitans, minus respicit ingressum Regis gloriæ in cœlum, quam passionis prælium quo hanc gloriam promeruit : *Quis est iste rex gloriæ ? Dominus fortis et potens, Dominus potens in prælio.* — Considerat ergo Christi circumcisionem, passionem et sepulturam, tanquam viam ad ejus triumphum et exaltationem, secundum illud : *Oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam.* Luc. XXIV, 26.

2° In festo SS. Trinitatis, spectatur in eodem psalmo ineffabilis Trinitatis majestas ; ad cujus conspectum tamen misericorditer admittuntur quicumque sancta Christi vestigia sequi volunt : *Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto ejus ?... Generatio quærentium eum, quærentium faciem Dei Jacob.*

3° In Dedicatione Ecclesiæ, respicitur ad domum Dei in terra, quod est templum cultui Dei dedicatum. Huc Dominus

Deus velut introducitur, his verbis : *Attollite portas, principes, vestras, et introibit rex gloriæ*. Huc quoque fidelibus patens introitus ostenditur verbis istis : *Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto ejus?*... simulque insinuatur in templo quærendam esse sanctitatem, per quam perveniri potest ad templum gloriæ, ad portas æternales.

4° In festis de Beata, spectatur purissima Dei Genitrix Virgo, ut digna quæ cum Filio suo cœli januas introeat ; imo intelligi videtur ipsa, tanquam mystica *porta*, per quam Christus ingressus est in mundum, et nos in cœlum ingredi debemus.

In festis cæterarum Virginum, respicitur præsertim innocentia et munditia cordis, qua Christi sponsæ dignæ factæ sunt introire post Agnum immaculatum in domum gloriæ Dei, et stare in loco sancto ejus.

5° In festis Sanctorum, celebratur verbis hujus psalmi, cujusque Martyris aut Confessoris gloriosus cum Christo in cœlum ingressus, ac velut apotheosis ; indicata interim via innocentiæ et certaminum, qua Dei famulus eo pervenit : *Innocens manibus et mundo corde... fortis et potens in prœlio...*

PSALMUS XXIV.

Ad te, Domine, levavi.

1. Ad te, Domine, levavi animam meam : Deus meus, in te confido, non erubescam.

1. Ad te, Domine, in tribulatione mea levavi animam meam : Deus meus, in te confido, fac ut non confundar.

2. Neque irrideant me inimici mei : etenim universi qui sustinent te, non confundentur.

2. Neque irridere me possint inimici mei : etenim, quæ tua misericordia est, universi qui tuum exspectant auxilium non confundentur.

3. Confundantur omnes iniqua agentes supervacue.

3. Fac autem ut confundantur omnes hostes mei, iniqua molientes contra me : supervacue ac frustra id agant.

4. Vias tuas, Domine, demonstra mihi : et semitas tuas edoce me.

4. Vias tuas, Domine, demonstra mihi : et semitas tuas practice præsertim edoce me.

5. Dirige me in veritate tua, et doce me : quia tu es Deus Salvator meus, et te sustinui tota die.

5. Dirige me in veritatê tua, seu in vera via legis tuæ, et doce me. Tu enim es Deus Salvator meus, via, et veritas, et vita : et a te hanc gratiam perseveranter exspecto.

6. Reminiscere miserationum tuarum, Domine : et misericordiarum tuarum, quæ a sæculo sunt.

6. Reminiscere igitur miserationum tuarum, Domine, et misericordiarum tuarum quæ sunt ab initio mundi.

7. Delicta juventutis meæ, et ignorantias meas ne memineris.

7. Delicta vero juventutis meæ, et peccata ignorantiæ, ne memineris.

8. Secundum misericordiam tuam memento mei tu : propter bonitatem tuam, Domine.

8. Sed secundum misericordiam tuam memento mei : propter bonitatem tuam, Domine.

9. Dulcis et rectus Dominus : propter hoc legem dabit delinquentibus in via.

9. Bonus enim et rectus Dominus : propter hoc legem dabit, eam docendo et persuadendo, delinquentibus in via.

10. Diriget mansuetos in judicio : docebit mites vias suas.

10. Diriget mansuetos in via justitiæ : et docebit mites vias suas.

11. Universæ viæ Domini misericordia et veritas, requirentibus testamentum ejus, et testimonia ejus.

11. Universæ autem viæ Domini misericordia sunt et veritas in promissis, exhibenda quærentibus testamentum ejus et præcepta ejus.

12. Propter nomen tuum, Domine, propitiaberis peccato meo : multum est enim.

12. Hinc propter nomen tuum, Domine, propitiaberis peccato meo : multum est enim.

13. Quis est homo qui timet Dominum ? legem statuit ei in via quam elegit.

13. Quis est homo qui timet Dominum ? Quis, inquam, quem docuit Deus in vitæ semita quam elegit ?

14. Anima ejus in bonis demorabitur : et semen ejus hæreditabit terram.

14. Anima ejus in bonis stabiliter demorabitur : et semen ejus hæreditabit ac pacifice possidebit terram.

15. Firmamentum est Dominus timentibus eum : et testamentum ipsius ut manifestetur illis.

15. Firma protectio est enim Dominus timentibus eum : et faciet ut testamentum suum manifestetur illis.

16. Oculi mei semper ad Dominum : quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos.

16. Quare oculi mei semper ad Dominum sunt intenti : quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos.

17. Respice in me, et miserere mei : quia unicus et pauper sum ego.

17. Tu itaque vicissim, Domine, respice in me, et miserere mei : quia derelictus et spiritualiter pauper sum ego.

18. Tribulationes cordis

18. Et interim tribulationes cordis

mei multiplicatæ sunt : de necessitatibus meis erue me.

19. Vide humilitatem meam et laborem meum : et dimitte universa delicta mea.

20. Respice inimicos meos, quoniam multiplicati sunt : et odio iniquo oderunt me.

21. Custodi animam meam, et erue me : non erubescam, quoniam speravi in te.

22. Innocentes et recti adhæserunt mihi : quia sustinui te.

23. Libera, Deus, Israel ex omnibus tribulationibus suis.

mei multiplicatæ sunt : ideo, precor, de angustiis meis libera me.

19. Vide afflictionem meam, et laborem meum ac certamina : et dimitte universa delicta mea.

20. Respice etiam inimicos meos, quoniam multiplicati sunt : et odio plane iniquo ac gratuito oderunt me.

21. Custodi, obsecro, animam meam, et erue me de manibus eorum : non erubescam devictus, quoniam speravi in te.

22. Innocentes enim et recti adhæserunt mihi, quia sustinui te : coram quibus utique, spe frustratus, valde erubescerem.

23. Ideo in mea persona, Deus, libera Israel ex omnibus tribulationibus suis.

—

Explicatio.

Argumentum. — Oratio, qua petitur a Deo remissio peccatorem et gratia bene vivendi. — Cum psalmus didacticus sit seu doctrinalis, ad nullam probabiliter occasionem historicam est referendus ; existimari tamen cum nonnullis interpretibus potest, eum ad bellum Absalomiticum referri : quando David, propter peccata sua pressus angustiis, oravit sane sicut hic orat, petendo ut Dominus sibi condonaret peccata, sese in rectam viam deduceret, et ab adversariis liberaret.

Mystice, ut Patres docent, propheta personam gerit Ecclesiæ, et cujusque fidelis, qui animatus quidem desiderio placendi Deo, adhuc in concupiscentiis superandis laborat.

I. *Petit gratiam in viis Domini ambulandi.*
II. *Gratiam hanc certa fiducia exspectat.*
III. *Petit gratiam respectu hostium, progressum impedientium.*

1. *Ad te, Domine, levavi* (hebraice *levo*) *animam meam : Deus meus, in te confido, non erubescam.*

2. *Neque irrideant me inimici mei : etenim universi qui sustinent te, non confundentur.*

3. *Confundantur omnes iniqua agentes supervacue.*

Tres isti versiculi velut præambulum sunt, quo propheta sursum cor ad Deum erigit, seque ad fiducialiter et ferventer orandum excitat. — Ad te, inquit, Domine, animam elevo, in te confido ; ne, quæso, sit vana mea fiducia : fac ut non confundar, nec vincar ab inimicis quamvis potentibus, sed ipsi potius confundantur. — His verbis quoque objectum orationis suæ generaliter indicat, nempe ut in via Domini constanter ambulando, de inimicis spiritualibus triumphet.

Quod dicit, *ad te, Domine, levavi animam meam*, orationis formam enuntiat, quæ in mentis elevatione consistit, qua cogitationes et desideria, a terrenis abstracta, diriguntur ad Dominum.

2. *Qui sustinent te*, id est, qui te cum patientia exspectant. Illud *sustinere Dominum* totam spiritualis vitæ artem continet : significat enim constantiam in divino obsequio, qua nunquam in quacumque tribulatione vel probatione deficiamus ; sed fortiter perseveremus, donec Dominus liberare nos voluerit, certi fore ut non confundamur.

Non confundentur, neque coram Deo, neque coram hominibus ; quia suo tempore, sive in hac vita, sive saltem in futura, innocentia et justitia triumphabunt.

Iniqua agentes supervacue : id est, sine causa, vel sine fructu : nempe vel 1° nulla injuria provocati, sed ex mera malitia ; vel 2° frustra, cum non possint justum perdere prout intendunt.

4. *Vias tuas, Domine, demonstra mihi : et semitas tuas edoce me.*

5. *Dirige me in veritate tua, et doce me : quia tu es Deus salvator meus, et te sustinui tota die.*

Incipit petitio prophetæ, quæ duo complectitur : gratiam bene vivendi et veniam peccatorum. — Petit imprimis a Domino doceri vias ejus, et dirigi in ejus veritate ; affertque motivum duplex : 1° quia a solo Deo salutem et gratiam exspectat ; — 2° quia eam efflagitat et exspectat *tota die*, id est, assidue et indesinenter.

Petit doceri *vias Domini*, id est, non tam præcepta legis quæ propheta non ignorat ; quam voluntatem Domini in particularibus vitæ circumstantiis : ut in omnibus gerere sese sapienter et sancte sciat. De scientia non tam speculativa quam practica sermonem esse facile intelligitur.

Petit dirigi *in veritate Domini* : id est, ut ducatur per auxilium gratiæ in voluntate ac lege Domini, quæ verissima via est, ut alibi dicit : *Omnia mandata tua veritas* (Ps. CXVIII). — Veritas hic etiam sumi potest pro verbo Dei, ac veræ religionis doctrina.

6. *Reminiscere miserationum tuarum, Domine : et misericordiarum tuarum quæ a sæculo sunt.*
7. *Delicta juventutis meæ, et ignorantias meas ne memineris.*
8. *Secundum misericordiam tuam memento mei tu, propter bonitatem tuam, Domine.*

Non sufficit ut homo petat gratiam bene vivendi, oportet ut imploret veniam delictorum. In multis enim offendimus omnes, et Dei clementia indigemus : *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est.* I Joan. I, 8.

Ideo propheta suppliciter et humiliter orat Dominum, ut recordetur misericordiarum suarum, *quæ*, inquit, *a sæculo sunt* : id est, quæ æternæ sunt atque essentiales Deo, cui proprium est misereri semper et parcere. — Petit sibi remitti *delicta juventutis et ignorantias* : id est, delicta commissa ex infirmitate et ignorantia ; quæ etsi minus gravia, tamen nos reos constituunt, nosque inducere debent, ut humiliter Dei misericordiam imploremus. Hanc iterum implorat aliis verbis propheta, dicendo : *Secundum misericordiam tuam memento mei tu, propter bonitatem tuam, Domine.*

9. *Dulcis et rectus Dominus : propter hoc legem dabit delinquentibus in via.*

Secunda pars, fiduciam suam testatur, ostendendo cur gratiam quam petit, certo sit impetraturus. Dominus, inquit, benignus est et justus ac justitiæ amans, ideoque libenter viam justitiæ docet errantes. — *Legem dare*, id est, legem, regulam, præceptum tradere ad aliquid addiscendum, ut faciunt præceptores ; adeoque docere.

10. *Diriget mansuetos in judicio : docebit mites vias suas.*
11. *Universæ viæ Domini misericordia et veritas, requirentibus testamentum ejus et testimonia ejus.*

Explicat id quod modo dixit, Dominum docere delinquentes, declaratque, non de quibusvis delinquentibus illud esse intelligendum ; sed solum de mansuetis et mitibus, qui non resistunt Domino docenti, sed potius cupiunt doceri, et requirunt testimonia ejus ut ea custodiant. Hos enim non tantum Dominus dirigit in via justitiæ ; sed tota ejus agendi ratio, omnia ejus consilia erga tales homines, sunt *misericordia et veritas*, id est, misericordia et fidelitas in promissis.

10. *Mites*, *mansueti*, sunt epitheta piorum, quæ idem fere sonant ac humiles, parvuli ; et indolem designant oppositam superbiæ.

Docebit mites vias suas : id est, dabit eis gratiam cognoscendæ et amandæ, et consequenter implendæ legis ac voluntatis suæ.

11. *Universæ viæ Domini*... hoc loco *viæ* Domini non significant vias quas nobis sequendas præscribit, sed vias quas ipse in agendo sequitur, adeoque consilia ejus.

Testamentum Dei est pactum, fœdus cum Israel initum, fideliter ex parte populi servandum ; *testimonia* ejus sunt præcepta legis, universa scilicet legis doctrina, quæ testamentum constituebat.

12. *Propter nomen tuum, Domine, propitiaberis peccato meo : multum est enim.*

Ex consideratione bonitatis Dei erga mites et humiles, humiliter et fiducialiter affirmat fore, ut omnia peccata sibi condonentur.

Propitiaberis, inquit, i. e. favorabilis fies, peccatum meum condonabis ; *propter nomen tuum*, id est, ut manifestetur tua misericordia et veritas. — Quod addit : *multum* (sive numero sive gravitate) *est enim*, non tanquam motivum affert, quasi Deus potius culpam majorem quam minorem condonaret ; sed humiliter significat, peccatum suum tam magnum esse, ut non sua satisfactione, sed solummodo Dei misericordia infinita deleri possit : *Propter nomen tuum.*

13. *Quis est homo qui timet Dominum ? legem statuit ei in via quam elegit.*

14. *Anima ejus in bonis demorabitur : et semen ejus hæreditabit terram.*

15. *Firmamentum est Dominus timentibus eum : et testamentum ipsius ut manifestetur illis.*

Ex eadem consideratione bonitatis Dei erga humiles servos suos, adducitur ad felicitatem istorum contemplandam. Hanc cum gratitudine et amore explicat, enumerando bona hominis justi : qui nimirum, 1° habet Deum doctorem ; 2° animam bonis cumulatam ; 3° liberos felices ; 4° Deum firmatorem ; 5° verbi Dei manifestationem.

Quis est, inquit, *homo qui timet Deum?* Prodeat in medium et sua bona cognoscat : Dominus *in via quam elegit*, id est, in statu vitæ quem elegit ; docebit eum, ut statum hujusmodi honoret et sanctificet. — Versiculus potest etiam sic intelligi : Quis est homo qui timet Deum, ille, inquam, quem Deus

instruxit de lege sua, in via justitiæ quam homo ille elegit?

14. *In bonis demorabitur*, id est, iis stabiliter fruetur; hebraice, in illis *pernoctabit*, quasi permanebit ipsa nocte intempesta tribulationum aut mortis.

15. *Firmamentum est Dominus*... En ratio, cur timentes Deum maneant in felicitate stabiles: non innituntur rebus caducis; sed Deus ipse est *firmamentum eorum*, id est, in Dei amicitia et auxilio fundatum habent spem suam.

Et testamentum ipsius (est) *ut manifestetur illis*: scilicet manifestabitur illis clare lex Domini cum omnibus mysteriis ejus. Quare Christus dicebat: *Vobis datum est nosse mysteria regni cœlorum*. Matth. XIII, 11.

16. *Oculi mei semper ad Dominum: quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos.*

17. *Respice in me, et miserere mei: quia unicus et pauper sum ego.*

Pars tertia, petit Dei gratiam respectu hostium suorum. In via enim Domini qua cupit ambulare, hostes multos videt, progressum suum impedire conantes, variaque suscitantes obstacula: alia nimirum externa, quæ vocat *laqueos*; alia interna, quæ vocat *tribulationes cordis* et *necessitates*.

Oculi, inquit, *mei semper ad Dominum*: id est, assidue mentis oculis, Deum aspicio, ab illo auxilium exspectans. — Exemplo suo docet nos propheta, 1° oculos et cogitationes non ad terrena, sed ad Deum convertere; 2° Deum semper intentione pura præ oculis habere; 3° mentaliter orare: quod enim propheta ad Deum conversos tenet animæ oculos, nempe cogitationes mentis et affectus cordis, orationem mentalem indicat.

Laqueus pedibus viatoris paratus, metaphorice significat multitudinem scandalorum hujus mundi, a quibus solus Deus nos potest liberare. Ideo propheta addit:

17. *Respice in me, et miserere mei: quia unicus et pauper sum ego*, id est, solus mihi sum relictus, et omni ope destitutus. — Scilicet non tantum videt se laqueis esse circumdatum, sed etiam nullo modo se evadere posse. Ideo suam miseriam humiliter agnoscens Domino ostendit, dicens: *Respice in me, et miserere mei.*

18. *Tribulationes cordis mei multiplicatæ sunt: de necessitatibus meis erue me.*

19. *Vide humilitatem meam, et laborem meum: et dimitte universa delicta mea.*

Eadem humilitate pergit exponere animæ suæ miserias, tentationes ac pugnas, quasi diceret: multi sunt et violenti valde

pravi affectus mei, et concupiscentiæ motus : vide, Domine, miseriam meam ac certamina quæ sustineo : et dimitte peccata, quæ in illa lucta, minus fortiter vel minus caute me gerendo, committo.

20. *Respice inimicos meos, quoniam multiplicati sunt, et odio iniquo oderunt me.*

21. *Custodi animam meam, et erue me : non erubescam, quoniam speravi in te.*

22. *Innocentes et recti adhæserunt mihi, quia sustinui te.*

Velut ab affectu ad causam transgreditur : postquam enim de labore certaminis locutus est, hostes ostendit multos et sævos, a quibus tam acria certamina moventur :

Respice, inquit, *inimicos meos*... spirituales inimicos præcipue intelligit, dæmones nimirum, qui odio iniquissimo oderunt animas, ut eas perdant. Cui odio iniquo opponendum est odium sanctum, nempe odium peccati : *Iniquitatem odio habui et abominatus sum.* Ps. CXVIII.

Postquam ostendit Domino hostes tam formidandos, petit ut ab eis custodiatur ac liberetur, fiducialiter dicens : *Non erubescam* : id est, ne repellas quæso orationem meam, *quoniam speravi in te.* — Et quidem ita se spem suam aperte in Domino collocasse ait, ut multi innocentes et recti, exemplo ipsius commoti, se ipsi socios adjunxerint : *Innocentes et recti adhæserunt mihi, quia sustinui te.* Quapropter orat, ut Dominus auxilium suum non differat, tum propter ipsum servum suum in se sperantem, tum propter multitudinem justorum servo suo adhærentium.

23. *Libera, Deus, Israel ex omnibus tribulationibus suis.*

Concludit orationem propheta, extendendo eam ad totum populum suum : pro quo precatur, generaliter petendo quæcumque magis in particulari pro semetipso petivit, dicens : Libera Deus similiter omnes meos proximos, totumque populum tuum Israel, ab omnibus corporis animæque tribulationibus.

Sensus liturgicus.

Recitat Ecclesia psalmum hunc in officio Defunctorum : et in persona animarum fidelium, allegorice, varioque modo, remissionem omnis reatus pœnæ, plenamque liberationem a Deo postulat.

Scilicet, velut in tribulatione Purgatorii posita, petit triumphum de hostibus : id est, plenam victoriam de peccato, quod adhuc quoad reatum pœnarum persistit.

Deinde rogat ut doceatur vias Domini, et deducatur per semitas rectas : id est, ut perducatur usque ad terminum viarum misericordiæ Dei, nempe usque ad ingressum in cœlum.

Petit tertio, remissionem peccatorum, quæ humiliter agnoscit et confitetur, sibique condonanda fiducialiter sperat.

Petitionem suam urget, ostendendo suos dolores, seu potius dolores quos Christus pro ipsa sustinuit.

Demum duos ultimos versiculos pronuntiat in persona Christi, pro fidelibus sibi adhærentibus patiente : *Innocentes et recti adhæserunt mihi, quia sustinui te : libera, Deus, Israel ex omnibus tribulationibus suis.*

—

PSALMUS XXVI.

Dominus illuminatio mea.

1. Dominus illuminatio mea et salus mea : quem timebo ?

1. Dominus est illuminatio mea et salus mea : quem igitur timebo ?

2. Dominus protector vitæ meæ : a quo trepidabo ?

2. Dominus protector vitæ meæ : a quo trepidabo ?

3. Dum appropiant super me nocentes, ut edant carnes meas :

3. Ecce, dum veniunt contra me adversarii sævi, ut devorent me tanquam prædam sibi expositam :

4. Qui tribulant me inimici mei, ipsi infirmati sunt et ceciderunt.

4. Illi inimici qui opprimunt me, ipsimet fracti sunt et ceciderunt. Quamobrem,

5. Si consistant adversum me castra : non timebit cor meum ;

5. Si consistant adversum me integra hostium castra : non timebit cor meum ;

6. Si exsurgat adversum me prælium : in hoc ego sperabo.

6. Si exsurgat adversum me prælium : in hoc ego sperabo, nedum timeam.

7. Unam petii a Domino, hanc requiram : ut inhabitem in domo Domini, omnibus diebus vitæ meæ.

7. Unam rem petii a Domino, hanc præ omnibus gratiis requiram : ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.

8. Ut videam voluptatem Domini, et visitem templum ejus.

8. Ut percipiam dulcedinem Domini, et visitem templum ejus.

9. Quoniam abscondit me in tabernaculo suo : in die malorum protexit me in abscondito tabernaculi sui.

9. Quoniam tempore persecutionis velut abscondit me Dominus in ipso suo tabernaculo : atque in die malorum protexit me in intimo sacrario tabernaculi sui.

10. In petra exaltavit me : et nunc exaltavit caput meum super inimicos meos.

10. Ibique velut in arce super inimicos exaltavit me : et nunc exaltavit caput meum super inimicos meos.

11. Circuivi (1), et immolavi in tabernaculo ejus hostiam vociferationis : cantabo, et psalmum dicam Domino.

11. Circuibo gratitudine plenus altare Domini, et immolabo in tabernaculo ejus hostiam laudis : cantabo et psalmum dicam Domino.

12. Exaudi, Domine, vocem meam qua clamavi ad te : miserere mei, et exaudi me.

12. Exaudi, Domine, vocem meam qua clamavi ad te : miserere mei et exaudi me.

13. Tibi dixit cor meum, exquisivit te facies mea : faciem tuam, Domine, requiram.

13. Tibi locutum est cor meum supplicando, exquisivit temens mea : et faciem tuam, Domine, semper quæram orando.

14. Ne avertas faciem tuam a me : ne declines in ira a servo tuo.

14. Ne avertas ergo faciem tuam a me : ne declines in ira a servo tuo.

15. Adjutor meus esto : ne derelinquas me, neque despicias me, Deus salutaris meus.

15. Sed adjutor meus esto ; ne derelinquas me : neque despicias me, Deus salutaris meus.

16. Quoniam pater meus et mater mea dereliquerunt me : Dominus autem assumpsit me.

16. Quoniam velut puer sum quem pater et mater dereliquerunt : Deus vero assumpit me. Itaque patrem te mihi exhibens,

17. Legem pone mihi, Domine, in via tua : et dirige me in semitam rectam propter inimicos meos.

17. Doce me Domine, in via tua : et dirige me in semitam rectam propter inimicos meos.

18. Ne tradideris me in animas tribulantium me : quoniam insurrexerunt in me

18. Ne tradideris me in arbitrium tribulantium me. Quoniam insurrexerunt in me testes iniqui, etsi eorum

(1) In hebræo vox *circuivi* jungitur versiculo præcedenti : *Exaltavit caput meum super inimicos meos qui sunt in circuitu meo.*

testes iniqui, et mentita est iniquitas sibi.

iniquitas mentita est sibi et in suum detrimentum.

19. Credo videre bona Domini : in terra viventium.

19. Hæc fiducialiter peto, credens firmiter me visurum bona Domini promissa, in terra viventium. Dico enim animæ meæ :

20. Exspecta Dominum, viriliter age : et confortetur cor tuum, et sustine Dominum.

20. Exspecta Dominum, viriliter age : et confortetur cor tuum, et sustine Dominum.

—

Explicatio.

Argumentum. — Oratio Davidis, qua Dei protectionem exaltat et implorat. Hac si fruatur, nullo hostium terrore se moveri affirmat ; hac ut plene fruatur, unice desiderat in Domini tabernaculo versari ; hac ut nunquam privari mereatur, instanter obsecrat. — Hujusmodi orationem Ecclesiæ et cuique fidelium convenire facile patet, et quidem a Spiritu sancto nobis paratam esse, ut cordibus nostris perfectæ fiduciæ sensus suggerantur.

De psalmi occasione historica non constat. Inscribitur quidem in Vulgata *Psalmus David, priusquam liniretur*, id est, priusquam ungeretur in regem ; at vero titulus ille, qui deest in hebræo, et ipsa versione LXX Interpretum videtur posterior, magna auctoritate non gaudet ; solum cum probabilitate quadam innuit, psalmum a Davide esse conscriptum occasione unctionis suæ secundæ, qua unctus est in Hebron, post mortem Saulis, ut regnaret in tribum Juda : septem annis antequam ibidem ungeretur ad regnandum in omnes tribus Israel.

I. *Summum in Deo protectore suo fiduciam protestatur.*
II. *Dei protectionem sibi continuari postulat.*

1. *Dominus illuminatio mea, et salus mea : quem timebo ?*
2. *Dominus protector vitæ meæ : a quo trepidabo ?*

Aspiciens propheta quomodo Deus tenebras tribulationis suæ dissipaverit, ipsumque e summis vitæ periculis liberaverit ; exclamat, sese hoc protectore munitum, nihil jam in mundo formidare. — *Illuminatio*, id est, lux in tenebris afflictionum vel ambiguitatum ; idem fere quod salus et protectio, latius tamen patens. — Altiore sensu, designat lumen æternæ vitæ a Christo allatum, de quo Joannes ait : *In ipso vita erat, et vita erat lux hominum.*

3. *Dum appropiant super me nocentes, ut edant carnes meas ;*
4. *Qui tribulant me inimici mei, ipsi infirmati sunt et ceciderunt.*
5. *Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum ;*
6. *Si exsurgat adversum me prælium, in hoc ego sperabo.*

Ut explicet quod dixit, se a Deo defendi, ostendit quomodo inimici sui, qui facile potuissent ipsum perdere, manu Dei perculsi corruerint ; — inde, ut significet se nihil timere, præ oculis ponit, non modo singulos hostes, sed integra castra, eaque in prælium adversus se solum prodeuntia : quæ tamen si adessent, ipse non timeret.

Dum appropiant super me (contra me) *nocentes*, id est, dum invadunt me improbi. — *Edere carnes*, id est, ferarum more conficere et consumere, devorare, destruere. — *Si consistant castra* : per castra et prælium intelligitur quidquid potest terrorem incutere. — *In hoc ego sperabo*, intellige, in hoc prælio sperabo me consecuturum victoriam.

7. *Unam petii a Domino, hanc requiram : ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.*
8. *Ut videam voluptatem Domini, et visitem templum ejus.*

Ex consideratione tam benignæ Dei erga se protectionis, magis magisque intelligit eam sibi esse summe desiderabilem ; eamque solam sibi sufficere, cum summum bonum contineat. Quare toto cordis affectu in domo Domini habitare concupiscit, ut nimirum plenissime fruatur protectione Dei : quam non jam vocat defensionem ab hostibus, sed *visionem voluptatis Domini*. Eadem enim Dei bonitas, quæ justum in via defendit ab hostibus, eum visione beatifica coronat in patria.

De patria enim ac de domo gloriæ Dei in his versibus sermo est, idque juxta quosdam, ipso sensu litterali. Petit enim propheta, et quidem tanquam rem unice sibi desiderabilem, ut *inhabitet omnibus diebus vitæ suæ*, id est, semper, in illa *domo Domini* de qua alibi dicit : *Beati, qui habitant in domo tua, Domine ! in sæcula sæculorum laudabunt te* (Ps. LXXXIII). — Multi tamen interpretes litteraliter agi volunt de tabernaculo, ubi erat arca Dei : quasi David optaret, ut finitis suis bellis, posset constituere Domino in Jerusalem tabernaculum vel templum, ibique assidue Dominum adire et laudare.

Dicitur *unam petii* pro *unum* : quia interpres latinus, græcum imitatus, posuit sicut in hebræo genus femininum pro neutro ; vel quia subintellexit *petitionem*.

8. *Ut videam voluptatem Domini*, id est, pulchritudinem, venustatem, decorem, gloriam ejus : quæ est voluptas seu delectatio cœlestis objectiva. Non enim proprie videmus delectationem, sed tantum pulchritudinem, ex qua nascitur delectatio. Sensus ergo est : Ut videam pulchritudinem Domini, et deinde visitem oculisque perlustrem totum illud cœleste Dei templum, et omnia quæ in eo sunt. Merito, inquit Bellarminus, superna Dei domus, in qua omnes Beati habitant, dicitur *templum*, cum in ea nihil profanum agatur, sed assidue sacrificetur hostia laudis et jubilationis.

9. *Quoniam abscondit me in tabernaculo suo : in die malorum protexit me in abscondito tabernaculi sui.*

10. *In petra exaltavit me : et nunc exaltavit caput meum super inimicos meos.*

Rationem reddit cur audeat ad visionem gloriæ Dei aspirare : ipsa nempe mira Dei erga David benignitas tantæ fiduciæ fundamentum est ; quasi brevissime diceret : Jam concessa mihi gratia pignus est concedendæ gloriæ.

Verba omnia sunt metaphorica. Dicit se ita a Domino fuisse protectum, quasi absconditus fuisset in ipsa ejus domo, quo nullus inimicus accedere potest. — Dicit se *exaltatum in petra*, id est, quasi in arce inaccessa et munitissima collocatum. — Dicit caput suum super inimicos exaltatum, ut significet plenam de inimicis victoriam.

11. *Circuivi, et immolavi in tabernaculo ejus hostiam vociferationis : cantabo, et psalmum dicam Domino.*

Ex tantæ bonitatis Dei consideratione in ardentem gratitudinis et amoris affectum erumpens, sacrificia et laudes promittit solemnes.

Illud *circuivi* juxta S. Hieronymum jungi potest cum versiculo præcedenti, et sic ex hebræo verti : *Super inimicos meos qui sunt in circuitu meo.* — Juxta Septuaginta et Vulgatam, sensus est : *Circuivi* (vel circuibo), vel *circumdabo altare tuum* (ut Ps. XXV, 6), sacras cæremonias peragendo, et immolando victimas. — *Hostiam vociferationis*, proprie *clangoris*, vocat victimam solemnem, cum multo apparatu, cum hymnis et clangore tubarum offerendam.

12. *Exaudi, Domine, vocem meam qua clamavi ad te : miserere mei, et exaudi me.*

13. *Tibi dixit cor meum, exquisivit te facies mea : faciem tuam, Domine, requiram.*
14. *Ne avertas faciem tuam a me : ne declines in ira a servo tuo.*
15. *Adjutor meus esto, ne derelinquas me : neque despicias me, Deus salutaris meus.*

Secunda pars, petitio ejusdem divinæ protectionis semper continuandæ. — Intelligit enim, sibi Dei gratiam in hac vita semper esse necessariam, semperque implorandam : idcirco, post gratiarum actionem, statim novam postulationem subjungit ; petitque instantissime, ut Dominus suæ inopiæ misereatur, ut suam benevolentiam non retrahat, nec propter defectus ac peccata servum suum derelinquat.

13. *Tibi dixit cor meum...* id est, cor meum, atque intimum animæ desiderium tibi locutum est, et *facies*, seu oculi mei, te quæsierunt ; vel etiam : cor meum tibi locutum est dicens : Quærit, te Domine, facies mea.

Facies mea, id est, facies, seu oculi animæ, mentis meæ intuitus, cupit contemplari te, ac *faciem tuam* : id est, visionem beatificam in sæculo futuro, et interim præsentiam tuam, ac benevolum conspectum tuum in præsenti ; ideo precor ne benevolam *tuam faciam a me avertas, nec dereliquas me, neque despicias me, Deus salutaris meus.*

16. *Quoniam pater meus et mater mea dereliquerunt me : Dominus autem assumpsit me.*
17. *Legem pone mihi, Domine, in via tua : et dirige me in semitam rectam propter inimicos meos.*
18. *Ne tradideris me in animas tribulantium me : quoniam insurrexerunt in me testes iniqui, et mentita est iniquitas sibi.*

Explicat cur tam instanter, simulque tam fiducialiter Dominum oret : ipse nimirum inops est, instar infantuli derelicti ; Dominus vero benignus, instar parentis amantissimi. Quapropter pergit rogare, ut, sicut puer ignorans et debilis, doceatur ac defendatur adversus omnigena hostium molimina.

Quod dicit se a parentibus derelictum, omnino videtur metaphorice intelligendum. Non enim puer erat David, ut egeret parentum auxilio ; nec legitur fuisse unquam a parentibus derelictus. Sensus igitur est : Ego sum instar infantis recens nati, quem pater et mater dereliquerunt humi jacentem et omni injuriæ expositum ; tu autem Domine, ita abjectum et desolatum, benignissime collegisti et fovisti.

18. *Ne tradideris me in animas tribulantium me* : id est, ne permittas me devinci ab inimicis, quod idem esset ac si me traderes animo hostili, voluntati atque odio eorum. Simili sensu dicitur in Evangelio : *Jesum vero tradidit voluntati eorum*. Luc. XXIII, 25.

Explicat prava inimicorum studia, subjungens, insurrexisse contra se testes iniquos, quorum *iniquitas sibi est mentita* (1) : id est , qui sua se falsitate illaquearunt : sive quia contradictionibus manifestarunt mendacia , sive quia nemini nocuerunt nisi sibimetipsis. — Hæc verba litteraliter referri possunt ad falsa testimonia quæ dicebantur adversus David ; vel forte melius, ad tentationes dæmonum sive hominum, qui falsis promissis vel minis, hominem justum ad peccatum deducere conantur, juxta illud psalmi CXVIII : *Narraverunt mihi iniqui fabulationes, sed non ut lex tua.* — *Typice*, videntur his verbis designari falsi testes, qui contra Christum Dominum producti sunt : *Et non erat conveniens testimonium illorum.* Marc. XIV, 59.

19. *Credo videre bona Domini, in terra viventium.*

Motivum affert ut liberetur a tribulantibus se : quia non obstantibus eorum mendaciis, credit in Domino, et unice aspirat ad bona a Domino promissa *in terra viventium* : quæ quidem *terra viventium*, juxta usum biblicum (2) præsentem vitam designat : potiore autem sensu significat cœlum , ubi mors locum non habet.

20. *Exspecta Dominum, viriliter age : et confortetur cor tuum, et sustine Dominum.*

Concludit, per apostrophen ad se ipsum, interim sectandam esse patientiam et constantem in Deo fiduciam ; quasi dicat : Ergo, anima mea, quia desideras habitare in domo Dei et in terra viventium ; et quoniam aliunde, ut eo pervenias, Dominus te adversus hostes juvare paratus est : noli deficere in tribulationibus, nec terrenas consolationes respicias ; sed exspecta consolatorem et adjutorem Dominum, quia *veniens veniet et non tardabit*. Habac. II, 3.

Sensus liturgicus.

Psalmus *Dominus illuminatio mea*, ponitur 1° in Parasceve et in Sabbato sancto, nec non in festo sacræ Sindonis Domini ; 2° in officio Defunctorum.

(1) Hæc verba Vulgatæ satis consonant cum versione S. Hieronymi : *Testes falsi et apertum mendacium* ; minus vero cum textu massoretico, qui sic vertitur : *Testes falsi et* homo *spirans injuriam.*

(2) Ps. LI, 7 ; Isai. XXXVIII, 11 etc.

1° In officiis de passione Domini, psalmus juxta mentem Ecclesiæ est velut carmen funebre Christi ; seu vox Christi sindone involuti et in sepulcro depositi, donec tertia die gloriose resurgat.

Dominus, inquit, illuminatio mea est in tenebris sepulcri, salus est ac resurrectio mea ; Dominus in ipsa morte protector est vitæ meæ. Quos ergo hostes timebo ?... In acerrimo enim prælio, in tormentis et cruce, Dominus spes mea est et dator victoriæ : *In hoc sperabo.*

Ecce unice et simpliciter quæsivi Deum, et domum ac templum ejus ; ideoque me singulariter protexit in ipso sepulcro, velut in intimo suo tabernaculo : unde mox *exaltabit caput meum super inimicos meos.*

Quapropter sacrificia et hostias laudis ipsi offeram in æternum : *Cantabo, et psalmum dicam Domino.*

Obsecro itaque, Domine, ut hoc opus misericordiæ tuæ perficias ; ut me , quem velut puerum derelictum paternis ulnis suscepisti, custodias, et per mirabiles vias mortis perducas ad resurrectionem novæ vitæ ; atque hoc modo confundas inimicos meos, non tantum Judæos, sed diabolum, peccatum ac mortem : suo velut molimine obrutos, meaque morte destructos.

Hanc mihi gloriosam vitam promisisti, hanc exspecto : *Credo videre bona Domini in terra viventium* ; hanc, inquam, exspecto sicut dictum est mihi : *Exspecta Dominum, viriliter age : et confortetur cor tuum, et sustine Dominum.*

2° In officio Defunctorum , Ecclesia personam gerit animæ, in Purgatorio velut sepultæ, et inde resurrectionem ad gloriam exspectantis ac petentis. Quoniam Dominus est certa illuminatio ejus, non timet in tenebroso carcere, sed sperat. Sperat autem et requirit ardenter ingressum in domum Dei : *Ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.*

In ipso Purgatorio eam custodit Dominus, tanquam in secreto tabernaculo suo ; eamque inde mox educet triumphantem, ut misericordias Domini celebret in æternum.

Ideo rogat Dominum, ut quamprimum opus istud misericordiæ consummet ; et quoniam dignatus est eam in prolem suam adoptare , eam paterne custodiat, ac perducat ad plenitudinem vitæ.

Hanc sibi promissam firmiter sperat et exspectat : *Credo videre bona Domini in terra viventium.*

Qua in spe animam sanctam confirmat Ecclesia, eam materna sua voce compellans, et dicens : *Exspecta Dominum , viriliter age ; et confortetur cor tuum et sustine Dominum.*

—

PSALMUS XXX, 1-6.

In te Domine speravi.

1. In te Domine speravi, non confundar in æternum : in justitia tua libera me.	1. In te, Domine, spem constitui : non confundar in æternum. Ergo nunc secundum justitiam tuam libera me.
2. Inclina ad me aurem tuam : accelera ut eruas me.	2. Inclina ad me aurem tuam, accelera ut a rebellibus pressum eruas me.
3. Esto mihi in Deum protectorem : et in domum refugii, ut salvum me facias.	3. E domo mea ejecto exhibe te mihi Deum protectorem, et domum refugii, ut salvum ac incolumem me facias.
4. Quoniam fortitudo mea et refugium meum es tu : et propter nomen tuum deduces me et enutries me.	4. Quoniam fortitudo mea et refugium meum es tu solus mihi, expulso ac derelicto ; et, ut certus sum, propter gloriam nominis tui deduces me et enutries me.
5. Educes me de laqueo hoc, quem absconderunt mihi : quoniam tu es protector meus.	5. Educes me de laqueo hoc, quem absconderunt mihi conspiratores ; quoniam tu es protector meus.
6. In manus tuas commendo spiritum meum : redemisti me Domine, Deus veritatis.	6. In manus ergo tuas commendo vitam meam : liberasti enim me semper secundum promissa tua, Domine, Deus verax.

—

Explicatio prima.

Argumentum. — Psalmus iste, cujus pars duntaxat hic proponitur (1), est oratio Davidis persecutionibus obnoxii, ut se Dei præsidio committat. — Ad persecutionem autem Absalonis res pertinere videtur : ita ut David Absalonem fugiens, hac oratione vitam suam Deo commendet, summamque Dei misericordiam imploret, ea fiducia quam manifestabat Sadoc sacerdoti dicens : *Reporta arcam Dei in urbem : si invenero gratiam in oculis Domini, reducet me, et ostendet mihi eam, et tabernaculum suum.* II Reg. XV, 25.

Mystice vox Christi est, a Judæis persecutionem patientis, cujus David injuste oppressus typum gessit. — Est etiam vox fidelium sese Deo in mœrore committentium.

I. *Motiva, ut exaudiatur petitio ejus.*
II. *Petitionis objecta.*

(1) Illa nimirum quæ ad Completorium recitatur.

1. *In te Domine speravi, non confundar in æternum : in justitia tua libera me.*

Duo imprimis motiva profert ut a Deo exaudiatur : spem suam omnimodam, et justitiam Dei. *In te, Domine*, inquit, *speravi.... in justitia tua*, id est, pro tua æquitate, secundum vel propter justitiam, qua tu justus es, et ades inique oppressis, *libera me.*

2. *Inclina ad me aurem tuam : accelera ut eruas me.*
3. *Esto mihi in Deum protectorem : et in domum refugii ut salvum me facias.*
4. *Quoniam fortitudo mea et refugium meum es tu : et propter nomen tuum deduces me et enutries me.*

Secunda pars. Incipit exponere petitionis objecta : vel, si melius placet, modum quo cupit a Deo defendi ac liberari.

Accelera, inquit, *ut eruas me* : id est, celeriter me ab angustiis eripe.

Esto mihi in Deum protectorem et in domum refugii, ut salvum me facias ; hebraice ad verbum legitur : *Esto mihi in petram fortissimam et in domum munitissimam, ad salvandum me.* — Ratio additur : *Quoniam fortitudo mea et refugium meum es tu ;* hebraice : *Quoniam saxum meum et propugnaculum meum tu es.* Metaphoræ sunt, ut patet, a munimentis bellicis ductæ, et nominatim ab arce, in rupibus inaccessis constituta. — Dicuntur autem hæc omnia ad rem propositam aptissime : cum David fugeret per campestria deserta, ubi nulla erat arx, in quam se recipere posset.

Optime quoque respondet historiæ quod sequitur : *Et propter nomen tuum deduces me et enutries me ;* David enim ob repentinam fugam, neque quo iturus esset sciebat, neque unde alimenta conquireret (II Reg. XVI, 1). Sensus autem est quasi diceret : Propter gloriam nominis tui, deduces me ad locum tutum, et necessarios cibos mihi providebis.

5. *Educes me de laqueo hoc, quem absconderunt mihi : quoniam tu es protector meus.*

Sensus est : Imo insuper liberabis me ab insidiis, quas velut laqueum absconditum tetenderunt mihi. — His alludere videtur ad conspirationem Absalonis cum Achitophel in Hebron (II Reg. XV, 12). — Quamvis autem summa fiducia dicat, fore ut ab hostium laqueis liberetur ; tamen, quia de vita nondum certus est, addit :

6. *In manus tuas commendo spiritum meum : redemisti me, Domine Deus veritatis.*

Sensus est : Curæ tuæ committo vitam meam ; quoniam tu sæpe alias liberasti me de morte, o Deus fidelissime. — Vox *spiritus* hic significat *animam*, spiritualem hominis substantiam, quæ moriente homine superstes manet, quamque Christus moriens Patri commendabat dicens : *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum* ; quibus verbis Dominus sensum vocis *spiritus* in hoc psalmo declaravit. — In ore autem Davidis *spiritus*, seu spiritualis substantia, sumitur pro *vita*, metaphorice, nempe tanquam causa pro effectu.

Primam partem hujus versiculi Christus Dominus in cruce protulit ; unde merito concluditur, psalmum totum, in sensu saltem mystico, ad Christum spectare. Dico *saltem* in sensu mystico : quia non desunt interpretes, qui sensu etiam litterali carmen istud de Christo intelligunt.

—

Explicatio secunda.

Mystice spectatus, psalmus oratio Christi est, Judæorum potestati absque ullo humano auxilio derelicti, et jamjam in crucis patibulo morituri. — Sensu consequenti, est oratio cujusvis Christi discipuli, Ecclesiæ membri, in quovis periculo vitæ, sive corporalis, sive præsertim spiritualis constituti. Quo fere sensu ad Completorium recitatur.

Christus itaque hoc psalmo exhibetur in sua passione positus, ex parte hominum desperatus, sed firmissima fiducia sperans in Deo Patre suo, et dicens : *In te, Domine, speravi, non confundar in æternum.* Tu, justitiæ amator et vindex, adjuva me, ut in me justitiæ causa triumphet.

Esto mihi in Deum protectorem, et divino robore me communias : non quidem ut arceatur a me passionis atque crucis tormentum, sed ut constanter illud sustinendo devincam. Quapropter patientiam meam, mansuetudinem, pacem, atque erga persecutores charitatem, divina tua protectione velut arce inexpugnabili custodi ; meque in via dolorosa usque ad finem deducere, et lassum cibo fortitudinis tuæ enutrire digneris : *Propter nomen tuum deduces me et enutries me.*

Non frustra te, protector Deus, appello : scio enim fore, ut non tantum deducas me usque ad beatum terminum in cruce ; sed etiam ut ex ipso laqueo mortis educas me suscitando a mortuis : *Educes me de laqueo hoc, quem absconderunt mihi...*

Quare confidenter, *in manus tuas commendo spiritum meum* : hunc enim spiritum meum in resurrectione gloriosa, ab omni

tribulatione liberatum, mihi restitues, o Deus fidelissime, secundum promissiones tuas : *Redemisti me, Domine, Deus veritatis.*

Sensus liturgicus.

Psalmus iste secundo loco ponitur ad Completorium (1). Quoniam autem Completorium recitari censetur ad solis occasum, *lucis ante terminum*, et ultima diei hora, ideo orationem vespertinam fidelium, ad decubitum nempe præviam, sanctamque præparationem ad mortem continet : quod ex omnibus precibus, antiphonis et psalmis palam fit, præsertim a benedictione initiali : *Noctem quietam et finem perfectum concedat nobis Dominus omnipotens.*

In psalmo : *In te, Domine, speravi...* ex Ecclesiæ mente, anima Deo devota, totamque spem suam in Deo constituens, petit protectionem ab inimicis, in hora mortis præsertim insidiantibus; et gratiam bonæ mortis, quæ morti Christi sit simillima : *In manus tuas, commendo spiritum meum.*

—

PSALMUS XXXII.

Exultate, justi, in Domino.

1. Exultate, justi, in Domino : rectos decet collaudatio.

2. Confitemini Domino in cithara : in psalterio decem chordarum psallite illi.

3. Cantate ei canticum novum : bene psallite ei in vociferatione.

4. Quia rectum est verbum Domini : et omnia opera ejus in fide.

5. Diligit misericordiam et judicium : misericordia Domini plena est terra.

6. Verbo Domini cœli firmati sunt : et spiritu oris ejus omnis virtus eorum.

1. Exultate in Domino, vos justi : rectos præcipue decet collaudare Deum.

2. Laudes Domini cantate ad citharam : ad psalterium decem chordarum psallite illi.

3. Cantate ei canticum novum : digne psallite ei cum concentu musico.

4. Quia sanctum est verbum Domini : et omnia opera ejus sunt fidelia et verbis conformia.

5. Nam diligit misericordiam et justitiam : tamen velut abundantiore misericordia plena est terra.

6. Verbo Domini cœli firmati sunt : et spiritu oris ejus omnis acies eorum est ordinata.

(1) Primo loco ponitur Ps. IV. *Cum invocarem*, vide supra, pag. 88.

7. Congregans sicut in utre aquas maris, ponens in thesauris abyssos.

7. Congregavit velut in utre aquas maris : et posuit in cavernis terræ, velut in thesauris, aquas immensas.

8. Timeat Dominum omnis terra : ab eo autem commoveantur omnes inhabitantes orbem.

8. Timeat igitur Dominum omnis terra : ab eoque moveantur salutari timore omnes inhabitantes orbem :

9. Quoniam ipse dixit, et facta sunt : ipse mandavit, et creata sunt.

9. Quoniam ipse dixit et facta sunt : ipse mandavit, et creata sunt.

10. Dominus dissipat consilia gentium : reprobat autem cogitationes populorum, et reprobat consilia principum.

10. Dominus præterea sapientia sua dissipat consilia gentium : irritasque reddit cogitationes populorum et consilia principum.

11. Consilium autem Domini in æternum manet : cogitationes cordis ejus in generatione et generationem.

11. Consilium autem Domini in æternum manet : cogitationes cordis ejus implentur in generationem et generationem.

12. Beata gens cujus est Dominus Deus ejus : populus quem elegit in hæreditatem sibi.

12. Unde beata gens, cujus Deus est Dominus ille tam bonus, tam potens, tamque sapiens : beatus populus quem elegit ipse in hæreditatem sibi. Nam,

13. De cœlo respexit Dominus : vidit omnes filios hominum.

13. De cœlo respexit Dominus : vidit omnes filios hominum.

14. De præparato habitaculo suo respexit super omnes qui habitant terram.

14. De præparato illic habitaculo suo respexit super omnes qui habitant terram ;

15. Qui finxit sigillatim corda eorum : qui intelligit omnia opera eorum.

15. Ipse, qui creavit singillatim corda et animas eorum : qui intelligit omnia opera eorum.

16. Non salvatur rex per multam virtutem : et gigas non salvabitur in multitudine virtutis suæ.

16. Sine ipso non salvatur rex per vim exercituum aut divitiarum : nec gigas salvatur magnitudine roboris sui proprii.

17. Fallax equus ad salutem : in abundantia autem virtutis suæ non salvabitur.

17. Fallax est equus ad salutem : nequaquam præstantia velocitatis suæ cum equite suo salvabitur.

18. Ecce oculi Domini super metuentes eum : et in eis qui sperant super misericordia ejus.

18. Salvabitur autem justus. Nam oculi Domini provide intenti sunt super metuentes eum : et fixi in eis, qui sperant super misericodiam ejus.

19. Ut eruat a morte animas eorum : et alat eos in fame.	19. Ut eruat a morte animas eorum : et alat eos in fame.
20. Anima nostra sustinet Dominum : quoniam adjutor et protector noster est.	20. Ideo ipsi aiunt : Anima nostra exspectat Dominum auxiliatorem : quoniam ipse adjutor et protector noster est.
21. Quia in eo lætabitur cor nostrum : et in nomine sancto ejus speravimus.	21. Et in eo lætabitur cor nostrum : quia in nomine sancto ejus sperabimus semper, dicentes :
22. Fiat misericordia tua, Domine , super nos : quemadmodum speravimus in te.	22. Fiat misericordia tua, Domine, super nos : quemadmodum speravimus in te.

—

Explicatio.

Argumentum est exhortatio ad justos homines, ut Deum laudent ob varia ejus attributa, et ab ipso accepta beneficia.

I. *Quomodo Deus a justis laudandus sit.*
II. *Quas ob rationes sit laudandus.*

—

1. *Exultate, justi, in Domino ; rectos decet collaudatio.*

Justos potissimum invitat ad laudandum Deum, quia, inquit, ipsos *decet*, quia ipsis potissimum convenit Dominum collaudare. Ratio autem hujus convenientiæ est, tum quia non est speciosa laus in ore peccatoris ; tum quia Dei excellentia a justis potissimum cognoscitur , ac proin celebrari potest. *Exultate in Domino* : id est, laudate Dominum cum exultatione, magnoque cordis affectu.

2. *Confitemini Domino in cithara : in psalterio decem chordarum psallite illi.*

3. *Cantate ei canticum novum : bene psallite ei in vociferatione.*

Modum laudandi declarat, dicendo, non solum voce utendum esse, sed etiam instrumentis musicis ; seu, *mystice*, non solum verbis sed etiam operibus Deum esse laudandum. — Cithara symbolum est charitatis ; psalterium decem chordarum , symbolum observationis decem mandatorum.

Addit autem, 3. *Cantate ei canticum novum, bene psallite ei in vociferatione* : quo significat utrumque , cantum nempe et sonum instrumentorum esse conjungendum ; idque accurate

ac diligenter, ut suavis et harmonicus concentus fiat. — *Canticum novum*, id est, singulare, exquisitum minimeque vulgare ; sensu autem altiore, canticum Redemptionis, seu novæ Legis. — *Psallite bene*, id est, concinne, cum modulatione et harmonia ; *in vociferatione*, id est, magno cum sonitu, quo magnitudo affectus significetur. *Vociferatio* enim non ad voces humanas sed ad voces instrumentorum refertur. — Sensu spirituali, ut patet, fervor devotionis significatur.

4. *Quia rectum est verbum Domini : et omnia opera ejus in fide.*

5. *Diligit misericordiam et judicium : misericordia Domini plena est terra.*

Secunda pars : rationes explicat cur Deus sit tanto affectu laudandus ; easque desumit a bonitate, potentia et sapientia Dei. — De bonitate Dei imprimis loquens, dicit, omnia ejus verba ejusque opera esse sanctissima adeoque optima : *Quia rectum est, verbum Domini, et omnia opera ejus fide.*

Verbum Domini intelligitur, id omne quod ad nos locutus est, præcipue vero mandata ejus, una cum adjunctis præmiis ac pœnis.

Porro verbum Domini dicit esse *rectum*, id est, verum et justum, seu, quod idem est, undequaque sanctum. Intelligit enim verbum Domini esse rectum simpliciter, nempe secundum rectitudinem intellectus et rectitudinem voluntatis. — Quod addit, *omnia opera ejus in fide* : id est, fidelia sunt ejus opera, seu, verbis ejus conformia, adeoque similiter sancta, perfecta et optima ; quo sensu alibi dicitur Deus *sanctus in omnibus operibus suis.*

5. *Diligit misericordiam et judicium....* Sanctitatem Domini distinctius declarat, vocando eam *amorem misericordiæ et judicii* ; seu amorem beneficentiæ erga bonos, justitiæ et ultionis erga impios ; quasi diceret, a Deo non procedere nisi misericordiam, dummodo homines per peccata sua obstaculum non ponant. Prævalet enim in corde Dei misericordia, ita ut hæc in effectibus latius pateat quam justitia. Quod quidem significatur sequentibus verbis : *Misericordia Domini plena est terra* : omnes scilicet creaturæ, præsertim vero homines, indigent et replentur beneficiis Dei.

6. *Verbo Domini cœli firmati sunt : et spiritu oris ejus omnis virtus eorum.*

7. *Congregans sicut in utre aquas maris : ponnes in thesauris abyssos.*

8. *Timeat Dominum omnis terra : ab eo autem commoveantur omnes inhabitantes orbem.*

9. *Quoniam ipse dixit, et facta sunt : ipse mandavit et creata sunt.*

A bonitate Dei transit ad ejus potentiam, cujus primarius et maxime conspicuus effectus est fabrica cœli. *Cœli* inquit, *firmati sunt*, id est, facti sunt, et quidem æternum stabiles. Facti autem sunt summa facilitate, solo *verbo Domini*; et similiter *omnis virtus*, id est, ornatus eorum seu exercitus stellarum, facta est *spiritu oris ejus* : i. e. voce ac mandato ejus. — Præter sensum hunc litteralem, admittendus est sensus spiritualis, quo Patres unanimiter tenent, hoc loco mysterium Sanctissimæ Trinitatis indicari : eo quod insinuetur, Deum Patrem per Verbum Filium cœlos fecisse, et per Spiritum sanctum stellas. Hæc tamen operationum distinctio intelligenda est sensu attributionis : nam propter unitatem essentiæ, indivisa sunt externa opera Trinitatis.

7. *Congregans sicut in utre aquas maris*... Aliud argumentum divinæ potentiæ : aquas immensas initio terram undique cooperientes, coegit Deus in loca inferiora et profundiora terræ eadem facilitate, qua implet homo utrem unum aqua, vel recondit pecunias in arca : *Ponens in thesauris abyssos*. — Sunt autem *abyssi* multitudo et profunditas aquarum; ut patet ex Gen. I, 2 : *Et tenebræ erant super faciem abyssi.* Vocantur *thesauri*, maris locus et receptaculum.

Ex iis quæ de potentia Dei dixit occasione accepta, David hortatur homines ut Deum timeant, ejusque mandata prævaricari formident : cum secus omnipotentes manus ejus effugere non possent. *Timeat Dominum omnis terra : ab eo autem commoveantur omnes inhabitantes orbem* : nempe moveantur tremore ab eo, aliquid mandante vel prohibente. — *Quoniam ipse dixit, et facta sunt, ipse mandavit et creata sunt* : et consequenter, sicut omnia ejus nutu ac verbo sunt facta, ita omnia ejus dominio et obedientiæ subjacent ; ita quoque ab ejus omnipotenti manu omnia dependent, ejusque nutu omnia in nihilum remitti possunt.

10. *Dominus dissipat consilia gentium : reprobat autem cogitationes populorum, et reprobat consilia principum.*

11. *Consilium autem Domini in æternum manet : cogitationes cordis ejus in generatione et generationem.*

Devenit ad laudem divinæ sapientiæ, quam illustrat oppo-

nendo sapientiæ ac prudentiæ humanæ. Quidquid enim homines consultando deliberant, quamvis consilia eorum sapientissima et prudentissima videantur, Deus illud multis ex partibus mancum esse videt, et in momento dissolvere atque irritum facere, *dissipare* potest : *Dissipat consilia gentium.* — *Reprobatque* populorum *cogitationes* ac deliberationes, puta tanquam inutiles vel insipientes.

E contra, humana prudentia nihil omnino potest adversus consilia Dei ; quæque Deus cogitavit facere, nullo tempore impedientur, sed fient ; et quidem eo prorsus modo, quo ipse fieri voluit : *Consilium autem Domini in æternum manet...*

12. *Beata gens cujus est Dominus Deus ejus : populus quem elegit in hæreditatem sibi.*

Conclusio sponte fluens ex præcedentibus : Beati sane, iique soli beati, qui Dominum hunc tam bonum, tam potentem, tamque sapientem pro Deo habent ; quique vicissim ab ipso tanquam filii ac populus proprius gubernantur. — Populum Israel hic, ut patet, propheta respicit : cujus beatitudinem ut clarius demonstret, ostendit quomodo Dominus de summo cœlo populum suum præ cæteris gentibus consideret, attentus et paratus ut necessitatibus ejus opituletur.

13. *De cœlo respexit Dominus : vidit omnes filios hominum.*

14. *De præparato habitaculo suo respexit, super omnes qui habitant terram.*

Cœlum vocat *præparatum habitaculum* Dei, quia domus propria Dei est ac sedes, quam sibi ipse paravit ac stabilivit. — Repetitio illa, *respexit*, *vidit omnes*, *respexit super omnes*, attentionem Providentiæ enixius significat.

15. *Qui finxit sigillatim corda eorum : qui intelligit omnia opera eorum.*

16. *Non salvatur rex per multam virtutem : et gigas non salvabitur in multitudine virtutis suæ.*

17. *Fallax equus ad salutem : in abundantia autem virtutis suæ non salvabitur.*

Respicit itaque Deus universos homines, oculo penetrante renes et corda, atque intelligente infirmitatem omnium, etiam potentissimorum. — *Qui finxit sigillatim corda eorum* : id est, qui creavit animas singulorum hominum, nempe mentes et voluntates, quas Hebræi *corda* vocare solent, metonymice : eo

quod cor præcipuum est animæ organum. Hinc additur : *Qui intelligit omnia opera eorum* ; a corde enim omnia opera procedunt ; et qui corda creavit, ille profecto etiam corda scrutatur. — His propheta significat, Deum non videre homines modo confuso ; sed ita , ut distincte omnia opera , intentiones, cogitationes, viresque eorum habeat perspectas.

Videt proinde , vires humanas omnes , nisi ipse divina manu adjuvet, nihil valere omnino : 16. *Non salvatur rex per multam virtutem* (per multam potentiam , per magnum exercitum) : *et gigas non salvabitur in multitudine virtutis* (roboris) *suæ.* 17. *Fallax equus ad salutem...* Dicitur equus *fallax* : quia fallet spem equitis, quocum non effugiet periculum , quantumvis abundet *virtute* equina, quæ potissimum in velocitate consistit : *In abundantia autem virtutis suæ non salvabitur.*

De salute quidem corporali hæc dicuntur ; multo tamen magis de salute spirituali sunt intelligenda : ad quam obtinendam nemo sufficiens est , sine præveniente , concomitante , et subsequente gratia Dei.

18. *Ecce oculi Domini super metuentes eum : et in eis qui sperant super misericordia ejus.*

19. *Ut eruat a morte animas eorum : et alat eos in fame.*

Hæc velut conclusio est explicationis, qua propheta declarare voluit, beatam esse gentem cujus Deus est Dominus Jehova. Respicit, inquit, omnium hominum indigentiam et miseriam, solis autem justis opitulatur. *Ecce oculi Domini super metuentes eum...* Scilicet oculos suos, peculiarem nempe attentionem , curam et benevolentiam in justos dirigit : tum ut a mortis periculo liberentur ; tum ut commode sustententur in vita. Quæ *vita* sensu quidem corporali, præsertim vero spirituali intelligenda est.

20. *Anima nostra sustinet Dominum : quoniam adjutor et protector noster est.*

21. *Quia* (id est *et*) *in eo lætabitur cor nostrum : et* (id est *quia*) *in nomine sancto ejus speravimus.*

Responsio justorum, qui exhortationibus prophetæ inflammati, exclamant : se tanta Dei bonitate confirmatos constanter in ejus timore permansuros esse, et quidem cum gaudio sanctæ spei.

Anima, inquiunt, *nostra sustinet Dominum* : id est, exspectabimus patienter Domini auxilium ; nec propter tribulationem quam permittet, ab eo deficiemus.

In versu 21, *quia* ponitur pro particula conjunctiva *et*; particula vero *et* pro *quia* : ita ut enuntietur gaudium illud sanctum, fundatum in spe suavissima, de quo Paulus : *Domino servientes, spe gaudentes* (Rom. XII, 12). Sperare se dicunt *in nomine sancto ejus* : id est, in invocatione nominis ejus, vel in virtute et efficacia Domini. Vocant nomen Domini *Sanctum*, summa reverentia, quia dignum est ut ab omnibus sancte honoretur : *Sanctificetur nomen tuum.*

22. *Fiat misericordia tua, Domine, super nos : quemadmodum speravimus in te.*

Oratio hæc, qua psalmus apte concluditur, illum omnino sensum spirat, quem propheta in anima producere et fovere conatus est : sensum omnimodæ in solo Deo fiduciæ. — *Fiat misericordia tua, Domine, super nos...* id est, semper exerceatur illa tua misericordia erga nos, qui semper indigemus, semperque sperabimus in te. Illud *quemadmodum speravimus*, proprie significat : Ita nos semper adjuva, sicut de tua bonitate futurum speravimus et sperabimus semper. Quibus verbis insinuare videtur Spiritus sanctus, Deum in effusione suæ misericordiæ proportionem servare nostræ fiduciæ.

Sensus liturgicus.

Hoc psalmo, quem in honorem SS. Martyrum recitare consuevit, Ecclesia celebrat providentiam Dei sanctissimam ac misericordissimam erga omnes justos : quos in ipsis adversitatibus nequaquam derelinquit ; imo custodit benignius, ut hujusmodi probationibus magis purificatos servos suos gloriosius coronet. *Exultate justi in Domino... Dominus dissipat consilia gentium... Ecce oculi Domini super metuentes eum, ut eruat a morte animas eorum et alat eos in fame. Anima nostra sustinet Dominum, quoniam adjutor et protector noster est.*

PSALMUS XXXIII.

Benedicam Dominum in omni tempore.

1. Benedicam Dominum in omni tempore : semper laus ejus in ore meo.

2. In Domino laudabitur anima mea : audiant mansueti, et lætentur.

1. Benedicam Dominum omni tempore vitæ meæ : semper laus ejus erit in ore meo.

2. Anima mea gloriabitur et lætabitur in Domino ejusque benignitate : hanc audiant humiles Dei servi, et lætentur.

3. Magnificate Dominum mecum : et exaltemus nomen ejus in idipsum.

3. O justi, magnificate Dominum mecum, et exaltemus nomen ejus omnes pariter.

4. Exquisivi Dominum, et exaudivit me : et ex omnibus tribulationibus meis eripuit me.

4. Etenim in tribulationibus constitutus, ego exquisivi Dominum, et exaudivit me : et ex omnibus tribulationibus meis eripuit me.

5. Accedite ad eum (1), et illuminamini : et facies vestræ non confundentur.

5. Accedite ergo et vos ad eum, et illuminabimini favorabili vultu ejus : et facies vestræ non confundentur.

6. Iste pauper clamavit, et Dominus exaudivit eum : et de omnibus tribulationibus ejus salvavit eum.

6. Iste David, pauper et omni ope destitutus, clamavit ad Dominum, et Dominus exaudivit eum : et de omnibus tribulationibus ejus salvavit eum.

7. Immittet (2) angelus Domini in circuitu timentium eum : et eripiet eos.

7. Advolabit angelus Domini in protectionem timentium eum : et liberabit eos.

8. Gustate, et videte quoniam suavis est Dominus : beatus vir qui sperat in eo.

8. Experimini igitur, et cognoscetis quoniam benignus est Dominus : ac proinde beatus est vir qui sperat in eo.

9. Timete Dominum, omnes sancti ejus : quoniam non est inopia timentibus eum.

9. Timete et magis magisque colite Dominum omnes servi ejus : quoniam non est inopia timentibus eum.

10. Divites (3) eguerunt et esurierunt : inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono.

10. Divites quidem non quærentes Deum eguerunt et esurierunt : inquirentes autem Dominum non carebunt ullo bono.

11. Venite, filii, audite me : timorem Domini docebo vos.

11. Venite igitur filii, audite me : timorem Domini docebo vos.

12. Quis est homo qui vult vitam ? diligit dies videre bonos ?

12. Quis est homo qui vere vult vitam, et exoptat dies videre bonos ?

13. Prohibe linguam tuam a malo : et labia tua ne loquantur dolum.

13. Ut id consequaris, o homo, time Dominum : scilicet, prohibe linguam tuam a malo, et labia tua ne loquantur dolum.

14. Diverte a malo, et fac bonum : inquire pacem, et persequere eam.

14. Diverte ab opere malo, et fac bonum : quære pacem, omnique studio eam persequere. Sic dies videbis bonos ; nam,

(1) Juxta hebræum : *Aspicite in eum.*
(2) In hebr., *castra ponet.*
(3) Hebraice : *Leones egent et esuriunt.*

15. Oculi Domini super justos : et aures ejus in preces eorum ;

15. Oculi Domini semper intenti sunt super justos, et aures ejus in preces eorum apertæ.

16. Vultus autem Domini super facientes mala : ut perdat de terra memoriam eorum.

16. Ira autem Domini imminet facientibus mala : ut eos puniat, et perdat de terra memoriam eorum. — Sic olim

17. Clamaverunt justi, et Dominus exaudivit eos : et ex omnibus tribulationibus eorum liberavit eos.

17. Clamaverunt justi ad Dominum, et Dominus exaudivit eos : et ex omnibus tribulationibus eorum liberavit eos. Nam

18. Juxta est Dominus iis qui tribulato sunt corde : et humiles spiritu salvabit.

18. Juxta, seu prope est Dominus iis justis, qui afflicti sunt corde : et oppressos angustiis liberabit.

19. Multæ tribulationes justorum : et de omnibus his liberabit eos Dominus.

19. Etenim multæ quidem sunt tribulationes justorum : sed de omnibus his, liberabit eos Dominus.

20. Custodit Dominus omnia ossa eorum : unum ex his non conteretur.

20. Etiam si permiserit eorum corpora occidi Dominus, custodiet omnia ossa eorum : unum ex his non conteretur, neque peribit.

21. Mors peccatorum pessima (1) : et qui oderunt justum, delinquent.

21. E contra, mors peccatorum pessima est : et qui oderunt justum deficient omni felicitate et spe.

22. Redimet Dominus animas servorum suorum : et non delinquent omnes qui sperant in eo.

22. Redimet autem Dominus per Christi merita animas servorum suorum ab omni morte : et non excident a sperata beatitudine quicumque confidunt in eo.

—

Explicatio.

Argumentum psalmi, ut ex titulo (2) eruitur, est gratiarum actio Davidis ob liberationem a gravissimo periculo, quod incurrit apud Achis regem Geth, Philistinorum, et ex quo non evasit nisi simulando insaniam (I Reg. XXI, 13). Intelligebat enim vir pius, suam illam industriam simulatæ stultitiæ, parum fuisse profuturam sine adjutorio et favore divino. Pro hoc itaque insigni beneficio gratias Deo agit Psalmista, eademque occasione exhortatur omnes ad Deum laudandum, amandum, et fideli obedientia colendum.

(1) In hebræo : *Inficiet impium malitia sua.*
(2) Psalmi titulus est : *David, cum immutavit vultum suum coram Abimelech* (quo nomine designatur Achis rex), *et dimisit eum, et abiit.*

I. *Laus Deo et gratiarum actio.*
II. *Laudis motivum : Dei erga pios bonitas.*
III. *Hortatio ad pietatem et timorem Domini.*

—

1. *Benedicam Dominum in omni tempore : semper laus ejus in ore meo.*

Incipit magno affectu gratias agere, quasi diceret : Nullo unquam tempore obliviscar beneficium hodiernum ; sed pro eo Dominum laudabo *omni tempore,* id est, quamdiu vixero. Et idipsum repetens, *semper*, inquit, *laus ejus in ore meo* erit. — Illud *semper*, *omni tempore,* spiritualiter intellectum significat, justos omni tempore, tam adverso quam prospero, Deum constanti pietate laudare.

2. *In Domino laudabitur anima mea : audiant mansueti, et lætentur.*
3. *Magnificate Dominum mecum : et exaltemus nomen ejus in idipsum.*

Aliis verbis enuntiat Dei laudem suamque gratitudinem. *In Domino*, inquit, *laudabitur anima mea* : id est, laudabit se, gloriabitur adeoque lætabitur anima mea in Domini benignitate et clementia. — Hanc autem Dei benignitatem incipit enarrare hominibus piis, eos simul invitando ad Deum laudandum.

Audiant, inquit, *mansueti et lætentur* : id est, homines mites, patientes, humiles, Deumque timentes, audiant quomodo Dominus me de manibus Achis liberaverit ; et lætentur Dominoque benedicant.

Hinc ipsos mansuetos directe alloquendo hortatur, ut secum unanimiter Dominum glorificent : *Magnificate Dominum mecum, et exaltemus nomen ejus in idipsum.* — Illud *magnificare* est proprie *magnum confiteri Dominum* ; — *in idipsum*, id est pariter, conjunctim.

4. *Exquisivi Dominum, et exaudivit me : et ex omnibus tribulationibus meis eripuit me.*

Incipit *secunda pars,* explicatio motivi, cur Dominus omni tempore sit laudandus : quia nimirum liberator est in omni tribulatione, et adjutor in quavis inopia, omnibus ad ipsum pie confugientibus.

Hæc autem variis modis enuntiat ; et imprimis ait se hujusmodi bonitatem Domini esse expertum : *Exquisivi* , inquit , *Dominum* : id est, quando angustiis premebar, sive in domo Saulis, sive in Nobe, sive in domo Achis Philistæi, ad Dominum

confugi, ejus auxilium quæsivi : *Et exaudivit me, et ex omnibus tribulationibus*, angustiis ac periculis meis benignissima providentia sua *eripuit me.*

5. *Accedite ad eum, et illuminamini : et facies vestræ non confundentur.*

6. *Iste pauper clamavit, et Dominus exaudivit eum : et de omnibus tribulationibus ejus salvavit eum.*

7. *Immittet angelus Domini in circuitu timentium eum : et eripiet eos.*

Uberius explicat, quantam experiantur Dei bonitatem quicumque eum invocant. Jamque assumens formam hortatoriam : *Accedite*, inquit, *ad eum* (seu, *aspicite in eum*), per fidem nempe et orationem ; *et illuminamini*, id est percipietis lumen favorabilis vultus ejus, lumen consolationis et lætitiæ. — Sensu altiore, *accessio ad Deum* est conversio seu pœnitentia peccatoris ; et *illuminatio*, est gratia sanctificans. — Quod addit : *Et facies vestræ non confundentur*, id est, accedite securi, non patiemini confusionem repulsæ. Dicta confirmat exemplo suo :

6. *Iste pauper clamavit, et Dominus exaudivit eum...* Semetipsum scilicet in tertia persona designat nomine pauperis, quia ita fuit omni ope destitutus, ut ab Achimelech sacerdote panem mendicare et arma debuerit. — Addit autem :

7. *Immittet angelus Domini in circuitu timentium eum, et eripiet eos.* Sensus est : Angelus immittet *sese*, constituet se circa justum tanquam exercitus circa regem suum, ut eum defendat. — In hebræo ad verbum legimus, *castrametatur angelus* : quod innuit, unum angelum integri exercitus vices supplere. — Ut patet, his propheta explicat superiora, declarans, sicut ipse adjutus est, ita omnes pios adjutum iri. — Dein pergit in exhortatione subjungens :

8. *Gustate, et videte quoniam suavis est Dominus : beatus vir qui sperat in eo.*

Sensus est : Experimini, et per vos ipsos cognoscetis ; ad Dominum accedite, per fidem, per invocationem, omnemque pietatem, et sentietis quam jucundus ac beneficus sit omnibus adhærentibus sibi.

9. *Timete Dominum, omnes sancti ejus : quoniam non est inopia timentibus eum.*

10. *Divites eguerunt et esurierunt : inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono.*

Aliis verbis Dei benignitatem explicat, forma semper hortatoria utendo. *Timete*, inquit, *Dominum*.... id est : O servi Domini, magis magisque inhærete mandatis ejus omnique pietati ; sic enim non tantum ab omni malo tuti eritis, sed insuper omnibus bonis locupletes. — Quod declarat, addendo : *Divites eguerunt : et esurierunt : inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono* : id est, nullo carebunt bono. — *Divites* intelligit non quoscumque, sed divites malos, Mammonæ iniquitatis, non Deo servientes ; ideo in hebræo metaphorice dicuntur *leones*, eo quod aliena rapiant. — Hujusmodi divites *esuriunt* : id est, instabili fortuna conversa, sæpius pauperes fiunt ; vel, sensu altiore : quantumvis abundent, semper egent ; sive quia semper appetunt plura, sive quia vero bono quod in Deo est destituuntur.

11. *Venite, filii, audite me : timorem Domini docebo vos.*

Incipit *tertia pars*, hortatio proprie dicta ad timorem Domini omnemque pietatem. — Quoniam supra, Dei beneficia proposuit tanquam piis destinata : id est, tanquam dependentia a pietate ut conditione ; ideo jam conditionem hanc fusius exponit, pulcherrimam hortationem instituendo usque ad finem. — *Venite*, inquit, *filii*, o vos, homines dociles, simplices ac bonæ voluntatis, qui sicut juniores filii ac discipuli scholam sapientiæ quæritis ; venite, *timorem Domini docebo vos* : id est, hujus sancti timoris, tum emolumenta, tum officia vobis ostendam.

12. *Quis est homo qui vult vitam : diligit dies videre bonos ?*

13. *Prohibe linguam tuam a malo : et labia tua ne loquantur dolum.*

14. *Diverte a malo, et fac bonum : inquire pacem, et persequere eam.*

Quis est, inquit, *homo qui vult vitam ?*... En timoris Domini emolumentum, *vita* : nempe vera atque beata vita, ut explicatur sequentibus : Quis *diligit dies videre bonos ?*...

Jam vero, inquit, hos felices dies, hoc bonum seu fructum hunc si exoptas, sectare timorem Domini, quem jam te doceo : *Prohibe linguam tuam a malo, et labia tua ne loquantur dolum ; diverte a malo, et fac bonum, inquire pacem et persequere eam.* Quibus verbis ostendit, observationem mandatorum Dei, sive abstinentiam ab omni peccato, verborum, operum et cordis, esse verum timorem Domini et viam ad beatitudinem. — *Inquirere pacem et persequi eam*, id est, pacifice cum proximo

conversari, iram, odium, invidiam, cæterasque pravas animi affectiones e corde excludere. *Sensu altiore* pax illa est conformitas cum divina voluntate et unio cum Deo.

15. *Oculi Domini super justos : et aures ejus in preces eorum.*

16. *Vultus autem Domini super facientes mala : ut perdat de terra memoriam eorum.*

Explicat quomodo timor Domini, illeque solus principium sit omnis felicitatis : quod nimirum justo conciliat certissimum Dei favorem. — *Oculi Domini*, hic intelliguntur misericordes et benigni oculi, *super justos* aperti ; *aures* autem attentæ et inclinatæ ad exaudiendum preces eorum. — *Vultus* vero ponitur pro ira magna, qua Deus respicit impios : quia ira magna inflammato vultu apparet.

Hinc usque ad finem Psalmi, effectus explicat propheta illius benevolentiæ Dei erga justos, et iræ erga impios, quam indicavit. Justos, inquit, Deus ita protegit, ut tamen multis tribulationibus eos probet, ex quibus aliquando eos liberabit, vel in præsenti jam vita, quod non raro ; vel saltem, infallibiliter et perfecte, in altera. Impios autem ita aversatur, ut, si vitam ipsis et prosperitatem temporalem non statim auferat ; saltem in morte, ineluctabilem dignamque pœnam eis infligat : *Mors peccatorum pessima.*

His summatim indicatis clarescunt sequentes versiculi.

17. *Clamaverunt justi, et Dominus exaudivit eos : et ex omnibus tribulationibus eorum liberavit eos.*

18. *Juxta est Dominus iis qui tribulato sunt corde : et humiles spiritu salvabit.*

Illud *clamaverunt justi*... alludit ad exempla patriarcharum. — *Humiles spiritu*, id est, humiliati et afflicti corde, dicuntur iidem illi qui *tribulato sunt corde* : his hominibus *juxta*, i. e. propinquus, præsto *est Dominus*, ut patientiam et consolationem subministret, atque paulo post liberet eos ac salvet. Salvabit eos utique etsi quandoque desperati ac derelicti videntur.

19. *Multæ tribulationes justorum : et de omnibus his liberabit eos Dominus.*

20. *Custodit Dominus omnia ossa eorum : unum ex his non conteretur.*

Quod dicit, Dominum *custodire ossa justorum*, dupliciter exponitur : 1° sensu metaphorico, de robore ac fortitudine

animi, quæ ossibus figuratur; quæque in sanctis, acerrimas etiam persecutiones patientibus, Domino custodiente non deficit. — 2° Sensu proprio, de corporibus Sanctorum per resurrectionem restituendis, ita ut sensus sit : De omnibus tribulationibus Dominus liberabit justos, etiamsi permittat eos interfici, membraque eorum dissipari, vel in mare projici, vel igne consumi : nam custodit omnia illa, ut integra ac gloriosa in resurrectione restauret. — Eodem sensu ipse Christus Dominus dixit : *Et capillus de capite vestro non peribit.* Luc. XXI, 18.

21. *Mors peccatorum pessima : et qui oderunt justum delinquent.*

Impii, e contra, quamvis prosperitate et impunitate frui videantur, ad ruinam inevitabilem devenient, nempe ad mortem pessimam. Dicitur peccatorum mors *pessima*, quia initium erit cruciatuum æternorum ; sicut mors Sanctorum *pretiosa* est, quia requiem et gloriam inchoat sempiternam. — *Qui oderunt justum* : id est, impii, justorum quomodocumque persecutores ; — *delinquent* : verbum istud hoc loco significat : ob malitiam suam frustrabuntur exspectatione sua, omniaque perdent in morte.

22. *Redimet Dominus animas servorum suorum : et non delinquent omnes qui sperant in eo.*

Concluditur psalmus prædicendo justis contrariam sortem ei, quæ prædicta est impiis. Scilicet mors justorum erit optima, quia Dominus redimet ab omni servitute ac malo animas eorum, e carcere corporis eductas ; ita ut sperantes in Domino non *delinquant*, seu non frustrentur exspectatione ac spe sua : *Absterget* enim *Deus omnem lacrymam ab oculis eorum.* Apoc. XXI, 4.

Sensus liturgicus.

Psalmus *Benedicam* ad officium pertinet sanctorum Angelorum, Apostolorum, et Martyrum.

1° In festis SS. Angelorum, Ecclesia considerando ineffabilem providentiam, qua Deus Angelos suos ad nostram custodiam mittere dignatur, hinc extollit sese ad prædicandum universim benignitatem Dei erga justos. Peculiari autem accentu hæc verba pronuntiat : *Immittet angelus Domini in circuitu timentium eum, et eripiet eos.* Cumque dicit justos ab omni tribulatione liberari, tentationes respicit et animæ pericula, a quibus per angelos custodes liberamur.

2° Eumdem psalmum Ecclesia applicat Apostolis, considerando in ipsis impleta esse omnia psalmi verba : ipsos esse vere justos, Dei legis doctores : *Venite, filii, audite me*; ipsosque fuisse multis tribulationibus vexatos, sed propter constantem in Deo fiduciam triumphum adeptos : *Clamaverunt justi et Dominus exaudivit eos.*

3° Simili modo psalmum accommodat Martyribus, quos peculiari modo spectat ut justos, magnis et cruentis tribulationibus probatos : *Multæ tribulationes justorum : et de omnibus his liberabit eos Dominus. Custodit Dominus omnia ossa eorum : unum ex his non conteretur.* — In iis quæ de timore Dei dicuntur, de odio impiorum adversus justos, deque animabus servorum Dei redimendis, respicere videtur ad evangelica verba : *Et eritis odio omnibus propter nomen meum.... nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere... sed potius timete eum, qui potest et animam et corpus perdere in gehennam.... In patientia vestra possidebitis animas vestras.*

—

PSALMUS XXXIX.

Exspectans exspectavi Dominum.

1. Exspectans exspectavi Dominum : et intendit mihi.

1. Summo desiderio exspectavii Dominum : et tandem intendit mihi.

2. Et exaudivit preces meas : et eduxit me de lacu miseriæ, et de luto fæcis.

2. Et exaudivit preces meas : et eduxit me de fovea mortis atque de luto fæcis, seu peccati.

3. Et statuit super petram pedes meos : et direxit gressus meos.

3. Et statuit super petram pedes meos, et direxit gressus meos.

4. Et immisit in os meum canticum novum : carmen Deo nostro.

4. Et immisit in os meum canticum novum : nempe carmen, Deo nostro in gratiarum actionem cantandum.

5. Videbunt multi et timebunt : et sperabunt in Domino.

5. Videbunt multi hæc mirabilia Dei, et timebunt Deum, et sperabunt in Domino Salvatore :

6. Beatus vir, cujus est nomen Domini spes ejus : et non respexit in vanitates et insanias falsas.

6. Videntes quod beatus sit vir, cujus spes est nomen Domini, et non respexit vanitates et insanias falsas.

7. Multa fecisti tu, Domine Deus meus, mirabilia

7. Et sane multa fecisti tu, Domine Deus meus, mirabilia tibi propria :

tua : et cogitationibus tuis non est qui similis sit tibi.

et cogitationibus tuis non est qui similis sit tibi.

8. Annuntiavi, et locutus sum : multiplicati sunt super numerum (1).

8. Annuntiavi hæc, dicit Christus, et locutus ea sum : et multiplicati sunt credentes ita ut numerari nequeant.

9. Sacrificium et oblationem noluisti : aures autem perfecisti mihi (2).

9. Quorum mirabilium velut summa est, quod, o Pater æterne, sacrificium et oblationem noluisti, aures autem perfecisti mihi ;

10. Holocaustum et pro peccato non postulasti : tunc dixi : Ecce venio.

10. Quod et holocaustum pro peccato humani generis non postulasti ; quapropter tunc dixi : Ecce ipsemet venio ut victima.

11. In capite (3) libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam : Deus meus volui, et legem tuam in medio cordis mei.

11. Prout in summa libri Scripturarum scriptum est de me : mittendum me scilicet ut facerem voluntatem tuam, bibendo calicem passionis, et offerendo sacrificium corporis mei pro peccato. — Hoc autem libenter perficere volui, Deus meus ; et legem hanc tuam ac voluntatem posui in medio cordis mei.

12. Annuntiavi justitiam tuam in ecclesia magna : ecce labia mea non prohibebo : Domine, tu scisti.

12. Ergo annuntiavi justitiam tuam in cœtu publico : et quamvis fremant inimici, ecce libere loquar, Domine, tu nosti.

13. Justitiam tuam non abscondi in corde meo : veritatem tuam, et salutare tuum dixi.

13. Justitiam non abscondi in corde meo : sed veritatem tuam et salutare tuum aperte prædicavi.

14. Non abscondi misericordiam tuam, et veritatem tuam a concilio multo.

14. Non abscondi misericordiam tuam et veritatem tuam a concilio Judæorum, contra me congregato.

15. Tu autem, Domine, ne longe facias miserationes tuas a me : misericordia tua et veritas tua semper susceperunt me.

15. Tu autem, Domine, ne longe facias miserationes tuas a me, tua causa oppresso : fac ut dicere possim, quod misericordia tua et veritas tua semper susceperunt me.

16. Quoniam circumdede-

16. Quoniam circumdederunt me

(1) Hebraice, juxta S. Hieron., sic habet versus 7 et 8 : *Multa fecisti tu, Domine Deus meus, mirabilia tua, et cogitationes tuas pro nobis. — Non invenio ordinem coram te* (nescio quo ordine ea exponam) : *si narrare voluero et numerare, plura sunt quam ut narrari queant.*

(2) S. Hieronymus : *Aures fodisti mihi*, nempe in signum servitutis, vel ad perficiendum auditum.

(3) S. Hieronymus : *In volumine libri.*

runt me mala, quorum non est numerus : comprehenderunt me iniquitates meæ, et non potui ut viderem.

17. Multiplicatæ sunt super capillos capitis mei : et cor meum dereliquit me.

18. Complaceat tibi, Domine, ut eruas me : Domine, ad adjuvandum me respice.

19. Confundantur et revereantur simul, qui quærunt animam meam ut auferant eam.

20. Convertantur retrorsum, et revereantur, qui volunt mihi mala.

21. Ferant confestim confusionem suam, qui dicunt mihi : Euge, euge.

22. Exultent et lætentur super te omnes quærentes te : et dicant semper : Magnificetur Dominus : qui diligunt salutare tuum.

23. Ego autem mendicus sum et pauper : Dominus sollicitus est mei.

24. Adjutor meus et protector meus tu es : Deus meus, ne tardaveris.

mala, quorum non est numerus : comprehenderunt me iniquitates omnium hominum , quæ factæ sunt meæ ; et non potui quodammodo videre quot et quantæ essent.

17. Multiplicatæ enim sunt super capillos capitis mei : et earum conspectu cor meum dereliquit me ac defecit.

18. Igitur placeat tibi, Domine, ut eruas me : Domine, ad adjuvandum me oculos converte.

19. Confundantur, et pudore afficiantur, simul omnes qui quærunt animam meam ut perdant eam.

20. Convertantur retrorsum , et confundantur pudore , qui volunt mihi mala.

21. Ferant confestim , cognita resurrectione mea, confusionem suam, qui nunc mihi crucifixo insultantes dicunt : Euge, euge ! Vah ! Filius Dei , Rex Judæorum es tu !

22. Exultent a contra , et lætentur propter te omnes quærentes te, ac diligentes Salvatorem tuum; et dicant semper : Magnificetur Dominus.

23. Ego autem nunc egenus sum et pauper : sed Dominus sollicitus est mei.

24. Nam adjutor et protector meus tu es, Deus meus. Quod quidem mihi certissimum est : tantum nunc oro, ne tardaveris per celerem resurrectionem me ab omnibus malis liberare.

—

Explicatio.

Argumentum. — Juxta communiorem Patrum et catholicorum interpretum sententiam , psalmus iste propheticus est : et celebrat humani generis redemptionem , per Incarnationis mysterium, per doctrinam et passionem Christi perficiendam.

S. Paulus, in Epistola ad Hebræos, tres hujus psalmi versiculos, nempe 9, 10 et 11 de Christo interpretatur, sic scribens : *Ideo ingrediens mundum dicit : Hostiam et oblationem noluisti ; corpus autem aptasti mihi. Holocautomata pro peccato non tibi placuerunt. Tunc dixi : Ecce venio ; in capite libri scriptum est de me : Ut faciam, Deus, voluntatem tuam* (Hebr. X, 5 seqq.). — Hæc itaque psalmi verba, interprete Apostolo, ipsius Christi verba sunt ; unde, cum per totum psalmum eadem persona loquatur, omnia verba Christi esse dicendum est ; ita ut Christus loquatur semper, nunc in persona Ecclesiæ et fidelium, nunc in persona sua.

I. *Dicit se tandem divinitus esse liberatum.*
II. *Explicat quomodo liberatio sit peracta.*
III. *Orat ut liberatio plene consummetur.*

—

1. *Exspectans exspectavi Dominum : et intendit mihi.*
2. *Et exaudivit preces meas : et eduxit me de lacu miseriæ, et de luto fæcis.*
3. *Et statuit super petram pedes meos : et direxit gressus meos.*
4. *Et immisit in os meum canticum novum : carmen Deo nostro.*

Christus in persona populi sui, id est, Ecclesiæ veteris, exponit longam exspectationem, qua redemptionem præstolatus est ultra quatuor annorum millia. Vehementi desiderio, inquit, exspectavi Dominum salvatorem, et tandem audivit vota et preces meas : eduxit me de miseria, restituit in viam bonam, et implevit os meum canticis.

Exspectans exspectavi hebraismus est, exspectationem significans longam, constantem et fiducialem. — *Lacus miseriæ* est proprie fovea profunda, et *lutum fæcis* omnigenas sordes indicat ; ita ut his verbis significetur locus obscurus, sordidus, profundus, et ex quo non solent homines absque auxilio sese expedire. Metaphorica hæc imago est miserrimi status humani generis, delapsi in tenebras, sordesque peccati, e quibus absque Redemptore emergere non poterat.

3. *Et statuit super petram pedes meos*... id est, pedes meos, quos de profundo et lutoso lacu eduxit, statuit super altam et firmam petram, quæ mystice Christum designat : *Petra autem erat Christus* (I Cor. X, 4). Quæ quidem divina petra, habet rationem viæ, secundum illud : *Ego sum via, et veritas et vita* (Joan. XIV, 6). Dicit ergo, se constitutum esse in via firma

tuta et recta, et sic manu Domini deductum in viam pacis : *Et direxit gressus meos.*

4. *Et immisit in os meum canticum novum* : id est, præ gaudio et gratitudine cantavi Domino canticum, quod ipse me docuit. *Canticum* illud *novum*, velut externa expressio est hominis intrinsecus per Christum renovati, qui prius cantabat amorem mundi nunc autem amorem Dei.

5. *Videbunt multi, et timebunt : et sperabunt in Domino.*

Effectum redemptionis explicat, futuram nempe conversionem multorum. — Quæ per reticentiam hoc versu omittuntur, sic suppleri possunt : Videbunt multi, vel hanc meam liberationem, vel religiosum hunc meum cultum, quo Deum celebrabo canticis ; vel certe lacum ex quo eductus sum ; et timebunt Dominum, et sperabunt in eodem Domino Salvatore : et sic salutem ac beatitudinem invenient.

6. *Beatus vir cujus est nomen Domini spes ejus : et non respexit in vanitates et insanias falsas.*

Hæc velut adhortatio est ad conversionem, de qua modo dixit ; at vero simul conversionem ipsam describit duabus quas requirit conditionibus : ut homo ex una parte per spem firmam Deo adhæreat ; et ex altera parte, vanitatibus et insaniis renuntiet. *Vanitates autem et insanias falsas* appellat quæcumque auxilia. aliunde quam a Domino quæsita. Nam alibi, nempe in hominibus, vel in aliis rebus creatis, solatium atque auxilium non invenitur nisi vanum et inane, aut etiam fallax ; cum creaturæ non præstent quod pollicentur. — Quidam de idolis locum hunc intelligunt, quæ vana sunt et fallacia numina. — Sensu latiore, indicantur duæ veluti partes Christianæ justitiæ : ut adhæreamus Christo, et renuntiemus Satanæ ac pompis ejus, quæ merito dicuntur *vanitates et insaniæ falsæ.*

7. *Multa fecisti tu, Domine Deus meus, mirabilia tua : et cogitationibus tuis non est qui similis sit tibi.*

8. *Annuntiavi et locutus sum : multiplicati sunt super numerum.*

Incipit *secunda pars*, explicatio mysterii redemptionis humanæ, per quod educti sunt et educentur plurimi de lacu miseriæ et luto fæcis. — Primo generatim significat, mirabilia esse opera Dei, et quamvis hominibus annuntientur, ab hominibus tamen capi non posse.

Multiplicasti, inquit, mirabilia ; et cogitationes, seu consilia

tua tam excelsa sunt, ut nullam patiantur comparationem. Equidem nonnulla ex iis ore prophetarum annuntiavi ; sed tam multa sunt ut enarrari omnia non possint. — Illud *multiplicati sunt*, juxta versionem S. Hieronymi, mutandum est in *multiplicata sunt*, et referendum ad *mirabilia*. — Quod si præferatur versio Vulgatæ, sensus erit, Christus per se et per Apostolos prædicasse hæc mysteria, et verbo suo innumeros produxisse credentes discipulos.

9. *Sacrificium et oblationem noluisti : aures autem perfecisti mihi.*

10. *Holocaustum et pro peccato non postulasti : tunc dixi : Ecce venio.*

11. *In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam : Deus meus, volui, et legem tuam in medio cordis mei.*

Versiculos istos citat Apostolus in Epistola ad Hebræos (X, 5) ; sed pro *aures perfecisti mihi*, ut habet Vulgata ex hebræo, dicit, *corpus aptasti mihi*, secundum LXX Interpretes. Utraque lectio seu versio recta est, ac verbum Dei ; et quoad rem idem mysterium enuntiat, nempe obedientiam Christi usque ad mortem. Etenim Verbum incarnatum accepit *corpus*, utique ad obediendum et patiendum ; accepit etiam *aures*, ad audienda Dei mandata, eaque usque ad mortem implenda.

Ab operibus Dei generatim spectatis, hic descendit ad illud in particulari, quod omnia reliqua superat : nempe ad mirabile opus humanæ redemptionis, quod Christus Dominus ore Davidis exponit, dicens : Per sacrificia Aaronica noluisti placari, Pater : sed tantum per victimam infiniti pretii, per me, unigenitum Filium tuum ; ideo me corpus assumere voluisti, ut per obedientiam usque ad mortem crucis, inobedientiam primi hominis expiarem. Tunc autem, o Pater, cum sic peccatum expiandum decrevisti, dixi : Ecce venio ego, ut sim victima secundum voluntatem tuam, ut faciam voluntatem tuam sicut de me in Prophetis scriptum est. Et quidem libentissime, o Pater, acceptavi decretum tuum, et legem tuam posui in medio cordis mei : id est, nihil majori affectu concupivi, quam implere legem tuam.

Quod dicit, *in capite libri scriptum est* : significat, in tota Scriptura scriptum est. Illud enim *in capite*, hebraice est *in volumine ;* et ex græco (ἐν κεφαλίδι βιβλίου) apte verti potest *in summa libri*. Et re quidem vera, summa totius Scripturæ, a principio usque ad calcem, Christum loquitur. — Scriptum est, inquit, *ut facerem voluntatem tuam* : hæc autem Dei voluntas erat, ut per oblationem sui in cruce sanctificaret nos. Sic enim

hunc locum exponit Apostolus : *In qua voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Jesu Christi semel.* Hebr. X, 10.

12. *Annuntiavi justitiam tuam in ecclesia magna : ecce labia mea non prohibebo ; Domine, tu scisti.*
13. *Justitiam tuam non abscondi in corde meo : veritatem tuam et salutare tuum dixi.*
14. *Non abscondi misericordiam tuam, et veritatem tuam a concilio multo.*

Præter mortem in cruce, volebat Pater cœlestis ut Christus officium obiret doctoris, et mundum sua doctrina illuminaret. Quapropter in hac parte quoque se Patris voluntatem perfecisse testatur, quasi dicens : Prædicavi legem tuam justissimam, omniaque opera veræ justitiæ, quæ tu ab hominibus requiris ; et quidem prædicavi palam et publice, nihil timens odium Judæorum, prout tu, Domine, nosti ; nec justitiam tuam, veritatem, salutare, misericordiam tuam, ullo timore vel negligentia unquam abscondi in corde meo.

15. *Tu autem, Domine, ne longe facias miserationes tuas a me : misericordia tua et veritas tua semper susceperunt me.*
16. *Quoniam circumdederunt me mala quorum non est numerus : comprehenderunt me iniquitates meæ, et non potui ut viderem.*
17. *Multiplicatæ sunt super capillos capitis mei : et cor meum dereliquit me.*

Tertia pars : oratio Christi respectu passionis suæ ; seu oratio, qua petit ut redemptio quam modo explicavit, plene consummetur. — Sicut enim opus suum Salvator inchoavit per Incarnationem, ac dein per prædicationem continuavit ; ita eam per passionem dolorosissimam complevit. In illa velut tempestate tribulationum, Patrem invocavit, tum ut se verum hominem, tum ut perfecte obedientem ostenderet.

Sensus est quasi dicat : Vides, o Pater, in quam acerbam passionem incidi, propterea quod justitiam annuntiavi ; ideo nunc ne retrahas a me misericordiam tuam, qua semper hactenus cumulasti me. Miserere mei, quoniam obrutus sum doloribus, oneratus iniquitatibus innumeris. — Ut patet, primum angustias suas ostendit ; in sequentibus auxilium petet.

16. *Comprehenderunt me iniquitates meæ,* id est, iniquitates humani generis, quas meas feci. — *Non potui ut viderem*, intellige, numerum tot iniquitatum. Quæ locutio, juxta humanum loquen-

di modum sumenda est ; rigorose enim loquendo, Christus omnium iniquitatum numerum noverat accuratissime.

18. *Complaceat tibi, Domine, ut eruas me : Domine, ad adjuvandum me respice.*

19. *Confundantur et revereantur simul, qui quærunt animam meam, ut auferant eam.*

20. *Convertantur retrorsum , et revereantur , qui volunt mihi mala.*

21. *Ferant confestim confusionem suam , qui dicunt mihi : Euge, euge.*

Petit liberationem a tantis malis, fere sicut in horto Olivarum et in cruce Patrem oravit : ex una parte precando summa resignatione, ut, si placeat, et si fieri possit, liberetur a calice passionis ; ex altera parte, postulando liberationem a morte per celerem resurrectionem. — Quod rogat ut inimici sui confundantur ac puniantur, vaticinium est, quo per modum imprecationis, Judæorum prædicit et persecutorum omnium futuram ruinam, tum in hoc sæculo, tum præsertim in altero.

21. *Ferant confestim confusionem suam* : id est, non in longum tempus differatur eorum confusio , sed statim , post tridui videlicet spatium, confusionem suam experiantur. — *Qui dicunt mihi : Euge, Euge.* Pronomen *mihi* accipiendum videtur pro *de me*, vel *super me* ; ita ut sensus sit : qui de me quasi victo inter se gratulantur, dicentes : Euge, Euge. Paulo clarius idem legimus alibi : *Non dicant in cordibus suis : Euge , Euge animæ nostræ ; nec dicant* (nempe triumphando) : *Devoravimus eum* (Ps. XXXIV). — Illæ voces *euge, euge*, prænuntiant triumphantium Judæorum insultus in Christum cruci affixum : *Vah ! qui destruis templum Dei, et in triduo illud reædificas, salva temetipsum.* Matth. XXVII, 40.

22. *Exultent et lætentur super te omnes quærentes te : et dicant semper : Magnificetur Dominus : qui diligunt salutare tuum.*

Sicut prædixit per modum imprecationis confusionem persecutorum suorum , ita nunc per modum precationis bonæ, prædicit gaudium discipulorum suorum. Exultent, inquit, et lætentur *super te*, id est, in te, Deus, in tuo favore et præsidio, omnes qui quærunt te ; quique diligunt Salvatorem crucifixum quem misisti Jesum Christum, dicant semper : *Magnificetur Dominus* : id est, non sibi tribuant, nec suis viribus aut virtutibus bonum quod habent ; sed dicant : *Magnificetur Dominus*, id est, laus ac gloria Domino. *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.* Ps. CXIII.

23. *Ego autem mendicus sum et pauper : Dominus sollicitus est mei.*

24. *Adjutor meus , et protector meus tu es : Deus meus, ne tardaveris.*

Revertitur ad se et ad passionem suam ; in qua constitutum se esse dicit ut *mendicum et pauperem*, id est, ut hominem miserrimum, omni humano auxilio destitutum. Talis enim fuit Christus, tunc præcipue, quando ipsis vestibus spoliatus pendebat in cruce. At quamvis extrinsecus pauper, intrinsecus ditissimus erat protectione paterna : *Dominus*, inquit, *sollicitus est mei.* Vocat autem Patrem Dominum, quoniam loquitur in forma servi, id est, ut Filius hominis, secundum naturam humanam, in qua passionem sustinuit.

Sollicitudinem Dei erga se explicat, addens, Deum sibi esse *adjutorem*, nempe in superandis malis præsentibus ; et *protectorem*, in removendis futuris. — Concludit demum, dicens : *Deus meus, ne tardaveris* : nimirum, ne, quæso , tardes liberare me ab omnibus malis per celerem resurrectionem a mortuis.

Sensus liturgicus.

Psalmus *Exspectans exspectavi* recitatur, 1° feria sexta in Parasceve ; 2° in officio Defunctorum.

1° Quatenus recitatur in Parasceve, partim est vox humani generis, redemptionem per Christum tandem consecuti ; partim, vox ipsius Christi Domini, qui in cruce pendens, sese offert immaculatum Deo Patri in victimam pro peccato, simulque promptam petit a mortuis resurrectionem.

Ecclesia itaque in persona humani generis, se tandem, ait, post diuturnam exspectationem, redemptam esse per Christum Salvatorem : quapropter Deum laudat, eique gratias agit. *Multa fecisti tu, Domine, Deus meus, mirabilia tua...*

Dein ipsius Christi Redemptoris vocem usurpans , opus redemptionis enarrat, incarnationem scilicet Verbi, Evangelii prædicationem, sacrificium Crucis, quo Dominus peccata nostra expiavit , et vitam æternam sibimetipsi nobisque omnibus meruit. *Holocaustum et pro peccato non postulasti ; tunc dixi : Ecce venio... Circumdederunt me mala quorum non est numerus... Complaceat tibi, Domine, ut eruas me... Deus meus, ne tardaveris.*

2° Quatenus recitatur pro defunctis, est humilis ac fiducialis supplicatio, qua fidelium animæ per Christi mortem ac satisfactionem, divinam indulgentiam implorant.

Ecclesia scilicet animarum personam agens, et spe gaudens, dicit sibi ingressum cœli, tam ardenter desideratum, mox apertum

iri : quam mirabilem, æternumque laudabilem Dei misericordiam sibi Christus promeruit. — Inde redemptionis opus et Christi passionem exponit, ipsius Christi verba usurpando : ita tamen, ut quæ dicit de peccatis suis, deque liberatione desiderata, non ad Christum, sed ad fidelium animas referantur, cum respectu duntaxat ad Christi satisfactionem : *Comprehenderunt me iniquitates meæ... Adjutor meus et protector meus tu es... Deus meus, ne tardaveris.*

PSALMUS XL.

Beatus qui intelligit.

1. Beatus qui intelligit super egenum et pauperem : in die mala liberabit eum Dominus.

2. Dominus conservet eum, et vivificet eum, et beatum faciat eum in terra : et non tradat eum in animam inimicorum ejus.

3. Dominus opem ferat illi super lectum doloris ejus : universum stratum ejus versasti in infirmitate ejus.

4. Ego dixi : Domine, miserere mei : sana animam meam quia peccavi tibi.

5. Inimici mei dixerunt mala mihi : Quando morietur, et peribit nomen ejus ?

6. Et si ingrediebatur ut videret, vana loquebatur : cor ejus congregavit iniquitatem sibi.

7. Egrediebatur foras, et loquebatur in idipsum.

8. Adversum me susurrabant omnes inimici mei : adversum me cogitabant mala mihi.

1. Beatus ille, qui misericorditer recogitat de egeno et paupere : nam in die mala liberabit eum Dominus.

2. Dominus custodiet eum, et vivificabit atque incolumem reddet eum, et beatum faciet eum in terra : et non tradet eum in voluntatem inimicorum ejus.

3. Dominus opem feret illi super lectum doloris ejus. Utique tu ipse, Deus, velut versabis et molliter compones lectum hujusmodi hominis misericordis, ubi ægrotabit.

4. Ecce egenus ille et pauper ego sum, ego Christus, dicens : Domine, miserere mei : sana animam meam dolentem, quia peccavi tibi.

5. Ecce inimici mei locuti sunt malevole de me, dicentes : Quando morietur, et peribit nomen ejus ?

6. Et si quis eorum ad me ingrediebatur ut me inviseret : ficte loquebatur, interim corde meditans meum interitum.

7. Mox enim egressus foras, loquebatur cum sociis contra me.

8. Adversum me susurrabant omnes inimici mei : adversum me cogitabant mala mihi inferenda.

9. Verbum iniquum constituerunt adversum me : Numquid qui dormit, non adjiciet ut resurgat ?

9. Tandem propositum iniquum constituerunt adversum me, ut me morti traderent, dicentes ironice : Numquid iterum resurget qui fuerit mortuus ?

10. Etenim homo pacis meæ in quo speravi, qui edebat panes meos : magnificavit super me supplantationem.

10. Et mox homo amicus meus, in quo confidere debebam, qui ad meam mensam manducabat : magnam erga me fecit perfidiam.

11. Tu autem, Domine, miserere mei, et resuscita me : et retribuam eis.

11. Tu autem, Domine, miserere mei, et resuscita me ex mortuis : et retribuam eis dignam pœnam.

12. In hoc cognovi quoniam voluisti me : quoniam non gaudebit inimicus meus super me.

12. In hoc enim cognovi quod dilexisti me : quia non gaudebit inimicus meus de victoria sua super me.

13. Me autem propter innocentiam suscepisti : et confirmasti me in conspectu tuo in æternum.

13. Et me propter innocentiam meam protexisti : atque constituisti triumphantem apud te in æternum.

14. Benedictus Dominus Deus Israel a sæculo, et usque in sæculum : fiat, fiat.

14. Benedictus sit ergo Dominus Deus Israel, a sæculo et usque in sæculum. Amen, amen.

—

Explicatio.

Argumentum. — Hic etiam psalmus, sicut præcedens, ad Christi passionem totus pertinet. Sic enim eum Patres accipiunt, et sic accipiendum esse versiculus decimus non obscure demonstrat, cum ab ipso Christo citetur tanquam vaticinium proditionis Judæ. *Ut impleatur,* inquit, *Scriptura : Qui manducat mecum panem, levabit contra me calcaneum suum* (Joan XIII, 18). — Hinc, ratione analogiæ hujusce versiculi cum præcedentibus et sequentibus, necesse videtur ut integer psalmus exponatur de Christo. Tribus scilicet primis versiculis de Christo loquitur propheta, et in sequentibus inducitur loquens ipse Christus.

Exhibetur autem Salvator patiens sub figura miseri, ægrotantis, cui amici et inimici insultant ; atque ex vivo depingitur miserabilis status ad quem Christus Dominus in sua passione, tum Judæorum odio, tum Judæ perfidia redactus est ; simulque

indicatur subsequentis resurrectionis ejus gloria. — Hic sensus probabilius litteralis est, etsi allegoricus.

I. *Promittit miserentibus sui benedictiones.*
II. *Describit inimicorum perfidiam.*
III. *Petit a Patre resurrectionis gloriam.*

—

1. *Beatus qui intelligit super egenum et pauperem : in die mala liberabit eum Dominus.*
2. *Dominus conservet eum, et vivificet eum : et beatum faciat eum in terra, et non tradat eum in animam inimicorum ejus.*
3. *Dominus opem ferat illi super lectum doloris ejus : universum stratum ejus versasti in infirmitate ejus.*

Egenus ille et pauper, de quo propheta loquitur, est ille qui *propter nos egenus factus est*, ut Apostolus dicit : nempe Christus Dominus. Beatus, inquit, qui de hoc cogitat, de hujus inopia et miseriis mente et corde occupatur ; nam in die mala, i. e. in die tribulationis, tentationis, mortis vel judicii, Dominus eum proteget ab omni malo et cumulabit bonis. — Quæ primario sensu dicuntur de Christo in persona sua, secundario sensu intelligenda sunt de Christo in persona pauperum qui sunt ejus membra mystica, secundum illud : *Quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis mihi fecistis.* Matth. XXV, 40.

Qui intelligit super egenum, id est, qui attente ac sollicite considerat egenum, et miseriis afflictum, ut ei prospiciat.

In die mala liberabit eum Dominus : id est qui Christi passionem coluerint liberabuntur in die cujuscumque tribulationis, præsertim in die judicii ; illi vero qui Christum in persona pauperum juverint, ipsimet in die penuriæ ab egestate liberabuntur, et in die judicii misericordiam invenient, secundum illud : *Esurivi enim et dedistis mihi manducare.*

2. *Dominus conservet eum....* Per modum precationis prædicit et enumerat bona homini misericordi reservata. *Dominus*, inquit, *conservet eum*, id est, custodiet dum vivit ; *et vivificet*, id est, post mortem resuscitabit gloriose ; *et beatum faciat eum in terra,* id est, faciet beatitudinis æternæ participem ; *et non tradat eum in animam inimicorum ejus* : id est, neque in hoc sæculo, neque in futuro sinet eum subjici arbitrio ac libidini inimicorum, sive homines isti sint sive dæmones.

Ne tamen putemus ab omni tribulatione in hac vita immunes fore ejusmodi homines pios, subjungit, eos quidem passuros esse, sed non absque consolatione. Ipse, inquit, Dominus auxi-

lium illi afferet *super lectum doloris ejus* : id est, sive jaceat proprie in lecto, ægrotus, sive metaphorice decumbat quasi in lecto, afflictus quacumque tribulatione : *Dominus opem ferat illi.* — Deinde per apostrophen ipsum Deum alloquitur, dicens : *Universum stratum ejus versasti* .. Ita tu, Deus suavis et mitis, agere soles cum fidelibus tuis, ut si quem videas afflictum, illum consoleris : quemadmodum mater solatur filium ægrotum, cum totum lectulum ejus versando et reversando quam mollissimum efficit, ejusque dolores lenit, quin tamen eos tollat.

4. *Ego dixi : Domine, miserere Dei : sana animam meam, quia peccavi tibi.*

Secunda pars: Inimicorum malitia et perfidia. — Jam incipit loqui ipse Christus, et imprimis declarat, se esse egenum illum et miserabilem de quo supra. Pro se ut infirmo deprecatur, et causam sui morbi esse peccatum indicat. *Quia peccavi tibi* : i. e. quia peccata hominum in me suscepi, ideo anima mea tristis est et afflicta usque ad mortem. — Loquitur Dominus tanquam victima expiatoria pro peccatis nostris ; vel, si loquatur in persona corporis sui mystici, sensus est : Sana morbos spirituales fidelium, quæ sunt peccata eorum.

5. *Inimici mei dixerunt mala mihi : Quando morietur, et peribit nomen ejus ?*

Dixit, inimicos sibi ægrotanti mortem exoptasse. — Inimicorum nomine hic designantur Pharisæi et principes Judæorum, qui inter se optando et machinando Christo mortem, sæpius locuti sunt. — Quæ autem sequuntur, etiam, et quidem peculiarius, ad Judam proditorem pertinere videntur.

6. *Et si ingrediebatur, ut videret, vana loquebatur : cor ejus congregavit iniquitatem sibi.*

7. *Egrediebatur foras, et loquebatur in idipsum.*

Hypotyposis hypocritæ insidiantis valetudini ejus. Si quis eorum, inquit, me invisebat velut officii causa, ficte loquebatur quasi amicus ; sed interim corde meditabatur dolos, et multiplicabat peccata *sibi* , ad suam videlicet perniciem futura. Egressus autem foras loquebatur *in idipsum* (1), id est simul cum aliis : nempe Judas cum Pharisæis de prodendo Domino loquebatur.

8. *Adversum me susurrabant omnes inimici mei : adversum me cogitabant mala mihi.*

(1) Illud *in idipsum* juxta hebræum potius referendum ad versum sequentem, ita ut legatur : 8. *In idipsum* (i. e. simul) *adversum me susurrabant....*

9. *Verbum iniquum constituerunt adversum me : Numquid qui dormit, non adjiciet ut resurgat ?*

En occulta consilia, et susurrationes insidiosæ Judæorum cum Juda proditore. *Verbum iniquum*, id est, res, machinationes iniquas communi consensu contra me statuerunt, simul insultando dicentes : Videamus num dormiens in sepulcro sit resurrecturus seductor ille, prout prædicere ausus est. — Potest etiam illud *numquid qui dormit*, sumi tanquam verbum ipsius Christi, hoc sensu : Quamvis illi tam injustum decretum statuerint, numquid mihi potestatem resurgendi auferent ? *Numquid non adjiciet ut resurgat*, phrasis hebraica, pro : Num manebit dormiens ? An amplius non resurget ? Quæ interrogatio supponit responsum affirmativum : resurget utique ; — nisi sit ironica in ore inimicorum.

10. *Etenim homo pacis meæ in quo speravi, qui edebat panes meos : magnificavit super me supplantationem.*

Reddit rationem iniqui adversariorum consilii : hujus, inquit, causa fuit Judæ proditio. — Illud, *magnificavit super me supplantationem*, hebraice dicitur : *Levavit contra me plantam* ; quare locum hunc sic in Evangelio citat Dominus : *Qui manducat mecum panem, levabit contra me calcaneum suum.* Joan. XIII, 18.

Quod dicit, *homo pacis meæ :* id est, amicus meus, quocum pacem habebam : ut indicetur, Christum a Juda per signum pacis, id est, per osculum esse tradendum. — *In quo speravi*, id est, in quo confidere poteram. Hæc verba respiciunt confidentiam illam, qua Dominus concredidit Judæ loculos ferendos. — *Qui edebat panes meos :* id est, qui in mensa mea mecum vescebatur. Quo innuitur quoque buccella panis, per quam Judæ proditio in ultima Cœna manifestata est.

11. *Tu autem, Domine, miserere mei : et resuscita me, et retribuam eis.*

12. *In hoc cognovi quoniam voluisti me : quoniam non gaudebit inimicus meus super me.*

13. *Me autem propter innocentiam suscepisti : et confirmasti me in conspectu tuo in æternum.*

Pars tertia, petit a Patre resurrectionis gloriam. — Per modum autem precationis prædicit resurrectionem suam, Judæorumque pœnam. Hi nequaquam de triumpho suo gaudere potuerunt : Christus autem a Patre susceptus et exaltatus est in conspectu ejus, imo ad dexteram ejus in æternum.

Quod dicit, *resuscita me*, loquitur ut homo ; alioquin ut Deus, ipsemet carnem suam resuscitare poterat ; ideoque dixit de templo corporis sui : *Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud.* Joan. 11, 19.

12. *In hoc cognovi quoniam voluisti me :* id est, illud certum est tuæ erga me dilectionis argumentum, quod de mea morte non potuit inimicus tanquam de victoria sua gaudere.

13. *Confirmasti me in conspectu tuo* : id est, humiliasti quidem me paulisper in conspectu hominum, sed stabiliter me constituisti gloriosum in conspectu tuo in æternum.

14. *Benedictus Dominus Deus Israel a sæculo, et usque in sæculum : fiat, fiat.*

Conclusio, qua sive Christus ipse, sive propheta significat, propter exaltationem Christi et confusionem inimicorum ejus, deberi Deo honorem, et gloriam, et benedictionem sine fine. Quod confirmatur verbo repetito : *Fiat, fiat ;* hebraice, *amen, amen* : id est *veritas, veritas* (subaudi, *est*, vel *sit*).

Sensus liturgicus.

Recitatur psalmus iste, 1° in officio de passione Domini ; 2° in officio septem Dolorum B. M. Virginis ; 3° in officio Defunctorum.

1° In officio passionis, est vox Ecclesiæ , quæ in persona Christi Domini enarrat, quanta Redemptor passus sit a perfidia Judæorum, nominatim Judæ proditoris ; simulque petit beneficium resurrectionis.

Beatus, inquit, homo qui misericors est erga me egenum et pauperem ; ipse misericordiam consequetur : *In die mala liberabit eum Dominus.* Ego enim, Filius Dei incarnatus , egenus sum et pauper per excellentiam : qui obrutus pondere peccatorum, insuper inimicorum perfidia indigne delusus sum et morti traditus. *Tu autem, Domine, miserere mei, et resuscita me...* ut benedicam nomini tuo in æternum : fiat, fiat.

2° In officio Dolorum B. M. Virginis , Ecclesia dolorosæ Matris afflictionem celebrat recolendo Filii passionem , quæ dolorum Genitricis causa fuit et imago.

3° In officio fidelium Defunctorum, Ecclesia eodem psalmo Christi passionem et resurrectionem considerat, ut imaginem animæ in Purgatorio patientis, et inde mox ad cœlestem vitam resurrecturæ.

Beati, inquit, misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Quapropter defunctos misericorditer juvemus, ut vicissim in die mala liberet nos Dominus.

Tunc enim, Domine, fidenter dicere potero, quod nunc jam

dicunt animæ fidelium : *Domine, miserere mei : sana animam meam quia peccavi tibi.* Peccavi ; seu potius, hostium meorum, satanæ et angelorum ejus perfidia in peccatum et in has pœnas deductus sum, tanquam in sepulcrum : *Miserere mei* per Christi passionem ac merita, *et resuscita me*, ut misericordias tuas cantem in æternum.

PSALMUS XLI.

Quemadmodum desiderat.

1. Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum : ita desiderat anima mea ad te, Deus.

Quemadmodum sitibundus cervus desiderio fertur ad fontes aquarum : ita fertur anima mea ad te, Deus.

2. Sitivit anima mea ad Deum fortem vivum : quando veniam et apparebo ante faciem Dei ?

2. Sitit anima mea ad Deum fortem ac vivum, sic suspirando : Quando perveniam ad fontem omnis boni, et apparebo ante conspectum Dei ?

3. Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte : dum dicitur mihi quotidie : Ubi est Deus tuus ?

3. Fuerunt mihi lacrymæ meæ tanquam alimentum die ac nocte : dum dicitur mihi quotidie : Ubi est ille Deus, tibi tam desideratus ?

4. Hæc recordatus sum, et effudi in me animam meam : quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis, usque ad domum Dei.

4. Hæc in exilio meo recordatus sum, et dilatavi gaudio animam meam : quoniam hinc brevi transibo in locum tabernaculi admirabilis Dei, et usque ad domum Dei.

5. In voce exultationis et confessionis : sonus epulantis.

5. Transibo autem cum cantu exultationis et laudis, qualis esse solet sonus epulantis.

6. Quare tristis es, anima mea ? et quare conturbas me ?

6. Quare igitur tristis adhuc es, anima mea ? et quare dolore conturbas me ?

7. Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi : salutare vultus mei et Deus meus.

7. Spera in Deo, quoniam mox præsens laudabo illum : qui erit salus vultus mei, et Deus vere meus.

8. Ad me ipsum anima mea conturbata est : propte-

8. Ad me ipsum quidem si me convertam, anima mea conturbatur :

rea memor ero tui de terra Jordanis, et Hermoniim a monte modico.

propterea memor ero tui solius, o Deus, de hac terra Jordanis, et Hermoniim de monte modico.

9. Abyssus abyssum invocat, in voce cataractarum tuarum.

9. Ubi abyssus miseriæ aliam abyssum invocat per vocem cataractarum, seu portarum, quas tu, Deus, aperuisti.

10. Omnia excelsa tua, et fluctus tui super me transierunt.

10. Omnes altissimi gurgites et fluctus tui super me transierunt.

11. In die mandavit Dominus misericordiam suam : et nocte canticum ejus.

11. At in die proxima consolationis, mittet Dominus misericordiam suam : et tunc in ipsa nocte cantabo canticum ejus.

12. Apud me oratio Deo vitæ meæ : dicam Deo : Susceptor meus es.

12. Itaque interim apud me perseverabit oratio Deo vivificatori meo : dicam Deo : Susceptor , salvator meus es.

13. Quare oblitus es mei ? et quare contristatus incedo, dum affligit me inimicus ?

13. Cur ergo, Domine, velut oblitus es mei ? et quare contristatus maneo ab inimico oppressus ?

14. Dum confringuntur ossa mea, exprobraverunt mihi qui tribulant me inimici mei :

14. Dum enim vehementissime affligor, fractis animæ meæ viribus, insultarunt mihi qui tribulant me, inimici mei,

15. Dum dicunt mihi per singulos dies : Ubi est Deus tuus ? Quare tristis es, anima mea ? et quare conturbas me ?

15. Dicendo mihi per singulos dies : Ubi est Deus tuus, in quo sperasti ? — Nihilominus, o anima mea, repeto : Quare tristis es ? et quare dolore conturbas me ?

16. Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi : salutare vultus mei , et Deus meus.

16. Eia, spera in Domino ; quoniam mox præsens laudabo illum : qui erit salus vultus mei ipsum contemplantis, et Deus meus, a me beato possessus.

—

Explicatio.

Argumentum psalmi, ut SS. Patres, et post eos præcipui interpretes cum Bellarmino docent, est oratio, qua David desiderium exprimit ardentissimum perveniendi ad visionem Dei, æternæ beatitudinis fontem ; simulque docet, quali fiducia ad tantum bonum contendere debeamus.

Non improbabiliter quidam existimant, conscriptum esse psalmum a Davide, cum trajecisset Jordanem ab Absalone

pulsus (II Reg. XVII, 22), et posuisset castra ad radices montis Hermon ; et consequenter iidem interpretes censent, prophetam sensu litterali aspirare ad Tabernaculum fœderis, seu *domum Dei* quæ erat in monte Sion, et a qua remotum se teneri armis hostium vehementer dolet.

Sensum altiorem in expositione sequemur.

I. *Vehementer desiderat visionem Dei.*
II. *Firmiter confidit sese tantum bonum esse consecuturum.*

—

1. *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum : ita desiderat anima mea ad te, Deus.*
2. *Sitivit anima mea ad Deum fortem, vivum : quando veniam, et apparebo ante faciem Dei ?*

Ut amoris sui affectum ardentissimum erga Deum aliquo modo significet, comparat sese propheta cervo sitibundo. Est enim illud animal maxime siticulosum, ejusque augetur sitis quando a canibus et venatoribus agitatur ; similiter David profugus et exul in terra Jordanis, sitire se dicit Deum suum.

Hujusmodi sitis amorosæ objectum indicat dicens : *Sitivit anima mea ad Deum fortem, vivum*, adeoque ad Deum summe et undequaque amabilem. Tria enim sunt, ut Chrysostomus adnotavit, quæ amorem erga personam accendere solent : pulchritudo, beneficia, et amor ejus ; jam vero hæc tria conjunctim in Deo, et quidem plenissime inveniri propheta innuit : Sitivit anima mea, inquit, *ad Deum*, id est, ad personam pulcherrimam, nobilissimam, præstantissimam, quæ bona omnia in se una complectitur. Dicit Deum *fortem*, id est, ad omne bonum infinite potentem ac paratum ; addit Deum *vivum* : id est, intelligentem, amantem, omne bonum operantem.

En objectum infinite amabile, quo prophetæ amor ac desiderium tantopere inflammatur, ut suspirando exclamet : *Quando veniam et apparebo ante faciem Dei ?* id est, quando uniar fruitiva cum dilecto ? quando admittar ad præsentiam, ad visionem Dei mei ? Id enim solum est, quod sitim animæ rationalis explere possit.

3. *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte : dum dicitur mihi quotidie : Ubi est Deus tuus ?*

Amor ardens ac desiderium, ubi longe ab objecto suo peregrinari cogitur, lacrymas movet : *Fuerunt*, inquit, *mihi lacrymæ meæ panes*, i. e. fuerunt mihi loco ciborum ; quasi diceret : Relicto cibo, nihil aliud libet quam flere.

Dum dicitur mihi quotidie : Ubi est Deus tuus ?... Ille nempe, a quo omne auxilium et solatium speras, nunc, in his tuis angustiis, ubi est ?... Ille Deus quem diligis, quem unice anhelas, non apparet : ubi est ?...

A quonam autem quæstio illa Davidi objicitur ? Resp. Objicitur, vel 1° ab inimicis insultantibus, qui eum exulem videbant et velut a Deo derelictum ; vel 2° ab hostibus animæ, ipsum a charitate Dei separare conantibus ; vel 3° a proprio ipsius spiritu velut dicente : Quæcumque in hoc mundo vides, opera sunt Dei, pulchra quidem, sed non sicut Deus tuus. Ubi est igitur Deus tuus? Ubi invenies eum ? Quando videbis faciem ejus ?

4. *Hæc recordatus sum, et effudi in me animam meam : quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis, usque ad Domum Dei.*

5. *In voce exultationis et confessionis : sonus epulantis.*

Amplius explicat desiderium suum, quod ipsis lacrymis, ipsaque amati absentia magis exarsit, Hæc, inquit, quæ ad exilium meum pertinent recordatus sum ac recogitavi ; sed minime animo defeci : imo magis dilatavi gaudio et fiducia animam meam ; quoniam non semper durabit exilium meum, sed hinc aliquando transibo, et quidem gaudens et exultans pertransibo in domum Dei mei.

Effudi in me animam meam, idem hic significat ac *dilatavi animam meam*, nempe præ fiducia et gaudio ; ut ex subjuncta ratione patet : *Quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis...*

Per *tabernaculum admirabile*, hic intelligitur cœlestis Jerusalem : quæ est *tabernaculum non manufactum, æternum in cœlo*, ubi est domus Dei.

Transiturum se dicit *in voce exultationis et confessionis, sonus epulantis* : id est, in voce gaudii, quæ vox erit velut *sonus epulantis* ; vel, qua voce cantabit ipse donec perveniat in domum Dei, ubi erit *sonus epulantis*, nempe gaudium æternarum nuptiarum. — Epulas æternas indicat propheta , simulque innuit convivium Eucharisticum, quæ cœlestis convivii vividissima figura est.

6. *Quare tristis es, anima mea? et quare conturbas me?*

7. *Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: salutare vultus mei, et Deus meus.*

Fiducia plenus et prospectu domus Dei gaudens, semetipsum per apostrophen consolatur, et spe confirmat, dicens : Quare

ergo tristitia ac mœrore me affligis, o anima mea, dum dicitur tibi, ubi est Deus tuus ? Interim dum exilium prolongatur, in spe gaude ; quoniam non perpetuo exulabo, sed adhuc erit quando præsens laudabo Deum, eique dicere potero : Tu es salus vultus mei, Deus meus et omnia.

Non dicit simpliciter *salutare* sed *salutare vultus* sui : quia significat visionem beatificam, qua Deus fulgore suo animæ vultum illuminat ; facitque ut anima, lumine gloriæ perfusa, videat Deum suum facie ad faciem, eumque cognoscat sicut ipsa cognita est ; ita ut ex clara notitia dicat : *Tu es Deus meus !*

8. *Ad meipsum anima mea conturbata est : propterea memor ero tui de terra Jordanis, et Hermoniim a monte modico.*

Incipit *secunda pars* : fiducia inter tribulationes firmissima perveniendi ad beatum terminum. — Equidem, inquit, si oculos, ad me ipsum converto, causam magnæ perturbationis ac diffidentiæ invenio : ideo, Domine, tui recordabor semper in hac terra exilii.

Quis proprie sit mons *Hermoniim*, non constat ; versimile tamen est, eum diversum esse a monte *Hermon*, et situm in ea Galilææ parte quæ adjacet Jordani, cum David hæc duo conjungat.

Illud *a monte modico*, referri videtur per appositionem ad Hermoniim, ut significetur hunc exiguum esse montem et miserum, longeque differentem a monte sancto Domini, ad quem propheta exul aspirat.

9. *Abyssus abyssum invocat, in voce cataractarum tuarum.*

10. *Omnia excelsa tua et fluctus tui super me transierunt.*

Fusius explicat miserias exilii sui in hoc mundo, utiturque metaphora inundationis aquarum, alludens ad diluvium quod fuit tempore Noe.

Abyssus abyssum invocat : id est, maxima aquarum inundatio et profunditas obruit me ; et hac recedente, alia supervenit quasi a priore vocata. — Venerunt autem istæ tribulationes *in voce cataractarum Dei* : id est, quia Deus veluti thesauros tribulationum et probationum suarum aperuit. Alluditur ad illud : *Cataractæ cœli* (id est, portæ, obices aquarum cœlestium) *apertæ sunt*. Gen. VII, 11.

Idem declarat subjungens, *omnia excelsa Dei*, id est, gurgites profundissimos et *fluctus* miseriarum ac tentationum, super ipsum, velut in oceano demersum, transiisse.

Præter expositionem modo traditam, quæ litteralis esse videtur, hæc verba : *Abyssus abyssum invocat*, alios admittunt sensus, altiores ac pios omnino : nimirum, 1° abyssus miseriæ invocat abyssum misericordiæ divinæ ; 2° abyssus humanæ malitiæ invocat abyssum divinæ justitiæ ; 3° abyssus secretorum Testamenti veteris, invocat abyssum arcanorum Testamenti novi ; 4° abyssus cordis humani, quod inscrutabile est, invocat abyssum scientiæ Dei, qui scrutatur renes et corda.

11. *In die mandavit Dominus misericordiam suam : et nocte canticum ejus.*

12. *Apud me oratio Deo vitæ meæ : dicam Deo : Susceptor meus es.*

13. *Quare oblitus es, mei ? et quare contristatus incedo, dum affligit me inimicus ?*

Post narratam magnitudinem tentationis, redit ad vicissitudinem consolationis, quasi dicat : Postquam transierunt inundationes tribulationum, in die consolationis mittet Dominus misericordiæ suæ suavissimum lumen ; adeo ut in ipsa nocte cantica promam et orationes fundam, dicens Deo : Susceptor seu protector meus es.

11. *Mandavit misericordiam suam*, id est, eam misit, ut me visitet et consoletur. — *Noctis* tempus, quo Deum laudat, potest accipi, vel proprie, ut significet integris noctibus se vacare Dei laudibus ; vel metaphorice, pro nocte adversitatis, qua nequaquam a laude Dei et oratione cessabit.

12. *Apud me oratio Dei vitæ meæ :* id est, in sinu meo est jugis oratio ad Deum, auctorem vitæ meæ, ad quem cum omnimoda fiducia confugio.

13. Illud *quare oblitus es mei ?...* est orationis continuatio, per modum familiaris ac fiducialis querimoniæ, qua propheta expostulat a Domino cur sui oblitus videatur, cum sit protector ipsius et adjutor.

14. *Dum confringuntur ossa mea, exprobraverunt mihi qui tribulant me inimici mei.*

15. *Dum dicunt mihi per singulos dies : Ubi est Deus tuus ? Quare tristis es, anima mea ? et quare conturbas me ?*

16. *Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi : salutare vultus mei, et Deus meus.*

Pergit exponere inimicorum insolentiam, indirecte Domini auxilium petens. Non solum, inquit, affligit me inimicus, te,

Domine, id permittente ; sed etiam, *dum confringuntur ossa mea*, i. e. dum ad summam debilitatem devenio, ut tentationes vix jam ferre possim, *exprobraverunt mihi inimici mei, qui tribulant me,* dicentes : *Ubi est Deus tuus ?* Ubi auxilium ejus, quem adjutorem tuum esse jactabas ? O Domine, quamdiu hæc opprobria nomini tuo tam injuriosa patieris ?...

Postquam sic oravit, fiducia plenus, et certus se esse exauditum, animam suam alloquitur iisdem fere adhortatoriis verbis quæ supra usurpavit, dicens : *Quare tristis es, anima mea ? et quare conturbas me ? Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi, salutare vultus mei et Deus meus* ; quasi dicat : Confide anima mea : transibit hæc tribulatio, eique succedet gaudium æternum visionis Dei.

Sensus liturgicus.

Psalmus *Quemadmodum desiderat*, recitatur 1° in festo Corporis Christi ; 2° in officio Defunctorum.

1° In festo Corporis Christi est vox Ecclesiæ, ad tabernaculum Sacramenti mirabilis, et ad epulas Eucharisticas suspirantis : quæ sunt solamen peregrinantis animæ in hac vita, pignus et prægustatum convivii cœlestis ac visionis beatificæ in futura. *Ubi est Deus tuus ? Quare tristis es, anima mea, et quare conturbas me ? Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi, salutare vultus mei et Deus meus.*

2° In officio Defunctorum, Ecclesia, velut ore loquens animarum fidelium, ardenti desiderio appellat visionem beatificam ; atque in pœnis expiatoriis semetipsam solatur spe proximi ingressus *in tabernaculum admirabile usque ad domum Dei*, *Quare ergo tristis es*, inquit, *anima mea, et quare conturbas me ? Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi, salutare vultus mei et Deus meus.*

—

PSALMUS XLII.

Judica me Deus (1).

1. Judica me, Deus, et discerne causam meam de gente non sancta : ab homine iniquo et doloso erue me.

1. O Judex sanctissime, et inspector cordium, Deus, intuere et suscipe causam animæ meæ adversus inimicos meos spirituales ; et ab homine iniquo ac fraudulento libera me.

(1) Existimant communiter interpretes, carmen istud esse compendium vel complementum præcedentis psalmi XLI.

2. Quia tu es, Deus, fortitudo mea : quare me repulisti ? et quare tristis incedo dum affligit me inimicus ?

2. Etenim tu, Deus, non tam judex es, quam fortis ac salutaris auxiliator meus. Quare igitur me quodammodo repulisti ? Et quare ego velut gratia tua privatus, tristis factus sum, ab inimico animæ oppressus ?

3. Emitte lucem tuam et veritatem tuam : ipsa me deduxerunt et adduxerunt in montem sanctum tuum et in tabernacula tua.

3. Emitte, obsecro, gratiæ tuæ lucem, et veritatem tuam : ipsa hæc cœlestia dona secure ac sancte me deducent, et per medios hostes adducent in montem sanctum tuum, et in tabernacula tua.

4. Et introibo ad altare Dei : ab Deum qui lætificat juventutem meam.

4. Et sic merebor introire ad altare Dei, ad ipsum Deum, qui renovabit immortali quadam juventute animam meam.

5. Confitebor tibi in cithara, Deus, Deus meus. Quare tristis es anima mea, et quare conturbas me ?

5. Ingressus itaque in conspectum tuum, laudabo te in cithara spirituali, corde nempe, ore et opere, o Deus, Deus meus. — Quare igitur adhuc tristis es, anima mea, aut timore turbaris ?

6. Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi : salutare vultus mei et Deus meus.

6. Spera in Deo, ejusque misericordissima gratia ; dic cum fiducia et amore : *Adhuc,* quantumvis ex me miserabilis sim et indignus, confitebor laudesque ex animo offeram illi, qui est Deus meus, cujus vultum beatifice contemplabor.

Explicatio.

Argumentum. — David in afflictione positus quam ab iniquis patitur, petit ut ea liberatus, Deique gratia recreatus, digne adire possit altare Dei, ibique offerre sacrificium laudis.

I. *Petit liberationem ab afflictione hostili.*
II. *Petit, ut digne deducatur ad altare Dei.*
III. *Se ipsum excitat ut ibi sancte operetur sacrificium.*

---

1. *Judica me, Deus, et discerne causam meam de gente non sancta : ab homine iniquo et doloso erue me.*
2. *Quia tu es, Deus, fortitudo mea : quare me repulisti ? et quare tristis incedo dum affligit me inimicus ?*

Prima pars : petit ut a Deo judice defendatur et liberetur ab inimicis iniquis. — *Judica me, Deus...* David, inquit Bellarminus, videtur vel oppressus fuisse a rege Saule, vel tentatus graviter a dæmonibus ; a quibus cum non posset refugium

habere ad homines, Deum ipsum judicem simulque patronum appellat, dicens : *Judica me, Deus, et discerne causam meam de gente non sancta :* id est, tu Deus esto judex meus et vindex. Non enim habeo ad quem pro justitia confugiam, nisi te : judica itaque et dijudica causam meam, ut me defendas adversus *gentem non sanctam...* quo nomine appellat iniquos, ut ex sequentibus patet.

Ab homine iniquo et doloso erue me : id est, ita me judica, ut liberes ab homine iniquo et doloso. His verbis designatur, vel quivis homo iniquus et dolosus generatim ; vel quispiam adversarius definitus, dux gentis non sanctæ, quem propheta non nominat. — *Mystice* vero est inimicus animæ : sive intelligatur diabolus, sive peccatum, sive nostra perversa natura , vetus homo noster, qui vere *homo iniquus et dolosus* est.

Instantius autem propheta suam petitionem urget, subjungens :

2. *Quia tu es, Deus, fortitudo mea ; quare me repulisti ? et quare tristis incedo , dum affligit me inimicus ?* Sensus est : O Deus, cum tu sis fortitudo mea et auxilium in quo unice confidam, quomodo fit ut me repulisse videaris ? utque ego tristis vivam, veluti derelictus affligenti me inimico ? — Ut satis patet, nequaquam hæc amara querimonia est, quasi propheta se revera repulsum diceret a Deo, quem suam fortitudinem esse fatetur ; sed est quædam familiaris ac fiducialis expostulatio, qua queritur se ita a Deo affligi permissum, quasi rejectus esset a Dei amicitia.

Scilicet *repellere* nos videtur Dominus, quum in tribulationibus non adest nobis auxilio sensibili. Nequaquam tamen revera nos tunc repellit aut derelinquit ; nulla enim tribulatio, sed solum peccatum nos a Deo separat : peccatum est verus ille qui *affligit nos inimicus.*

3. *Emitte lucem tuam et veritatem tuam : ipsa me deduxerunt et adduxerunt in montem sanctum tuum, et in tabernacula tua.*

4. *Et introibo ad altare Dei : ad Deum qui lætificat juventutem meam.*

Secunda pars : petit ut deducatur ad altare Dei. — Concede, inquit, mihi, Domine, *lucem* gratiæ ac misericordiæ tuæ, et *veritatem* ac fidelem promissionum tuarum impletionem : ipsa enim me *deduxerunt,* i. e. me *deducent* in hac periculosa peregrinatione , et adducent in montem sanctum tuum, quem peculiariter inhabitas et ubi constituisti *tabernacula tua.*

Hæc duo, *lux* et *veritas*, juxta indolem linguæ hebraicæ sumenda sunt conjunctim : ita ut unam eamdemque rem signi-

ficent, nempe divinam gratiam ; quasi diceretur : lux tua verissima ; — vel, lux tua quæ docet omnem veritatem et justitiam ; — vel, lux tua illa , quæ est objectum et fidelis ac vera impletio promissionum tuarum. — Sanctus Augustinus lucem et veritatem intelligit Christum, qui est lux et veritas, *lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Joan. I, 9.

Mons sanctus et *tabernacula Dei* sunt , vel mons Sion et tabernaculum Fœderis ; vel probabilius, juxta Bellarminum, cœlum, et tabernacula Dei cœlestia. Dicitur *probabilius* : nam hæc et sequentia, quæ David de altari eloquitur, deque sacrificio laudis a se offerendo, et de Deo, salute vultus sui : etsi exponi possunt de sacrificiis in gratiarum actionem offerendis post dissipatas tribulationes ; multo tamen commodius et pulchrius exponuntur de felicitate cœlesti. — *Mystice* autem intelligendum hic etiam est altare Eucharisticum novæ Legis, quod cœli figura est et inchoatio.

4. *Et introibo ad altare Dei...* Explicat quid facturus sit in monte sancto et in tabernaculo Dei : sacrificium videlicet offeret ; ideo enim accessurum se dicit *ad altare.* Sacrificium autem offeret *confessionis* seu laudis, ut declarat sequentibus : *Contifitebor tibi in cithara...*

Non solum accedit *ad altare Dei*, sed *ad* ipsum *Deum*, *qui lætificat*, ait, *juventutem meam* : id est, qui gaudiis implebit me, nova et æterna juventute donatum. Sensus enim est quasi dicat : Coram ipso Deo apparebo, in apertum ejus conspectum admissus et in gaudium Domini mei : ibique lætitia ineffabili perfusus, induar nova quadam forma gloriæ et immortalitatis. — *Mystice* significatur effectus sacrificii Missæ, quo christianus homo, et præsertim sacerdos, efficitur homo novus, induens juventutem gratiæ, de qua Apostolus : *Licet is qui foris est, noster homo corrumpatur : tamen is qui intus est, renovatur de die in diem.* II Cor. IV, 16.

5. *Confitebor tibi in cithara, Deus, Deus meus. Quare tristis es anima mea, et quare conturbas me ?*

6. *Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi : salutare vultus mei et Deus meus.*

Tertia pars : se ipsum excitat ad sancte operandum Deo.

Confitebor tibi in cithara... id est, laudabo te, o Deus, et misericordias tuas omniaque mirabilia tua cantabo consonante cithara. — Duo ad laudandum Deum adhibet, cantum et citharam, id est, voces et opera : quæ duo in hac peregrinatione raro perfecte concordant : in cœlis autem optime concordabunt. — Porro citharæ meminit etiam Joannes, ubi describit

laudes Sanctorum in cœlo : *Habentes,* inquit, *singuli citharas in manibus.* Apoc. V, 8.

Cithara etiam symbolum est affectus et amoris ; ita ut *confiteri in cithara* significet quoque laudare Deum magno cordis affectu et amore.

Quare tristis es, anima mea, et quare conturbas me ? — Apostrophe consolatoria, qua semetipsum confirmat propheta, quasi dicat : Cum tanta bona me maneant in domo Dei , quid me in hac terra contristet ? Gaudendum potius semper , gaudendum in Domino, et in spe suavissima futuræ beatitudinis.

6. *Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi...* id est , noli esse tristis , anima mea , sed spe gaude : *Spera in Deo* ; quia tempus veniet, quando præsens laudabo Deum , et confitebor misericordias ejus, dicens ei : *Salutare vultus mei et Deus meus* : id est, tu salus es vultus mei , dum fulgore tuo vultum meum illuminas , faciendo ut facie ad faciem te contemplans , cognoscam te sicut et cognitus sum ; ex qua notitia clara et beatifica exclamem dicens : *Tu es Deus meus !*

Sensus liturgicus.

Psalmus *Judica* recitatur , 1° initio Missæ , 2° in officio de Oratione Christi, et 3° in festo Corporis Christi.

1° A remotissima antiquitate (1) Ecclesia Psalmum hunc ore sacerdotum suorum ad sacra mysteria introeuntium , recitare consuevit. « Priusquam sacerdos gradus altaris ascendat , et « antequam sacrum ordinetur officium, inquit Gulielmus Du- « randus (2), ad se ipsum revertens inclinat se ante altare : sig- « nificans Christi exinanitionem , qui inclinavit cœlos et « descendit ; et considerans quod justus in principio sermonis « accusator est sui (Prov. XVIII , 17) , Psalmum præmittit ad « hoc convenientem : *Judica me , Deus...* ut discretus a gente « non sancta, et ab homine liberatus iniquo , ad altare dignus « introeat. Petit enim liberari a tentatione , et illuminari a « gratia. » Imo , non a tentatione tantum , sed ab omni iniquitate et animæ macula mundari humiliter postulat.

Etenim dum ante gradus altaris Psalmum hunc pronuntiat, quæ a Davide de altari ac sacrificio antiquæ Legis, vel sub ejus figura de altari et sacrificio cœlesti dicta sunt ; ea ex Ecclesiæ mente dicit de altari ac sacrificio Eucharistico , quod cœlestium perfecta imago et quædam inchoatio est : *Non est hic aliud nisi domus Dei et porta cœli.* Gen. XXVIII, 17.

Petit itaque 1° ut liberetur ab omni peccato. — Petit 2° ut

(1) Ut patet ex S. Ambrosio, lib. 5 *de sacram.* cap. 2 ; et ex S. Gregorio Naz. *Orat.* 28, circa fin.

(2) *Ration. divinor. officior.* lib. 4. cap. 7.

divina gratia juvetur, sine qua ad tremenda Dei altaria nequaquam accedere possit. — Petit 3° ut quam ferventissime Deum colat ac laudet : quæ laus et qui cultus sibi pignus sit cœlestis gloriæ.

Documenta autem uberiora in Psalmi verbis detegit Thomas Leblanc, Psalmorum interpres piissimus ; et varias virtutes, sacerdoti sacrificanti necessarias, hic innui ostendit. Propheta, inquit (1), declarat quænam virtutes exercendæ sint sacerdotibus, 1° ante accessum ad altare ; 2° in ipso accessu ; 3° cum in altari sacrum faciunt.

Primo, gradus tres stabilit, quibus altare conscendant : nimirum, -1) morum innocentiam : *Judica me, Deus, et discerne causam meam de gente non sancta : ab homine iniquo et doloso erue me.* -2) Spem in Deum : *Quia tu es, Deus, fortitudo mea : quare me repulisti ?* -3) Alacritatem spiritualem, exclusa tristitia : *Et quare tristis incedo, dum affligit me inimicus ?*

Secundo, duces duos assignat, qui per gradus illos ascendentem sacerdotem juvent : lucem scilicet atque veritatem (fidem et opera), velut diaconum et subdiaconum : *Emitte lucem tuam et veritatem tuam : ipsa me deduxerunt et adduxerunt...*

Tertio denique, virtutes sex in ipso altari necessarias commonstrat : -1) divinorum mysteriorum contemplationem : *In montem sanctum tuum.* -2) Tranquillitatem mentis : *Et in tabernacula tua.* -3) Suimetipsius perfectam oblationem et sacrificium : *Et introibo ad altare Dei.* -4) Fervorem per mentis renovationem : *Ad Deum, qui lætificat juventutem meam.* -5) Laudem Dei, seu gratiarum actionem propter tantum beneficium : *Confitebor tibi in cithara, Deus, Deus meus.* -6) Unionem perfectam cum Deo, illi soli constanter adhærentem, et alia omnia pro nihilo ducentem : *Quare tristis es, anima mea, et quare conturbas me ? Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi : salutare vultus mei et Deus meus.*

2° Quatenus Psalmus *judica* recitatur in officio de Oratione Domini, alludit ad sacrificium Christi in monte Calvariæ et in altari crucis : estque velut oratio præparatoria, qua Dominus sese ad sacrificium suum cruentum disposuit in horto Olivarum, dum prostratus in faciem dicebat : *Pater mi, si non potest hic calix transire nisi bibam illum, fiat voluntas tua.* Matth. XXVI, 42.

3° Quatenus idem Psalmus recitatur in officio Corporis Christi, refertur ad sacrificium Eucharisticum ; estque oratio Ecclesiæ, parantis se ad incruentum sacrificium corporis et sanguinis Domini tanquam pignus æternæ gloriæ sanctissime offerendum.

(1) *Psalmor. analysis et comment.* tom. 3, Psalm. XLII, ab initio.

PSALMUS XLIV.

Eructavit.

1. Eructavit cor meum verbum bonum : dico ego opera mea Regi.

1. Cor meum divina illustratione exundans, effundit carmen eximium : carmen hoc dedico magno Regi.

2. Lingua mea calamus scribæ, velociter scribentis.

2. Lingua mea, a Spiritu sancto mota, velut calamus est scribæ velociter scribentis.

3. Speciosus forma præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis : propterea benedixit te Deus in æternum.

3. O Sponse divine, speciosus forma es præ filiis hominum ; et diffusa est gratia sermonis in labiis tuis : propterea quod benedixit tibi Deus in æternum.

4. Accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime.

4. Accingere gladio tuo super femur tuum, o Rex potentissime.

5. Specie tua et pulchritudine tua intende, prospere procede, et regna.

5. Specie, inquam, tua et pulchritudine tua, quasi gladio et arcu instructus, contende ad prælium, prospere procede in certando, et victis hostibus regna.

6. Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam : et deducet te mirabiliter dextera tua.

6. Regna, nempe, per veritatem et mansuetudinem et justitiam ; et exsequere consilia tua per mirabilia dexteræ tuæ.

7. Sagittæ tuæ acutæ, populi sub te cadent, in corda inimicorum Regis.

7. Sagittas enim acutas mittendo in corda inimicorum tuorum, integros populos tibi subjicies.

8. Sedes tua, Deus, in sæculum sæculi : virga directionis virga regni tui.

8. Exinde thronus tuus, o Deus, manebit in sæculum sæculi : sceptrum æquitatis, similiter æternum, sceptrum erit regni tui.

9. Dilexisti justitiam et odisti iniquitatem : propterea unxit te, Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.

9. Dilexisti enim justitiam, et odisti iniquitatem : propterea, o Christe Deus, unxit te Deus Pater tuus, oleo lætitiæ beatificæ, præ omnibus tecum cœli cohæredibus.

10. Myrrha, et gutta, et casia a vestimentis tuis, a domibus eburneis : ex quibus delectaverunt te filia regum in honore tuo.

10. Myrrha et aloe et cinnamomum suaviter spirant a vestimentis tuis, et a palatiis tuis eburneis : aromatibus hujusmodi delectant te filiæ regum, addictæ glorioso tuo famulatui.

11. Astitit regina a dextris

11. Astitit Regina a dextris tuis,

tuis in vestitu deaurato : circumdata varietate.

in vestitu deaurato, et amicta ornatus varietate.

12. Audi, filia, et vide, et inclina aurem tuam : et obliviscere populum tuum, et domum patris tui.

12. Audi, filia, vocem sponsi tui, considera verba ejus, eisque aurem obedientiæ inclina ; et obliviscere propter ipsum omnia, populum tuum et domum patris tui ;

13. Et concupiscet Rex decorem tuum : quoniam ipse est Dominus Deus tuus, et adorabunt eum.

13. Et concupiscet Rex decorem tuum : ille Rex sponsus tuus, qui Dominus Deus tuus est, ab omnibus adorandus.

14. Et filia Tyri in muneribus vultum tuum deprecabuntur : omnes divites plebis.

14. Ideo et ad te, tanti Regis sponsa, venient filiæ Tyri, cum muneribus te deprecantes ; similiterque omnes divites plebis ac principes.

15. Omnis gloria ejus filiæ Regis ab intus, in fimbriis aureis circumamicta varietatibus.

15. Porro omnis gloria sponsæ, filiæ Regis, ab intus est : quæ tamen resplendet etiam extrinsecus in fimbriis aureis, et amictus varietatibus.

16. Adducentur Regi virgines post eam : proximæ ejus afferentur tibi.

16. Adducentur etiam Regi virgines, reginam sequentes : virgines ei simillimæ afferentur tibi, o Rex :

17. Afferentur in lætitia et exultatione : adducentur in templum Regis.

17. Afferentur lætitia et exultatione perfusæ, et adducentur in domum seu templum Regis, ejus obsequio consecrandæ.

18. Pro patribus tuis nati sunt tibi filii : constitues eos principes super omnem terram.

18. O Regina, pro patribus et cognatis quos reliquisti, nati sunt tibi filii Spiritu sancto animati : eosque principes constitues super omnem terram.

19. Memores erunt nominis tui in omni generatione et generationem.

19. Hi autem, eorumque successores, memores erunt nominis tui, Domine, in omni generatione et generationem.

20. Propterea populi confitebuntur tibi in æternum : et in sæculum sæculi.

20. Et propterea populi, talium Pastorum ductum sequentes, confitebuntur tibi in æternum et in sæculum sæculi.

Explicatio.

Argumentum. — Epithalamium istud carmen est, in nuptiis regis cujuspiam decantatum. Omnes enim epithalamii partes complectitur : nimirum 1° laudem sponsi ; 2° laudem sponsæ ; 3° laudem filiorum : quæ tamen tria principaliter ad gloriam regis referuntur.

Laudat scilicet vates sponsum regem a dignitate formæ et gratia eloquentiæ, a fortitudine ac potentia, a splendore et magnificentia, cum in se, tum in conjuge ; postremo etiam a gloria et felicitate liberorum.

Regem hunc esse Messiam, — sponsam vero ejus aliasque virgines esse Ecclesiam, gentesque barbaras ad Christum conventendas, — certissimum est.

Etenim summa consensione, inquit Bellarminus, docent omnes expositores latini, græci, hebræi, (chaldæus quoque paraphrastes), psalmum hunc quasi spirituale ephithalamium, laudes celebrare Christi Regis, et Reginæ sponæ ejus Ecclesiæ.

Nonnulli tantum recentiores Rabbini, cum Rationalistis, de nuptiis Salomonis cum filia regis Ægypti, carmen hoc exponere conati sunt. — Inter christianos interpretes, quidam etiam cum Calmeto duplicem sensum admittunt : alterum litteralem de Salomone, alterum vero altiorem de Messia. — At perperam omnino : nullatenus enim Salomonem respicit psalmus ; et unice ac simpliciter ad unionem Christi cum Ecclesia pertinet.

Hoc enim demonstrat, 1° consensus SS. Patrum et catholicorum interpretum ; 2° auctoritas S. Pauli, qui verba psalmi hujus, tanquam notorie de Christo prolata citat (Epist. ad Hebræos, cap. I. 8, 9) ; — 3° ipsa psalmi verba plurima, quæ nequaquam de Salomone dici potuerunt. Exempli gratia : *Eructavit cor meum verbum bonum*... non enim potuit Spiritus sanctus vocare *verbum bonum*, seu rem bonam, sacrilegas nuptias Salomonis cum muliere Ægyptia, idololatra. Nec illud : *Benedixit te Deus in æternum*... multoque minus quæ sequuntur : *Sedes tua, Deus* (o Deus), *in sæculum sæculi*... Salomoni convenire possunt. — Demum psalmus tam aperte est Messianicus, ut vel ipsi sinceri Protestantes, quales Dathius et Hengstenberg, eumdem de Messia solo intelligi posse statuant.

Quatuor partes distinguuntur :

I. *Præambulum.*
II. *Laus Regis Christi.*
III. *Laus Reginæ Ecclesiæ.*
IV. *Laus filiorum sanctorum.*

—

1. *Eructavit cor meum verbum bonum : dico ego opera mea Regi.*

2. *Lingua mea calamus scribæ, velociter scribentis.*

Duobus prioribus versiculis annuntiat propheta argumentum psalmi, ac rei celebrandæ magnitudinem ; simulque declarat, sese non nisi Dei Spiritu movente de re tam excelsa loqui : adeo ut materiam indicet et modum propositi carminis.

Hic verbis : *Eructavit cor meum verbum bonum*, elocuturum se dicit carmen quoddam eximium... Vox *eructavit*, hebraice, *ebulliendo effudit*, vim indicat, qua Spiritu sancto actus movetur propheta ad loquendum ; et sensus est : Mens mea ex plenitudine et copia illustrationis divinæ et cœlestium revelationum, proferre et velut effundere coacta est psalmum hunc, qui continet *verbum bonum* : id est, rem bonam et præstantissimam, seu sermonem aut nuntium gratum omnibus et salutarem.

Vocatur hæc prophetia *verbum bonum* ratione mystica, ut Bellarminus censet : quia agit de Rege Christo, qui est ipse *Verbum* Dei.

Dico ego opera mea Regi : id est, carmina quæ operatus sum, et jam profero, sunt de Rege ; vel, Regi per excellentiam, Christo, sunt consecrata. — *Opera sua* appellat istos suos versus, quos in laudem nuptiarum Christi et Ecclesiæ canit. — Quonam autem modo de re tam sublimi locuturus est ?

2. *Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis* : id est, lingua mea efficitur calamus Spiritus sancti, qui est scriba celerrimus, cum faciat ut homines numine suo afflati celerrime scribant. — Significat his verbis, linguam suam moveri ac sermonem suum produci a Spiritu sancto, seque esse Spiritus sancti instrumentum, sicut calamum scribæ. Quæ plane consonant cum his B. Petri : *Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines* (II Pet. I, 21). — Porro cum gradus varii inspirationis distinguantur in hagiographis, propheta hic indicat inspirationem perfectissimam ; significatque psalmum hunc esse meram prophetiam, ita a Spiritu sancto dictatam, ut nulla ex parte fructus sit ingenii sui. Prophetæ enim simpliciter loqui solebant vel scribere, quæ Deus illis ostendebat et veluti dictabat, prout de Jeremia testatur Baruch, dicens : *Ex ore suo loquebatur quasi legens ad me omnes sermones istos*, *et ego scribebam in volumine atramento*. Jerem. XXXVI, 18.

3. *Speciosus forma præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis : propterea benedixit te Deus in æternum.*

Incipit *secunda pars*, encomium Christi. — Christum laudat a corporis animæque dotibus, atque a gloria regni ; perfectiones autem recenset sequentes : 1° puchritudinem ; 2° eloquentiam ; 3° fortitudinem ac robur ; 4° virtutes animæ ; 5° divinam regiamque dignitatem ac potestatem ; quibus 6° addit etiam exteriora, videlicet vestimentorum et palatii nobilitatem.

Exorditur a pulchritudine : quia describit Christum ut Sponsum, et in sponso imprimis pulchritudo respicitur.

Per apostrophen Christum Regem alloquens : *Speciosus*, inquit, *forma præ filiis hominum*... Quo sensu dicitur Christus *speciosus forma* ? Non videtur agi de naturali corporis Christi specie : quæ licet dignissima fuerit in carne de Spiritu sancto formata (1) ; tamen in Scriptura non memoratur. Agitur ergo de pulchritudine sublimiori, nempe 1° de pulchritudine externa corporis ejus glorificati, et 2° de pulchritudine interna. Itaque Christus super homines, imo super omnes omnino homines speciosus est : -1) ratione divinitatis, cujus pulchritudo est infinita ; -2) ratione animæ, quæ omnes creatos spiritus pulchritudine superat ; -3) ratione corporis ejus glorificati, cujus splendor fulgorem solis vincit, cujus pulchritudinem sol et luna mirantur.

Alius propheta describit Christum ut *novissimum virorum, cui non est species neque decor* (Isai. LIII, 2). Quæ duo vaticinia, utut opposita, mirifice tamen concordant : David enim intuetur Christum ut Sponsum, in die nuptiarum ornatum ; Isaias vero, ut Sponsum sese pro sponsa sua in passione immolantem.

Diffusa est gratia in labiis tuis : id est, residet abundans in labiis tuis gratia sermonis ; quasi diceret : Sermo tuus, oratio tua suavissime fluit, Deo grata et hominibus.

Hæc gratia labiorum Christi sic declaratur in Cantico : *Labia ejus lilia, distillantia myrrham primam* (Cant. V. 13). Sic autem apparet in Evangeliis : *Nunquam sic locutus est homo sicut hic homo* (Joan. VII, 46). — *Omnis populus manicabat ad eum in templo audire eum... suspensus erat audiens illum.* Lux. XXI, 38 . XIX, 48.

Gratia illa sermonis designat, 1° quælibet verba quæ Dominus locutus est, et etiamnum loquitur : verba veritatis ac sapientiæ cœlestis ; verba vitæ, gratiæ ac misericordiæ ; verba prophetica ; verba miraculorum efficacia ; verba demum precationis, quibus Patrem placavit. — 2° Designat modum, quo loquitur Dominus : eloquentiam ejus ac vim divinam persuasionis. — 3° Effectus sermonum ejus : qui nimirum Spiritus sancti gratiam instillant in corda.

Propterea benedixit te Deus in æternum. Particula *propterea* dupliciter intelligi potest : consequenter, vel causaliter, respectu præcedentis sententiæ ; seu, ita ut significet simpliciter *propterea*, vel ita ut significet *propterea quod*. — Juxta acceptionem priorem sensus est : *propterea*, propter hanc tuam pulchritudinem et labiorum gratiam ; seu, quia amabilis et gratiosus es, ideo velut novo amoris titulo te Deus præ omnibus

(1) Christum ut forma nobilem ac decorum, et Virgini Matri simillimum describit Nicephorus, *Hist.* lib. I, cap. ult. Virginis faciem describit ibid. lib. II, cap. 23.

dilexit, et benedixit in æternum. — Juxta acceptionem alteram, quæ præferenda videtur, sensus est : speciosus es et gratiosus, *propterea quod* benedixit te Deus in æternum ; ita ut æterna benedictio Dei causa sit tantæ pulchritudinis et tantæ gratiæ.

4. *Accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime.*
5. *Specie tua et pulchritudine tua intende, prospere procede et regna.*
6. *Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam : et deducet te mirabiliter dextera tua.*
7. *Sagittæ tuæ acutæ, populi sub te cadent, in corda inimicorum regis.*

Transit ad fortitudinem militarem, et virtutes Christi regias. — Imprimis poetico more invitat Regem ut fortitudinem ac potentiam exerceat, quasi dicens : Eia, dilecte Deo, speciosissime Sponse, qui non minus fortitudine vales quam forma, induere armis tuis, et ad liberandam sponsam tuam, ad debellandum Satanam, mortem et peccatum, te accinge : *Accingere gladio tuo...* — Porro gladium hunc et arma Christi esse speciem et pulchritudinem ipsius, explicat in sequenti versiculo, dicens :

5. *Specie tua et pulchritudine tua intende, prospere procede, et regna.* — Verba *specie tua et pulchritudine tua*, quasi puncto terminarentur, Hieronymus et Chrysostomus ad præcedentem versiculum referunt. Quod si, Vulgatæ interpunctione servata, verba illa referamus ad sequentia, sensum eumdem invenimus, nimirum quasi diceret propheta : Decore tuo, qui in specie sapientiæ et pulchritudine justitiæ consistit, quasi gladio et arcu instructus, vince et regna. — Ut significet, Christum sola sapientia atque justitia seu sanctitate victorem fore.

Illa verba : *intende, prospere procede et regna* (1), duplicem expositionem admittunt, scilicet : 1° *intende...* id est, dirige cursum tuum ad prælium contra diabolum ; prosperare in prælio, seu vince ; et deinceps in cordibus hominum regna per fidem et charitatem. — Vel 2° *intende...* id est, intende vires tuas vel arcum, sede in curru triumphali, et regna : populis ultro, atque ipso tui amore ad pedes tuos ruituris. — Unde subdit virtutes Christi regias, quibus omnino regnum debetur.

6. *Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam : et deducet te mirabiliter dextera tua.* Sensus est : Regna per veritatem

(1) Illud *et regna* deest in originali textu. Tamen [illegible] ejus in originali textu ad

seu sapientiam tuam, perque mansuetudinem et justitiam, quæ velut lex erunt ac fundamentum imperii tui ; et per dexteram tuam, qua mirabilia operaberis. — Hic enuntiantur Christi doctrina et opera, quibus potens fuit : *Potens in opere et sermone* (Luc. XXIV, 19). Quæ fecit sunt mirabilia ; quæ docuit sunt veritas, mansuetudo, et justitia.

7. *Sagittæ tuæ acutæ, populi sub te cadent, in corda inimicorum regis.* — Explicantur mirabilia dexteræ ejus : sagittas scilicet mittet efficacissimas.

Illud *populi sub te cadent* sumi potest, vel tanquam explicatio sagittarum, vel tanquam earum effectus ; ita ut duplex detur expositio : 1° Sagittæ tuæ acutæ, qui sunt populi tibi subditi præsertim Apostoli, penetrabunt in corda inimicorum tuorum (1) ; vel 2° communius et melius : Sagittæ tuæ acutæ feriendo subjicient tibi populos, et penetrabunt inimicorum tuorum corda.

Sagittæ Regis in hac secunda expositione, sunt, vel verbum ejus ac prædicatio evangelica ; vel ejusdem verbi præcones, viri apostolici. Non enim raro simili sensu metaphora sagittæ adhibetur : *Posuit me sicut sagittam electam* (Isai. XLIX, 2). — *Sicut sagittæ in manu potentis, ita filii excussorum.* Ps. CXXVI.

Sagittæ dicuntur *acutæ*, quia magnam habent efficaciam penetrandi corda durissima. — Dicuntur populi sagittis istis vulnerati cadere sub Regem : quia non vulnerantur, ut omnino exstinguantur, sed ut moriantur peccato et vivant justitiæ, et eo modo subjiciantur Christo. — Dicuntur sagittæ penetrare in corda inimicorum regis, id est, in corda peccatorum : quia corda compunctione penetrant, et amoris igne incendunt. Nam jacula verbi Dei cordibus quibus infiguntur inhærent, ut vulnus salutare conservent, et ex inimicis amicos faciant et sanctos.

8. *Sedes tua, Deus, in sæculum sæculi : virga directionis virga regni tui.*

Venit tandem ad supremam dignitatem Messiæ, et diserte eum vocat Deum ; sedem regni ejus æternam fore dicit, sceptrumque ejus sceptrum *directionis*, id est, æquitatis ac justitiæ : intellige, regimen ejus fore justissimum. — Justitiam hanc Regis propriam spendidius explicat, subjungens :

9. *Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem : propterea unxit te, Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis.*

Quoniam iterum illud *propterea* significare potest causam vel

(1) Berthier, in hunc loc.

effectum, ut supra, versu 5 ; ideo et iste locus sensum admittit duplicem. Sensus primus : Quia dilexisti justitiam et odisti iniquitatem, obediendo usque ad mortem crucis ; propterea, o Fili Dei, unxit te Deus Pater *oleo lætitiæ* : id est, unctione *gloriæ*, collocando te ad dexteram suam, super omnes angelos atque homines, cohæredes tuos in cœlis. — Sensus alter : Dilexisti justitiam et odisti iniquitatem, propterea quod Deus Pater unxit te oleo *gratiæ* præ consortibus tuis : qui nempe tecum sunt sive humanæ naturæ, sive sacerdotii, sive regni, sive demum salutis participes ; quia videlicet unxit te gratia unionis hypostaticæ, unde factum est ut in te Spiritus sine mensura effunderetur , cæteri autem omnes de plenitudine tua mensuram acciperent.

Prior interpretatio videtur præferenda : 1° quia *oleum lætitiæ* melius significat gloriam ; 2° quia illi qui jam vocatur Deus, melius dicitur collata unctio gloriæ quam unctio divinitatis. — Animadvertendum enim est, Christum hoc versiculo iterum vocari Deum ; cum illud *Deus* primo loco, vocativi casus sit.

10. *Myrrha, et gutta, et casia a vestimentis tuis,* (supple : *manant, nec non*) *a domibus eburneis : ex quibus delectaverunt te filiæ regum in honore tuo.*

Concludit encomium Regis enarrando externum ejus apparatum , vestimentorum fragrantiam et palatii nobilitatem. — Exquisita aromata significantur verbis illis *myrrha* , et *gutta* : id est , stacte , vel aloe (1) ; et *casia* , forte cinnamomum. — Domus eburneæ sunt palatia sumptuosa , quorum parietes tecti sint ebore. — *Filiæ regum in honore tuo* : id est, filiæ regum quæ tibi serviunt, et comitatum gloriæ faciunt.

Sensus ergo sic enuntiari potest : Suavissimi odores spirant ex vestimentis tuis, et ex palatiis eburneis ; seu vestimenta tua, et palatia ebore contecta , perfusa sunt pretiosissimis odoramentis et aromatibus : ex quibus aromatibus delectant te et lætitia afficiunt filiæ regum, quæ tibi honoris causa serviunt.

Hæc omnia figurata sunt et allegorice dicta , de gratiis et virtutibus animæ et corporis Christi excellentissimis , quæ aromatibus designantur. — Per *vestimenta* intelligitur Christi humanitas, qua velut vestimento aut velo divinitas contegitur. — Per *domos eburneas* (vel quod idem est , per domum eburneam) , intelligitur eadem humanitas , et speciatim corpus Domini, quod est quasi templum purissimum , in quo divinitas inhabitat, et de quo ipse dixit Judæis : *Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud... dicebat autem de templo corporis sui.* Joan. II. 19. 21. (Cf. II Cor. V, 1 seq.)

(1) Existimant hoc esse aromaticum lignum, quod vocatur *santal.*

Interpretes nonnulli *domos eburneas*, pie intelligunt de Beata Virgine ; totumque versiculum sic exponunt : Virtutum omnium odores spirant, o Christe, ab anima tua et corpore , quæ vestimenta tua sunt, deprompta *a domibus eburneis*, nempe a candidissimis visceribus Beatæ Virginis Matris ; *ex quibus* spiritualiter exortæ quoque, et sanctitatis odore perfusæ virgines , *delectaverunt te*, tanquam *filiæ regum* honori tuo servientes.

Filiæ regum regis honori servientes, sunt vel regna Evangelio acquisita ; vel animæ regiæ, electæ et peculiariter Christo devotæ. — Ipsæ delectaverunt eum iisdem odoramentis , dum post Regem in odorem unguentorum , i. e. virtutum ejus currunt ; et eumdem odorem patientiæ, humilitatis ac charitatis, Christi nempe odorem suavissimum spargunt.

11. *Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato : circumdata varietate.*

Incipit *tertia psalmi pars* : encomium sponsæ Christi : quam laudat — 1° ab ejus ornatu, — 2° ab amore, — 3° ab imperio, — 4° a comitatu, — 5° a fecunditate gloriosa.

Hæc autem sponsa est Ecclesia, quæ ratione potestatis, sanctitatis ac virtutum, exhibetur ut Regina ornatissima. *Vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ : ipse, salvator corporis ejus... Dilexit Ecclesiam, et se ipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ ; ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam.* Eph. V, 23. seq.

Sensu consequenti ac secundario, sponsa Christi hic celebrata, est quævis anima perfecta, et potissimum Beata Virgo Maria : quæ, licet Mater Christi sit secundum carnem, est tamen etiam sponsa ejus secundum spiritum, et inter membra Ecclesiæ primum obtinet locum. Itaque non sine ratione hic psalmus canitur in festis Beatæ Virginis, et aliarum etiam virginum ; nec immerito dicitur de singulis : *Veni , sponsa Christi , accipe coronam.*

Sponsa Christi dicitur *Regina*, quia dignitatis Sponsi sui Regis est particeps. — *A dextris tuis*, id est proxima tibi, in loco summi honoris. — *Astitit*, et non *sedit*, innuit Chrysostomus, quia sedere convenit æquali ; et ideo Filius sedet ad dexteram Patris, ut æqualis ; Ecclesia autem, ut inferior, assistit, cum cœlestibus potestatibus, quæ assistere dicuntur coram Deo.

Astitit autem in ornatu pretioso, qualis Reginam decet. *In vestitu deaurato circumdata varietate* : hebraice , *in auro ac varietate de Ophir*, quæ regio Indica erat, ex qua aurum purissimum quærebatur.

Varietas illa proprie indicare videtur ornamenta varia

sponsæ, ut diadema, monilia, cingulum, calceamenta et similia ; — metaphorice autem ornatus ille pretiosus ac varius, varias Ecclesiæ virtutes, varia dona ejus ac charismata significat. Hieronymus et Chrysostomus per vestem auream, gratiam sanctificantem ; per varietatem, varias virtutes, fidem, spem, charitatem, humilitatem etc., intelligunt. Quæ nequaquam pugnant, imo consonant cum verbis Apocalypseos : *Venerunt nuptiæ Agni, et uxor ejus præparavit se. Et datum est illi ut cooperiat se byssino splendenti et candido. Byssinum enim justificationes sunt Sanctorum.* Apoc. XIX, 8.

12. *Audi, filia, et vide, et inclina aurem tuam : et obliviscere populum tuum, et domum patris tui.*

13. *Et concupiscet Rex decorem tuum : quoniam ipse est Dominus Deus tuus, et adorabunt eum.*

His verbis, sub forma hortatoria prædicatur ardens Ecclesiæ erga Christum amor, quo relinquit patrem, matrem et omnia ut divino Sponso adhæreat. — *Audi*, inquit *filia*... per apostrophen Ecclesiam alloquens, quam *filiam* appellat, vel in persona Dei Patris, secundum Hieronymum ; vel in persona alicujus Patris Ecclesiæ, id est, alicujus Apostoli vel Prophetæ, ut censet Augustinus. Est autem sensus, quasi dicat : O sponsa Christi, audi verba Sponsi tui, ea considera, eisque obedi perfecte ; et quo facilius id facias, obliviscere populum tuum et domum patris tui. — Allegoricis hisce verbis invitatur Ecclesia ad accipiendam scientiam Christi, audiendo doctrinam ejus, contemplando exempla, implendo præcepta. Invitatur quoque ad obliviscendam gentem suam, et paternam domum, quia renuntiare debet superstitionibus Gentilitatis, et legibus cæremonialibus Synagogæ ; imo sensu altiore, quia oblivisci debet et odio habere mundum atque ea quæ in mundo sunt. Nam electa est Ecclesia de mundo, quæ domus est patris nostri veteris Adami, e paradiso ejecti ; vel, si melius placet, ipsius diaboli. *Ego elegi vos de mundo* (Joan. XV, 19). — Omnia oblivisci debet, ut unice Sponso contemplando et amando sit intenta.

Quod addit : *Et concupiscet Rex decorem tuum*... Rationem reddit, cur Ecclesia debeat esse tota amori et obedientiæ Sponsi cœlestis intenta : quia videlicet sic fiet, ut vere placeat oculis ejus, et mereatur amorem cordis ejus. Nihil enim gratius ei est, quam obedientia mandatis suis ; quoniam non alius est Rex ille Sponsus Ecclesiæ, quam Dominus Deus ab omnibus creaturis adorandus : *Quoniam ipse est Dominus Deus tuus, et adorabunt eum.*

Potest etiam illud : *Et concupiscet Rex decorem tuum*, spe-

ctari ut in parenthesi positum ; et tunc motivum principale cur sponsa pro Sponso omnia relinquere debeat, erit : *Quoniam ipse est Dominus Deus.*

14. *Et filiæ Tyri in muneribus vultum tuum deprecabuntur : omnes divites plebis.*

Jam laudat Reginæ imperium, et prædicit fore ut regna et provinciæ gentilium agnoscant Ecclesiam, eique obsequia et munera, id est, corda sua et obedientiam exhibeant.

Illud *filiæ Tyri* significare videtur ipsam civitatem Tyrum, et ab ea dependentes provincias ; repræsentat autem generatim gentilitatem, quia Tyria respublica, Palæstinæ vicina, tunc temporis inter ethnicas gentes erat clarissima. — *In muneribus vultum tuum deprecabuntur* : scilicet cum muneribus venient supplicantes tibi, vel tanquam favorem deprecantes, ut ante faciem tuam admittantur. Quibus verbis allegorice significatur, Gentes pro honore ac gratia summa habituras possidere religionem Christi, et pertinere ad Ecclesiam ejus. *Omnes divites plebis* : id est, ditissimi populorum, præclarissimæ gentes ad te venerabundæ ac supplices venient.

15. *Omnis gloria ejus filiæ Regis ab intus : in fimbriis aureis circumamicta varietatibus.*

Revertitur ad Reginæ gloriam, et pulchritudinem, quam distinctius explicat. — *Omnis*, inquit, *gloria ejus ab intus* : id est, universa gloria filiæ Regis, sive Ecclesiæ, est essentialiter intrinseca, spiritualis et in corde : consistens in fide, charitate, etc. (Cf. I Pet. III, 3, 4). — Addit autem, *in fimbriis aureis, circumamicta varietatibus* : id est, amictu ornata variegato, quod ornamentum quoque extrinsecum designat ; nec tamen contradicit præcedentibus verbis. Sensus enim est : Quamvis externus decor ei non desit, hic tamen vix umbra est interni, et quasi pro nihilo reputandus ; — vel : Gloria Ecclesiæ, quæ essentialiter interna est, resplendet tamen extrinsecus in fimbriis aureis et in amictu variegato.

Quibus verbis imprimis declarat propheta, pulchritudinem et magnificentiam quam describit, esse spiritualiter intelligendam, ut carnalibus cogitationibus quæ suboriri possent, occurrat : ideo dicit, *Ecclesiæ gloriam esse ab intus.* — Dicendo autem, omnem gloriam et decorem internum esse, nequaquam exteriorem cultum et cæremonias, quæ sunt pietatis retinacula, excludit aut reprobat ; sed significat duntaxat bonorum spiritualium præstantiam : hæc enim interiora velut anima sunt, ex qua omnem efficaciam et gratiam ad exteriora promanare oportet.

Si consideremus verba, pronomen *ejus* redundat per pleonasmum, unde et græce deest. — *Fimbriæ aureæ*, proprie ornamentum sunt, quo vestis ora distinguitur ; metaphorice vero designare videntur opera exteriora charitatis. — Per *varietates*, intelligitur proprie, vel vestis opere phrygio intertexta ; vel idem quod supra, nempe ornamenta varia quibus sponsa condecoratur ; metaphorice autem, vel variæ virtutes Ecclesiæ, vel variæ observationes, variique Deum colendi ritus ordinesque religiosi diversi. Ecclesia enim dispensatrix est *multiformis gratiæ Dei* (I Pet. IV, 10). — *Divisiones scilicet gratiarum sunt : idem autem Spiritus ; et divisiones ministrationum sunt : idem autem Dominus ; et divisiones operationum sunt : idem vero Deus qui operatur omnia in omnibus... dividens singulis prout vult.* 1 Cor. XII, 4 seqq.

Cur autem, Ecclesia *sponsa regis* cum sit, hic vocatur *filia regis ?* — Resp. 1° Ut adoptio ejus divina significetur, secundum illud : *Dedit eis filios Dei fieri.* Vel 2° vocatur *filia regis*, id est, filia Dei Patris : utpote sponsa unigeniti Filii Patris. Vel 3° dicitur *filia regis*, id est, uxor regia, adolescentula et virgo : ut significetur perpetua Ecclesiæ juventus.

16. *Adducentur Regi virgines post eam : proximæ ejus afferentur tibi.*

17. *Afferentur in lætitia et exultatione : adducentur in templum Regis.*

Hic laudat Reginam ab ipsius comitatu. Alloquens enim Sponsum, etsi in tertia persona, describit sponsæ subsequentes comites, quasi dicat : Post Ecclesiam, sponsam Christi principalem, adducentur etiam ad thalamum tuum, o cœlestis Sponse, virgines aliæ : illæ nempe, quæ reginæ fuerint proximæ, conjunctæ et similes, quæque supra vocatæ sunt *filiæ regum in honore*, nimirum Regis glorioso famulatui peculiariter consecratæ. — Hæ autem quænam significantur ? 1° Animæ selectæ, quæ virginitatem suam Deo consecrarunt. — 2° Omnes Ecclesiæ particulares, quæ Ecclesiæ Romano-Catholicæ adhærent et obediunt. — 3° Si per sponsam Christi principalem intelligatur Beata Virgo Maria, post eam venientes erunt omnes virgines, reginam virginum imitantes.

Addendo : *Afferentur in lætitia et exultatione : adducentur in templum Regis,* explicat gaudium tam multiplicium nuptiarum. — Adducentur in regis domum seu palatium : quod est templum, sive cœlum ; eoque introducentur cum magna lætitia sua, et applausu totius curiæ cœlestis. Fortasse hic respicitur canticum illud, quod soli Virginum choro in cœlesti regno cantare licet : *Et cantabant quasi canticum novum ante sedem...*

Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati : virgines enim sunt. Hi sequuntur Agnum quocumque ierit. Apoc. XIV, 3. 4.

18. *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii : constitues eos principes super omnem terram.*
19. *Memores erunt nominis tui, in omni generatione et generationem.*
20. *Propterea populi confitebuntur tibi in æternum, et in sæculum sæculi.*

Quarta pars : laus filiorum. — Post expositam dignitatem ac gloriam Sponsi et sponsæ, transit propheta ad fructum nuptiarum, dicens : nascituram ex hoc matrimonio felicissimam prolem, quæ toti orbi terrarum imperatura sit, Deique gloriam celebratura in æternum.

In his verbis, *pro patribus tuis*, pronomen *tuis*, ut communius censent Patres, est referendum ad sponsam, quæ supra est jussa oblivisci paternam domum, adeoque majores seu patres suos ; et sensus est : Pro patribus quos habuisti , o sponsa, id est, pro patriarchis et prophetis ; nec non pro patribus quos reliquisti in gentilitate, et quorum oblivisci jussa es : nati sunt tibi filii, Apostoli nimirum et apostolici viri, orbis terrarum principes et legislatores : *Constitues eos principes super omnem terram.* Scilicet pro duodecim Patriarchis, principibus tribuum Israel, nati sunt duodecim Apostoli, principes mundi ; et hi vicissim, Patres effecti eorum quos in Christo genuerunt, locum dederunt filiis, Episcopis nempe et Ecclesiarum rectoribus ; quæ generatio perpetua sanctæ Matris Ecclesiæ, principatum obtinet in universo mundo.

Duo sequentes versiculi, 19 et 20, explicant regiæ sobolis nobilitatem ; simulque encomium Regis et psalmum concludunt : significando nimirum, fore ut sancta proles ex tam sancto connubio nascitura, non alium habitura sit finem nisi perpetuam Dei laudem. — Prædicitur hic Ecclesiæ indefectibilitas et perpetua sanctitas.

19. *Memores erunt nominis tui, Domine*... omnes illi filii, inquit, per successivas generationes nascituri, memores erunt nominis tui, o Deus, ut illud laudent ac prædicent ; ex quo sequetur, ut populi fideles ab ipsis instituti , laudes tuas similiter celebrent :

20. *Propterea populi confitebuntur tibi in æternum, et in sæculum sæculi.* Scilicet laudabunt te in hac vita et in futura. Etsi enim in patria cessabunt preces et lacrymæ ; laudatio tamen et glorificatio non cessabunt.

Spectavimus hæc ultima verba ut directa ad Deum Patrem ;

intelligi quoque possunt ut dicta ad Christum Regem, cujus nomen una cum Deo Patre et Spiritu sancto ab Ecclesia laudabitur in æternum.

Sensus liturgicus.

Psalmus *Eructavit* recitatur, 1° in Nativitate, Circumcisione et Transfiguratione Domini; 2° in festis B. M. Virginis, cæterarumque Virginum; 3° in festis Apostolorum.

1° In festis mysteriorum Christi, Ecclesia, ut patet, Sponsi sui laudes celebrat et decora; eumque contemplatur ut speciosum forma præ filiis hominum. — Porro si celebrat Nativitatem, peculiarius elucere illam pulchritudinem videt in suavissima Verbi incarnati infantia, atque in regia ipsius paupertate; — si celebrat Circumcisionem, in signaculo circumcisionis, et in nomine Jesu, quod puero imponitur, tanquam in regiis insignibus; — si celebrat Transfigurationem, in manifestatione cœlestis illius claritatis, qua resplenduit facies ejus sicut sol, et vestimenta ejus facta sunt alba sicut nix.

2° In festis B. M. Virginis, Ecclesia, Dei Genitricem considerans ut cœli Reginam ac Spiritus sancti Sponsam, eam celebrat primum indirecte: laudando Regem, Filium ejus, cujus gloria in ipsam redundat; secundo directe, ipsam intuendo, ut adstantem a dextris Regis, in vestitu deaurato.

Cæteræ Virgines, Christi sponsæ, similiter laudantur primum in Sponso suo glorioso; deinde in se ipsis, quatenus Beatissimæ Virgini Mariæ, Virginum Reginæ similes factæ sunt, ejusque vestigia secutæ; adeo ut ad eas præcipue pertineat illud: *Adducentur Regi virgines post eam, proximæ ejus afferentur tibi: afferentur in lætitia et exultatione, adducentur in templum Regis.*

3° In festis Apostolorum, Beati Apostoli celebrantur primo indirecte: nimirum in Christo Rege, cujus sunt electi milites; et in Ecclesia, cujus simul sunt fundatores et ornamentum, secundum illud: *Et murus civitatis habens fundamenta duodecim; et in ipsis duodecim nomina duodecim apostolorum Agni.... Et fundamenta muri civitatis omni lapide pretioso ornata* (Apoc. XXI, 14, 19). — Secundo, laudantur in se, quatenus principes constituti super terram, ut regnum justitiæ tueantur; eorumque regimine sanctificati populi, confiteantur Domino in æternum, et in sæculum sæculi.

—

PSALMUS XLV.

Deus noster refugium et virtus.

1. Deus noster refugium et virtus : adjutor in tribulationibus quæ invenerunt nos nimis (1).

1. Deus noster refugium nobis est et fortitudo : adjutor in tribulationibus quæ invenerunt nos nimis.

2. Propterea non timebimus dum turbabitur terra : et transferentur montes in cor maris.

2. Propterea non timebimus etiam dum funditus turbabitur terra, et excussi montes transferentur in medium mare.

3. Sonuerunt et turbatæ sunt aquæ eorum : conturbati sunt montes in fortitudine ejus.

3. Et reipsa sonuerunt et turbatæ sunt aquæ marium, concussique sunt montes forti brachio Dei.

4. Fluminis impetus lætificat civitatem Dei : sanctificavit tabernaculum suum Altissimus (2).

4. At interim flumen abundans lætificat civitatem Dei : quia hanc sanctificavit sibi in tabernaculum Altissimus.

5. Deus in medio ejus, non commovebitur : adjuvabit eam Deus mane diluculo.

5. Vere Deus in medio ejus, ideoque non commovebitur : sed adjuvabit eam Deus semper promptissime.

6. Conturbatæ sunt gentes, et inclinata sunt regna : dedit vocem suam, mota est terra.

6. Conturbatæ quidem sunt gentes, et labefacta sunt regna : et ubi misit Dominus vocem tonitrui sui, mota est universa terra.

7. Dominus virtutum nobiscum : susceptor noster Deus Jacob.

7. Tunc autem Dominus exercituum nobiscum manet : protector noster Deus Jacob.

8. Venite, et videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram, auferens bella usque ad finem terræ.

8. Quin imo, venite, videte opera Domini, et prodigia quæ posuit super terram : auferendo bella ab orbe terrarum.

9. Arcum conteret, et confringet arma : et scuta comburet igni.

9. Ecce arcum contrivit et confregit arma : et scuta combussit igne.

(1) Juxta hebræum : *Adjutor in tribulationibus inventus est validus.*
(2) Juxta hebræum : *Fluminus rivuli lætificant civitatem Dei, sanctuarium tabernaculi Altissimi.*

10. Vacate, et videte quoniam ego sum Deus : exaltabor in Gentibus, et exaltabor in terra.

11. Dominus virtutum nobiscum : susceptor noster Deus Jacob.

10. Vacate igitur, et ex his cognoscite quoniam ego sum Deus, qui solus exaltabor in Gentibus et exaltabor in terra.

11. Nos itaque merito cantabimus semper : Dominus virtutum nobiscum : susceptor noster Deus Jacob.

—

Explicatio.

Argumentum. — Præsens psalmus, ait Jansenius, compositus putatur occasione victoriæ Davidi concessæ de omnibus suis circumquaque inimicis, regno suo infestis ; aut, secundum alios, occasione liberationis, qua, tempore Ezechiæ regis, populum Juda et civitatem Jerusalem Dominus liberavit ab obsidione Assyriorum, plaga magna illos cædens, et suis pacem præbens. Est itaque gratulatio pro insigni aliquo auxilio, filiis Israel et sanctæ civitati Jerusalem divinitus collato : propter quod deinceps, etiam maximis in periculis, securos se fore canunt ; aliasque gentes ad considerationem divinæ potentiæ in populo Israel declaratæ invitant.

Secundum sensum mysticum, psalmus hic vox est Christi fidelium, exultantium in Deo, quod illis a persecutione et oppugnatione infidelium tandem liberatis, pacem universalem præstiterit : voce evangelicæ prædicationis iniquos ac superbos dæmones conturbando et prosternendo : gentesque, armis contra Ecclesiam depositis, fidei subjiciendo.

I. *Deus tuetur populum suum ab omni malo.*
II. *Deus lætificat populum suum omni bono.*

—

1. *Deus noster refugium et virtus : adjutor in tribulationibus, quæ invenerunt nos nimis.*

Testantur populi Deo dicati, se Deum habere protectorem et adjutorem in omnigena tribulatione sua. *Deus noster*, inquiunt, *refugium et virtus...* scilicet *refugium* tutissimum quando fugiendum est, et *virtus* quando pugnandum ac sustinendum : utroque autem tempore ipse Deus omnipotens est *adjutor* populo suo, nempe modo incolumitatem ei præbendo, modo etiam victoriam et omnia bona pacis. — *In tribulationibus quæ invenerunt nos nimis* : id est quæ multæ et graves invaserunt nos ; — nisi præferatur lectio hebraica : *Adjutor Deus in tribulationibus inventus est validus.*

Hinc, ex firmissima illa fide de adjutorio Dei, quod nunc iterum insigni effectu experti sunt, maxima fiducia impleti addunt, se nihil timere :

2. *Propterea non timebimus dum turbabitur terra : et transferentur montes in cor maris.*

3. *Sonuerunt, et turbatæ sunt aquæ eorum ; conturbati sunt montes in fortitudine ejus.*

Deo, inquiunt, protegente nos, nihil timebimus, securi erimus : etiamsi omnia, terra et mare sus deque vertantur ; etiamsi terra ita concutiatur ut montes conjiciantur *in cor maris* (græce, *marium*) : id est, in medium mare. — Et revera hujusmodi commotiones vidimus : 3. *Sonuerunt et turbatæ sunt aquæ eorum*, id est marium ; *conturbati sunt montes in fortitudine ejus*, id est, Dei : nimirum potentia et robore divini brachii, quod solum potest montes movere et tremefacere.

Mystice hic describuntur, 1° Ecclesiæ persecutiones et tentationes, quæ Deo permittente exoriuntur ; 2° perturbatio terribilis, qua mundum in novissimo die concutiet divina justitia, quaque omnes impios involvet. — *Terra* designat homines terrenos ; *montes*, superbos et potentes sæculi ; *mare*, magnitudinem et amaritudinem tribulationum, quibus immergentur impii in die judicii ; *turbatio aquarum et montium* terrorem reproborum.

4. *Fluminis impetus lætificat civitatem Dei : sanctificavit tabernaculum suum Altissimus.*

5. *Deus in medio ejus, non commovebitur : adjuvabit eam Deus mane diluculo.*

Incipit *altera pars*, quæ bona exponit civitatis Dei, simulque rationem explicat securitatis modo indicatæ. — Describitur scilicet status sanctæ civitatis, oppositus conturbationibus mundi impii. Civitas Dei possidet flumen Dei, tabernaculum Dei, ipsum Deum.

Fluminis impetus, (hebraice *fluminis divisiones, rivuli*), indicat aquas beneficas et abundantes, oppositas amaris fluctibus sævi maris. Hæc figura forte alludens ad aquas fontis Siloe, ex monte Sion defluentes, indicat divinæ protectionis abundantiam.

Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus. En tantæ protectionis ratio : quia civitas Dei est, quam elegit Deus et sanctificavit in tabernaculum sibi. *Sanctificavit*, id est, separavit ab omni profano contactu et violatione hanc civitatem, tanquam rem et habitationem suam. *Sanctificare*, separationem indicat rei sacræ a profanis.

Mystice, *civitas Dei* est Ecclesia, — vel Beata Virgo Maria, — aut alia quævis anima sancta : hæc enim templa ac tabernacula sibi sanctificavit Altissimus. — *Flumen lætificans*, est abundantia gratiarum in hoc sæculo, vel torrens voluptatum in futuro. *Ostendit mihi fluvium aquæ vitæ, splendidum tanquam crystallum, procedentem de sede Dei et Agni* (Apoc. XXII, 1). — Nonnulli, etsi minus recte, flumen accipiunt in malam partem, pro impetu tribulationum, qui non nocet Ecclesiæ sed eam lætificat.

5. *Deus in medio ejus, non commovebitur...* Hoc opponitur instabilitati terræ et montium. Civitas Dei nulla perturbatione movebitur, quia *Deus est in medio ejus*, in corde ejus, præsentissimus ei manet, ut eam adjuvet. *Adjuvabit eam Deus*, et quidem *mane diluculo* : id est mature, opportune, prompte. — *Mystice* vero, in exortu diei, seu incipiente die felicitatis æternæ, civitati suæ lætitiam et stabilitatem dabit perfectam. Scriptura enim comparat infidelitatis tempus tenebris noctis ; tempus fidei, auroræ ; visionem gloriæ, claritati diei. *Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco, donec dies illucescat et lucifer oriatur in cordibus vestris.* II Pet. I, 16.

6. *Conturbatæ sunt gentes, et inclinata sunt regna : dedit vocem suam, mota est terra.*

7. *Dominus virtutum nobiscum : susceptor noster Deus Jacob.*

Clarius explicatur illud *non commovebitur*, et *adjuvabit eam Deus*. Nimirum : *Dedit vocem suam*, id est, intonuit Dominus contra hostes populi sui ; ideoque gentes et regna hostilia statim nutant et cadunt, imo universa terra contremiscit. Nos autem in pace sumus quia *Dominus virtutum nobiscum, susceptor noster Deus Jacob.*

Mystice, prophetia hæc est de spiritualium inimicorum ruina. *Vox Dei* intonans, est vox Evangelii ; vel vox divinæ justitiæ, quæ præsertim in fine mundi audietur. — Regna quæ corruunt, repræsentant regnum Satanæ, dominantis in Gentes per idololatriam, et per peccatum in animas ; — repræsentant quoque pensecutiones varias, et quoslibet spirituales inimicos : hi quamvis potentes sint, trement sicut tremit terra, et cadent voce Christi Domini : qui est *Dominus virtutum*, id est, exercituum, nempe Deus omnipotens.

8. *Venite et videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram : auferens bella usque ad finem terræ.*

9. *Arcum conteret et confringet arma : et scuta comburet igni.*

Hanc Dei erga populum suum protectionem et beneficentiam tam mirabilem non sufficit ut enarret ; vult ut eam omnes populi contemplentur. Quare invitat eos, dicens : Venite, considerate opera Domini, seu miracula quibus implevit terram, auferendo omnia bella, et ipsa bellica instrumenta destruendo : *Arcum conteret et confringet arma, et scuta comburet igni.* — Prædicitur, his verbis pax universalis ; fore scilicet, ut illa pax, quam Dominus civitati suæ dabit, extendatur ad universum terrarum orbem. Hæc autem pax universalis designat, 1° fidem catholicam quæ pacem Christi continet ; 2° æternam pacem Ecclesiæ triumphantis, cujus prospectu Ecclesia militans in bellis sustinendis confirmatur.

10. *Vacate, et videte quoniam ego sum Deus : exaltabor in gentibus, et exaltabor in terra.*

Iterum invitat homines ad considerationem salutarem : et quo efficacius persuadeat, inducit ipsum Deum loquentem et exhortantem. — Modo dicebat, *venite* ; nunc, ut ostendat quomodo venire oporteat, dicit, *vacate* : id est, omnem aliam curam, præsertim peccaminosam seponite, et mente libera atque tranquilla considerate... Sic enim videbitis *quoniam ego sum Deus : exaltabor in gentibus et exaltabor in terra.* Cujus sententiæ sensus est, 1° evidenter cognoscetis, me Deum Israel, esse verum Deum, magnum coram omnibus gentibus et per totum orbem terrarum ; 2° sensu mystico, juxta sanctum Basilium : Cognoscetis, me Jesum Nazarenum, etsi homo esse videor sicut cæteri, esse simul verum Deum ; nam cum suspensus fuero in cruce, omnia traham ad me ipsum, et adeo exaltabor, ut in nomine meo genu flectatur.

Dominus virtutum nobiscum : susceptor noster Deus Jacob.

Concluditur psalmus repetitione versus 7, quo affectus pius, qui totius cantici velut fructus est, altissime cordi maneat impressus.

Sensus liturgicus.

Psalmus *Deus noster refugium*, recitatur 1° in Epiphania Domini ; 2° in Dedicatione Ecclesiæ ; 3° in officio Beatæ Mariæ Virginis ; 4° in officio aliarum Virginum ; 5° in officio Martyrum.

1° In Epiphania Domini imprimis respicitur versiculus 10 : *Vacate et videte quoniam ego sum Deus : exaltabor in Gentibus, et exaltabor in terra.* Ecclesia scilicet cantat felicitatem suam, eo quod possideat Christum Regem, protectorem, pacificum, dominatorem Gentium.

2° In Dedicatione Ecclesiæ, celebratur Christus ut protector ac fons omnis gratiæ, habitans nobiscum, in medio nostrum, in tabernaculo templi quod sibi sanctificare dignatus est : *Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus.*

3° In officio de Beata, nomine *civitatis Dei* allegorice spectatur sancta Dei Genitrix, quæ gremio suo Christum portare meruit, quam sibi in tabernaculum sanctificavit Altissimus, et per quam possidemus Christum ejusque gratias : scilicet per *quam Dominus virtutum nobiscum, susceptor noster Deus Jacob.*

4° In festis de aliis Virginibus, spectatur mystice corpus humanum ut templum ac tabernaculum Dei, quod per castitatem præcipue sanctificandum est. At vero ipse Deus habitans in sacrario virginei corporis, ipse est refugium et virtus, adjutor in insultibus nimiis quibus humana fragilitas impugnatur : *Deus in medio ejus, non commovebitur.*

5° In officio Martyrum celebrantur militum Christi certamina, fortitudo in Domino, et gloriosi triumphi : *Deus noster refugium et virtus... Venite et videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram... Arcum conteret et confringet arma... Dominus virtutum nobiscum : susceptor noster Deus Jacob.*

PSALMUS XLVI.

Omnes gentes, plaudite manibus.

1. Omnes gentes, plaudite manibus : jubilate Deo in voce exultationis.	1. Omnes gentes, plaudite manibus : jubilate Deo voce lætissima.
2. Quoniam Dominus excelsus, terribilis : Rex magnus super omnem terram.	2. Quoniam Christus Dominus noster excelsus est, terribilis, et Rex magnus super omnem terram.
3. Subjecit populos nobis : et gentes sub pedibus nostris.	3. Ipse per Apostolos subjecit nobis populos et gentes universas.
4. Elegit nobis hæreditatem suam : speciem Jacob, quam dilexit.	4. Ipse dedit nobis tanquam filiis hæreditatem suam : quæ gloria est prædilecti Israelis.

5. Ascendit Deus in jubilo : et Dominus in voce tubæ.

5. Ipse primus eo ascendit, Homo-Deus, in jubilo : et Dominus triumphator, in voce tubæ.

6. Psallite Deo nostro, psallite : psallite Regi nostro, psallite.

6. Psallite Christo Deo nostro, psallite : psallite Regi nostro, psallite.

7. Quoniam Rex omnis terræ Deus : psallite sapienter.

7. Quoniam Rex omnis terræ Christus Deus : psallite dignissime.

8. Regnabit Deus super gentes : Deus sedet super sedem sanctam suam.

8. Regnabit Christus Deus noster super gentes, per Apostolos et successores eorum : sedens interim ad dexteram Patris, Deus et Homo super sedem sanctam suam.

9. Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham : quoniam dii fortes terræ vehementer elevati sunt.

9. Regnabit, inquam, super gentes : nam principes populorum congregati sunt velut in unum populum, et subjecti Deo Abraham : et quidem hac subjectione, illi principes ac velut dii potentes terræ, aucti sunt gloria maxima.

Explicatio.

Argumentum. — Interpretes nonnulli ex recentioribus in hoc psalmo agi putant, sensu litterali, de translatione seu ascensione Arcæ fœderis in montem Sion ; SS. Patres autem fere unanimiter, celebrari dicunt, non solum sensu spirituali, sed etiam litterali, victoriam Christi ejusque ascensionem in cœlum.

I. *Gaudium ob Christi victoriam.*
II. *Gaudium ob Christi ascensionem.*

---

1. *Omnes gentes, plaudite manibus : jubilate Deo in voce exultationis.*

Invitat propheta homines, ut voce et plausibus magnam animi lætitiam demonstrent, quia magnum ipsis bonum magnaque gloria divinitus data est in Christo. — Invitat autem omnes gentes, quia Christus Salvator et Rex est, non Judæorum tantum, sed omnium Gentium. Hic sensus colligitur ex gaudendi motivis quæ sequuntur.

2. *Quoniam Dominus excelsus, terribilis : Rex magnus super omnem terram.*

3. *Subjecit populos nobis : et gentes sub pedibus nostris.*
4. *Elegit nobis hæreditatem suam : speciem Jacob, quam dilexit.*

En tres gaudendi rationes : Domini magnitudo, ejus triumphus, adoptio nostra in hæredes ejus. — *Quoniam,* inquit, *Dominus excelsus, terribilis*... Hæc verba in Christo verificantur, qui *excelsus* est ratione divinitatis ; *terribilis*, ratione potentiæ et belli contra peccatum ; *Rex magnus super omnem terram*, ratione Ecclesiæ suæ catholicæ.

3. *Subjecit populos nobis : et gentes sub pedibus nostris.* Altera lætandi causa est triumphus a Christo pro nobis relatus. Sicut olim subjecit gentes Chanaan antiquo populo Israel ; ita novo Israel, duodecim Apostolis suis, subjecit omnes gentes terræ. Alludit enim propheta ad victorias Josue de regibus Chananæis (Jos. Cap. I). — Altiore sensu significatur, nobis, Christi fidelibus, subjici per Christi gratiam omnes animæ hostes ; ita ut per ipsam de omnibus triumphemus : *Deus semper triumphat nos in Christo Jesu.* II. Cor. II, 14.

4. *Elegit nobis hæreditatem suam : speciem Jacob, quam dilexit.* Tertia gaudendi ratio, adoptio nostra in filios Dei per Christum : qui non tantum vicit inimicos nostros, sed dedit nobis filios Dei fieri et hæredes cœli.

Sensus verborum est, vel 1° Elegit quosdam ex nobis tanquam hæreditatem suam, seu populum proprium : elegit ex nobis, *speciem Jacob, quam dilexit*, id est, pulchritudinem, ac velut florem populi Judaici : nempe Apostolos primosque discipulos , qui primitivam Ecclesiam constituerent, quosque singulariter prædilexit. — Vel 2° melius : Elegit pro nobis, ac paravit nobis hæreditatem suam cœlestem : gratiam nempe in hac vita, et gloriam in futura. Hæc autem hæreditas merito vocatur *species Jacob*, seu gloria Jacobæorum, Israelitarum, h. e. fidelium, fidem ac virtutes Jacob patriarchæ sectantium : quia revera adeo homines nobilitat , ut per eam efficiantur *divinæ consortes naturæ.* II Pet. I, 4 (1).

5. *Ascendit Deus in jubilo : et Dominus in voce tubæ.*

Altera pars, ascensio Domini in thronum cœlestem, ut ibi sedeat ad dexteram Patris. — Postquam Christus nobis hæreditatem cœlestem comparavit, ascendit ut victor gloriosus, *in*

(1) Hæc secunda expositio Vulgatæ melius convenit cum hebræo textu, qui ab Hieronymo sic vertitur : *Elegit nobis hæreditatem nostram : gloriam Jacob quam dilexit.*

jubilo, in voce tubæ : quæ de spirituali jubilo, deque angelorum exultatione atque canticis intelligenda sunt. — Hic propheta, ex admiratione ascensionis, provocat omnes ad acclamandum laudibus tantæ gloriæ, dicens :

6. *Psallite Deo nostro, psallite : psallite Regi nostro, psallite.*
7. *Quoniam Rex omnis terræ Deus : psallite sapienter.*

Frequenti repetitione ardorem demonstrat affectus. *Psallite,* inquit, *sapienter*, id est, intelligenter : nempe non tantum modulate et concinne, sed etiam cum intelligentia mysteriorum, et cum affectu pietatis, quæ psalmis continentur. — Hinc patet, quam utile sit quamque menti Ecclesiæ conforme, Psalmorum studium ac meditatio.

8. *Regnabit Deus super gentes : Deus sedet super sedem sanctam suam.*

Jam contemplatur Christum sedentem in cœlesti suo throno, ad dexteram Patris, unde regnum exercet in terram, et omnes gentes moderatur.

Regnabit, inquit, *super gentes* : id est, non contentus Israelitis, qui ipsum ut Regem susceperunt, regnum suum extendet ad omnes gentes per Apostolos suos, ipse interim sedens ad dexteram Patris, *super sedem sanctam suam* : id est, super sedem sanctitatis et justitiæ, ad quam peccatum aut immunditia ulla accedere nequit.

9. *Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham : quoniam dii fortes terræ vehementer elevati sunt.*

His ultimis verbis declarat, quomodo regnaturus sit Christus super Gentes, cum tamen ipse Rex sit Israeli promissus. *Principes*, inquit, *populorum*, videlicet gentilium, *congregati sunt cum Deo Abraham*, id est, ad eum accesserunt, eum ut Deum suum agnoscentes, devicti verbo Apostolorum. — *Quoniam dii fortes terræ, vehementer elevati sunt* : id intelligendum videtur de principibus populorum, hoc sensu : Principes populorum subjecerunt se Deo Abraham : et quidem hac subjectione, quamvis ratione potentiæ sint velut dii in terra, vehementer tamen elevati sunt : ex idololatris nimirum et servis diaboli, regenerati in filios Dei veri et vivi.

Illud *dii fortes terræ*, juxta lectionem vulgatæ, intelligi quoque potest de Apostolis, qui adeo repleti sunt Spiritu sancto

ac divina virtute ex alto, ut tanquam dii apparuerint in terra, quibus principes populorum resistere non potuerint (1).

Sensus liturgicus.

Psalmus iste jubilatione plenus, recitatur 1° in festo SS. Trinitatis; 2° in Epiphania et Ascensione Domini; 3° in festis Apostolorum.

1° In festo SS. Trinitatis, est canticum jubilationis quo SS. Trinitatis majestatem laudat et exaltat Ecclesia. Scilicet quæ de Christi gloria dicuntur in hoc psalmo, Dei trini et unius gloriæ accommodat. Rectissime quidem: cum Christus omnisque gloria ejus, utpote divinum opus ad extra, effectio sit totius SS. Trinitatis.

2° In Epiphania et Ascensione, celebratur Christus ut Rex, cui subjecti sunt omnes gentes ac reges terræ, quique ascendit in regiam sedem suam ut omnibus imperet: quapropter plausus ei ac laudes magnificæ deferuntur: *Omnes gentes plaudite... psallite Deo nostro... psallite Regi nostro.* — In Epiphania peculiariter respiciuntur hæc verba: *Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham.* In Ascensione vero, ista: *Ascendit Deus in jubilo, et Dominus in voce tubæ.*

3° In festis Apostolorum, Ecclesia hoc psalmo celebrat sanctos Apostolos, tum ut Christi regni præcones et propagatores; tum ut Christi Regis in terris vicarios, qui ipsimet nomine Christi, reges terræ et populos regunt auctoritate divina, tanquam dii fortes terræ: *Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham: quoniam dii fortes terræ vehementer elevati sunt.*

—

PSALMUS XLVII.

Magnus Dominus et laudabilis nimis.

1. Magnus Dominus et laudabilis nimis, in civitate Dei nostri, in monte sancto ejus.	1. Magnus Dominus et laudabilis valde: præcipue in civitate Dei nostri, posita in monte sancto ejus.
2. Fundatur exultatione universæ terræ mons Sion:	2. Constitutus est cum gaudio universæ terræ mons Sion: latus

(1) Prior expositio magis congruit cum textu hebræo, qui sic videtur intelligendus: *Principes populorum congregati sunt cum populo Dei Abraham: quoniam Dei* (possessio) *sunt principes potentissimi terræ: vehementer elevatus est* (Deus).

latera aquilonis, civitas Regis magni (1).

3. Deus in domibus ejus cognoscetur : cum suscipiet eam (2).

4. Quoniam ecce reges terræ congregati sunt : convenerunt in unum.

5. Ipsi videntes sic admirati sunt, conturbati sunt, commoti sunt : tremor apprehendit eos.

6. Ibi dolores ut parturientis : in spiritu vehementi conteres naves Tharsis.

7. Sicut audivimus, sic vidimus in civitate Domini virtutum, in civitate Dei nostri : Deus fundavit eam in æternum.

8. Suscepimus, Deus, misericordiam tuam in medio templi tui.

9. Secundum nomen tuum, Deus, sic et laus tua in fines terræ : justitia plena est dextera tua (3).

10. Lætetur mons Sion, et exultent filiæ Judæ, propter judicia tua, Domine.

11. Circumdate Sion, et complectimini eam : narrate in turribus ejus (4).

12. Ponite corda vestra

septentrionale, civitas Regis magni.

3. Deus in domibus ac templis hujus civitatis cognoscetur : quippe quam suscepit protegendam.

4. Quoniam ecce reges terræ congregati sunt contra eam, et convenerunt in unum.

5. Sed ipsi, videntes eam propius, subito admirati sunt, simulque conturbati sunt et commoti sunt : statimque tremor ac stupor apprehendit eos.

6. Tunc experientur velut dolores parturientium : quia tu, Domine, conteres eos, sicut vento vehementi conterere soles naves Tharsis.

7. Sicut audivimus prædictum, sic impletum vidimus in civitate Domini virtutum, in civitate Dei nostri : Deus stabilivit eam inexpugnabilem in æternum.

8. Suscepimus, Deus, misericordiam tuam in medio templi tui.

9. Hinc, sicut nomen tuum, Deus, ita et laus tua extenditur in fines terræ : quia justitia plena est dextera tua.

10. Lætetur itaque mons Sion, et exultent filiæ Judæ : propter decreta misericordissima tua, Domine. — Vos autem beati cives Jerusalem,

11. Circuite Sion, et complectimini eam oculis, numerate turres ejus ;

12. Applicate animum ad consi-

(1) Juxta hebræum : *Speciose eminens, gaudium universæ terræ est mons Sion, latus septentrionale* (Jerosolymæ, locus ubi sita est) *civitas regis magni*.

(2) In hebræo : *Deus in domibus ejus innotescet ut refugium* (ut protector).

(3) In hebræo hodie : *Justitia plena est omnis terra.*

(4) In hebræo : *Obite Sionem, et circuite eam, numerate turres ejus.*

in virtute ejus, et distribuite domos ejus (1), ut enarretis in progenie altera.

13. Quoniam hic est Deus, Deus noster in æternum et in sæculum sæculi : ipse reget nos in sæcula.

derandam fortitudinem ejus, distincte spectate palatia ejus : ut enarretis generationi alteri.

13. Quoniam hic est Deus, Deus noster in æternum, et in sæculum sæculi : ipse reget nos in sæcula.

—

Explicatio.

Argumentum. — Psalmus iste generatim spectatus, est canticum laudis ob firmissimam constitutionem civitatis sanctæ in monte Sion. — Hæc autem civitas est, vel simpliciter Ecclesia, ut censent latini Patres ; vel, juxta Patres græcos, est Ecclesia non simpliciter ac directe spectata, sed sub figura Jerusalem Judaicæ, post captivitatem Babylonicam reædificatæ. Admitti potest, utrumque sensum a Spiritu sancto esse intentum ; ita ut litteraliter, saltem aliquousque, urbem Jerusalem, spiritualiter vero et potissimum respexerit Ecclesiam Christi.

I. *Quomodo civitas sancta sit constituta.*
II. *Quomodo frustra impugnetur.*
III. *Quomodo Deus in ea laudetur.*

—

1. *Magnus Dominus et laudabilis nimis : in civitate Dei nostri, in monte sancto ejus.*

Aspiciens propheta civitatem sanctam, et in ea effulgentem admirans gloriam Domini, exclamat : *Magnus Dominus et laudabilis nimis*... quasi diceret : Deus quidem ubique laudabilis est ; sed in Jerusalem et in monte Sion, ipsius cultui consecrato, præcipue ejus magnitudo apparet, ejusque laus potissimum est celebranda. — Laudaturus propheta sanctam civitatem, incipit a laude Dei, a quo illa omnem gloriam suam accipit.

In monte sancto ejus... Dominus locum cultui suo destinatum voluit esse montem, ut hoc situ atque hac imagine fidelium mentes elevarentur in cœlum. — Spiritualiter significatur Ecclesia, civitas super montem posita, ad quam omnes gentes adoraturæ Deum undique ascendunt.

(1) In hebræo : *Advertite animum ad antemurale ejus, discernite palatia ejus, ut enarretis ætati posteræ.*

2. *Fundatur exultatione universæ terræ mons Sion : latera aquilonis, civitas Regis magni.*

Sensus est : Splendide exsurgit cum magno gaudio universæ terræ mons Sion, qui extenditur ad latus septentrionale Jerusalem, et in quo sita est civitas Regis magni.

Mons Sion appellatur *latera aquilonis* : quia situs in regione septentrionali urbis Jerusalem. — Dicitur etiam *civitas Regis magni :* quia in eo exstructa erat arx, seu civitas David (II Reg. V, 9) ; et quia postea in eodem monte, etsi meridiem versus, ædificatum est templum Dei.

Sensu spirituali significatur mirabilis structura Ecclesiæ, sive terrestris sive cœlestis, ex lapidibus vivis ; et, sensu consequenti, ædificatio templi Dei in animabus fidelium, gaudentibus angelis et sanctis : *Gaudium erit coram angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente* (Luc. XV, 10). — Ecclesia dicitur non tantum *mons Sion*, sed *latera aquilonis :* ut insinuetur, eam esse quasi murum ac munimentum, oppositum aquiloni spirituali, i. e. flamini spirituum immundorum, a quibus fideles in Ecclesia tuti quiescunt.

Nomine *Regis magni* spiritualiter intelligitur Deus et Christus, ædificator ac Rex Ecclesiæ.

3. *Deus in domibus ejus cognoscetur, cum suscipiet eam.*

Explicat quomodo illa civitas sit civitas Dei, Regis magni : Deus, inquit, ab omnibus ejus incolis cognoscetur et coletur ; — vel cognoscetur vere in domibus ejus habitare, siquidem suscipiet eam contra omnes hostes protegendam ac defendendam.

Vox *domus ejus* designat singula civitatis palatia, vel eorum incolas ; spiritualiter vero, singulas diœceses et parœcias quæ Ecclesiam catholicam constituunt ; singula quoque templa ; imo singula fidelium corda, quæ habitacula sunt Spiritus sancti.

4. *Quoniam ecce reges terræ congregati sunt : convenerunt in unum.*

5. *Ipsi videntes, sic admirati sunt, conturbati sunt, commoti sunt : tremor apprehendit eos.*

9. *Ibi dolores ut parturientis : in spiritu vehementi conteres naves Tharsis.*

Secunda pars, quomodo civitas sancta frustra impugnetur, seu quomodo suos inimicos devincat.

Versiculi citati expositionem secundariam de Jerusalem Judaica vix patiuntur ; de Ecclesia vero explicantur copiose ac diversimode. Etenim eos exponunt latini Patres de gentilibus conversis ad fidem ; græci vero, de gentilibus oppugnantibus fidem. Utraque expositio vera est , et una cum altera non pugnat.

Scilicet adversarii Ecclesiæ omnes vincuntur, sive per Dei misericordiam, sive per justitiam ejus. — Si misericordiæ se vinci permittunt , et convertuntur : tunc videntes miracula mirantur, timore salutari moventur, dolent peccata sua, et juvante Spiritus sancti gratia, obstacula salutis quælibet confringunt ; et sic, in unum populum Dei, in unam Ecclesiam congregantur. — Si misericordiæ resistunt et suis peccatis ac persecutionibus divinam justitiam provocant : tunc quantumvis conjurati et potentes sint, mirabuntur potentiam majorem in Martyribus , et in illa Ecclesia inermi, a qua tandem conterentur sicut naves sævissima procella.

Quod dicitur : *Sic admirati sunt*, id est *statim* admirati sunt, ut primum viderunt ; statimque tremor ac stupor apprehendit eos.

Conteres naves Tharsis... De nomine *Tharsis* disputatur. Alii volunt significari Tarsum Ciliciæ, alii Carthaginem, alii probabilius existimant agi de India , quæ regio indicari videtur hoc alio loco : *Classis Salomonis... ibat in Tharsis, deferens inde aurum , et argentum, et dentes elephantorum, et simias et pavos.* III Reg. X, 22.

7. *Sicut audivimus, sic vidimus in civitate Domini virtutum, in civitate Dei nostri : Deus fundavit eam in æternum.*

Incipit *Pars tertia* : laus Dei in civitate sancta. — Citatus textus iterum de Judaica Jerusalem intelligi minime potest, quæ nequaquam æternitatis promissionem accepit. Sunt autem verba filiorum Ecclesiæ, qui lætantur se oculis suis jam impleta videre , quæ de Ecclesiæ stabilitate prædixerunt Prophetæ antiqui, Christus, et Apostoli. *Sicut audivimus, sic vidimus...*

8. *Suscepimus, Deus, misericordiam tuam in medio templi tui.*

Addunt fideles , hanc stabilitatem , aliaque Ecclesiæ bona tribuenda esse soli misericordiæ Dei : quam, inquiunt, consecuti sumus *in medio templi*, ubi eam imploravimus. — Illa misericordia Dei in templo suscepta et suscipienda, est omne Dei auxilium, sunt Ecclesiæ sacramenta , sunt Spiritus sancti

dona, imo est ipsa Christi humanitas. Quapropter S. Bernardus, imo ipsa Ecclesia, verba hæc festo Purificationis accommodat, quando Christus in templo est præsentatus et a Simeone, fidelium personam gerente, susceptus.

9. *Secundum nomen tuum, Deus, sic et laus tua in fines terræ : justitia plena est dextera tua.*

Pergunt fideles laudare Deum ob misericordiam susceptam, quasi dicerent : Merito igitur laus tua tanta est quantum nomen tuum, nempe implens universam terram. — Illud enim *secundum*, proportionem indicat. — Materiam laudis præcipuam subjungunt, *justitiam,* qua pios defendit, impios punit ; quaque *dextera ejus*, i. e. omnis operatio ejus, ita est plena, ut nihil injusti locum in ea habere possit.

10. *Lætetur mons Sion, et exultent filiæ Judæ, propter judicia tua, Domine.*

Ex eo quod dictum est de justitia Dei, invitat ipse propheta civitatem sanctam ad lætandum in Domino, *propter judicia ejus :* id est, propter justitiam, qua montem Sion et filias Judæ contra hostes defenderit.

Sicut *mons Sion* litteraliter est Jerusalem, ita *filiæ Judæ* sunt castella et oppida Jerosolymæ subjecta. — *Spiritualiter*, hæc designant Ecclesiam Romanam et reliquas Ecclesias ei subjectas et unitas ; vel etiam, per montem Sion et per filias Judæ intelligitur universa societas fidelium, et animæ sanctæ singulæ, speciatimque Virgines. — Sunt qui nomine *montis* etiam innui censent viros perfectos ; nomine vero *filiarum* animas imperfectas ac debiles.

11. *Circumdate Sion, et complectimini eam : narrate in turribus ejus.*

12. *Ponite corda vestra in virtute ejus : et distribuite domos ejus, ut enarretis in progenie altera.*

Ad finem psalmi, juxta quosdam interpretes, hortatur propheta homines ad ædificationem et munitionem sanctæ civitatis, ut posteritas mirabilia Domini apte doceatur. — At vero, non agitur de ædificanda sancta civitate ; quippe quæ dudum fundata est, et adeo bene munita, ut reges solo aspectu ejus terrore perculsi recesserint.

Itaque, juxta veriorem sententiam, propheta invitat omnes, ut tantum splendorem, tamque miram ab hostium insultibus præservationem in sancta civitate contemplentur.

11. *Circumdate*, inquit, i. e. circuite *Sion*, et perlustrate eam undique : turres ejus numerate, murorum munimenta diligenter inspicite, palatiorum magnificentiam intuemini.

12. *Ponite corda vestra in virtute ejus...* Ut sæpe alibi, *cor* hic pro *mente* sumitur, *virtus* vero pro *robore* atque ambitu murorum ; et sensus juxta textum hebraicum est : *Applicate mentem* ad (animadvertite) firmitatem murorum ejus.

Et distribuite domos ejus hebraice : *separate, discernite*, id est, distincte considerate *palatia ejus.* — Porro turres, mœnia, palatia Jerusalem, spiritualiter significant sublimitatem doctrinæ, robur gratiæ et sacramentorum, magnificentiam charitatis, etc., quibus Ecclesia insignitur.

Ut enarretis in progenie altera : id est, ut tantum hujus civitatis decorem, tantumque robur ejus filiis vestris enarrare minutatim possitis : quo fiet, ut vobiscum agnoscant Dei magnalia, Deumque laudent, dicentes :

13. *Quoniam hic est Deus, Deus noster in æternum et in sæculum sæculi : ipse reget nos in sæcula.*

Sensus est : Hic Deus, qui fecit mirabilia in civitate sancta Jerusalem, ipse est Deus noster in æternum : nunquam ab ipso recedemus, nec ipse recedet a nobis ; nos erimus in æternum populus ejus, et ipse Deus noster erit ac Rex, qui *reget nos in sæcula.*

Sensus liturgicus.

Psalmus XLVII pertinet ad officium 1° Nativitatis Domini ; 2° Pentecostes ; 3° SS. Trinitatis ; 4° Dedicationis Ecclesiæ ; 5° sanctarum Virginum.

1° In festo Nativitatis celebratur hoc psalmo adventus Christi, ejusque regni exordium in Judæa. *Magnus Dominus et laudabilis nimis : in civitate Dei nostri, in monte sancto ejus... suscepimus, Deus, misericordiam tuam in medio templi tui... Quoniam hic est Deus, Deus noster in æternum....*

2° In festo Pentecostes, celebratur adventus Spiritus sancti, et exordium Ecclesiæ in monte Sion, inde propagandæ in universum orbem, stupentibus Regibus terræ : *Fundatur exultatione universæ terræ mons Sion... Quoniam ecce reges terræ congregati sunt... in spiritu vehementi conteres naves Tharsis... Secundum nomen tuum, Deus, sic et laus tua in fines terræ... Circumdate Sion et complectimini eam...*

3° In festo SS. Trinitatis, laudatur SS. Trinitas ut fundatrix Ecclesiæ. *Magnus Dominus et laudabilis nimis in civitate Dei nostri... Quoniam hic est Deus, Deus noster in æternum et in sæculum sæculi : ipse reget nos in sæcula.*

4° In Dedicatione Ecclesiæ, respicitur templum consecratum tanquam imago Ecclesiæ catholicæ, a Domino fundatæ, et tanquam una e domibus sanctæ civitatis. *Deus in domibus ejus cognoscetur, cum suscipiet eam... Suscepimus, Deus, misericordiam tuam in medio templi tui.*

5° In officio de Virginibus, spectantur sanctæ Virgines ut templa domusque mysticæ Dei, per virginitatem Christo peculiariter consecratæ. Quæ quidem apertius significantur verbis istis : *Deus in domibus ejus cognoscetur cum suscipiet eam... Lætetur mons Sion et exultent filiæ Judæ propter judicia tua, Domine.*

PSALMUS L.

Miserere mei, Deus.

1. Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam.

1. Miserere mei, Deus, agendo mecum secundum magnam misericordiam tuam.

2. Et secundum multitudinem miserationum tuarum, dele iniquitatem meam.

2. Et agendo secundum multitudinem miserationum tuarum, dele iniquitatem meam.

3. Amplius lava me ab iniquitate mea : et a peccato meo munda me.

3. Amplius et amplius lava me ab iniquitate mea ; et a peccato meo penitus munda me.

4. Quoniam iniquitatem meam ego cognosco : et peccatum meum contra me est semper.

4. Quoniam iniquitatem meam ego agnosco, et peccatum meum præ oculis meis est semper.

5. Tibi soli peccavi, et malum coram te feci : ut justificeris in sermonibus tuis, et vincas cum judicaris.

5. Contra te solum peccavi, et quod malum in oculis tuis est, feci. Sed miserere, inquam, mei : sic enim fiet, ut justus et verax appareas in tuis promissis de regni mei stabilitate ; utque vincas in judicio, seu vincas judicia hominum de fidelitate tua erga me peccatorem.

6. Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum : et in peccatis concepit me mater mea (1).

6. Equidem ecce in iniquitate conceptus sum ; et in peccato concepit me mater mea :

(1) In hebræo : *Ecce in iniquitate conceptus sum, et in peccato peperit me mater mea.*

7. Ecce enim veritatem dilexisti : incerta et occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi.

7. Nihilominus ecce tu, veritatis et misericordiæ amator, dignatus es incerta et occulta mysteria sapientiæ tuæ manifestare mihi. Ergo etiam summæ ingratitudinis reus sum.

8. Asperges me hyssopo, et mundabor : lavabis me, et super nivem dealbabor.

8. Asperges me hyssopo expiationis, et mundabor : lavabis me, et super nivem dealbabor.

9. Auditui meo dabis gaudium et lætitiam : et exultabunt ossa humiliata.

9. Auditui meo interiori dabis gaudium et lætitiam : et intima animi mei, velut prostrata, exultabunt.

10. Averte faciem tuam a peccatis meis : et omnes iniquitates meas dele.

10. Averte faciem tuam a peccatis meis : et omnes iniquitates meas plane absterge ac dele.

11. Cor mundum crea in me, Deus : et spiritum rectum innova in visceribus meis.

11. Cor mundum denuo crea in me, Deus : et spiritum rectum innova in interioribus meis.

12. Ne projicias me a facie tua : et spiritum sanctum tuum ne auferas a me.

12. Ne projicias me a facie tua : et Spiritum sanctum tuum ne unquam auferas a me.

13. Redde mihi lætitiam salutaris tui : et spiritu principali confirma me.

13. Redde mihi lætitiam salutaris tui : et spiritu ad bonum prompto sustenta me.

14. Docebo iniquos vias tuas : et impii ad te convertentur.

14. Tunc docebo iniquos vias tuas : et impii ad te convertentur.

15. Libera me de sanguinibus, Deus, Deus salutis meæ : et exultabit lingua mea justitiam tuam.

15. Libera me de sanguine effuso, Deus, Deus salutis meæ : et celebrabit lingua mea justitiam tuam qua justificaveris me.

16. Domine, labia mea aperies : et os meum annuntiabit laudem tuam.

16. Domine, labia mea iterum aperies : et os meum annuntiabit laudem tuam.

17. Quoniam si voluisses sacrificium, dedissem utique : holocaustis non delectaberis.

17. Quod si voluisses sacrificium legale, dedissem utique : sed holocaustis meis non delectaberis præ sacrificio cordis.

18. Sacrificium Deo spiritus contribulatus : cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies.

18. Sacrificium enim gratissimum Deo est spiritus per pœnitentiam contribulatus : cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies.

19. Benigne fac, Domine,

19. Benefac, Domine, in benevo-

in bona voluntate tua Sion : ut ædificentur muri Jerusalem.

20. Tunc acceptabis sacrificium justitiæ, oblationes et holocausta : tunc imponent super altare tuum vitulos.

lentia tua Sioni : ut ædificentur muri Jerusalem.

20. Tunc suscipies digna sacrificia justitiæ, atque legales oblationes et holocausta : tunc gratos tibi et acceptos imponemus super altare tuum vitulos.

Explicatio.

Argumentum psalmi hujus ex titulo intelligitur. Inscribitur enim : *Psalmus David, cum venit ad eum Nathan propheta, quando introivit ad Bethsabee.* David scilicet adulterii et homicidii reus, cum per annum fere integrum in peccato mansisset, tandem a propheta Dei nomine correptus, exclamavit : *Peccavi Domino.* Hinc sincera pœnitentia contritus et humiliatus, psalmum hunc, in quo peccatum suum deflet, Spiritu sancto suggerente, composuit. Voluit sane divina bonitas occasione illa docere nos : 1° quam cauti esse debeant ipsi sancti ne cadant in peccatum ; 2° quam misericors sit Deus erga maximos et ingratissimos etiam peccatores, dummodo vere pœnitentiam agant ; 3° qualis vera pœnitentia esse debeat.

Hoc tertium præcipue psalmus *miserere* nos docet. Continet enim sensus omnes pœnitentiæ perfectæ, quales a Deo requiruntur : atque ideo omni tempore ab Ecclesia frequentari consuevit.

I. *Petitio veniæ et motiva veniæ impetrandæ.*
II. *Petitio gratiæ pristinæ.*
III. *Promissio gratitudinis.*

---

1. *Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam.*

2. *Et secundum multitudinem miserationum tuarum, dele iniquitatem meam.*

3. *Amplius lava me ab iniquitate mea : et a peccato meo munda me.*

Incipit pœnitens propheta ab oratione, qua remissionem peccati sui petit, afferendo rationes ad movendum Deum idoneas.

Veniam petit dicens : *Miserere mei, Deus... dele iniquitatem*

meam..... Etsi peccatum jam remissum novit ex his verbis prophetæ Nathan : *Deus transtulit peccatum tuum ; non morieris.* (II. Reg. XII, 13) ; nihilominus veniam petit, 1° quia sensus exprimit perfectæ pœnitentiæ, quam peccator in hoc mundo semper retinere debet, et ad quam pertinet veniæ petitio ; 2° quia peccatum jam condonatum quoad culpam, magis magisque condonari potest quoad pœnam temporalem et quoad peccatorum reliquias (1).

Rationes seu motiva, quæ a propheta afferuntur, sunt : 1° ejus miseria et Dei misericordia ; 2° confessio peccati ; 3° confessio gravitatis culpæ ; 4° confessio humanæ infirmitatis ; 5° confessio ingratitudinis suæ.

Prima ratio, qua movetur Deus ad condonandum, est nostra miseria ejusque misericordia. *Miserere*, inquit, *mei ;* id est, miseria mea te moveat, o Deus : etenim etsi rex ego externis bonis abundans, miserrimus tamen sum, quia peccavi. — *Miserere mei, Deus* : non dicit *Deus meus*, indignum se judicans ut Deum vocet *suum*, quem peccando deseruit. — *Secundum magnam misericordiam tuam* : i. e. agendo mecum non secundum justitiam, sed secundum *misericordiam tuam* : quam imploro, in qua spero ; et quæ magna est, imo immensa, longitudine, latitudine et profunditate (Eph. III, 18). — Dicit autem secundum misericordiam tuam *magnam*, 1° quia magnam requirit misericordiam miseria magna ; peccatum autem est miseria magna. 2° Quia peccatum suum agnoscit ut valde grave, ideoque magna quadam et non communi indigens clementia.

2. *Et secundum multitudinem miserationum tuarum, dele iniquitatem meam.* Repetitio explicativa sententiæ præcedentis. Misericordia magna hic vocatur *multitudo miserationum* : i. e. exercitium, effusio abundantissima misericordiæ erga homines : miseratio enim est actus, misericordia vero habitus. Sensus est itaque quasi diceret : Illa misericordia inexhausta, quam toties exhibuisti, nunc utere erga me peccatorem, remittendo seu delendo iniquitatem meam.

Dele iniquitatem meam, i. e. penitus eam tolle, ut nihil jam de ea remaneat. Quoniam autem deletur id quod maculatum est, et id quod scriptum est, innuit hæc metaphora, peccatum esse 1° animæ maculam, per misericordiam Dei et aquas pœnitentiæ abluendam ; 2° idem esse in aliquo libro inscriptum. Qui quidem liber est triplex : peccatoris conscientia, memoria Dei, memoria dæmonis : ex quibus non nisi a Deo deleri possit.

(1) Cf. *Elem. theol. dogm.* tom. 2. tract. 14. *De pœnit.* n. 202 seqq. et n. 259.

Huc spectant illa : *Et libri aperti sunt... et judicati sunt mortui ex his, quæ scripta erant in libris secundum opera ipsorum* (Apoc. XX, 12). — *Donans vobis omnia delicta, delens quod adversus nos erat chirographum decreti* (Coloss. II. 14). — *Ego sum, Ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me, et peccatorum tuorum non recordabor.* Isai. XLIII, 25.

3. Addit autem : *Amplius lava me ab iniquitate mea : et a peccato meo munda me.* Petit scilicet, ut magis magisque deleatur, abluatur sua iniquitas magis magisque ab ea mundetur anima sua : tum quia magna est iniquitas et multiplici ablutione indiget ; tum quia opus est ut animæ inhærentes peccati reliquiæ abstergantur. Sensus est ergo quasi diceret : Spero equidem peccatum meum quoad reatum culpæ ac pœnæ æternæ esse deletum ; peto tamen, iterum atque iterum lavari per majorem gratiæ infusionem, ut malis habitibus sublatis et concupiscentia debilitata, anima purior fiat et ad resistendum tentationibus fortior.

4. *Quoniam iniquitatem meam ego cognosco : et peccatum meum contra me est semper.*

Secunda ratio ut Deus indulgeat : humilis agnitio et confessio peccati. Ignosce, inquit, quia peccatum meum sincere agnosco, imo illud perpetuo dolens recogito.

Iniquitatem, ait, *meam ego cognosco* : i. e. nunc tandem monente propheta Nathan, et juvante gratia tua, oculi mei aperti sunt : iniquitatem meam vidi, quanta sit intellexi, meamque culpam humiliter agnosco. Salutaris hæc proprii peccati cognitio omnibus scientiis pretiosior est, et indesinenter a Spiritu sancto petenda.

Contra me est semper : id est, in conspectu meo positum, quasi gladio doloris me confodere non cessat. — Hæc verba spiritum compunctionis demonstrant, quo fit, ut peccatum semel admissum, etsi per gratiam Dei deletum, in memoria nostra vivat ; et ingratitudinis nostræ erga summum benefactorem nos perpetuo admoneat. — Peccatori impœnitenti peccatum suum etiam *contra ipsum est semper* : nimirum ut carnifex, remorsibus eum torquens ; præcipue vero contra ipsum stabit ad tribunal Dei, et in inferno...

5. *Tibi soli peccavi et malum coram te feci : ut justificeris in sermonibus tuis, et vincas cum judicaris.*

Tertia ratio ut Deus indulgeat : confessio gravitatis culpæ, quasi diceret : Non solum cognosco me commisisse peccatum ; sed etiam, peccatum meum esse gravissimum, utpote offen-

sionem divinæ tuæ Majestatis. Non enim respicio in delictis meis, nisi offensam Majestatis tuæ ; et quamvis offenderim quoque Uriam aliosque homines, id parum aut nihil est in se, totumque malum est respectu tui, Domine : quia nempe violando legem tuam, ipsam tuam Majestatem offendi, in quo proprie peccatum consistit.

Tibi, inquit, *soli peccavi* : id est, peccavi contra te solum ; — *et malum coram te feci* : id est, vel 1° in præsentia tua, ante oculos tuos ; vel 2° melius, id quod in oculis tuis malum est, perpetravi ; ita ut oculis tuis reus sim et a te judicandus.

Ut justificeris in sermonibus tuis... Hæc sententia a multis sic exponitur : Vere coram te reus sum : ita ut justus et verax inveniaris in *sermonibus tuis*, quibus per Nathan prophetam me gravissime reum gravissimis pœnis dignum pronuntiasti. — *Et vincas cum judicaris* : id est, si judicium inter te et me instituatur, tu omnino vinces omnem ex mea parte excusationem. Quid est enim excusatio hominis coram Deo, summa justitia ?

At vero interpretatio hujusmodi conciliari nequit cum sensu S. Pauli, Rom. III, 3, 4, scribentis : *Quid enim si quidam illorum non crediderunt ? Numquid incredulitas illorum fidem Dei, evacuabit ? Absit. Est autem Deus verax, omnis autem homo mendax, sicut scriptum est : Ut justificeris in sermonibus tuis, et vincas cum judicaris.* Allegat enim verba psalmi ad probandum, peccatis hominum non vinci aut labefactari Dei fidelitatem in promissis (1).

Sensus itaque nostri versiculi est : Deum ideo permisisse Davidis peccata ; vel, ea ita condonare debere, ut manifeste sanctus ac verax inveniatur in promissis de throno Davidis stabiliendo, deque Messia ex ipso nascituro ; utque vincat in omni vel severissimo hominum de hac re judicio.

6. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum : et in peccatis concepit me mater mea.*

7. *Ecce enim veritatem dilexisti, incerta et occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi.*

Quarta et quinta ratio ut Dominus indulgeat : confessio humanæ infirmitatis suæque ingratitudinis.

Quoniam ex S. Pauli citatione constat, Davidem modo laudasse Dei fidelitatem seu veracitatem in promissis : non improbabile videtur, eum versu 7 eamdem respicere veracitatem ac misericordiam, cui versu 6 propriam indignitatem opponit ;

(1) Cf. Estius, Beelen, etc. in Rom. III 4.

ita ut sensus sit : Ecce enim, licet ego in peccato conceptus sim, et ab utero matris meæ indignissimus peccator ; nihilominus tu, Domine, qui infinite verax es, mihi arcana consilia sapientiæ tuæ, præsertim de Messia ex me orituro, revelare dignatus es. His ergo promissis tu, pro veracitate tua, non deeris, quamvis ego summæ ingratitudinis reus sim.

In iniquitatibus conceptus sum... Ut ex textu apertissime patet, et omnes Patres consentiunt, dogma originalis peccati hic enuntiatur. — Nec obstat quod dicatur numero plurali, *in iniquitatibus;* textus enim primigenius habet numero singulari, *in iniquitate, in peccato concepit, genuit me mater mea.*

Incerta et occulta... id est, ignota et abstrusa mysteria revelasti mihi. Fatetur David, se prophetico spiritu donatum esse atque Dei arcana cognovisse. Et revera ut S. Chrysostomus ex hoc loco copiose docet, nullum est fere mysterium Christi et Ecclesiæ, quod David non præviderit et in psalmis prædixerit : ita ut psalterium ejus merito *Scripturarum compendium* nominetur.

8. *Asperges me hyssopo, et mundabor : lavabis me, et super nivem dealbabor.*

Incipit *secunda pars*, qua David pristinam gratiam, per peccatum amissam, a Deo sibi restitui petit. — Est veluti explicatio partis positivæ justificationis, quæ in gratiæ infusione consistit. Etenim justificatio duo continet, ratione distincta : 1° remissionem peccati ; 2° infusionem gratiæ sanctificantis, in qua formalis causa justificationis sita est.

Dona porro, quæ a Domino poscit, sunt : 1° innocentia et nitor animæ ; 2° conscientiæ pax et gaudium ; 3° oblivio peccati sui ex parte Dei ; 4° renovatio interna per Spiritum sanctum ; imo 5° ipsa perseverantia et in bono confirmatio.

Asperges me hyssopo..... lavabis me.... Futura hæc sunt hebraica, pro imperativis, hoc sensu : Tu aspergito me aspergillo ex hyssopo ; tu inquam, non sacerdotes legis, tunc mundabor et dealbabor. — Alludit ad ritum legalem, quo mundabatur leprosus, nempe per aspersionem hyssopi, sanguine victimarum aut aqua lustrali intincti (Levit. XIV, 4 ; Num. XIX, 6, 18). Prophetico autem intuitu videt istius figuræ veritatem in aspersione sanguinis Christi, cujus meritis a Deo mundari postulat. — Hyssopus, herba humilis sed medicinalis, radicem habens in petra, symbolum est humilitatis et contritionis nostræ, quæ cooperari debet cum Christi lavacro ad animam nostram dealbandam.

Niveus ille nitor animæ, qui peccati sordibus opponitur, oculis corporeis manifestatus est in Christi Domini transfigura-

tione, quando *vestimenta ejus facta sunt splendentia, et candida nimis velut nix, qualia fullo non potest super terram candida facere.* Marc. IX, 3.

9. *Auditui meo dabis gaudium et lætitiam : et exultabunt ossa humiliata.*

Secundum donum postulat : conscientiæ pacem et gaudium. *Auditui,* inquit, *dabis gaudium....* id, est, audire me facies internam vocem, quæ me gaudio lætitiaque perfundet. — De auditu cordis loquitur, et de voce Spiritus sancti, qui *testimonium reddit spiritui nostro quod sumus filii Dei.* Rom. VIII, 16. Et tunc *exultabunt ossa humiliata,* hebraice, *ossa, quæ tu contrivisti ;* id est, tunc animus spiritu timoris sancti prostratus, resumptis viribus exultabit. Per ossa enim intelliguntur, non ossa corporis ; sed quæ in homine interiora sunt, seu vires animi : et idem significant *ossa humiliata,* quod infra *spiritus contribulatus, cor contritum et humiliatum.*

10. *Averte faciem tuam a peccatis meis : et omnes iniquitates meas dele.*

Tertium donum petit, ut Deus non amplius respiciat sua peccata ; id est, ut ea obliviscatur prorsusque deleat ; ut nihil jam de eis appareat oculis ejus. — Quæ formula est rogandi, ut Deus peccatum non puniat, sed pœnam ejus omnino condonet.

11. *Cor mundum crea in me Deus : et spiritum rectum innova in visceribus meis.*

Quartum donum petit, renovationem internam per Spiritum sanctum operandam. — Quod dicit *cor mundum,* intelligitur formaliter, et significat *munditiem* cordis. — *Spiritus rectus,* est recta cordis affectio, quæ nil est aliud quam charitas ; — *in visceribus meis,* id est, in interioribus, in anima mea, in intellectu et præsertim in voluntate.
His verbis vera continetur renovatio interioris hominis, humani intellectus et affectus, mentis et cordis : quæ per peccatum corrupta, non nisi gratia Dei restitui possunt. Hanc infundens Creator Spiritus, efficit ut homo peccatis veteratus, fiat *nova creatura* (Gal. VI, 15), cujus nova sint omnia, cogitationes, verba et opera.

12. *Ne projicias me a facie tua : et Spiritum sanctum tuum ne auferas a me.*

13. *Redde mihi lætitiam salutaris tui : et spiritu principali confirma me.*

Quinto loco petit perseverantiam, ut non relabatur in peccatum. — Deus enim hominum *projicit a facie sua*, 1° cum permittit eum cadere in peccatum; 2° cum permittit eum mori in peccato; 3° cum eum in peccato mortuum projicit in gehennam. Orat igitur David, ut a tanto malo præservetur per gratiam Dei: ideoque subjungit: *Et Spiritum sanctum tuum ne auferas a me.* De tertia persona SS. Trinitatis loquitur, respiciens tamen præcipue ejus operationem, quasi diceret: Donum perseverantiæ mihi tribue, efficiendo per gratiam tuam, ut Spiritus tuus sanctus jugiter in me manens, me conservet in bono. — Nemo quidem a Deo deseritur, nisi peccando prius Deum deserat ipse; nec a Spiritu sancto privatur, nisi eum peccando in se exstinguat; tamen ut homo Deum non deserat et Spiritum sanctum peccando in se non exstinguat, ad donum perseverantiæ pertinet, quod suppliciter implorandum est (1). — Quapropter ulterius petit a Deo majorem Spiritus sancti abundantiam et robur.

13. *Redde mihi lætitiam salutaris tui: et spiritu principali confirma me.* — Illa, quam dicit, *lætitia salutaris Dei*, est, vel 1° lætitia quæ nascitur ex salute ac gratia, quam Deus in justificatione tribuit; vel 2° lætitia quam antea Davidi afferebat *salutare Dei*, i. e. Christus, in quo credit et sperat. — *Spiritus principalis* intelligi videtur, animus ad recte operandum *promptus*, nempe solida illa erga Deum devotio, quæ a Spiritu sancto in anima producitur. — Juxta alios, est ipse Spiritus sanctus, quatenus totum hominem replens, gubernans ac roborans.

Quæ de Spiritu sancto ejusque effectibus in se dicit propheta, illustrantur iis, quæ legimus de ipso, cum a Samuele ungeretur in regem: *Directus est Spiritus Domini a die illa in David, et deinceps.* I Reg. XVI, 13.

14. *Docebo iniquos vias tuas: et impii ad te convertentur.*

Incipit psalmi *pars tertia*: promissio gratitudinis. — Tria promittit: ædificationem proximi, laudationem Dei, sacrificia Deo grata: ex quibus omnibus consequetur salus ac prosperitas populi, et gloria Dei.

Imprimis promittit ædificationem proximi. *Docebo*, inquit, *iniquos vias tuas*; quasi ad reparandum detrimentum quod gloriæ Dei, et scandalum quod proximo per peccata intulit. — Quod quidem promissum David insigniter implevit, et vias Domini exemplo et verbis docuit. Etenim, 1° fuit omnibus

(1) Cf. *Elem. theol. dogm.*, t. 2, tract. IX, *De gratia*, n. 155 seqq.

posteris præclarum exemplum misericordiæ et justitiæ Dei : misericordiæ quidem, quia post tam gravia scelera, mox ut ex corde dixit : *Peccavi Domino*, remissum fuit ei peccatum ; justitiæ autem, quoniam gravissimas pœnas temporales a Deo sibi inflictas humillime accepit. — 2° Docuit iniquos verbis suis, tot nempe psalmis et canticis sanctis, quibus usque ad finem mundi impii ad Deum convertentur.

15. *Libera me de sanguinibus, Deus, Deus salutis meæ : et exaltabit lingua mea justitiam tuam.*

16. *Domine, labia mea aperies : et os meum annuntiabit laudem tuam.*

Promittit secundo, se celebraturum laudes Dei, ejusque justitiam ac misericordiam illam quæ justificat impios. Sed quoniam velut impedimentum obstat clamor sanguinis Uriæ ejusque commilitonum, vindictam contra Davidem poscentis ; petit, ut a voce atque vindicta sanguinis illius liberetur : *Libera*, inquit, *me*, *Deus*, *Deus salutis meæ* : id est, Deus salvator, libera me per merita Christi tui. — Sensu spirituali, per *sanguines* intelliguntur peccata, et speciatim peccata scandali, quæ spirituale homicidium continent.

Ut autem digne et efficaciter Dei laudes celebrare possit, peculiarem gratiam postulat addendo :

16. *Domine labia mea aperies...* Scilicet per peccatum labia divinis laudibus clauduntur ; per pœnitentiam autem et gratiam Dei, iterum aperiuntur. Imo et illud insinuatur, labia hominis vere ad Deum conversi, esse Deo consecrata, et a solo Deo atque pro Deo solo aperienda. *Quoniam sapientia aperuit os mutorum, et linguas infantium fecit disertas.* Sap. X, 21.

17. *Quoniam si voluisses sacrificium, dedissem utique : holocaustis non delectaberis.*

18. *Sacrificium Deo spiritus contribulatus : cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies.*

Tertio loco promittit Deo sacrificia, præcipue vero sacrificia interna. Sensus enim est quasi diceret : Victimas legales quotquot volueris, tibi immolare paratus sum ; at vero sacrificium illud imprimis tibi a me offerendum scio, quod præ cæteris gratum tibi est et sine quo nullum aliud tibi placere potest : nempe sacrificium *spiritus contribulati, cordis contriti et humiliati.*

Dicit, sacrificia legalia, nempe immolationes pecorum Deo non placere : non quod Deus despiciat, quæ ipsemet instituit, sed quia ista sacrificia non poterant Davidi nec ulli peccatori

reconciliationem mereri ; imo neque grata erant Deo, nisi a peccatore ea offerente præmitteretur sacrificium internum.

Spiritus contribulatus, cor contritum et humiliatum : hæc duo unum et idem sunt, animumque indicant affectum vera et sincera contritione, quæ a Concilio Tridentino definitur : *Dolor animi et detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero.* Sacrificium scilicet, quod Deus a peccatore postulat, et quo placatur, est sincera peccati detestatio.

19. *Benigne fac, Domine, in bona voluntate tua, Sion : ut ædificentur muri Jerusalem.*

20. *Tunc acceptabis sacrificium justitiæ, oblationes et holocausta : tunc imponent super altare tuum vitulos.*

Versiculi, quibus psalmus concluditur, ultimam exhibent rationem, ut Deus petitam hactenus indulgentiam Davidi concedat : quod nempe id cessurum sit in bonum populi et cultum Dei. Sensus est quasi diceret : Esto mihi propitius, Domine, et exaudi me propter civitatem Jerusalem, et populum Israel, quem diligis et cujus ego caput sum.

Benigne fac Sion : i. e. benefac civitati Jerusalem, imo toti genti Judaicæ, quam repræsentat mons Sion, ubi arx erat et regia domus David. — *In bona voluntate tua*, id est, juxta benevolentiam, qua civitati Jerusalem et populo Israel favere dignaris. — *Ut ædificentur muri Jerusalem* : alludere videtur ad munitiones civitatis nondum plene exstructas, imo ad opera quæ postea exstruenda in mente habebat ; præsertim ad templum, in quo dignus Deo cultus celebraretur. Ideoque addit :

20. *Tunc acceptabis sacrificium justitiæ, oblationes et holocausta : tunc imponent super altare tuum vitulos.* His indicat, quid inde sit consecuturum ad honorem Dei. *Tunc*, inquit, reddita gratia tua mihi regi, et civitate sancta temploque ædificatis, offerentur tibi sacrificia digna et accepta : imprimis *sacrificium justitiæ*, id est, bona opera, observatio mandatorum ; deinde legalia sacrificia optima, *oblationes, holocausta, et vituli* : ultimo loco vitulos nominat, quia sacrificium vituli erat omnium sacrificiorum præstantissimum.

Hæc omnia melius intelliguntur sensu allegorico de Ecclesia, ejusque oblationibus mundis, quasi diceret : Propitius esto mihi, Domine, propter Sion et propter Ecclesiam, Jerusalem novam, quam ex hac vetere Jerusalem resuscitare intendis : in qua tibi offeretur oblatio munda, et undequaque digna Majestate tua.

Sensus liturgicus.

Psalmus *Miserere* unus est e pœnitentialibus ; recitatur

autem præcipue in hebdomada Majore, et in officio Defunctorum.

1° Ut psalmus pœnitentialis, est oratio Ecclesiæ, quæ personam induens cujuslibet peccatoris, in spiritu humilitatis et pœnitentiæ perfectæ Dei misericordiam implorat. Enuntiat autem omnes pœnitentiæ partes, omnesque vere pœnitentis animæ sensus ac dispositiones exprimit : ut nobis, orationem hanc recitantibus, eosdem sensus insinuet ; adeoque cor illud contritum et humiliatum efficiat, quod Deus non despiciet.

Itaque sua delicta sincere agnoscit, eaque ut summam miseriam, immunditiem, ingratitudinem detestatur ac deflet ; ea humiliter coram Deo et hominibus confitetur, fiducialiter veniam petens ; nec tantum emendationem vitamque novam, sed satisfactionem debitam, reparationemque insignem promittit : humiliter tamen, Dei gratiam suæ infirmitati implorando. — Atque ita Deo exhibet *cor contritum et humiliatum*, ante omnia requisitum, paratus de cætero sacrificia, quæcumque Dominus voluerit, offerre : *Quoniam si voluisses sacrificium, dedissem utique...*

2° In hebdomada Majore, quando Dominica passio celebratur, Ecclesia loquitur, tum in persona Christi, pro humano genere pœnitentis, et in cruce satisfacientis ; tum in persona fidelium, in conspectu crucis Domini pœnitentiam agentium.

3° In officio Defunctorum, Ecclesia in persona animarum fidelium, corde contrito et humiliato a Deo veniam et misericordiam implorat.

—

PSALMUS LIII.

Deus in nomine tuo.

1. Deus in nomine tuo salvum me fac : et in virtute tua judica me.	1. Deus propter nomen tuum salvum me fac, et cum potentia tua esto judex ac defensor meus.
2. Deus exaudi orationem meam : auribus percipe verba oris mei.	2. Deus exaudi orationem meam : auribus percipe verba oris mei.
3. Quoniam alieni insurrexerunt adversum me, et fortes quæsierunt animam meam : et non proposuerunt Deum ante conspectum suum.	3. Quoniam inimici insurrexerunt adversum me, et potentes bellatores quæsierunt tollere vitam meam ; et Deum præ oculis non habuerunt.
4. Ecce enim Deus adju-	4. Ecce autem Deus adjuvat me,

vat me : et Dominus susceptor est animæ meæ.

et Dominus defensor est vitæ meæ.

5. Averte mala inimicis meis : et in veritate tua disperde illos.

5. A me verte mala in inimicos meos, et juxta promissiones quas dedisti mihi, perde illos

6. Voluntarie sacrificabo tibi : et confitebor nomini tuo, Domine, quoniam bonum est.

6. Tunc promptissima voluntate sacrificabo tibi, et celebrabo nomen tuum, Domine, quoniam id bonum et justum est.

7. Quoniam ex omni tribulatione eripuisti me : et super inimicos meos despexit oculus meus.

7. Quoniam ex omni tribulatione eripuisti me : et super inimicos meos jacentes, respexit oculus meus.

—

Explicatio.

Argumentum. — Cum lateret David in deserto, juxta oppidum Ziph in tribu Juda, et hominibus Ziphæis tanquam amicis confideret, ab his Sauli patefactus ac proditus est. Cumque frustra fugisset in desertum Maon, et ibi a Saulis exercitu ita circumdaretur, ut desperaret humana ope et absque Dei interventu se posse evadere (Reg. XXIII) : ad Deum per orationem confugit ; et in summo illo discrimine psalmum hunc Deo inspirante cecinit. — Quæ quidem circumstantiæ tum ex psalmi contextu, tum ex ipso titulo colliguntur. Sic enim psalmus iste inscribitur : *Intellectus David, cum venissent Ziphæi, et dixissent ad Saul : Nonne David absconditus est apud nos ?* 1 Reg. XXIII, 19 ; et XXVI, 1.

Itaque litteraliter spectatus, psalmus est oratio Davidis, adversus Saulis milites opem Dei implorantis.

Mystice vero, tum de Judæis Christi persecutoribus, tum de periculis atque hostibus animæ agit ; estque oratio, sive Christi patientis ; sive Ecclesiæ, quodlibet discrimen in quo fideles versari possint, deprecantis.

I. *Propheta Dei opem implorat.*
II. *Sacrificia in gratiarum actionem pollicetur.*

—

1. *Deus in nomine tuo salvum me fac : et in virtute tua judica me.*

2. *Deus exaudi orationem meam : auribus percipe verba oris mei.*

Dei auxilium invocat instanter, significans sese magno in discrimine versari. *Deus*, inquit, *salvum me fac in nomine tuo* : id est, vel 1° propter nomen tuum, propter te ; — vel etiam, 2° per potestatem tuam cui omnia cedunt. — Juxta priorem expositionem, orat propheta interposito Dei nomine, seu invocando Dei misericordiam, potentiam, cæteraque attributa, quæ cuncta Dei nomen complectitur. Juxta interpretationem secundam, illud *in nomine tuo*, idem fere sonat ac istud quod sequitur : *in virtute tua*, id est, per potentiam tuam ac robur judica me, vindica causam meam, defende me.

3. *Quoniam alieni insurrexerunt adversum me, et fortes quæsierunt animam meam : et non proposuerunt Deum ante conspectum suum.*

4. *Ecce enim Deus adjuvat me : et Dominus susceptor est animæ meæ.*

5. *Averte mala inimicis meis : et in veritate tua disperde illos.*

Explicat pericula a quibus liberationem petit. *Insurrexerunt*, inquit, *alieni* : id est, inimici, proditores ; sic vocat Ziphæos, qui proximi videbantur, sed corde alieni erant ab ipso. — *Et fortes*, id est, viri violenti ac sævi, Saul nimirum et ejus satellites, mihi vitam eripere quærunt, nullam Dei rationem ac timorem habentes : *Quæsierunt animam meam, et non proposuerunt Deum ante conspectum suum.* — Allegorice, indicantur Scribæ et Pharisæi, Christum injuste persequentes ad mortem.

4. *Ecce enim Deus adjuvat me ; et Dominus susceptor est animæ meæ.* — Illud *ecce* denotat repentinam prophetæ illustrationem, qua prævidet auxilium Dei sibi non defuturum ; et quidem tam certo prævidet, ut tanquam de re præsenti dicat : *Ecce Deus adjuvat me.* — Particula *enim*, posita videtur pro *autem*.

5. *Averte mala inimicis meis : et in veritate tua disperde illos.* Id est : Mala quæ mihi impendent, non tantum averte a me, sed ea converte in inimicos meos ; et juxta promissiones tuas, destrue eos penitus et exstingue. — Per modum imprecationis enuntiatur, ut sæpe solet, rei futuræ prædictio ; et sensus est : Retorquebis mala in inimicos meos, eosque penitus delebis. — Quæ omnino ut prædicta evenerunt. Nam eodem tempore, irruentibus Philistæis in terram Israel, ipsemet Saul in discrimen venit, et inimicis occurrere coactus est ; imo non multo post, Saul periit cum exercitu suo in montibus Gelboe.

6. *Voluntarie sacrificabo tibi : et confitebor nomini tuo, Domine, quoniam bonum est.*

7. *Quoniam ex omni tribulatione eripuisti me : et super inimicos meos despexit oculus meus.*

Secunda pars, gratiarum actio promissa. — *Voluntarie*, inquit, *sacrificabo tibi* : id est, libenti ac promptissimo animo offeram tibi sacrificium laudis ob tantum beneficium ; *et confitebor* ac gratias agam *nomini tuo*, id est, tibi : *quoniam bonum est*, confiteri tibi. — Quidam minus obvio et magis mystico sensu, illud *bonum* referunt ad nomen : Quia nomen tuum est bonum, quia tu bonus es.

Quoniam ex omni tribulatione eripuisti me : et super inimicos meos despexit oculus meus. Id est : Laudabo te justissima de causa, quia manu tua liberatus, jam video inimicos meos prostratos et consumptos. — Pro hebræo *aspexit*, vulgatus interpres posuit verbum *despexit*, id est, deorsum aspexit inimicos : ideo probabiliter, quia lumine prophetico vidit psaltes inimicos suos quasi jacentes in imo.

Mystice prædicitur Christi glorificatio, in die resurrectionis ipsius et in die judicii ; nec non triumphus Ecclesiæ et fidelium.

Sensus liturgicus.

Psalmus LIII, *Deus in nomine tuo*, ponitur 1° in officiis de passione Domini ad Matutinum ; et 2° in officio quotidiano ad Primam.

1° Quatenus pertinens ab officium de passione, ab Ecclesia recitatur tanquam oratio Christi in doloribus constituti, et triumphum de infernalibus hostibus suis, de peccato ac morte postulantis.

2° Quatenus pertinens ad *Primam*, ponitur in initio, tanquam primus psalmus horarum diurnarum : cui loco quidem maxime congruit. Etenim horæ diurnæ, a mane usque ad vesperam decurrentes, tempus hujus prætereuntis vitæ repræsentant : sive respectu totius Ecclesiæ, per decursum sæculorum in terra militantis ; sive respectu cujusque fidelium, donec vita manet salutem operantis. — Cum itaque tempus istud diurnum, sit tempus laboris ac certaminis, ideo in psalmis quibus hic orat, Ecclesia respicit laborem et luctam ; totaque est in implorando Dei auxilium, ac semetipsam velut armando, ut divinam legem constanter implere valeat, et vincere inimicos.

Quapropter psalmus *Deus in nomine tuo,* ex Ecclesiæ mente velut clypeus est, quo filios suos præmuniendos curat contra salutis pericula, per diem occursura. Orationem enim continet, cuilibet discrimini, in quo Ecclesia ejusque membra versari possint, accommodatam ; quandoquidem de periculis agat et

hostibus, sive animæ sive corporis, a quibus manu Dei quisque fidelis postulat liberari.

Deus, inquit, tu *salvum me fac*, me adversus hostes animæ meæ infirmum nimis ; protege me *in nomine tuo*, quod invoco juxta verbum unigeniti Filii tui : *Si quid petieritis in nomine meo, hoc faciam*. Joan. XIV, 14.

Quoniam alieni insurrexerunt adversum me : scilicet animæ hostes : *Et fortes quæsierunt* occidere, non corpus, vel vitam corporalem ; sed animam meam : fortes utique, et humanis viribus longe superiores. *Non enim est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem ; sed adversus principes et potestates....* Eph. VI, 12.

Te tamen fretus, Domine, nihil timebo : *Ecce enim Deus adjuvat me, et Dominus* omnipotens, tum per angelos custodes, tum per auxilium suæ gratiæ, *susceptor est animæ meæ ;* si autem ipse Deus pro me est, quis contra me ?...

Utique, Domine, tu susceptor es animæ meæ, tu inimicos animæ meæ repelles universos ; peccatores omnes, eosque solos, percuties et in æternum perdes.

Ego vero per gratiam tuam liberabor, et tota die laudem tuam celebrabo, *quoniam bonum est* : vere etenim bonum est, pro tempore et pro æternitate proficuum, *confiteri Domino, et psallere nomini tuo, Altissime*. Ps. XCI.

Sic per te, Domine, aliquando liberabor ex omni tribulatione, et triumphabo in æternum : *Quoniam ex omni tribulatione eripuisti me : et super inimicos meos despexit oculus meus.*

PSALMUS LX.

Exaudi, Deus, deprecationem meam.

1. Exaudi, Deus, deprecationem meam : intende orationi meæ.	1. Exaudi, Deus, deprecationem meam : intende orationi meæ.
2. A finibus terræ ad te clamavi : dum anxiaretur cor meum in petra exaltasti me.	2. A finibus terræ peregrinans et periclitans ad te clamavi : dum anxiaretur cor meum, in arce excelsa constituisti me.
3. Deduxisti me, quia factus es spes mea : turris fortitudinis a facie inimici.	3. Ipseque deduxisti me illuc : quia factus es spes mea, et turris fortitudinis a facie inimici.
4. Inhabitabo in tabernaculo tuo in sæcula : protegar in velamento alarum tuarum.	4. Imo inhabitabo in ipso tuo tabernaculo in sæcula : ibique protegar in velamento alarum tuarum.

5. Quoniam tu, Deus meus, exaudisti orationem meam : dedisti hæreditatem timentibus nomen tuum.

5. Quoniam tu, Deus meus, exaudisti orationem meam : dedisti regnum tuum ut hæreditatem timentibus nomen tuum.

6. Dies super dies regis adjicies : annos ejus usque in diem generationis et generationis.

6. Dies super dies summi Regis adjicies : annos ejus multiplicabis in generationes perpetuas.

7. Permanet in æternum in conspectu Dei : misericordiam et veritatem ejus quis requiret?

7. Ipseque Rex permanebit in æternum in conspectu Dei : misericordiam promissam inde effundens infinitam.

8. Sic psalmum dicam nomini tuo in sæculum sæculi, ut reddam vota mea de die in diem.

8. Quapropter psalmum dicam nomini tuo in sæculum sæculi ; ita ut debitam gratitudinem et vota mea reddam tibi quotidie.

—

Explicatio.

Argumentum. — Juxta probabiliorem sententiam, sensu litterali psalmus iste est oratio Davidis, rebellione Absalonis afflicti, cum ultra Jordanem fugiens ad fines regni sui pervenisset, nempe in urbem Mahanaim, quæ in monte Galaad altissimo posita, tutum ipsi asylum dabat. — Juxta alios, sensu litterali, et juxta omnes, saltem sensu spirituali, est oratio hominis justi, sive Ecclesiæ peregrinantis in terra, ibique, inter tentationes varias, ad patriam cœlestem atque quietem perpetuam suspirantis.

I. *Laudat Deum ob beneficia jam accepta.*
II. *Laudat Deum ob beneficia quæ in posterum accipiet.*

—

1. *Exaudi, Deus, deprecationem meam : intende orationi meæ.*

Præfatio hæc est, qua audientiam a Deo petit, et quidem ferventer : nam vox *deprecatio*, hebraice *clamor*, orationem vividam et ardentem denotat.

2. *A finibus terræ ad te clamavi : dum anxiaretur cor meum in petra exaltasti me.*

3. *Deduxisti me, quia factus es spes mea : turris fortitudinis a facie inimici.*

Per modum gratiarum actionis dicit, se a Domino ex angustiis esse liberatum. — Uti adnotatum est supra, fines terræ Chananitidis hic significari videntur, ubi David *exaltatus est in petra* : id est, in arce seu loco munito refugium invenit : nempe in urbe et arce excelsa Mahanaim. — *Mystice*, Ecclesia, usque ad fines terræ propagata, ex toto orbe per voces fidelium se clamare dicit in tribulationibus ad Dominum, a quo semper auditur, et exaltatur ac protegitur *in petra* : id est, in Christo, et per Christum in cruce exaltatum.

Quod addit : 3. *Deduxisti me, quia factus es spes mea : turris fortitudinis a facie inimici* : declarat quod dixit, *in petra exaltasti me ;* dignatus est scilicet eum deducere in tutum ipse Dominus, quem David statuit ut spem suam et *turrim fortitudinis* : id est, ut turrim fortissimam et inexpugnabilem.

4. *Inhabitabo in tabernaculo tuo in sæcula : protegar in velamento alarum tuarum.*

Incipit *altera pars*, quæ respicit futurum. Mox, inquit, restitutus ab exilio, ingrediar iterum Tabernaculum tuum in monte Sion ; ibique deinceps commorabor securus, præsidio misericordiæ tuæ defensus. — *Mystice*, respectu Ecclesiæ : in turri illa fortissima, quæ simul est tabernaculum tuum et sancta religio tua, velut sub alis protectionis tuæ securus manebo usque ad consummationem sæculi.

5. *Quoniam tu, Deus meus, exaudisti orationem meam : dedisti hæreditatem timentibus nomen tuum.*

6. *Dies super dies regis adjicies : annos ejus usque in diem generationis et generationis.*

7. *Permanet in æternum in conspectu Dei : misericordiam et veritatem ejus quis requiret.*

Rationem explicat futuræ securitatis : promissionem scilicet divinam regni, in domo David permansuri. *Dedisti*, inquit, *hæreditatem*, id est, promisisti possessionem regni mihi et filiis meis, *timentibus nomen tuum* : seu, dummodo timeamus nomen tuum; dixisti enim : *Si custodierint filii tui testamentum meum, et testimonia mea hæc quæ docebo eos : et filii eorum usque in sæculum, sedebunt super sedem tuam* (Ps. CXXXI). — Sensu spirituali, significatur nos de hæreditate in cœlis, et protectione in terris, omnino securos ac certos esse, si vere timuerimus Deum.

Perpetuitatem porro regni Davidici in sequentibus explicat ; et quidem talem quæ non jam Davidi typico, sed soli Christo antitypo conveniat. — 6. *Dies*, inquit, *super dies regis adjicies, annos ejus usque in diem generationis et generationis.* Stabilitas

hic indefectibilis, imo vita perennis asseritur Regi : quæ, ut patet, de solo Christo intelligi possunt, cujus regni non erit finis. — Connexio porro sensus cum præcedentibus sic videtur suppleri posse : Dabis juxta promissa tua regnum Sionis posteris meis ; imo uni ex illis, qui erit Christus, Rex per excellentiam, dabis immortalitatem et regnum sine fine mansurum. *Mors illi ultra non dominabitur.* Rom. VI, 9.

Mystice, respectu Ecclesiæ, quoniam meminit hæreditatis Sanctorum, quæ est vita æterna ; declarat, hanc hæreditatem toti Ecclesiæ promissam, inchoandam esse in Ecclesiæ capite, Christo : quem permansurum dicit et regnaturum usque in diem æternitatis. Qui dies, quamvis unus sit, tamen æquivalet generationibus et generationibus sine fine : *Usque in diem generationis et generationis.*

7. *Permanet* (hebraice, *sedebit*) *in æternum in conspectu Dei : misericordiam et veritatem ejus quis requiret?* (id est, *quis scrutari* aut *æstimare poterit?*)— Explicat quomodo æternus sit Christus: non quidem perpetuo manet in terris visibilis : sed sedens in conspectu et ad dexteram Dei Patris in cœlis, inde misericordiam et veritatem exercens inscrutabilem ac infinitam. — Nomine *veritatis* intelligitur fidelitas in promissis, seu quod idem est, effectus promissorum, beneficia et dona quæ de cœlo in homines effundit (1).

8. *Sic psalmum dicam nomini tuo in sæculum sæculi : ut reddam vota mea de die in diem.*

Sensus est : Itaque quoniam exaudisti me, Domine, et quoniam tanta est misericordia et bonitas tua, ideo laudabo te assidue ; non solum in hac vita, sed etiam in futura : et sic tibi reddam per singulos dies, quas vovi, gratiarum actiones. — Quatenus propheta loquitur in persona Ecclesiæ, sensus sic enuntiari potest : Quoniam tanta est, o Christe, misericordia tua erga me, laudabo te per dies singulos ; et quidem ita, ut impleam sanctissimas obligationes quas per Baptismi Sacramentum salubriter contraxi.

Sensus liturgicus.

Psalmus iste recitatur in officio Apostolorum : estque oratio Ecclesiæ, qua precatur, ut inter mundi hujus vicissitudines ac tribulationes, tuta maneat *in petra* : i. e. in Apostolico fundamento quod ipse Christus constituit : *In petra exaltasti me.* —

(1) In hebræo : *Misericordia et veritas servabunt eum*, scilicet Christum Regem, in corpore suo mystico spectatum. Tota enim Ecclesiæ sanctificatio atque æterna glorificatio, *misericordiæ et veritati* debetur.

Deinde petit, ut digne conservet hæreditatem apostolicam : id est, potestatem seu claves regni cœlorum , quas Christus Apostolis et Apostolorum principi Petro dedit, successoribus transmittendas. Quam quidem hæreditatem Christus integerrime voluit conservandam : ut dum ipse, Rex supremus Ecclesiæ, ad Patris dexteram sederet, ipsius in terris Vicarii, Ecclesiam sanctissime regerent, regnumque gratiæ et misericordiæ fidelissime continuarent.

—

PSALMUS LXII.

Deus, Deus meus.

1. Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo.

1. Deus, Deus meus, ad te quærendum prima luce evigilo.

2. Sitivit in te anima mea : quam multipliciter tibi caro mea.

2. Te desiderat ac sitit anima mea , te multis modis expetit ipsa caro mea.

3. In terra deserta et invia, et inaquosa, sic in sancto apparui tibi : ut viderem virtutem tuam et gloriam tuam.

3. Hoc mentis ardore sublatus, in terra ista deserta et invia, et inaquosa , quasi in sanctuario tuo essem, spiritu appareo coram te : ut orationis lumine videam potentiam tuam et gloriam tuam.

4. Quoniam melior est misericordia tua super vitas : labia mea laudabunt te.

4. Et quoniam melior mihi est misericordia tua præ ipsa vita, ideo labia mea assidue laudabunt te.

5. Sic benedicam te in vita mea : et in nomine tuo levabo manus meas.

5. Itaque benedicam te in omni vita mea : et invocando nomen tuum levabo ad te manus meas.

6. Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea : et labiis exultationis laudabit os meum.

6. Gratia tua saginetur anima mea : et tunc lætis labiis te celebrabit os meum.

7. Si memor fui tui super stratum meum, in matutinis meditabor in te : quia fuisti adjutor meus.

7. Sane, si memor fui tui etiam vespere , me componens in strato meo ; multo magis mane surgens de te meditabor, qui es adjutor meus.

8. Et in velamento alarum tuarum exultabo ; adhæsit anima mea post te : me suscepit dextera tua.

8. Imo semper in adjutorio tuo, et velut sub umbra alarum tuarum securus exultabo : adhæret anima mea tibi ac vestigiis tuis, sustentante me dextera tua.

9. Ipsi vero in vanum quæsierunt animam meam, introibunt in inferiora terræ : tradentur in manus gladii, partes vulpium erunt.

9. Ipsi vero inimici mei frustra volunt tollere vitam meam : non ego, sed ipsimet peribunt : descendent enim in viscera terræ, interficientur gladio, portio ferarum erunt.

10. Rex vero lætabitur in Deo, laudabuntur omnes, qui jurant in eo : quia obstructum est os loquentium iniqua.

10. Rex vero, unctus Domini, lætabitur in Deo adjutore ; omnesque per eumdem Deum jurantes, laudabuntur : similiterque gaudebunt, quod sic justitia divina obstruxerit ora mendacia iniquorum.

—

Explicatio.

Argumentum. — Psalmus, ut ipse titulus habet, est *oratio David, cum esset in deserto Judææ.* Semel et iterum David profugus deserta petere coactus est : in persecutione nempe Saul, et in rebellione Absalom. Ad posteriorem casum psalmus referendus videtur : 1° quia mentio fit de siti, quam tunc passum esse David, alibi Scriptura insinuat his verbis : *Dederuntque David, et populo qui cum eo erat, ad vescendum : suspicati enim sunt, populum fame et siti fatigari in deserto* (II Reg. XVII, 29). — 2° Quia vocat semetipsum *regem*, ad finem psalmi, quo nomine tempore Saulis nondum solebat designari.

Orat autem Dominum, eumque ut solatium suum in exilio et spem certam salutis invocat.

Mystice, est oratio peregrinantis Ecclesiæ, et cujusvis animæ sanctæ, in deserto hujus mundi, ad Deum ejusque gratiam futuramque patriam suspirantis.

Quoniam litteralis sensus sensui mystico simillimus est, utrumque unica explicatione proponemus.

I. *Quantum desideret ad Deum per orationem accedere.*
II. *Quonam modo semper orare velit ac statuat.*
III. *Quis sit futurus orationis effectus.*

—

1. *Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo.*

2. *Sitivit in te anima mea : quam multipliciter tibi caro mea.*

3. *In terra deserta et invia, et inaquosa, sic in sancto apparui tibi : ut viderem virtutem tuam et gloriam tuam.*

Ardens desiderium Dei, ad quem tanquam ad omnis boni fontem ac plenitudinem anhelat.

1. *Deus, Deus meus*... Repetitio nominis Dei ab initio manifestat affectum, quo totus psalmus æstuat, quique expresse in sequentibus describitur. — *Ad te de luce vigilo*, id est, diluculo surgo ad te precandum ; te quæro ab exordio diei, ab exordio vitæ meæ...

2. *Sitivit in te anima mea* : id est, desiderat ardenter intellectus et voluntas mea, ut cibum et potum suum, ut lumen et lætitiam suam. — *Quam multipliciter tibi caro mea* : id est, valde multipliciter, multis modis, te sitit ac desiderat ipsum corpus meum. Etsi *caro* sæpe ponitur pro toto homine, hic tamen, ratione antithesis cum *anima*, accipienda videtur pro parte inferiore humanæ substantiæ ; ita ut sensus sit : Non tantum animo te, o fons bonorum omnium, sitio ; sed etiam corpore, idque multis modis. — Et vero, caro nostra, si gratiæ obsequatur, multipliciter sitit Deum : 1° ut liberetur a concupiscentiæ ardoribus ; 2° ut juvetur in infirmitatibus et miseriis ; 3° ut beata immortalitate et resurrectionis gloria donetur.

Postquam sitim suam manifestavit, ejusdem causam aperit, addens :

3. *In terra deserta et invia, et inaquosa, sic in sancto apparui tibi : ut viderem virtutem tuam et gloriam tuam.* — Illud *in terra deserta,* referri potest, vel 1° ad præcedentia, hoc modo : Sitivit tibi anima mea et caro, quia sum in arida terra ; vel 2° ut communius placet, referri potest ad sequentia, hoc sensu : In hac terra deserta et arida perinde coram te apparui, ac si essem adhuc Jerosolymæ in tuo sanctuario, contemplans de more potentiam tuam et gloriosam majestatem tuam.

Mystice, *terra deserta* significat hanc lacrymarum vallem, ita ut sensus sit : Etsi in hoc misero mundo longe a patria exulans ; tamen, dante misericordia tua, hic te invenio, hic ad te per fidem vividam accedo, teque sub fidei velamine contemplari et amare possum, quasi fere jam in cœlestibus habitarem : *Nostra conversatio in cœlis est.* Phil. III, 20.

4. *Quoniam melior est misericordia tua super vitas : labia mea laudabunt te.*

Significavit modo, se Deum quærere et amare propter potentiam ejus et gloriam ; hic addit, propter misericordiam.

Quoniam melior est misericordia tua... Illud *quoniam* non videtur referendum ad superiora, sed ad sequentia ; ita ut sensus sit : Insuper assidue laudabo te ob misericordiam tuam, quæ melior mihi est ipsa vita. — Vox *misericordia* late intelligenda est, significatque effusam Dei bonitatem, respectu omnis miseriæ atque indigentiæ nostræ, præsertim tamen spiritualis ; ita ut principalius indicet dona gratiæ.

5. *Sic benedicam te in vita mea : et in nomine tuo levabo manus meas.*

6. *Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea : et labiis exultationis laudabit os meum.*

7. *Si memor fui tui super stratum meum, in matutinis meditabor in te : quia fuisti adjutor meus.*

Secunda pars : quonam modo semper orare velit ac statuat.

Sic benedicam te in vita mea : id est, toto tempore, omnique in vicissitudine vitæ meæ , quidquid mihi acciderit sive prosperum sive adversum, semper te laudabo.

Et in nomine tuo levabo manus meas. — Locutio biblica *levare manum* significat jurare per Deum, ut patet ex verbo Abrahæ ad regem Sodomorum : *Levo manum meam ad Deum, possessorem cœli et terræ, quod non accipiam...* (Gen. XIV , 2). — Hic autem , *levare manus in nomine Dei*, est explicatio prioris hemistichii, significatque orare, et nomen Dei precatorie, non juratorie, invocare. Porro invocare nomen Domini, est invocare ac laudare ipsum Deum, ejus potentiam, misericordiam, etc. ; illa enim omnia nomen Dei includit. — Levat autem propheta orando manus, nempe ad cœlum, ubi Deus habitat : ut se gerat instar inopis, auxilium ac dona petentis ; et ut significet, se paratum esse legem Domini operibus implere.

6. *Sicut adipe et pinguedine repleatur* (vel juxta hebræum *replebitur*) *anima mea.* — Solet *adeps* optimam quamque et exquisitam rei partem significare ; hic autem respectu animæ, est exquisitum donum divinæ gratiæ : quæ est unctio Spiritus sancti, animæque lumen, cibus, vigor, decus, omnisque perfectio, sine qua misera est anima et languens. — Innuuntur quoque hic sacramenta, verbum Dei, et alia quibus anima saginatur.

7. *Si memor fui tui super stratum meum, in matutinis meditabor in te...* Alludere videtur piissimus propheta ad consuetudinem sanctam, qua vespere antequam obdormiret, cogitando de Deo mentem solebat occupare : Si vespere, inquit, fessus labore diurno adorare te non neglexi, multo magis mane surgens diei primitias tibi consecrabo.

Porro de oratione matutina et vespertina loqui videtur , tanquam de medio consequendi illa, quæ tantopere exoptat , dona gratiæ ; quasi diceret : Ut dona tam pretiosa merear accipere , nomen tuum laudare et invocare non desistam : præsertim vero in initio et fine diei orationi vacabo ; in nocte adversitatis sicut in luce prosperitatis memor tui ero , et agnoscam semper te esse thesaurum meum et auxilium : *Quia fuisti adjutor meus.*

8. *Et in velamento alarum tuarum exultabo ; adhæsit anima mea post te : me suscepit dextera tua.*

9. *Ipsi vero in vanum quæsierunt animam meam, introibunt in inferiora terræ : tradentur in manus gladii, partes vulpium erunt.*

10. *Rex vero lætabitur in Deo, laudabuntur omnes qui jurant in eo : quia obstructum est os loquentium iniqua.*

Tertia pars, orationis effectus : nimirum divina protectio, unio cum Deo, victoria de inimicis, æterna lætitia cum Rege Christo.

8. *Et in velamento alarum tuarum exultabo ; adhæsit anima mea post te : me susceptit dextera tua.* Non tantum Dominum orabit, invocabit, laudabit ; sed in eo quiescet, gaudebit, eique inseparabiliter adhærebit. *Adhæsit*, inquit, *anima mea post te*, id est, adhæret tibi ; vel, secundum chaldæum, adhæret *post vias tuas ;* ita ut sensus sit : Anima mea, protectione tua ac bonitate provocata, adhæret vi charitatis tibi ac vestigiis tuis ; ita ut ab illis nulla tentationum violentia separari se patiatur. Sensus Ecclesiæ in hoc loco ita fere enuntiari potest : Nec unquam a te discedam ; sed indissolubili charitatis vinculo adstrictus, adhærebo tibi mente, adhærebo cordis affectu, adhærebo et operibus, servando omnia præcepta tua, sequendo omnia exempla unigeniti Filii tui : *Adhæsit anima mea post te...* Quin imo, adhærebo tibi in omni tribulatione ; et sub alis tuis, *in velamento alarum tuarum*, sub protectione tua, manebo tutus et lætus. Nam, licet ratione infirmitatis meæ et inimicorum meorum, sine te certo sim periturus ; nihilominus, quamdiu tecum conjunctus maneo, securus quiesco : *Me suscepit dextera tua.*

9. *Ipsi vero in vanum quæsierunt animam meam....* De rebellibus ac sui persecutoribus loquitur : Ipsi, inquit, me perdere moliuntur *in vanum*, id est, frustra ; vel, sine causa, immerito, nulla mea culpa. — *Introibunt in inferiora terræ* : id est, descendent in sepulcrum corporis ; vel, in sepulcrum animæ, quod est infernus ; imo, sensus uterque simul admitti potest. — *Partes vulpium erunt*, scilicet præda ferarum : vulpes (1) eorum cadavera depascent.

10. *Rex vero lætabitur in Deo...* De quonam rege hic loquatur propheta, quærunt interpretes : plerique de ipso Davide sermonem esse censent ; alii de Messia, Rege per excellentiam, quem

(1) Proprie, juxta hebræum hyenæ seu crocottæ : gallice *les chacals.*

considerant in die justitiæ suæ punientem impios : qui sensus, si minus litteralis, saltem mystice verus est.

Laudabuntur omnes, qui jurant in eo : scilicet laudabuntur ab universis justis. —Sensus etiam esse potest, *gloriabuntur ac lætabuntur*.

Quod dicitur, *qui jurant in eo*, i. e. in Deo, per Deum verum : periphrasis nempe, designans pios, qui, ubi jurandum est, per Deum jurant, non per idola ; qui eum pro veritatis ac sanctitatis omnis fonte agnoscunt, ideoque ejus solius nomen in legitimis juramentis usurpant et invocant. — Justi autem glorificabuntur et gaudebunt, *quia obstructum est os loquentium iniqua* : i. e. quia manu divinæ justitiæ liberati sunt ab inimicis animarum suarum, quos ad æternum silentium redactos videbunt.

Mystice spectati duo ultimi versiculi explicandi videntur hoc modo : Te protegente servum tuum, inimici animæ meæ, sive visibiles sive invisibiles, non prævalebunt ; sed arcebuntur manu tua ; imo descendent in viscera terræ, præcipitabuntur in abyssum inferni, tradentur gladio justitiæ tuæ et ministris ac instrumentis vindictæ tuæ : nempe dæmonibus ac flammis æternis : *Descendent in inferiora terræ , partes vulpium erunt.* Hæc fieri incipient in decursu temporum, et consummabuntur in die judicii. Tunc autem *Rex lætabitur :* Rex justorum Christus, omnesque fideles Dei famuli Christum sequentes, triumphabunt; impiis omnibus æternum obmutescere coactis : *Quia obstructum est os loquentium iniqua.*

Sensus liturgicus.

Per hunc psalmum *Deus, Deus meus*, qui tertius ponitur ad Laudes, incipit proprie laudatio. Ecclesia enim, Spiritus sancti verba usurpans, voce ministrorum suorum Deum laudat, ardentique desiderio invocat : tum ut fontem gratiæ ac veræ vitæ ; tum ut adjutorem adversus inimicos animæ paratissimum qui servis suis triumphum præstat per Christum suum, justorum regem ac principem.

—

PSALMUS LXIII.

Exaudi, Deus, orationem meam, cum deprecor.

1. Exaudi , Deus, orationem meam , cum deprecor : a timore inimici eripe animam meam.	1. Exaudi , Deus , orationem meam, cum te invoco : a timore inimici libera animam meam.

2. Protexisti me a conventu malignantium : a multitudine operantium iniquitatem.

2. Protege me a conspiratione inimicorum meorum, et a multitudine molientium iniquitatem.

3. Quia exacuerunt ut gladium linguas suas : intenderunt arcum, rem amaram, ut sagittent in occultis immaculatum.

3. Quia exacuerunt ut gladium linguas suas, easque tetenderunt velut arcum lethiferum, ut verbis suis insidiose sagittent me innocentem.

4. Subito sagittabunt eum, et non timebunt : firmaverunt sibi sermonem nequam.

4. Subito irruentes sagittabunt me, nullo timore retenti : quia firmiter statuerunt exsequi consilium suum nefarium.

5. Narraverunt ut absconderent laqueos : dixerunt : Quis videbit eos ?

5. Consultarunt inter se quomodo absconderent laqueos, et dixerunt : Quis videbit eos ?

6. Scrutati sunt iniquitates : defecerunt scrutantes scrutinio.

6. Scrutati sunt omnes iniquas artes : consumpti sunt nimia sua scrutatione.

7. Accedet homo ad cor altum, et exaltabitur Deus (1).

7. Descendet homo impius ad consilium profundæ malitiæ : at exaltabitur Deus, illud irritum reddendo.

8. Sagittæ parvulorum factæ sunt plagæ eorum : et infirmatæ sunt contra eos linguæ eorum.

8. Ecce enim tanquam sagittæ parvulorum factæ sunt plagæ eorum : et infirmatæ sunt ac retortæ contra ipsos malignæ linguæ eorum.

9. Conturbati sunt omnes qui videbant eos : et timuit omnis homo.

9. Quicumque viderunt eos ita confusos, salutariter conturbati sunt : et religioso timore timuerunt omnes.

10. Et annuntiaverunt opera Dei : et facta ejus intellexerunt.

10. Et facta manumque Dei intelligentes, annuntiaverunt opera ejus.

11. Lætabitur justus in Domino, et sperabit in eo : et laudabuntur omnes recti corde.

11. Lætabitur ergo omnis justus in Domino, in quo sperare non desinet : et gloria gaudioque fruentur omnes recti corde.

(1) Versus 7, 8, ita in hebræo : *Consumpti sunt nimia sua scrutatione : intimæ menti et cordi uniuscujusque eorum profunda malitia insidet. — Sed sagittavit eos Deus jaculo : repentinæ factæ sunt plagæ* (ruina) *eorum.*

Explicatio.

Argumentum. — Oratio hæc est hominis, tribulationibus ac persecutionibus obnoxii : quæ tum Davidi, tum Christo et omnibus justis apte convenit. — De solo tamen Christo et justis, quasi hic esset immediatus et unicus sensus, SS. Patres passim psalmum exponunt.

Multi tamen alii interpretes, præter sensum hunc, quem ut præcipuum quidem admittunt, alium etiam supponunt litteralem, Davidi proprium. Putant enim, nec improbabiliter, psalmum referri ad conjurationem Absalonis ; et Davidem orare ut ab imminentibus sibi tunc periculis divina manu liberetur. *Conventus malignantium*, inquiunt, designat conspirantes in Hebron (II Reg. XV) ; *linguarum malitia*, *laquei occulti*, conspirantium molitiones sunt ; *accedens homo ad cor altum*, indicat, vel superbum et obcæcatum Absalonem, vel consiliarium ejus, perfidissimum Achitophel. — Hac itaque sententia admissa, David in angustiis positus, et a rebellibus pressus, Dei auxilium petit et impetrat, typum gerens Christi, Martyrum, omniumque justorum.

I. *Quid agant contra justum persecutores.*
II. *Quid contra persecutores acturus sit Deus.*
III. *Quis effectus vindictæ Dei.*

—

1. *Exaudi, Deus, orationem meam, cum deprecor : a timore inimici eripe animam meam.*

2. *Protexisti me a conventu malignantium : a multitudine operantium iniquitatem.*

More suo propheta petit exaudiri, deinde exponit quid cupiat : *Eripe*, inquit, *animam meam*... id est, vitam meam protege a periculo, quod imminet ex parte inimici. Eodem fere modo Dominus oravit in horto Olivarum dicens : *Pater, si fieri potest, transfer calicem hunc a me.*— Tropologice, *timor inimici* accipi potest pro timore mere humano et malo, ita ut sensus sit : Domine, libera me de timore humano, ut non timeam eos qui occidunt corpus, sed solum te et offensionem tui.

Explicat mox periculum a quo liberari petit, subjungens : 2. *Protexisti me* (protege me) *a conventu malignantium : a multitudine operantium iniquitatem.* Multitudo, ait, inimicorum conspirant, ineuntes commune consilium, utentes calumniis tanquam gladiis et sagittis, struentes insidias, adhibentes artificia iniquissima contra justum.

3. *Quia exacuerunt ut gladium linguas suas : intenderunt arcum, rem amaram, ut sagittent in occultis immaculatum.*

4. *Subito sagittabunt eum, et non timebunt : firmaverunt sibi sermonem nequam.*

Ad conventum malignantium hæc referuntur, qui non manibus pugnant, sed lingua, qua cominus et eminus feriunt sicut gladio et sagittis. — *Intenderunt arcum*, labia nempe maledica ; *rem amaram*, instrumentum lethiferum, ut tela seu verba mittant amara, venenata ; *in immaculatum*, id est, in innocentem. — Clarius hæc in hebræo : *Tetenderunt sagittam suam, verbum amarissimum.*

4. *Subito sagittabunt eum, non timebunt : firmaverunt sibi sermonem nequam.* Sensus est : Subito irruentes sagittabunt justum, absque ullo Dei hominumve timore, eo quod obdurato corde consilium suum nefarium perficere firmissime statuerunt.

5. *Narraverunt ut absconderent laqueos ; dixerunt : Quis videbit eos ?*

6. *Scrutati sunt iniquitates : defecerunt scrutantes scrutinio.*

Explicat *sermonem nequam* : consilium nempe impiorum profundamque malitiam aperit. — *Narraverunt*, inquit, *ut absconderent laqueos*... id est : Se invicem monuerunt, inter se consenserunt, ut occulte et hypocritice agerent, iniquitatem suam specie boni publici, vel etiam religionis prætextu occultantes. — *Quis videbit*... laqueos nostros ? Scilicet, nullus hominum iniquitatem nostram videbit... Quasi præter homines non sit Deus, et Deus non omnia videat ; vel quasi parum sit videri a Deo, qui supremus est judex.

6. Sic itaque obcæcati, et occultos sese existimantes, tradiderunt sese toti malitiæ suæ : *Scrutati sunt iniquitates : defecerunt scrutantes scrutinio.* Sensus est, vestigarunt varias nocendi vias, machinati sunt scelera ; consumpti sunt frustra nimiis suis scrutiniis et consiliis : nempe ea perficere non potuerunt ; — vel etiam, juxta quosdam, suis sese artificiis illaquearunt.

Hæc omnia apprime conveniunt passioni Dominicæ, in qua facile apparet et agnoscitur ille conventus malignantium, illæ linguæ sagittantes immaculatum Agnum ; ille sermo nequam, pertinax justitiæ ac religionis specie velatus, suisque sese artificiis implicans : adeo ut verbis psalmi mire respondeant hæc verba Evangelii : *Principes sacerdotum et omne concilium*

quærebant falsum testimonium contra Jesum... At ille respondentes dixerunt : Reus est mortis, — crucifigatur, — contradicit Cæsari... Dicite quia discipuli ejus nocte venerunt, et furati sunt eum, vobis dormientibus Matth. XXVIII, 12.

7. *Accedet homo ad cor altum, et exaltabitur Deus.*

8. *Sagittæ parvulorum factæ sunt plagæ eorum : et infirmatæ sunt contra eos linguæ eorum.*

Illud, *accedet homo ad cor altum*, sic videtur interpretandum : Homo impius descendet ad cogitationes profundissimas malitiæ ; at vero Deus profundior apparebit eas dissipando. — Hæc enim interpretatio congruit cum hebræo textu, qui hunc sensum habet : *Intimo cordi uniuscujusque eorum profunda malitia insidet.*

Aliter exponit Bellarminus post Augustinum, totum versiculum intelligendo de Christo, hoc modo : Christus *ut homo* accedet ad consilia impia inimicorum, iis sese tradens ; simul autem exaltabitur *ut Deus* : quia passione ipsius et resurrectione, divina sapientia, justitia et misericordia demonstrabitur.

His verbis : *Et exaltabitur Deus*, incipit *pars altera* psalmi, *quid contra persecutores acturus sit Deus.* — Sequentibus enim versiculis declarat propheta, quomodo Deus sit exaltandus liberando justum et puniendo persecutores ejus. Quæ quidem de Absalonis clade et Davidis restitutione intelligi possunt ; præcipue tamen, ut mox patebit, de Christo et discipulis ejus intelligenda sunt.

Exaltabitur Deus mirabiliter liberando justum suum : nam,

8. *Sagittæ parvulorum factæ sunt plagæ eorum, et infirmatæ sunt contra eos linguæ eorum* : id est, Deo interveniente, plagæ quas infligere justo tentant, tam parum ipsi nocebunt, ac si factæ essent sagittis parvulorum infantium, quæ leves festucæ sunt, manuque debili moventur, adeoque nihil vulnerant : — et calumniæ ipsorum similiter inefficaces erunt, imo vertentur in detrimentum calumniantium. — Hæc ut patet, Christo et Martyribus verissime conveniunt.

Fatendum tamen, sensum hunc Vulgatæ prorsus discrepare ab hebræo, ubi planissime sermo continuatur hoc modo : *Machinantur scelera corde profundo. Sed sagittavit eos Deus jaculo : repentinæ factæ sunt plagæ eorum : fugient quicumque viderint eos.*

9. *Conturbati sunt omnes qui videbant eos : et timuit omnis homo.*

10. *Et annuntiaverunt opera Dei, et facta ejus intellexerunt.*

Pars tertia psalmi : *Effectus divinæ vindictæ.* — Sensus versiculi 9 et 10 hic est : Quicumque viderunt impios sic divinitus punitos, et justum tam mirabiliter liberatum, religioso Dei timore correpti sunt, agnoveruntque manum Dei, et nomen atque opera Dei prædicarunt. — Hæc præcipue respiciunt Christum et Apostolos. Domino enim resuscitato conturbati sunt Judæi et confusi, moti sunt Apostoli metu et gaudio, timuit sancto timore omnis homo recta ratione utens, prout testatur S. Lucas : *Fiebat autem omni animæ timor ; multa quoque prodigia et signa per Apostolos in Jerusalem fiebant, et metus erat ingens in universis* (Act. II, 43). — Illi autem videntes, ac religiose timentes, qui annuntiaverunt opera Dei, imprimis sunt Apostoli, testes vitæ, mortis et resurrectionis Domini, qui Spiritu sancto repleti ac ferventes, facta Christi ac mysteria intellexerunt, mundoque universo annuntiarunt.

11. *Lætabitur justus in Domino, et sperabit in eo ; et laudabuntur* (glorificabuntur) *omnes recti corde.*

Concludit psalmista opponendo confusioni peccatorum, gaudium et gloriam justorum, quam hi divinitus accipient. Sensus est quasi diceret : Omnes itaque tribulationes illæ et persecutiones desinent in gloriam Dei, et in triumphum, gaudium ac gloriam æternam justi.

Sensus liturgicus.

Recitatur psalmus iste, 1° in officio de Oratione et Passione Domini ; 2° in officio septem Dolorum Beatæ Mariæ Virginis ; 3° in officio Apostolorum.

1° In officio de Oratione et Passione Domini, Ecclesia personam assumens Christi in passione constituti, Patrem orat : et liberationem petit ab iniquis conspirationibus Judæorum, *Quia exacuerunt ut gladium linguas suas....* Deinde velut Orationis hujusmodi effectum ostendens, enarrat triumphum Christi, confusionem Judæorum, Evangelii prædicationem, et gaudium justorum : *Lætabitur justus in Domino, et sperabit in eo : et laudabuntur omnes recti corde.*

2° In officio septem Dolorum, Ecclesia eodem psalmo sanctissimam Dei Genitricem respicit, ut Christi passionis et subsequentis gloriæ participem ; imo velut in persona dolorosæ Matris cum Christo conjunctissimæ, orationem illam pronuntiat : *Exaudi, Deus, orationem meam, cum deprecor : a timore inimici eripe animam meam...*

3° In officio Apostolorum, respicitur Christi passio ut causa

meritoria et exemplaris Apostolicæ prædicationis : *Et annuntiaverunt opera Dei, et facta ejus intellexerunt*... Scilicet intellexerunt, sicut Christus a Patre missus est, ita se missos esse a Christo, ut per passionem et crucem triumphum consequantur. *Si me persecuti sunt, et vos persequentur ; si sermonem meum servaverunt, et vestrum servabunt.* Joan. XV, 20.

—

PSALMUS LXIV.

Te decet hymnus.

1. Te decet hymnus, Deus, in Sion : et tibi reddetur votum in Jerusalem.

1. Te decet hymnus, Deus, cantandus in Sion : et æquum est ut populus tuus reddat tibi vota in civitate sancta Jerusalem.

2. Exaudi orationem meam : ad te omnis caro veniet.

2. Hoc, quæso, fiat : exaudi hanc orationem meam : et ad te laudandum omnis populus tuus in Sion veniet.

3. Verba iniquorum prævaluerunt super nos : et impietatibus nostris tu propitiaberis.

3. Verba quidem et consilia iniquorum prævaluerunt contra nos : sed quidquid inique egimus tu propitius ignosces.

4. Beatus, quem elegisti et assumpsisti : inhabitabit in atriis tuis.

4. Beatus quem elegisti et assumpsisti in clientem : inhabitabit in atriis tuis.

5. Replebimur in bonis domus tuæ : sanctum est templum tuum, mirabile in æquitate.

5. Illic omnes replebimur bonis domus tuæ : quæ est sanctuarium tuum, æquitatis et misericordiæ tuæ donis mirabile.

6. Exaudi nos Deus salutaris noster, spes omnium finium terræ, et in mari longe.

6. Exaudi igitur nos, Deus, tu salus nostra, spes nostra et omnium gentium, usque ad fines terræ et maris.

7. Præparans montes in virtute tua, accinctus potentia : qui conturbas profundum maris, sonum fluctuum ejus.

7. Tu enim es, qui montes stabiles efficis virtute tua, accinctus potentia infinita : tu, qui conturbas profundum maris, sonum excitans fluctuum ejus.

8. Turbabuntur gentes, et timebunt qui habitant terminos a signis tuis : exitus matutini et vespere delectabis.

8. Tu, qui velut signa manus tuæ ostendis fulgura, quibus terrentur populi usque ad terminos terræ : simulque eos recreas splendido matutini et vespertini solis spectaculo.

9. Visitasti terram, et inebriasti eam : multiplicasti locupletare eam.	9. Visitasti terram nostram, et inebriasti eam pluviis : quibus multipliciter locupletasti eam.
10. Flumen Dei repletum est aquis, parasti cibum illorum : quoniam ita est præparatio ejus.	10. Flumen a Deo nobis datum, repletum est aquis : et sic parasti, o Deus, alimenta nobis : quoniam per irrigationem fecundatur terra.
11. Rivos ejus inebria, multiplica genimina ejus : in stillicidiis ejus lætabitur germinans.	11. Sic perge, et sulcos terræ inebriando multiplica fructus ejus : et irrigatione pluviæ lætabitur germinans.
12. Benedices coronæ anni benignitatis tuæ : et campi tui replebuntur ubertate.	12. Atque ta benedices toti anni circulo benignitatis tuæ donis : et campi tui replebuntur omnigena ubertate.
13. Pinguescent speciosa deserti : et exultatione colles accingentur.	13. Imo pinguescent quoque pascua deserti : et læta viriditate inculti colles vestientur. Hinc
14. Induti sunt arietes ovium, et valles abundabunt frumento : clamabunt, etenim hymnum dicent.	14. Ex una parte induentur et circumdabuntur arietes multitudine ovium ; ex altera vero, valles abundabunt frumento : omnia autem, sive pecora sive fruges, suo modo proclamabunt Dei laudes : præsertim vero filii Israel hymnum dicent.

—

Explicatio.

Argumentum. — Psalmus iste hymnus est eucharisticus, quo David celebrat divinam erga populum Israel beneficentiam, et illam continuari postulat.

Juxta sanctum Hieronymum, aliosque passim interpretes, respicit propheta futurum Judæorum a captivitate Babylonica reditum in patriam. Scilicet in eorum persona gratias Deo agit, eo quod restituti sint civitati sanctæ ; petitque ut deinceps patria terra universa, cum abundantia bonorum ejus fruantur. — Quæ quidem sententia tanquam omninò probabilis admitti potest. At vero, ut Bellarminus, ait quoniam illa liberatio de captivitate Babylonica, typus fuit liberationis generis humani de captivitate diaboli : altiore sensu psalmus prædicit conversionem infidelium ad Ecclesiam, et reditum spiritualium peregrinorum ad patriam cœlestem : nam et Ecclesia et cœlestis patria per Jerusalem in sacris Litteris significari solet.

Respectu Ecclesiæ, psalmus considerari quoque simpliciter potest ut oratio, ad necessitates fidelium universim, et uniuscujusque animæ in particulari pertinens.

I. *Gratiarum actio ob donum divini cultus in Sion.*
II. *Petitio ac prælictio benedictionis divinæ pro terra Israel.*

—

1. *Te decet hymnus, Deus, in Sion : et tibi reddetur votum in Jerusalem.*

Veluti verba laudis ac gratitudinis hæc sunt captivorum, ad sanctam civitatem redeuntium. Decet, inquiunt, Domine, et convenit omnino, ut populus tuus hymnos tibi canat in loco sancto tuo Sion, utque ibidem tibi vota solvat pro beneficiis tuis ; in Sion, inquam, non in terra aliena, ubi nomen tuum ignoratur et beneficia tua non intelliguntur.

2. *Exaudi orationem meam : ad te omnis caro veniet.*
3. *Verba iniquorum prævaluerunt super nos : et impietatibus nostris tu propitiaberis.*

Dominum orant, ut quam citissime hujusmodi laudes Deo persolvere sibi liceat. Si nos exaudieris, inquiunt, ecce *omnis caro*, i. e. omnes homines nobiscum ad te laudandum convenient.

Præter hanc rationem, quo efficacius exaudiri mereantur, humilem de peccatis pœnitentiam profitentur. *Verba iniquorum*, id est, dicteria, minæ et studia iniquorum, nos per tot annos oppresserunt propter peccata nostra ; at tu, misericordissime Deus, impietates nostras, quas corde contrito confitemur, remittes : *Impietatibus nostris tu propitiaberis.*

Mystice, illa quæ dicit *verba iniquorum*, sunt pravi conatus inimicorum animæ, atque tentationes, hæ autem *prævalent super animam*, cum eam pertrahunt in peccatum.

4. *Beatus quem elegisti et assumpsisti : inhabitabit in atriis tuis.*
5. *Replebimur in bonis domus tuæ : sanctum est templum tuum, mirabile in æquitate.*

Corroborant orationem gratitudine plenam, monstrando, sese ut par est æstimare et desiderare gratiam quam postulant. Beati, inquiunt, quibus in sancta civitate habitare concedis. Ecce nos omnes, quibus hanc gratiam conferre dignaris, replebimur bonis in domo tua : sancta enim est domus tua, et mirabilis fons bonorum omnium : *Replebimur in bonis domus tuæ...*

Hi versiculi, etiamsi utcumque convenire possint terrenæ Jerusalem, vel Ecclesiæ militanti ; absolute tamen et in plenitudine sensus, soli cœlesti patriæ conveniunt : ubi perfecte beati erunt electi, et satiabuntur bonis domus Dei ; ubi ipsimet templum Dei vivum constituent, sanctitate, et justitia mirabile. Etenim mirabile erit valde videre homines, olim in peccato natos, nunc tantam justitiam adeptos, ut neque peccatum ullum habeant, neque habere possint, et una cum angelis sanctis civitatem ac familiam Dei componant.

6. *Exaudi nos, Deus, salutaris noster : spes omnium finium terræ, et in mari longe :*

7. *Præparans montes in virtute tua, accinctus potentia : qui conturbas profundum maris, sonum fluctuum ejus.*

8. *Turbabuntur gentes, et timebunt qui habitant terminos, a signis tuis : exitus matutini et vespere delectabis.*

Incipit *altera pars*, petitio ac prædictio benedictionis divinæ pro terra Israel.

Exaudi nos, inquit, et benedictiones tuas continua populo tuo, o Deus, Salvator populi tui, et spes universi mundi ; o Deus omnipotens et beneficus, qui populos omnes et totum naturæ ordinem tam benigne moderaris ! — Exaltat primum Dei omnipotentiam et beneficentiam, non tantum per modum laudis, sed etiam per modum precationis : ut sic eum inducat ad utendum illa potentia ac beneficentia sua pro populo ac terra Israel. Præfata Dei attributa considerat in variis effectibus : in stabiliendis terræ montibus, sedandis maris fluctibus vibrandis fulguris ignibus, et recreando mundo per solis ortum et occasum.

Quod dicit, *salutaris noster, spes omnium finium terræ, et in mari longe :* id est, spes omnium populorum, et habitantium regiones transmarinas longissime positas. Vaticinium his continetur conversionis Gentium ad veri Dei cultum.

7. *Præparans montes*, id est, vi vocis hebraicæ, eos stabiliens. — *Qui conturbas profundum maris*, id est, qui sedas, qui comminando compescis mare et obstrepentes fluctus ejus. Sic Dominus in Evangelio tempestatem sedat, increpando mare, ac dicendo : *Tace, obmutesce.* Marc. IV, 39.

8. *Turbabuntur gentes, et timebunt qui habitant terminos :* id est, terrebuntur omnes homines, etiam ii qui habitant terminos terræ ; *a signis tuis*, id est, propter coruscationes ac tonitrua, et multo magis ob prodigia ac miracula tua. — *Exitus matu-*

tini et vespere (græce ἑσπέρας vesperæ) *delectabis* : id est, exortum auroræ et crepusculi vespertini delectabilem facies. Hoc autem figurate dicitur, et significat, Deum vicissitudine noctium ac dierum homines recreare.

9. *Visitasti terram, et inebriasti eam : multiplicasti locupletare eam.*

10. *Flumen Dei repletum est aquis, parasti cibum illorum : quoniam ita est præparatio ejus.*

A Dei potentia, transit ad laudandam simulque implorandam ejus liberalitatem : Cumulasti, inquit, terram divitiis, eam irrigas abundantibus rivis, ut sic animalibus cibos proferat. — Hæc hypotyposis egregiæ fertilitatis, haud dubie significat copiam gratiarum et virtutum omnium, quibus humanum genus per Christum abundavit.

9. *Visitasti terram*, inanem et vacuam, ut eam fecundam efficeres ac ditares, eam nimirum *inebriando*, id est, usque ad satietatem irrigando.

10. *Flumen Dei*, id est Jordanis, flumen a Deo datum, Deoque dicatum sicut tota terra sancta, repletum est aquis beneficis. — Vel sumendo numerum singularem pro plurali : Flumina Deus fecit et aquis implevit, ut sic terram irrigaret et fecundaret ad nutrienda animalia : *Quoniam ita est præparatio ejus*, id est, quoniam sic fundata et disposita est terra, ut per aquarum irrigationem fecundetur et fructus suos pariat.

11. *Rivos ejus inebria, multiplica genimina ejus : in stillicidiis ejus lætabitur germinans.*

12. *Benedices coronæ anni benignitatis tuæ : et campi tui replebuntur ubertate.*

13. *Pinguescent speciosa deserti, et exultatione colles accingentur*

14. *Induti sunt arietes ovium, et valles abundabunt frumento : clamabunt, etenim hymnum dicent.*

Prosequitur et perficit magnificam descriptionem fertilitatis terræ. Perge, inquit, Domine, et *rivos ejus*, id est, sulcos terræ abundanter riga fluentibus aquis, atque ita multiplica *genimina* seu germina ac fructus ejus ; *in stillicidiis ejus*, id est, pluvia Dei desuper cadente, *lætabitur* terra *germinans*.

12. *Anni*, *corona* est, vel totius anni circulus, vel sunt fruges quibus annus fertilis ornatur ac velut coronatur ; — *annus* vero *benignitatis*, id est, objectum benignitatis, annus in quem Deus liberalitatem effundit. Quod itaque dicit, *benedices coronæ*

anni benignitatis tuæ, significat : te benedicente, totus annus frugibus ditissimis coronabitur.

13. *Speciosa* (hebraice *pascua*) *deserti*, sunt loca deserta quæ solis pascuis deserviunt : hæc, inquit, nova fecunditate *pinguescent*, cœlesti rore irrigata ; et *colles* pariter deserti et inculti, herbescente viriditate ita vestientur, ut ex omni parte lætari et exultare videantur : *Exultatione colles accingentur.*

14. *Induti sunt arietes ovium* : id est, arietes multiplicatis ovibus circumdabuntur, et pascua pinguia implebunt ; dum interim *valles* cultæ *abundabunt frumento* ; omnia autem, sive colles, sive valles, sive campi exculti, sive pascua deserti, sive pecora, sive fruges : suo modo clamabunt, et quodammodo hymnum cantabunt conditori et benefactori suo. — Sic unde exorsus est psalmus, ibidem terminatur : ut hymnos Dei nomini cantandos provocet.

Sensu morali, status animæ sanctæ hic vivide depingitur : affluente Dei gratia, ejus sterilitas fecundatur, fructibus omnigenis virtutum abundat, gaudio sancto exultat, et in hymnos amoris Dei erumpit.

Sensus liturgicus.

Psalmus *Te decet*, cantatur in Laudibus Defunctorum, et quidem merito. Est enim ex Ecclesiæ mente velut hymnus eucharisticus, quo Dei celebrat beneficia erga fidelium animas, earumque canit introductionem in terram promissam, ac cœlestem Jerusalem : ubi misericordias Domini in æternum cantabunt.

Te decet, inquit, hymnus, o Deus, in Sion cœlesti : ideoque exaudi orationem meam, et fac ut omnis caro, per Spiritum sanctum vivificata, omnes scilicet fideles tui, ad beatam patriam, et ad te suum patrem, sicut vocantur , perveniant : *Ad te omnis caro veniet.*

Verba quidem iniquorum, et inimicorum spiritualium insultus aliquantum prævaluerunt adversum nos : sed si quid egimus perperam , tu misericorditer ignosces : *Iniquitatibus nostris tu propitiaberis.*

Beatus quem elegisti et assumpsisti , ut inhabitet in atriis tuis !... Replebimur in bonis domus tuæ.

Exaudi nos, Deus salutaris noster , ut cito tantis bonis perfruamur. O Creator omnipotens et misericors , qui tot ac tanta fecisti pro nobis in ordine naturæ et gratiæ , comple jam et corona opus misericordiæ tuæ. Propter nos, accinctus potentia, fecisti fluctus marium et tonitrua nubium ; diei auroram et occasum , imo ortum nostrum et occasum , nativitatem scilicet et obitum tu gaudiis imples. Visitasti utique terram nostram

et inebriasti eam flumine gratiarum ; animas fidelium tuorum sicut agros plenos coronasti ubertate. Quapropter decet ut acclament tibi, Deus, in æternum ; et in cœlesti Sion hymnum concinant : *Clamabunt, etenim hymnum dicent.*

—

PSALMUS LXVI.

Deus misereatur nostri.

1. Deus misereatur nostri et benedicat nobis : illuminet vultum suum super nos, et misereatur nostri.

2. Ut cognoscamus in terra viam tuam : in omnibus gentibus salutare tuum.

3. Confiteantur tibi populi, Deus : confiteantur tibi populi omnes.

4. Lætentur et exultent gentes : quoniam judicas populos in æquitate, et gentes in terra dirigis.

5. Confiteantur tibi populi, Deus, confiteantur tibi populi omnes : terra dedit fructum suum.

6. Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus : et metuant eum omnes fines terræ.

1. Deus misereatur nostri et beneficam manum suam nobis aperiat ; benignam faciem suam ostendat nobis, et sic misereatur nostri.

2. Ut cognoscamus, Domine, in hac terra tenebrosa viam tuam ; omnesque gentes cognoscant Christum Salvatorem tuum.

3. Hunc Salvatorem possidentes confiteantur tibi laudibus suis populi, Deus, confiteantur tibi populi omnes.

4. Lætentur et exultent gentes, quoniam per Christum tuum regnum justitiæ constituisti in terra, populosque via recta dirigis.

5. Confiteantur tibi populi, Deus, confiteantur tibi populi omnes : quia tandem protulit terra fructum suum Christum.

6. Quo ut perfecte fruamur, benedictionem suam ac gratiam Deus complere dignetur : Benedicat nos Deus, et Deus noster, et benedicat nos Deus : Deumque trinum et unum metuant et colant omnes fines terræ.

—

Explicatio.

Argumentum. — Sicut in psalmo LXII, *Deus, Deus meus*, propheta expetivit Dei gratiam ; ita in præsenti particularius Messiam, gratiæ auctorem postulat. Est enim psalmus iste oratio, qua vehementi desiderio et gratitudine inflammatus, exposcit adventum Messiæ et conversionem humani generis.

Sensus autem Ecclesiæ, seu quatenus propheta in persona Ecclesiæ loquitur ; vel, quod idem est, quatenus Spiritus sanctus ore prophetæ orationem præparat Ecclesiæ Christi convenientem ; psalmus hic supplicatio est, qua Ecclesia gratitudine plena ob Messiam, id est, ob unigenitum Filium Dei mundo datum, ardenter petit, ut ejusdem Salvatoris regnum in omnes populos, et in omnium fidelium corda plenissime adveniat.

I. *Votis appellat adventum Christi.*
II. *Invitat omnes populos, ut tantum beneficium debita gratitudine ac lætitia accipiant.*

—

1. *Deus misereatur nostri et benedicat nobis : illuminet vultum suum super nos et misereatur nostri.*
2. *Ut cognoscamus in terra viam tuam : in omnibus gentibus salutare tuum.*

Votis appellat adventum Christi ejusque cognitionem.

Deus, inquit, *misereatur nostri et benedicat nobis : illuminet, vultum suum super nos, et misereatur nostri.* Tria hæc : *misereri, benedicere, illuminare vultum*, gradationem quamdam continent ; quasi 1° peccatorum venia , 2° dona Dei ac benedictiones , 3° pretiosiores gratiæ peterentur , quas vultus illuminatio designat.

Illuminatio autem *vultus*, ut Bellarminus ait, multa significare potest. Primum enim dicitur Deus *illuminare vultum suum super nos,* quando remotis nubibus iræ et indignationis, sereno vultu nos respicit : ut filios, ut amicos, ut ad gratiam revocatos. — Deinde dicitur etiam *illuminare vultum suum super nos*, quando nos illuminat et calefacit, sapientiam et charitatem infundens : quomodo sol iste corporalis facere solet, quando nullis nubibus tegitur. — Denique *illuminare vultum suum super nos*, quando præstat, ut eum quasi remoto velamine intueamur. Quod maxime præstitit, quando per Incarnationis mysterium *in terris visus est et cum hominibus conversatus est* (Baruch. III, 38). Atque id videtur hoc loco petere propheta, ut Deus vultum suum, si non in forma Dei, saltem in forma hominis nobis ostendat per adventum Messiæ.

Et misereatur nostri. Incisum istud deest in hebræo et apud LXX ; ideoque redundare videtur in Vulgata. — Quoniam tamen ab Ecclesia servatur, sumi potest ut repetitio præ affectus ardore ; vel est explicatio quædam, quasi diceret : *Atque ita*, illuminando videlicet vultum suum super nos, *misereatur nostri.*

2. *Ut cognoscamus in terra viam tuam* : id est, ut legem tuam perfectam, nempe evangelicam, cognoscamus omnes, quotquot sumus homines in universa terra, in omnibus gentibus. — Ut cognoscamus *salutare tuum*, scilicet Salvatorem Christum, qui est *via* tua, veritas, et vita.

Si spectemus sensum Ecclesiæ, non petit illa adventum Messiæ, quippe qui jam advenit ; sed ejusdem cognitionem, quasi diceret : *Deus misereatur nostri*, qui tam pauperes tamque miseri in hac terra tenebrosa erramus ; misereatur, benedicat, illuminet vultum suum super nos, et gratiam nobis unicam, at malis omnibus medentem concedat : *Ut cognoscamus in terra viam tuam*... Dominum nimirum nostrum Jesum Christum, qui *via est et veritas et vita* (Joan. XIV, 6). *Hæc est* enim *vita æterna*, Pater, *ut cognoscamus te, solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum* (Joan. XVII, 3). Quapropter *existimo omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam Jesu Christi Domini mei* (Phil. III, 8) : *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi*. Coloss, III, 2.

Utinam cognoscamus thesauros, quos possidemus in Christo, in quo Pater *omnia nobis donavit* (Rom. VIII, 32) : nimirum liberatorem a tyrannide diaboli, pastorem, ducem, regem justitiæ secundum cor Dei, per quem *habemus accessum in uno Spiritu ad Patrem*. Eph. II, 18.

3. *Confiteantur tibi populi, Deus : confiteantur tibi populi omnes.*

4. *Lætentur et exultent gentes : quoniam judicas populos in æquitate, et gentes in terra dirigis.*

Incipit *secunda pars* : vocatur humanum genus ad gratitudinem et gaudium.

Omnes, inquit, *populi* terræ, non tantum tibi confiteantur, o Deus, et debitum cultum solvant ; sed etiam lætentur de ineffabili bono, quod in Christo possidebunt.

Quoniam judicas : id est, quoniam regis ac gubernas *populos in æquitate* : nempe in justitia et sanctitate per Christum et Ecclesiam. — Christus enim judicium sanctum exercet, et populos credentes judicat per Ecclesiæ ministros, tum in foro externo tum in foro interno, sive in tribunali Pœnitentiæ. — *Et gentes in terra dirigis* : nempe sicut pastor, aut etiam sicut præmonstrator itineris, vel gubernator navis, peregrinantes deducis ad portum salutis æternæ. — Ut patet, prophetia enuntiatur de conversione Gentium. Ponitur autem præsens tempus loco futuri, quia in hebræo tempus futurum designat passim actionem perdurantem, qualis hic in regimine Christi intelligitur.

5. *Confiteantur tibi populi, Deus, confiteantur tibi populi omnes : terra dedit fructum suum.*

6. *Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus : et metuant eum omnes fines terræ.*

Causam gaudendi ostendit, petitque a Deo benedictionem, qua misericordiæ suæ velut culmen imponat.

Laudent, inquit, Deum, nec laudare desinant populi universi : quia *terra dedit fructum suum*, puta Christum ; de quo Isaias similiter orando dicebat : *Aperiatur terra et germinet Salvatorem* (Isai. XLV, 8) ; et alibi : *Erit germen Domini in magnificentia et gloria, et fructus terræ sublimis*. Isai. IV, 2.

Quod ergo dicit : *Terra dedit fructum suum*, significat : Quoniam terra edidit Christum, fructum suum præcipuum, ab omni antiquitate promissum ; seu, ut Bellarminus ait, fructum suum proprium, illum cujus gratia terra a Deo facta erat : id est, Christum in carne. — Quoniam itaque in terra natus est Christus, propterea confiteantur tibi, o Deus, te laudent te colant populi omnes. — Precatur scilicet, ut propter Christum in terris natum, gentes longe et late per totam orbis amplitudinem, Dei cognitione et amore imbuantur : quod quidem Christus copiose est promeritus.

Recte vocatur Christus *fructus terræ* : quia in terra productus est, etsi divinitus quasi seminatus, atque de Spiritu sancto in utero Virginis conceptus. Est autem fructus, manducantibus non modo omne delectamentum præstans ; sed fecunditatem quamdam communicans, ut et ipsi vitæ æternæ fructificent : *Qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum*. Joan. XV, 5.

Etenim, sensu consequenti possumus etiam, cum Augustino, per fructum intelligere proventum multarum virtutum , quem terra edidit per gratiam Christi et promulgationem Evangelii, postquam multis sæculis fuisset sterilis.

6. *Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus : et metuant eum omnes fines terræ.* Trina repetitio nominis Elohim, sive Dei, mysterium insinuat SS. Trinitatis, quæ per Evangelium omnibus populis innotuit ; et sensus est quasi dicat : Salvet nos tota sanctissima Trinitas, et ipsa ab omnibus salvatis colatur. — Etenim nomen *Deus* ter repetitur ob personarum trinitatem ; et singulari numero dicitur *benedicat* et *eum*, ob essentiæ unitatem ; — secundo autem loco dicitur *Deus noster*, propter personam Filii, qui pro nobis incarnatus, peculiari modo *noster*, et *nobiscum Deus* factus est, secundum illud : *Ecce virgo in utero habebit, et pariet filium : et vocabunt nomen ejus Emmanuel, quod est interpretatum : Nobiscum Deus*. Matth. I, 23.

Demum, ut secundum exemplar et voluntatem Christi, *fructum afferamus, et fructus noster maneat* (Joan. XV, 16), Ecclesia ultimo versiculo SS. Trinitatis benedictionem petit, quasi diceret : Quoniam sine Deo, ejusque benedictione ac gratia nihil facere possumus, dignetur ille Deus ineffabilis, Deus trinus et unus, Pater et Filius et Spiritus sanctus, benedicere nobis : ut omnes usque ad ultimos terræ limites ei fructum sancti timoris, obedientiæque perfectæ afferamus : *Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus ; et metuant eum omnes fines terræ.*

Sensus liturgicus.

Psalmus LXVI, *Deus miseratur nostri*, recitatur diebus Dominicis et festivis ad Laudes, post Ps. LXII, quocum immediate conjungitur. Scilicet, quoniam Ecclesia, Mater ac Regina, in fine illius psalmi LXII, *Deus, Deus meus*, de Christo Rege locuta est ; ideo statim subjungit psalmum hunc, *Deus misereatur*, ut in Regis Sponsi sui mysterio diutius immoretur. Toto enim psalmo isto Christum spectat, ut donum Dei per excellentiam, ut solem justitiæ ac Regem proprium humani generis, ut fructum terræ, Deo et hominibus jucundissimum. Hunc appellat, ut magis magisque regnet in omnium cordibus ; hunc laudat, et in ipso laudes ac gratiarum actiones effundit SS. Trinitati.

—

PSALMUS LXXIV.

Confitebimur tibi, Deus.

1. Confitebimur tibi, Deus, confitebimur : et invocabimus nomen tuum.	1. Confitebimur tibi, Deus, supremo judici, confitebimur : et invocabimus nomen tuum.
2. Narrabimus mirabilia tua : cum accepero tempus, ego justitias judicabo.	2. Narrabimus mirabilia tua mysteria et judicia. — Cum tempus a me statutum venerit, ego Christus mundum justissime judicabo.
3. Liquefacta est terra, et omnes qui habitant in ea : ego confirmavi columnas ejus.	3. Præ pavore adventus mei, quasi liquefacta est terra et omnes qui habitant in ea : ego confirmavi columnas ejus.
4. Dixi iniquis : Nolite inique agere ; et delinquentibus : Nolite exaltare cornu :	4. Ideo dixi iniquis : Nolite inique agere ; et delinquentibus : Nolite superbe agere.

5. Nolite extollere in altum cornu vestrum : nolite loqui adversus Deum iniquitatem (1).

5. Nolite superbire in cœlum : nolite loqui adversus Deum iniquitatem.

6. Quia neque ab Oriente, neque ab Occidente , neque a desertis montibus : quoniam Deus judex est.

6. Quia neque ab Oriente , neque ab Occidente, neque a desertis montibus effugium erit : Deus enim ubique præsens ipse Judex est.

7. Hunc humiliat, et hunc exaltat : quia calix in manu Domini, vini meri plenus misto (2).

7. Unum humiliabit et alterum exaltabit : quia calix in manu Domini plenus mixtione vini meri (plenus vino vindictæ et varietate pœnarum).

8. Et inclinavit ex hoc in hoc : verumtamen fæx ejus non est exinanita : bibent omnes peccatores terræ (3).

8. Etsi jam inclinavit calicem hunc propinando variis gentibus , fæx ejus gravissima nondum est absorpta : in novissimo die ex ea bibent omnes peccatores terræ.

9. Ego autem annuntiabo in sæculum : cantabo Deo Jacob.

9. Ego autem hæc in Ecclesia mea annuntiabo , et sic laudabo Deum Jacob usque ad finem mundi.

10. Et omnia cornua peccatorum confringam : et exaltabuntur cornua justi.

10. Et tunc , uti dixi , omnem superbiam peccatorum confringam, et exaltabo gloriam justi.

—

Explicatio.

Argumentum est admonitio ad humanum genus, ut juste vivant omnes et superbiæ tumorem deponant, quoniam imminet judicium Dei severissimum atque justissimum — Juxta interpretes quosdam , psalmus compositus est per modum dialogismi, ita ut nunc justi loquantur, nunc Deus ipse, nunc propheta. Melius tamen alii tenent, incipiendo a versu secundo usque ad finem, unam eamdemque personam loqui, nempe Judicem vivorum ac mortuorum, Christum Dominum.

I. *Annuntiatio judicii.*
II. *Explicatio judicii.*

—

(1) In hebræo : *Ne loquamini collo arroganti.*

(2) In hebr. *In manu Domini est calix, et vino æstuat, plenus est mixtione.*

(3) In hebr. : *Et propinabit ex eo : etiam fæces ejus exhaurient bibentes omnes improbi terræ.*

1. *Confitebimur tibi, Deus : confitebimur, et invocabimus nomen tuum.*

2. *Narrabimus mirabilia tua....*

Præambula hæc oratio est, qua propheta nomine justorum, ad Dei laudes et opera celebranda sese disponit.

Laudabimus te, Deus, inquit, et nomen tuum invocabimus ; — hebraice : *Confitebimur tibi, nam prope est nomen tuum :* id est, propinquus est adventus tuus ad judicandam terram.

2. *Narrabimus mirabilia tua*, id est : opera, miracula, mysteria doctrinæ tuæ et præsertim judicia tua prædicabimus. — Statim autem, per os ejus loquens prædicat ipse Christus Dominus judicia Dei.

.... Cum accepero tempus, ego justitias judicabo.

3. *Liquefacta est terra, et omnes qui habitant in ea : ego confirmavi columnas ejus.*

Christus itaque ore Davidis dicit : Ego Filius hominis, cui omne judicium dedit Pater, tempore statuto judicium exercebo justissimum. — Illud enim *justitias judicabo,* hebraismus est, et significat *juste judicabo.* — Illud *cum accepero tempus*, significat tempus ac diem statutum, sed statutum a Deo, in cujus manu sunt tempora : *Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate.* Act. I, 7.

Tunc autem, in die illa, quid fiet ? 3. *Liquefacta est*, inquit, *terra, et omnes qui habitant in ea : ego confirmavi columnas ejus :* id est, terra sentiet in die illa iram meam : consumetur enim cum omnibus habitantibus ejus, a me qui feci eam : Ego firmavi columnas ejus. — In adventu enim Christi, elementa æstuantia liquescent, seu igne conflagrationis purgabuntur cum inhabitantibus omnibus, ut S. Petrus testatur, dicens : *Elementa calore solventur, terra autem et quæ in ipsa sunt opera exurentur* (II Pet. III, 10). — *Terra consistens Dei verbo... cœli autem qui nunc sunt, et terra, igni reservati in diem judicii et perditionis impiorum hominum* (Ibid. versu 5, 7).

4. *Dixi iniquis : Nolite inique agere : et delinquentibus : Nolite exaltare cornu.*

5. *Nolite extollere in altum cornu vestrum : nolite loqui adversus Deum iniquitatem.*

Ex veritate judicii quam annuntiavit, concludit et monet, ut impii impietati suæ, et superbi superbiæ suæ finem imponant. Simili modo concludit S. Petrus : *Quum igitur hæc omnia dissolvenda sint... hæc exspectantes, satagite immaculati et invio-*

lati ei (Christo judici) *inveniri in pace* (II Pet. III, 14). Scilicet dissolvenda, destruenda tunc sunt quæcumque humanam iniquitatem et superbiam fulciunt : ergo dum tempus est, resipiscant et humilientur. Hæc summa est totius prædicationis Dominicæ.

Exaltare cornu, id est, efferre, jactare suam potentiam et gloriam, superbire, præsertim contra proximum; *extollere cornu in altum*, est efferre se contra Deum ejusque legem, et, uti additur, loqui adversus Deum iniquitatem : metaphora desumpta a tauris ferocibus, qui spreto jugo, cornuum potentia gestiunt et quasi gloriantur.

6. *Quia neque ab Oriente, neque ab Occidente, neque a desertis montibus* (erit evasio vel auxilium) : *quoniam Deus judex est.*

Rationem reddit moniti præcedentis, quasi diceret : Non enim erit effugium de manu Judicis : quippe qui non merus homo sim, sed Deus omnipotens, ego Homo-Deus. — Itaque frustra vertent se ad varias terræ partes, frustra latibulum petent a montibus : latibulum nullum aut effugium invenient *quoniam Deus judex est*, omniscius, omnipotens.

7. *Hunc humiliat, et hunc exaltat : quia calix in manu Domini, veni meri plenus misto.*

8. *Et inclinavit ex hoc in hoc; verumtamen fæx ejus non est exinanita : bibent omnes peccatores terræ.*

Incipit *secunda pars* : explicatio modi quo Judicium exercendum sit. — Dominus, inquit, superbum humiliabit et humilem exaltabit. — Imprimis autem superbos humiliabit et puniet : nam manu tenet justitiam vindicativam, et pœnas copiosas, omnibus peccatoribus pro cujusque merito infligendas. — Quæ symbolo calicis propinandi significantur.

Dicitur *calix vini meri* : id est, calix indignationis atque iræ Dei nulla misericordia temperatæ; adeoque calix vindictæ infligendæ, prout passim ex aliis locis patet, ut ex isto : *Qui adoraverit bestiam et imaginem ejus, hic bibet de vino iræ Dei, quod mixtum est mero in calice iræ ipsius, et cruciabitur igne et sulphure* (Apoc. XIV, 10). — Dicitur *plenus*, ut indicetur plenitudo et rigor justitiæ. *Plenus misto*, i. e., plenus veneno, et abundans varietate pœnarum : *mistum* sive mixtio, pro veneno, amaritudine, et potione insalubri ác turbida sumitur (1).

Et inclinavit ex hoc in hoc : id est, jam Deus propinavit

(1) Ita chaldaica paraphrasis : *Vinum merum, plenum mixtione fellis*; — vinum scilicet quale Christo morituro propinatum est.

multis hunc calicem, transferendo ad varias gentes; verumtamen remanet gravissima pars, quæ servatur in diem ultimi judicii : *Fæx ejus non est exinanita : bibent omnes peccatores terræ.* Tunc enim non erit amplius locus misericordiæ; sed omnes qui peccatores in illa die existent, cogentur bibere fæces calicis iræ Domini.

9. *Ego autem annuntiabo in sæculum : cantabo Deo Jacob.*

10. *Et omnia cornua peccatorum confringam : et exaltabuntur cornua justi.*

Conclusio, quasi diceret : Ego Christus per memetipsum, et per Apostolos ac Ecclesiam meam, annuntiabo hæc usque ad finem mundi; et sic Deum glorificabo. Die autem statuto, quæ annuntiavi efficiam : peccatores humiliabo, justos exaltabo in gloriam æternam. — Quibus verbis insinuatur conclusio practica S. Petri, supra jam citata : *Propter quod, carissimi, hæc exspectantes, satagite immaculati et inviolati ei inveniri in pace.* II Pet. III, 14.

Sensus liturgicus.

Psalmus *Confitebimur* recitatur, 1° Feria quinta in Cœna Domini, et 2° in festis Apostolorum.

1° In Cœna Domini respicit Ecclesia verba ista : *Quia calix in manu Domini...* Intelligitur autem tum ille calix sanguinis ac passionis Christi, quem Dominus in ultima cœna discipulis dedit; tum ille, quem post eamdem cœnam in horte Olivarum deprecatus est. Mysticus autem ille calix in manu Domini, fit calix salutaris et exaltationis justis; calix vero vindictæ et humiliationis superbis peccatoribus. Ideo intuitu hujus calicis monet omnes, præsertim vero peccatores, de Dei judiciis : *Nolite exaltare cornu... omnia cornua peccatorum confringam et exaltabuntur cornua justi.*

2° In festis Apostolorum, respiciuntur præcipue verba ista : *Confitebimur... narrabimus mirabilia tua...* Scilicet psalmus spectatur velut ipsa prædicatio Apostolorum, qui Dei mirabilia et magnalia loquuntur, annuntiantes Christum ut summum Regem ac Judicem. — Loquitur autem Ecclesia primum in persona Apostolorum; deinde vero, ut apostolici muneris hæres, suo nomine addit, Apostolorum opus se continuare in perpetuum : *Ego autem annuntiabo in sæculum....*

—

PSALMUS LXXXIII.

Qaam dilecta tabernacula.

1. Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum ! concupiscit, et deficit anima mea in atria Domini.

1. Quam amabilia sunt tabernacula tua, Domine virtutum ! Concupiscit ea anima mea , et deficit. ardenti tracta desiderio in atria tua.

2. Cor meum et caro mea exultaverunt in Deum vivum.

2. Cor meum et caro mea exultaverunt, veluti rapta in Deum vivum, et ad eum pervenire gestientia.

3. Etenim passer invenit sibi domum : et turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos.

3. Etenim sicut passer invenit sibi domum, et turtur nidum sibi conficit ubi ponat pullos suos : ita ego locum optatæ quietis expeto, nempe.

4. Altaria tua, Domine virtutum : rex meus, et Deus meus.

4. Altaria tua, Domine virtutum, Rex meus, et Deus meus !

5. Beati, qui habitant in domo tua, Domine : in sæcula sæculorum laudabunt te.

5. Beati qui habitant in domo tua, Domine, ubi in sæcula sæculorum laudabunt te.

6. Beatus vir, cujus est auxilium abs te : ascensiones in corde suo disposuit, in valle lacrymarum, in loco quem posuit.

6. Beatus quoque in hoc sæculo, vir cujus est auxilium abs te : quique juges ad superna ascensiones in corde suo disposuit, in hac valle lacrymarum, in loco misero quem per peccatum sibi fecit.

7. Etenim benedictionem dabit legislator , ibunt de virtute in virtutem : videbitur Deus deorum in Sion.

7. Etenim benedictionem dabit ei legislator Deus : qua confirmatus ille ibit de virtute in virtutem, usque ad Sion cœlestem ubi videbitur Deus deorum.

8. Domine Deus virtutum, exaudi orationem meam : auribus percipe, Deus Jacob.

8. Domine, Deus virtutum , exaudi orationem meam : auribus percipe eam , o Deus Jacob, ut, sic progrediar in hac misera vita.

9. Protector noster aspice, Deus : et respice in faciem Christi tui.

9. Protector noster Deus , aspice infirmitatem meam : simulque respice in faciem Christi tui pro me crucifixi. ut eo perveniam quo tam ardenter anhelo.

10. Quia melior est dies una in atriis tuis : super millia.

10. Quia melior est dies una in atriis tuis, super millia dierum jucundissimæ vitæ in hoc sæculo.

11. Elegi abjectus esse in domo Dei mei : magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.

11. Quapropter elegi abjectus ac minimus esse in domo Dei mei , potius quam habitare ut maximus in tabernaculis peccatorum.

12. Quia misericordiam, et veritatem diligit Deus : gratiam et gloriam dabit Dominus.

12. Nec vana spes mea, quia misericordiam et veritatem diligit Deus : ideoque gratiam in hac vita et gloriam in futura dabit Dominus.

13. Non privabit bonis eos, qui ambulant in innocentia : Domine virtutum, beatus homo, qui sperat in te.

13. Nec frustrabitur bonis optatis eos qui ambulant in innocentia. Utique, Domine, virtutum, beatus homo qui sperat in te.

—

Explicatio.

Argumentum. — Oratio, qua David ardenti desiderio ad Dei tabernaculum anhelat, et auxilium eo perveniendi summa fiducia implorat. Affectum spirat non absimilem affectus psalmi XLI, *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum.*

Nonnulli psalmum ad seditionem Absalomicam referunt, cum David a Domini tabernaculo longe repulsus, illud tanquam maximum bonum desideraret. — Alii vero, ut Augustinus, Cassiodorus, Bellarminus, Lindanus, Bertherius, verba hujus psalmi ampliora et altiora esse censent, quam ut ad Tabernaculum terrenum et ad bona temporalia restringi possint. Nos cum Patribus, inquit Bellarminus, existimamus tam ardens desiderium, quale in hoc psalmo legimus, etiam ad litteram, ad æterna Tabernacula pertinere ; et nihil terrenum, nihil humanum Spiritum sanctum his sacris vocibus exprimere voluisse. — Hinc certissime statui potest, saltem typice, de tabernaculis æternis hic sermonem fieri. Quem præcipue sensum in expositione persequemur.

I. *David ad Dei tabernacula ardenter suspirat.*
II. *Auxilium eo perveniendi confidenter implorat.*

—

1. *Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum ! concupiscit et deficit anima mea in atria Domini.*

2. *Cor meum et caro mea exultaverunt in Deum vivum.*

Æterna Dei tabernacula, quorum tabernaculum Fœderis tantum umbra erat, spiritu intuetur propheta ; videtque tam amabilia, ut præ gaudio exultet, et præ desiderio deficiat. Utrumque enim hunc effectum producit amor : facitque ut amans nunc defleat absentiam rei amatæ, et præ desiderio

langueat ac deficiat ; nunc exultet ob spem potiundæ rei tam pulchræ, et in laudes ejus erumpat.

1. *Quam dilecta*, id est, quam amabilia , quam desiderabilia sunt *tabernacula*, palatia *tua* cœlestia, *o Domine virtutum* seu *exercituum !* Vox est contemplantis , mirantis et amantis. Quasi cernere videtur majestatem Regis superni , cui obediunt exercitus innumerabilium angelorum ; quorum vel unus, si cum toto suo decore nobis appareret , peregrinationem nostram lætificare sufficeret.

Desiderio fertur *in atria Domini* , id est , in illa quæ dixit tabernacula. Ponit *atria* tanquam partem pro toto : atria enim erant pars exterior tabernaculi , sancta quoque ac Deo dicata , orationi divinoque cultui destinata.

2. *Cor meum et caro mea*, id est, anima et corpus , ac speciatim affectus et lingua ; *exultaverunt*, id est , jubilant et vociferantur. Illud enim *exultaverunt* non solam significat lætitiam , sed lætitiam quæ prorumpit in laudes — Exultaverunt, inquit, *in Deum vivum*, non tantum ad distinctionem falsorum numinum, quæ non vivunt ; sed etiam ut significet , Deum esse fontem vitæ : cujus desiderio ita languet ac deficit anima , ut etiam simul vivificetur et exultet.

3. *Etenim passer invenit sibi domum : et turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos.*

4. *Altaria tua, Domine virtutum : rex meus et Deus meus.*

Suavissima comparatione explicat , quomodo unice quærat domum Dei , tanquam finem ultimum ac terminum omnis desiderii sui ; tanquam locum sibi proprium, in quo perfecte conquiescat. Sicut avicula nidum , ita mihi invenire contingat *altaria tua*, Domine ! Scilicet probabilius per modum aspirationis ponitur illud *altaria tua !* intelligendo, *mihi unice sunt in desiderio.*

Altaria Dei significantur vel cœlestia , de quibus ab initio actum est ; vel terrestria, quæ , donec in terris moretur propheta, suavissimam ei mansionem, simulque portam et imaginem cœli exhibent.

Addit : *Domine virtutum, Rex meus , Deus meus* : ut titulos Dei afferat, quibus fiduciam suam niti intelligit.

5. *Beati qui habitant in domo tua, Domine : in sæcula sæculorum laudabunt te.*

Exclamatio animæ , cœlitum beatitudinem et consortium desiderantis : *Beati qui habitant in domo tua, Domine !...* In

hoc nimirum consistit beatitudo cœlitum, quod habitent in domo Dei, omnibus bonis plenissima; et deum perfecte laudent absque ulla cessationis, adeoque absque ulla peccati vel mortis formidine.

6. *Beatus vir, cujus est auxilium abs te : ascensiones in corde suo disposuit, in valle lacrymarum, in loco quem posuit.*

Incipit *secunda pars*, petitio auxilii. — A fine transit ad media : Si beati sunt qui habitant in domo Dei, beati quoque jam sunt inchoative, in actu primo vel in spe, qui eo efficaciter pervenire contendunt. Tales autem sunt, qui in hac misera peregrinatione auxilium Dei implorant, et cum hoc auxilio spiritualiter ascendunt quotidie in montem sanctum atque ad domum Dei.

Quod ait, *ascensiones in corde*, allusio est ad situm Jerusalem, quæ erat in loco montoso. Sensus enim est : *Beatus, qui ascensiones* (ad templum in monte positum, vel in cœlum) *in corde suo disposuit, dum degit in hac valle lacrymarum, loco a se posito.* Aliis verbis : Beatus, qui ex animo meditatur in domum Dei ascendere, quamdiu est in hoc mundo flebili et luctuoso; quem locum, sive quem fontem lacrymarum sibi paravit : per peccatum scilicet mutato paradiso in exilium.

Ascensiones in corde, sensu tropologico sunt progressus perpetui, quibus in justitia et sanctitate altius semper ascenditur.

Quoniam versiculus iste in Vulgata versione obscuritate non caret, conferre juvabit textum originalem. Hic autem juxta Hieronymum sic habet : *Beati qui... transeuntes per vallem fletus, fontem ponunt eam.* Cujus sententiæ sensus ita exponi potest (1) : Beati, qui transeuntes per vallem istam miseriæ, lacrymis eam implent instar fontis aquarum : id est, qui in præsenti vita copiosis lacrymis pœnitentiæ, peccata et miserias suas diluunt, et præ cœlestis patriæ desiderio gravissime lugent. Hos ipse Christus beatos prædicavit, dicens : *Beati qui lugent, quoniam ipse consolabuntur.* Matth. V, 5.

7. *Etenim benedictionem dabit legislator, ibunt de virtute in virtutem : videbitur Deus deorum in Sion.*

Declarat illas quas dixit internas ascensiones : quæ nihil aliud sunt, quam progressus in via justitiæ ac divinæ legis; cujus initium, medium et finem indicat. — Initium est *bene-*

(1) Cfr. Genebrard. in hunc loc.

dictio legislatoris, id est, gratia Dei et Domini nostri Jesu Christi ; medium est quotidianum incrementum in spirituali robore, seu justitia ac sanctitate. Illud enim *ibunt de virtute in virtutem* proprie significat, ibunt de *robore in robur* : in dies fient potentiores, obtinebunt potiora dona, gratiis majoribus roborabuntur. — Terminus, est visio intuitiva Dei in Sion cœlesti. *Videbitur Deus deorum* : id est, Deus altissimus ; Deus non tantum universæ terræ, sed etiam cœlitum, Angelorum nempe et Beatorum, qui participatione quadam *dii* sunt, *divinæ consortes naturæ*. II Pet. I, 4.

8. *Domine, Deus virtutum, exaudi orationem meam : auribus percipe, Deus Jacob.*

9. *Protector noster, aspice, Deus : et respice in faciem Christi tui.*

Instantius et magno amoris affectu orat propheta, ut ad beatum visionis Dei terminum pervenire possit. *Deum virtutum*, Deum omnis roboris fontem appellat, ut juvetur in spirituali itinere ac ascensione, ut virtute corroboretur in interiori homine ; *Deum Jacob* appellat, quia ipse est ex filiis Jacob, ex populo Israel, hærede promissionum.

Protector noster aspice... id est : Auxiliator populi tui, non solum audi me, sed aspice pericula in quibus versor. — *Respice in faciem Christi tui* : i. e. respice verum principem populi tui, Messiam, Christum Jesum ; et propter ejus merita protege nos. — Merita enim Christi ab æterno fuerunt in conspectu Dei, et ab initio mundi efficacia et salutaria hominibus ; ideo Christus dicitur *Agnus, qui occisus est ab origine mundi.* Apoc. XIII, 8.

10. *Quia melior est dies una in atriis tuis, super millia.*

11. *Elegi abjectus esse in domo Dei mei, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.*

Rationem reddit ardoris, tum suæ orationis, tum desiderii, comparando mansionem in domo Dei, cum qualibet habitatione terrena. Dies una, inquit, in domo Dei melior est millenis diebus alibi transactis ; ideoque malim occupare infimum locum (hebraice, *sedere ad januam* more janitoris), in illo sanctuario, quam habitare ut dominus in palatiis peccatorum. — *Super millia*, id est, præ vita longissima in deliciis terrenis transacta. Domui Dei opponit *tabernacula peccatorum* : quia qui non quærit illam domum justitiæ, quærit sibi velut sedem ac domum in bonis variis et peccaminosis hujus mundi : quæ

non tam domus stabilis est, quam tentorium mutabile et mox auferendum.

12. *Quia misericordiam et veritatem diligit Deus : gratiam et gloriam dabit Dominus.*

13. *Non privabit bonis eos qui ambulant in innocentia : Domine virtutum, beatus homo qui sperat in te.*

His verbis fiducia plenis, consolatur propheta se ipsum omnemque justum, de valle lacrymarum ascendentem ; eique a Deo dandam promittit beatitudinem quam concupiscit, et auxilium quo ad eam perveniat : seu *gratiam et gloriam.* *Misericordiam*, inquit, *et veritatem diligit Deus* : aliis verbis, misericors est Deus et fidelis in promissis ; ideo dabit auxilium gratiæ in hac vita, et gloriam in futura. Et dummodo perseveret homo in via Domini, gratiæque cooperando ambulet in innocentia ; Deus misericors et fidelis ei bona gratiæ et gloriæ, quæ sola sunt vere bona, nequaquam denegabit. — Ergo justi, dummodo in justitia permaneant, salutem et visionem beatificam certissime consequentur ; quare merito concludit propheta exclamando : *Domine virtutum, beatus homo, qui sperat in te !*

Sensus liturgicus.

Psalmus *Quam dilecta* recitatur, 1° in festo Corporis Christi et Transfigurationis ; 2° in Dedicatione Ecclesiarum.

1° In festo Corporis Christi, ut facile patet, est hymnus amoris, quo Ecclesia dulcedinem celebrat et ineffabiles delicias Sacramenti altaris. Christum, Sponsum unice dilectum, totumque desiderabilem, in altari absconditum videns, ad eum suspirat, anhelat, eique unice vult adhærere, eum unice possidere ; ut qui solus omne bonum continet : omne bonum gratiæ, et pignus futuræ gloriæ. — Merito itaque etiam, psalmum hunc, tam congruis affectibus ac desideriis refertum, tanquam præparatorium posuit ad celebrationem Missæ.

In festo Transfigurationis, eodem psalmo Ecclesia celebrat æterna gloriæ tabernacula. Spectaculo enim gloriosæ Transfigurationis Domini velut radium videns gloriosæ domus Dei, hujusce domus desiderio accensa exclamat : *Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum !* Deinde vero, ut eo pervenire mereatur, petit per merita Christi gratiam ascendendi virtutum gradibus ex hac valle lacrymarum usque ad visionem Dei deorum in Sion.

2° In Dedicatione Ecclesiarum, quæ sunt *tabernacula Dei cum hominibus* in terra, Ecclesia eodem psalmo celebrat templi et sanctuarii abscondita bona et gaudia. Illic est locus quietis ejus : illic habitabit, quoniam elegit eam.... illic, dum peregrinatur in hac lacrymarum valle, solatia cuncta invenit et omnia desiderabilia cordis ; illic cum amore contemplatur decorem domus Dei et locum habitationis gloriæ ejus. Etenim vere hæc in terris *domus Dei est et porta cœli*. Gen. XXVIII, 17.

—

PSALMUS LXXXVI.

Fundamenta ejus in montibus sanctis.

1. (1) Fundamenta ejus in montibus sanctis : diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob.

2. Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei.

3. Memor ero Rahab et Babylonis scientium me.

4. Ecce alienigenæ , et Tyrus et populus Æthiopum ; hi fuerunt illic.

5. Numquid Sion dicet : Homo, et homo natus est in ea : et ipse fundavit eam Altissimus ?

1. En civitas sancta !... Fundamenta ejus sunt in montibus sanctis : ipse Dominus diligit civitatem Sion super omnia tentoria Jacob.

2. Gloriosa dicta sunt de te , o vera civitas Dei.

3. Commemorabo Rahab et Babylonem inter cognoscentes me.

4. Ecce alienigenæ, et Tyrius , et populus Æthiopum, hi fuerunt illic cives genuini.

5. Fierine poterit , ut quis de Sione dicat : Magna et varia multitudo hominum nata est in ea ; et ipse fundavit eam, Altissimus ?

(1) Quoniam Vulgata nostra non parum in hoc psalmo differt ab originali textu, versionem hic adjungimus ex hebræo, juxta S. Hieronymum et recentiores translatores.

1. *Fundamenta ejus in montibus sanctis.*
Diligit Dominus portas Sion super omnia (alia) *tabernacula* (habitacula) *Jacob.*
2. *Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei.*
3. *Commemorabo Rahab* (Ægyptum) *et Babel inter scientes me.*
4. *Ecce Philistæus et Tyrius cum Æthiope : iste natus est* (nati sunt) *ibi* (Hierosolymis).
5. *Et de Sion dicetur : Iste et iste* (vir et vir) *natus est in ea : et ipse fundavit* (firmat, tuetur) *eam Altissimus.*
6. *Dominus numerabit scribens* (in catalogo) *populos : iste* (inquiens) *natus est ibi.*
7. *Et* (incolæ ejus) *cantantes quasi in choris* (dicent) : *Omnes* (meæ felicitatis) *fontes mei in te.*

6. Dominus narrabit in scripturis populorum et principum, horum qui fuerunt in ea.

7. Sicut lætantium omnium habitatio est in te.

6. Imo vero, ipsemet Dominus, quando describet populos suos, narrabit ac numerabit omnes populos et principes, qui nati fuerint in ea.

7. O beata civitas ! Velut habitatio omnium lætantium tu es.

—

Explicatio.

Argumentum. — Celebrantur laudes Sionis seu Jerusalem, sanctæ civitatis : quo nomine Patres merito Christi Ecclesiam intelligunt. Etenim, ut Bellarminus inquit, etsi terrenæ Jerusalem convenit quod initio dicitur, eam fundatam esse in montibus ; tamen non conveniunt cætera : præsertim quod in ea sit habitatio Babyloniorum, Ægyptiorum et Tyriorum ; Ecclesiæ vero sive militanti sive triumphanti omnia conveniunt.

Præter mysterium Ecclesiæ, psalmus, uti videbimus, mysterium quoque Christi, Ecclesiæ fundatoris, continet. Symbolice vero accommodatur Virgini Deiparæ. = nam quid, vel quid dicitur de Ecclesia potest dici de Maria; est sicut miniatura Ecclesiæ

I. *Civitas sancta mirabilis in se.*
II. *Civitas sancta mirabilis in suis incolis.*

—

1. *Fundamenta ejus in montibus sanctis : diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob.*

Fundamenta ejus... de Sione seu Jerusalem loquitur, quam in sequenti hemistichio nominat. Intuens scilicet visione prophetica Jerusalem novam, amore raptus, exclamat : *Fundamenta ejus*... ponens relativum *ejus* sine antecedente, quia rem sibi præsentissimam designat.

Incipit laudare civitatem sanctam ab ejus fundamentis ; dein laudabit eam a portis, tertio ab ejus gloria.

Montes sancti, in quibus fundata erat Jerusalem terrena, erant duo : mons *Sion*, ubi erat arx cum domo regia Davidis ; et mons *Moria*, velut alter vertex Sionis, in quo exstructum est templum. — Montes sancti, respectu Jerusalem spiritualis, sunt : 1° Christus et Petrus : Christus ut fundamentum primarium, Petrus ut secundarium ; 2° sunt Apostoli duodecim, et Prophetæ : *Superædificati super fundamentum apostolorum, et prophetarum* (Eph. II, 20). Dicuntur autem *montes*, propter altitudinem et firmitatem ; *sancti*, propter principium illius excellentiæ qui est Spiritus sanctus. — Jam transit ad portas.

Diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob :

id est, ipse Dominus civitatem Sion firmissimam diligit præ omnibus tentoriis Jacob : quæ licet pulcherrima essent, et miro ordine disposita, quando iter faciebant Hebræi per desertum ; tamen erant sine fundamento ac sine portis , ideoque mutabilia et temporaria. — *Portas* ponit pro ipsa civitate , et ideo quidem, quia portæ munitissimæ ac propterea symbolum roboris erant.

Laudat itaque nunc civitatem a portis , sicut modo laudavit a fundamentis ; atque indicat, eam ita esse fundatam ut non possit ruere , ita firmatam ut expugnari nequeat : qua duplici proprietate superat tabernacula Jacob. — His verbis mystice , tum stabilitatem significat, tum firmitatem Ecclesiæ, quæ Synagogæ seu Tabernaculis Jacob succedere debebat.

Portæ Ecclesiæ sunt iterum, imprimis ipse Christus ; deinde secundario etiam Apostoli. Jerusalem nova habet , inquit Joannes , *murum magnum et altum* , *habentem portas duodecim* (Apoc. XXI , 12). Addi potest, spirituales portas quoque esse sacerdotes omnes... duodecim articulos fidei... virtutes , etc.

2. *Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei.*

Per apostrophen indicat, immensam omnimodis esse gloriam et excellentiam civitatis Dei ; quasi diceret : Præclara nimis ac gloriosa dicta sunt mihi a Spiritu sancto de te , o Ecclesia , e Sione oritura, civitas vere digna Deo , qui te in habitationem suam elegit. — Hæc proprie pertinent ad Ecclesiam gloriosam in cœlis ; deinde autem, inchoativo quodam modo, etiam ad Ecclesiam militantem in terris. Possunt tamen intelligi quoque de Jerusalem terrena, ut Ecclesiæ figura. Erat enim illa civitas regia et sacerdotalis ; templum habebat et Arcam testamenti ; suscepit intra muros suos Regem angelorum , Dominum mundi Jesum Christum, qui in ipsa docuit, miracula patravit, redemptionem humani generis operatus est, Spiritum sanctum de cœlo misit, et Ecclesiæ suæ fundamenta jecit : quæ sane gloriosissima sunt , etsi tantum umbra gloriæ Jerusalem illius novæ, quæ est vera civitas Dei in cœlis.

3. *Memor ero Rahab* (id est, *Ægypti*), *et Babylonis* , *scientium me.*

4. *Ecce alienigenæ* (hebraice *Philistæi*), *et Tyrus* , *et populus Æthiopum, hi fuerunt illic* (*ibi nati sunt*).

Incipit *altera pars* psalmi, laus sanctæ civitatis ab ejus civibus : nimirum a multitudine, varietate, nobilitate, felicitate civium qui eam incolunt, et in ea nati sunt. — Enumerat autem tanquam cives, Ægyptios, Babylonios, Philistæos,

Confer cum actibus Apost. ubi enumerantur populi qui adfuerunt primae praedicationi Petri II. 5 et 10.

Tyrios et Æthiopes, totidem nationes gentiles, imo Judæis infensas ; quæ dicuntur non tantum in Jerusalem habitasse; sed, juxta hebræum, in ea natæ esse : quod non nisi de Ecclesia catholica per lavacrum Baptismi regenerata, intelligi potest : *Ubi non est Gentilis et Judæus, barbarus et Scytha, servus et liber : sed omnia et in omnibus Christus.* Coloss. III, 11.

Memor ero Rahab et Babylonis scientium me : verba sunt Dei, qui inducitur loquens quasi diceret : Ego Deus, conditor civitatis Jerusalem, in advocandis et conscribendis electis civibus memor ero, non Judæorum tantum, sed etiam Ægyptiorum et Babyloniorum, qui scient me : videlicet, cognoscent me per fidem. — Seu potius, intelligendo Vulgatam juxta hebræum : Commemorabo populos istos inter subditos, agnoscentes me ut Regem.

5. *Numquid Sion dicet : Homo, et homo natus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus ?*

Hæc verba sat communiter exponuntur modo sequenti : *Numquid Sioni dicet homo...* id est, numquid fieri poterit ut homo aliquis Sioni, seu de Sione, dicat rem tam novam tamque inauditam : *Et homo natus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus?* Id est : in ea natus est ille ipse Homo qui fundavit eam, nempe Altissimus, Filius Dei, Deus et Homo.

Hæc interpretatio Bellarmini est, Augustini, Theodoreti, Euthymii et Tertulliani, probaturque etiam Bertherio et Leblanc. Maximam tribuit, ut patet, laudem Sioni, quod nimirum civis ejus esse dignatus sit ipse Dei Altissimi Filius incarnatus. — Dicitur autem Christus natus in Sione : tum ratione patrum ejus, qui post Davidem ibi sunt nati ; tum ratione propriæ nativitatis in Bethlehem, cum hoc oppidum esset subjectum Sioni metropoli a qua non longe distabat ; tum ratione spiritualis sensus, quo Sion sumitur pro populo Dei, seu pro Ecclesia latissime sumpta : quatenus cœpit in Abel, et a Christo secundum divinitatem suam spectato est condita.

At vero hæc interpretatio, etsi piissima, nequaquam in vero sensu eloquii sacri videtur fundata. In hac enim versionis Vulgatæ obscuritate, verus sensus a textu originali est repetendus, si quidem clarus habetur et cum contexta psalmi oratione concordans. Est autem hic hujusmodi : *Et de Sion dicetur : Iste et iste* (homo et homo) *natus est in ea : et ipse tuetur eam Altissimus.* Quæ verba multos variosque Sionis incolas significant ; et vocationi Gentium atque Ecclesiæ catholicitati apprime conveniunt.

6. *Dominus narrabit in scripturis populorum et prin-*

cipum : horum qui fuerunt in ea (hebraice, *iste natus est ibi*).

Ad interrogationem modo positam : *Numquid Sion dicet homo ?* respondet propheta, Dominum ipsum id esse dicturum ; imo scripturum ad æternam memoriam in libro, in quo scribet populos et principes populorum, qui per novam nativitatem in ipsa civitate invenientur. — Liber iste est *liber electorum*, quorum caput est Christus, Homo nempe ille qui simul civis est et fundator Sionis ac populi Dei. Porro publicatio hujus libri fiet in die judicii. — Per principes intelligit S. Augustinus Apostolos ; at vero in hebræo nomen *principum* non legitur ; neque illud jam sæculo IV S. Hieronymus legebat.

7. *Sicut lætantium omnium habitatio est in te.*

En conclusio et velut coronis encomii Sionis : felicitas incolarum ejus. Omnes tam beati sunt, ut gaudium sit conditio et status eorum, sintque populus, civitas lætantium. — Dicitur autem, non simpliciter *habitatio lætantium,* sed *sicut lætantium* : ut denotetur, lætitiam esse analogam quidem lætitiæ hujus sæculi, sed hac longe excellentiorem. Scilicet habitatio Sionis erit quidem similis habitationi, ubi convivium, vel nuptiæ, cum lætitia et canticis jucunde celebrantur : sed alia erit lætitiæ causa ; et ipsa lætitia atque jucunditas talis erit, qualem hic non novimus, quam nec oculus vidit, nec auris audivit, nec cor hominis intellexit. — Hæc, ut patet, pertinent pleno sensu ad Ecclesiam triumphantem, ubi *absterget Deus omnem lacrymam ab oculis* (Apoc. XXI, 4) ; — aliquatenus tamen respiciunt etiam Ecclesiam militantem, cujus membra sunt descripti cives in cœlo, ideoque *spe gaudentes*. Rom. XII, 12.

Sensu quodam symbolico, ut initio dicebamus, psalmus, juxta Ecclesiæ mentem accommodari potest Virgini Deiparæ, hoc modo.

Deipara est civitas Dei, nimirum Sion seu Jerusalem in montibus sanctis fundata. — Est civitas Dei : hanc enim ædificavit Deus ex lapidibus pretiosis gratiarum, in ea Filium suum incarnatum habitare voluit ; eamque constituendo matrem viventium, populo suo dedit in cujus gremio habitaret. — Vocatur *Sion*, quod *speculum* seu *specula* (1) significat : tum quia justitiæ speculum est, tum ratione fidei et interni luminis,

(1) Cfr. Le Blanc *in hunc psalm.* ; item A Lapide, *in II Reg.* V, 7.

quo abundavit. — Vocatur *Jerusalem*, id est *visio pacis*, quia pax vera et felicitas in ea invenitur ac cernitur.

Fundata est in montibus sanctis : scilicet fundamenta ejus sunt duo : immaculata ipsius Conceptio, et Maternitas divina : quæ duo fundamenta posita sunt in montibus sanctis, id est, in immensis Spiritus sancti gratiis. — Atque inde intelligitur, cur gloriosa dicantur de illa in antiquo et novo Testamento, a Deo, ab angelis, et ab hominibus... Tota enim pulchra est, gloria Jerusalem, lætitia Israel, honorificentia populi sui, gratia plena, benedicta in mulieribus, Regina cœlorum ac Domina angelorum ..

Portæ illius civitatis ornatæ ac munitæ sunt potentiæ ejus animæ... et sensus corporis sanctissime custoditi...

Cives sunt, 1° omnes justi ; 2° omnes peccatores ad ipsam confugientes, et sub tutela ejus habitantes...

Summum illius civitatis bonum est Christus, in ea natus ; qui simul eam fundavit, firmavit atque ornavit columnis duabus : humilitate et virginitate...

Demum est habitatio lætantium : quia Deipara servos suos lætificat, certa *causa lætitiæ* angelis et hominibus...

Sensus liturgicus.

Psalmus *Fundamenta ejus* recitatur, 1° in Circumcisione, Epiphania et Transfiguratione Domini ; 2° in Dedicatione Ecclesiæ ; 3° in festis Beatæ Mariæ Virginis.

1° In festo Circumcisionis , Ecclesia imprimis respicere videtur versiculum 5 : *Homo natus est in ea : et ipse fundavit eam Altissimus ;* quia Circumcisio Domini eum esse verum hominem et quidem Judæum demonstrat ; etsi ipse idem fundator existit populi judaici, tam antiqui quam novi.

In Epiphania respicitur vocatio Gentium : *Ecce alienigenæ, et Tyrus, et populus Æthiopum, hi fuerunt illic.*

In Transfiguratione respicitur Jerusalem cœlestis , cujus Dominus in monte sancto Thabor aliquam claritatem manifestavit : *Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei !*

2° In Dedicatione Ecclesiæ respicitur ipsa sancta catholica Ecclesia, cujus imaginem exhibet templum lapideum. Hujus civitatis sanctæ fundamenta posuit Altissimus in montibus sanctis, in Sion et in Calvario. *Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei !.... Sicut lætantium omnium habitatio est in te.*

3° In festis Beatæ Mariæ Virginis, psalmus totus almæ Dei genitrici accommodatur. Ipsa est mystica civitas ac domus Dei, quam singulari charitate sibi ædificavit Altissimus et prædilexit *super omnia taberna cula Jacob*, id est, super omnes filias

Adæ ; ex qua Homo natus est Filius Dei ; in cujus protectione materna pacem et gaudium omnes inveniunt : *Sicut lætantium omnium habitatio est in te, sancta Dei Genitrix.*

—

PSALMUS LXXXVII.

Domine Deus salutis meæ.

1. Domine Deus salutis meæ : in die clamavi, et nocte coram te.

1. Domine Deus, auctor ac spes salutis meæ, clamavi coram te die ac nocte, ut mihi afflicto auxilieris.

2. Intret in conspectu tuo oratio mea : inclina aurem tuam ad precem meam.

2. Intret igitur in conspectu tuo assidua oratio mea : inclina aurem tuam ad precem meam.

3. Quia repleta est malis anima mea : et vita mea inferno appropinquavit.

3. Quia repleta est malis anima mea : et vita mea morti proxima est.

4. Æstimatus sum cum descendentibus in lacum : factus sum sicut homo sine adjutorio, inter mortuos liber.

4. Æstimatione hominum annumeratus sum descendentibus in sepulcrum : creditus sum ut homo sine adjutorio, etsi solus inter morientes liber, seu solus libere mortem obiens ;

5. Sicut vulnerati dormientes in sepulcris, quorum non es memor amplius : et ipsi de manu tua repulsi sunt.

5. Aut sicut reliqui interfecti, dormientes in sepulcris, quorum tu non es memor amplius ut eos resuscites in hoc sæculo : quique de manu tua protectrice velut repulsi sunt.

6. Posuerunt me in lacu inferiori : in tenebrosis, et in umbra mortis.

6. Ita opinione sua inimici mei posuerunt me in fovea profunda sepulcri, in tenebris et in umbra mortis : adeo me afflictum viderunt.

7. Super me confirmatus est furor tuus : et omnes fluctus tuos induxisti super me.

7. Nam super me invaluit furor tuus, et omnes fluctus indignationis tuæ induxisti super me.

8. Longe fecisti notos meos a me : posuerunt me abominationem sibi.

8. Longe fecisti notos meos a me : imo ipsi, contra me conversi, contempserunt me.

9. Traditus sum et non egrediebar : oculi mei languerunt præ inopia.

9. Traditus sum sine defensione hostibus meis , e quorum manibus evadere non poteram. At in te speravi, et oculi mei, propter tantam miseriam ad te semper levati cum lacrymis, velut exhausti caligaverunt.

10. Clamavi ad te, Domine, tota die : expandi ad te manus meas.

10. Clamavi igitur ad te, Domine, tota die : expandi ad te manus meas, ut liberes me a morte.

11. Numquid mortuis facies mirabilia : aut medici suscitabunt et confitebuntur tibi ?

11. Numquid enim mortui conferre possunt ad gloriam tuam, et laudare mirabilia opera tua ? Aut arte medica revocari possunt ad vitam ut laudent te ?

12. Numquid narrabit aliquis in sepulcro misericordiam tuam : et veritatem tuam in perditione ?

12. Numquid narrabit aliquis in sepulcro misericordiam tuam ? et veritatem tuam prædicabit, in tumulo perditus ac derelictus ?

13. Numquid cognoscentur in tenebris mirabilia tua : et justitia tua in terra oblivionis ?

13. Numquid cognoscentur in tenebris mirabilia tua, et justitia tua in terra oblivionis ?

14. Et ego ad te, Domine, clamavi : et mane oratio mea præveniet te.

14. Ut itaque me liberes a morte, ego ad te, Domine, clamavi : et primo mane oratio mea præveniet te.

15. Ut quid, Domine, repellis orationem meam : avertis faciem tuam a me ?

15. Ut quid ergo, Domine, repellere videris orationem meam, et avertere faciem tuam a me ?

16. Pauper sum ego et in laboribus a juventute mea : exaltatus autem, humiliatus sum et conturbatus.

16. Ecce pauper totus sum ego, et in laboribus a juventute mea : exaltatus autem paulisper, eo magis mox humiliatus sum et prostratus.

17. In me transierunt iræ tuæ : et terrores tui conturbaverunt me.

17. In me, incubuerunt iræ tuæ : et mala, quibus me terrebas, conturbaverunt me ;

18. Circumdederunt me sicut aqua tota die : circumdederunt me simul.

18. Et eadem circumdederunt me sicut aqua tota die : circumdederunt me omnia simul.

19. Elongasti a me amicum et proximum : et notos meos a miseria.

19. Nec superest auxilium humanum : elongasti enim a me amicum et proximum, et notos meos, ipsa mea miseria deterritos. — Inclina ergo, Domine, aurem tuam ad precem meam.

Explicatio.

Argumentum. — Psalmus iste, non secus ac psalmus XXI, *Deus Deus meus, respice in me*, quocum mire consonat, totus est de passione Domini, quam, ut Patres docent, prophetice

depingit. Loquitur per os David ipse Christus Dominus in passione sua positus ; Patremque orat, suos dolores exponens, et liberationem a morte, seu resurrectionem efflagitans.

Admitti tamen potest, præter sensum de passione Domini, qui certe principalis est, alter sensus, litteralis et exterior, respiciens Davidem gravi persecutioni obnoxium.

I. *Christus passionem suam Patri enarrat.*
II. *Resurrectionem celerem ab eo flagitat.*

—

1. *Domine Deus salutis meæ : in die clamavi, et nocte coram te.*

2. *Intret in conspectu tuo oratio mea : inclina aurem tuam ad precem meam.*

Oratio fervens et fiducialis : Domine, inquit, Deus, a quo salutem omnem exspecto, die ac nocte precor et clamo coram te : exaudi propitius, obsecro, orationem meam. — Æquivalentibus verbis hic, ore prophetæ, dicit Christus, quod in cruce voce magna clamavit : *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me ?* (Matth. XXVII, 46.) — Nomine salutis suæ intelligit celerem resurrectionem. — Dicendo *diem ac noctem*, respicere videtur diem mortis suæ, et noctem præviam, quam orando transegit.

3. *Quia repleta est malis anima mea : et vita mea inferno appropinquavit.*

Aperire incipit suas angustias, ut a Patre juvetur : Malis, inquit, adeo affligor, ut sim morti proximus. — Hæc referri possent ad verba illa : *Tristis est anima mea usque ad mortem*; sed aptius declarant ea quæ dicta sunt in cruce : *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me ?* Tunc enim plane repleta erat malis anima Christi, ob ingentes dolores totius corporis sui, et astantis matris suæ ; tunc etiam vita ipsius propinquissima erat morti, ac proinde inferno, ad quem tunc omnes animæ defunctorum descendebant. — *Infernus* enim ponitur pro morte, quia in morte, e terris ad inferos erat transitus.

4. *Æstimatus sum cum descendentibus in lacum : factus sum sicut homo sine adjutorio, inter mortuos liber.*

5. *Sicut vulnerati dormientes in sepulcris, quorum non es memor amplius : et ipsi de manu tua repulsi sunt.*

6. *Posuerunt me in lacu inferiori : in tenebrosis, et in umbra mortis.*

Explicat quomodo sit morti proximus, imo mortuo simillimus, ac revera mortuus. Affert imprimis quadruplicem sui status imaginem : nimirum hominis defuncti, hominis ab omnibus derelicti, hominis vulneribus occisi, hominis a Deo rejecti et oblivioni traditi. Deinde dicit, se sepultum esse atque ad inferos descendisse.

4. *Descendentes in lacum*, sunt mortui, qui demittuntur in foveam, in sepulcrum. — *Æstimatus sum*, inquit, *cum descendentibus in lacum* : id est, habeor jam velut humatus, annumeror sepeliendis. Quibus verbis non tantum extremas angustias suas exprimit ; sed etiam contemptum quem patitur ex parte hominum, qui eum reputant ut sepeliendum, e vivis removendum, et quidem ut similem prorsus reliquis morientibus, qui inviti rapiuntur e vita.

Factus sum *sicut homo sine adjutorio* : id est, opinione hominum miser sum, prorsus derelictus ab hominibus et a Deo, nec meipsum juvare valens ; — *inter mortuos liber* : id est, quique solummodo inter mortuos ero liber a tot ærumnis ; vel, juxta Euthymium, reputor ego ut *homo sine adjutorio*, qui tamen inter morti addictos solus liber sum, ita ut nemo me ad mortem cogere possit. — Probata quidem hæc interpretatio Vulgatæ ; at aberrare videtur nostra versio ab hebraica veritate, quæ sic habet : *In mortuis segregatus*, scilicet a commercio vivorum.

5. Existimatus sum, inquit, *sicut vulnerati*, id est, sicut reliqui morte violenta interempti. — Statum suum exponere pergit prout est in opinione hominum : ut insinuet, se extrinsecus quidem illa pati quasi merus homo esset, cum tamen simul sit Filius unigenitus Dei.

Sicut vulnerati dormientes in sepulcris : id est, sicut alii occisi et quidem vilissimi, qui in sepulcris jacent, sopore mortis oppressi — *Quorum non es memor amplius*, id est, quorum curam non amplius agis sicut viventium, ut eos nempe nutrias et custodias. Quod idem repetit et declarat, addens : *Et ipsi de manu tua repulsi sunt* : id est, abrepti sunt ; ad eos non amplius manum providentiæ porrigis, ut eos sustentes ; vel etiam, ut eos vitæ restituas.

6. Illud, *posuerunt me in lacu inferiori*, potius ad infernum referendum est quam ad sepulcrum ; ita ut sensit sit : Inimici mei, interficiendo me, fecerunt ut descenderem in sepulcrum secundum corpus, et ad inferiores partes terræ secundum animam. — Describit autem locum inferni, dicens :

In tenebrosis et in umbra mortis : id est, in locis subterraneis, luce hujus mundi privatis ; adeoque impletis *umbra mortis*, seu obscuritate, in qua censentur versari mortui, quæque opponitur lumini quo fruuntur viventes in terra. — In hebræo, pro *posuerunt*, habetur *posuisti me* : quod recte Christus dicere potest æterno Patri, *qui* revera *proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum* (Rom. VIII, 32) ; adeoque dici potest, eum posuisse in limbo et in sepulcro.

7. *Super me confirmatus est furor tuus : et omnes fluctus tuos induxisti super me.*

8. *Longe fecisti notos meos a me : posuerunt me abominationem sibi.*

9. *Traditus sum, et non egrediebar : oculi mei languerunt præ inopia.*

Redit ad dolores suos, et describit passionis acerbitatem.

1° *Furor* æterni Patris, est zelus justitiæ : qui in Christum, peccatis nostris onustum, non tantum effusus, sed *confirmatus est*, et invaluit, donec plenissima expiatio existeret. Ille furor Patris, vel vindicta et pœnæ inde profluentes, tanquam *fluctus* maris Christum obruerunt.

2° Voluit Pater, ut Christus ab amicis desereretur : *Longe fecisti notos meos a me.*

3° Volente semper justitia Patris, Christus horrori ac abominationi fuit Judæis et Gentibus : *Posuerunt me abominationem sibi.*

4° Traditus est omnibus inimicis, traditus omnibus suppliciis, imo (juxta hebræum) traditus in carcerem, ita ut non posset egredi aut evadere, obstante voluntate Patris : *Traditus sum et non egrediebar.*

5° Ad lacrymas amarissimas est adactus : oculi ejus languerunt et pene exstincti sunt vi lacrymarum, quas effudit *præ inopia* : id est, præ tanta miseria et calamitate : *Oculi mei languerunt præ inopia.*

10. *Clamavi ad te, Domine, tota die : expandi ad te manus meas.*

11. *Numquid mortuis facies mirabilia : aut medici suscitabunt, et confitebuntur tibi ?*

12. *Numquid narrabit aliquis in sepulcro misericordiam tuam : et veritatem tuam in perditione ?*

13. *Numquid cognoscentur in tenebris mirabilia tua : et justitia tua in terra oblivionis ?*

Secunda pars, petitio vitæ seu promptæ resurrectionis. — In illis, quas dixit, angustiis positus, orat Patrem, et quidem *expansis* in cruce *manibus* postulat, quod initio significavit, *salutem* : id est, sibimet resurrectionem celerem, et corpori suo mystico etiam liberationem a morte sempiterna. Rationem deinde seu motivum affert, nempe ipsius mortis malum, in hoc consistens, quod status mortis prorsus excludat laudem et gloriam Dei.

Quæ de morte hic dicuntur, tripliciter exponi possunt : 1° de morte æterna, quam Christus a membris suis, hoc est a fidelibus suis amoveri oraverit ; 2° de morte peccati, qua præsertim sepulti jacent peccatores obstinati, apud quos parum valent mirabilia Dei et medicorum spiritualium remedia. 3° Tertia expositio, quæ videtur esse litteralis, omnia intelligit de morte corporali : quam Christus a se deprecatur, petens celerem resurrectionem. — Mystice autem, non tantum pro se, sed etiam pro fidelibus suis hæc Dominus postulat.

11. *Numquid mortuis facies mirabilia ?* id est, deprecor mortem, quia mortui non possunt videre, et mirari opera tua ; neque ut majestatem tuam decet, propter illa te laudare.

Numquid medici suscitabunt, et confitebuntur tibi ? id est, nulla humana arte mortui suscitari possunt, ut sentiant et vivant, tibique debitam confessionem laudis persolvant.

12. *Numquid narrabit*, id est, nullo modo confiteri ac celebrare possunt mirabilia tua, quæ sunt *misericordiæ et veritatis tuæ opera*. — *In perditione*, id est in morte, in sepulcro, ubi vita est perdita.

13. Ideo autem non narrabunt mirabilia Dei, quia ea cognoscere non possunt degentes in tenebris mortis, et in terra oblivionis : ubi oblivio est eorum omnium quæ inter vivos aguntur. Vocatur *terra oblivionis*, quia sicut mortuorum obliviscuntur viventes, ita mortui censentur obliti eorum omnium, quæ in mundo vivorum tam mirabiliter a Deo efficiuntur.

Ut patet, his omnibus loquitur Christus more communi Scripturarum, quæ semper mortem, ut miseriam summam exhibent.

14. *Et ego ad te, Domine, clamavi : et mane oratio mea præveniet te.*

15. *Ut quid, Domine, repellis orationem meam ? avertis faciem tuam a me ?*

Revertitur ad orationem et clamores ad Dominum : assidue et a primo mane se orando instare significat, petitque a Domino cur non exaudiat ? Quæ quidem interrogatio fami-

liarem quamdam fiduciam denotat ; vel etiam innuit divini decreti firmitatem, qua noluit Pater a Christo calicem passionis auferre.

16. *Pauper sum ego, et in laboribus a juventute mea : exaltatus autem, humiliatus sum et conturbatus.*
17. *In me transierunt iræ tuæ : et terrores tui conturbaverunt me.*
18. *Circumdederunt me sicut aqua tota die : circumdederunt me simul.*

Ut tandem moveat Patrem, iterum, iterumque ei miseriam suam præ oculis ponit ; quasi dicat : Cur ergo, Pater, non audis Filium tuum ? Ecce tota vita mea fuit ærumnis repleta : *Pauper sum ego et in laboribus* jam inde *a juventute mea*, imo a nativitate mea ; quod præsepe Bethlehemiticum, exilium in Ægypto, et officina Nazarethana testantur. Deinde vero *exaltatus*, sive per Joannis testimonium, sive per miracula mea, sive per thronum regium crucis ; *humiliatus sum*, usque ad mortem, *et conturbatus* terrore maximo sicut peccator coram irato Deo.

Illud *exaltatus* ut intelligatur, spiritualiter saltem, de *exaltatione* in cruce, suadent hæc ipsius Christi verba : *Oportet exaltari Filium hominis* (Joan. III, 4). — *Et ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum. Hoc autem dicebat, significans qua morte esset moriturus.* Joan. XII, 32.

17. Mox explicat conturbationis causam : quia videlicet *iræ* Dei adversus homines peccatores *transierunt* in ipsum Christum, qui *peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum* (I Pet. II, 24) ; et *terrores* Dei, quibus percellendi erant peccatores, *conturbaverunt* Christum adeo, ut eum ad agoniam et sudorem sanguineum adegerint. Quæ quidem iræ et terrores Dei fuere instar maris, Christum velut absorbentis et semper atque undique opprimentis : *Circumdederunt me sicut aqua tota die, circumdederunt me simul.*

19. *Elongasti a me amicum et proximum : et notos meos a miseria.*

Concludit ostendendo, miseriæ suæ culmen esse impositum, eo quod solus calicem suæ passionis haurire debuerit, nullo consolatore, nullo tantæ calamitatis socio. Etenim, Patre id permittente, discipuli omnes Dominum dereliquerunt, *a miseria* (1) : id est, propter miseriam ejus ac velut

(1) Hebraice : *Et notos meos posuisti absconditos* ; vel *noti mei absconditi sunt* : nempe, propter meam calamitatem delitescunt.

desperatam sortem. Et quamvis postea mulieres et Joannes ad eum accesserint, illi non dolorem minuerunt sed auxerunt. Quod idem aliis verbis Isaias enarravit, dicens : *Torcular calcavi solus, et de gentibus non est vir mecum... circumspexi, et non erat auxiliator ; quæsivi et non fuit qui adjuvaret.* Isai. LXIII, 3, 5.

Sensus liturgicus.

Psalmus *Domine Deus salutis meæ*, recitatur 1° feria sexta in Parasceve, Sabbato sancto, et in variis officiis de passione Domini ; 2° in festo septem Dolorum B. M. Virginis ; 3° in Dedicatione Ecclesiæ.

1° Quatenus pertinens ad passionem Domini, est oratio Christi : qui personam gerens humani generis peccatoris, in doloribus positus et morti proximus, exponit Patri afflictionem suam, petitque liberationem a morte mortiferisque miseriis.

2° Quatenus pertinens ad officium septem Dolorum, hæc passionis Dominicæ descriptio spectatur ut exhibens, tum causam, tum imaginem dolorum B. M. Virginis.

3° Quatenus pertinens ad Dedicationem Ecclesiæ, idem psalmus est vox Christi, in ecclesia orantis ; seu, est oratio Christi, qui persona indutus uniuscujusque fidelium, miserias nostras nobiscum in templo orantibus Patri exponit ; simulque memorans suam passionem et mortem, opem nobis atque vitam implorat nocte ac die : *Domine Deus salutis meæ, in die clamavi et nocte coram te.... quia repleta est malis anima mea.*

—

PSALMUS XC.

Qui habitat in adjutorio.

1. Qui habitat in adjutorio Altissimi, in protectione Dei cœli commorabitur.

1. Qui sese constituit sub præsidio Altissimi, divina ejus protectione velut arce tutissima custodietur.

2. Dicet Domino : Susceptor meus es tu, et refugium meum : Deus meus, sperabo in eum.

2. Dicere poterit Domino : Adjutor meus es tu, et refugium meum perpetuum. Imo, inquit, Deus meus est, omnino sperabo in eum.

3. Quoniam ipse liberavit me de laqueo venantium, et a verbo aspero.

3. Quoniam ipse liberavit me de laqueo venantium, et a re quavis noxia.

4. Scapulis suis obumbrabit tibi : et sub pennis ejus sperabis.
5. Scuto circumdabit te veritas ejus : non timebis a timore nocturno :
6. A sagitta volante in die : a negotio perambulante in tenebris : ab incursu et dæmonio meridiano (1).
7. Cadent a latere tuo mille, et decem millia a dextris tuis : ad te autem non appropinquabit.
8. Verumtamen oculis tuis considerabis : et retributionem peccatorum videbis.
9. Quoniam tu es, Domine, spes mea : Altissimum posuisti refugium tuum.
10. Non accedet ad te malum : et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.
11. Quoniam angelis suis mandavit de te : ut custodiant te in omnibus viis tuis.
12. In manibus portabunt te : ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.
13. Super aspidem et basiliscum ambulabis : et conculcabis leonem et draconem.
14. Quoniam in me speravit, liberabo eum : protegam eum, quoniam cognovit nomen meum.

4. Id parum est, o homo fiducia plene : alis suis obumbrabit te, et sub pennis ejus secure quiesces.
5. Tanquam scuto omni ex parte proteget te veritas ejus : non timebis a periculo nocturno :
6. Neque a sagitta volante in die, neque a machinatione occulte circumveniente ; nec demum ab incursu et dæmonio meridiano.
7. Cadent alii, qui Deo adjutore non nituntur ; cadent a latere tuo sinistro mille, et decem millia a dextris tuis : ad te autem singulariter protectum, non appropinquabit ullum malum.
8. Imo insuper, oculis tuis videbis et spectabis punitionem ac ruinam impiorum.
9. Dixisti ex corde, o vir juste : Tu es, Domine, spes mea ; — et hoc dicendo ipsum Altissimum effecisti refugium tuum.
10. Non accedet ad te malum : et flagellum non appropinquabit tabernaculo animæ tuæ.
11. Quoniam angelis suis Deus mandatum dedit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis.
12. Ideo ipsi in manibus suis portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.
13. Et sic custoditus ab angelis, dæmones contemnes. Super aspidem enim et basiliscum ambulabis, et conculcabis leonem et draconem.
14. Hæc omnia promissa confirmat ipse Deus, per os meum dicens : Quoniam in me speravit liberabo eum ; protegam eum quoniam cognovit fiducialiter potentiam et bonitatem meam.

(1) Hebraice : *A sagitta volante per diem, a peste in tenebris ambulante, a morsu insidiantis in meridie* ; vel : *A peste quæ incedit in caligine, a lue quæ vastat meridie.*

15. Clamabit ad me, et ego exaudiam eum : cum ipso sum in tribulatione ; eripiam eum, et glorificabo eum.

15. Hinc enim invocabit me, et ego exaudiam eum : accurram, ut cum ipso sim in omni tribulatione hujus vitæ, ex qua eripiam eum et glorificabo eum.

16. Longitudine dierum replebo eum : et ostendam illi salutare meum.

16. Longitudine dierum replebo eum, et in felicissima æternitate ostendam illi beatificam gloriam meam.

Explicatio.

Argumentum. — Psalmi hujus argumentum, inquit Bellarminus, est exhortatio ad fiduciam in Dei auxilio firmissime collocandam. Id enim in principio ponitur, et per totum psalmum variis rationibus confirmatur. In ore Ecclesiæ hymnus est, quo fiduciam fidelium in Domino, et Dei ac Domini nostri Jesu Christi protectionem in confidentes sibi fideles celebrat. — Forma sermonis est dramatica : nunc enim loquitur propheta, nunc homo justus, nunc ipse Deus. Psalmus est plenus metaphoris, et ideo non minus elegans quam difficilis. — Quam vero sit utilis, et ad formandos mores accommodatus, vel ex eo cognosci potest, quod, ex vetusto Ecclesiæ instituto, quotidie in divino officio frequentatur, idque ad initium noctis, ut Deo protegente, nocturna pericula hoc armati clypeo propulsemus.

Proclamat propheta, omnes qui in Deo confidunt, Dei protectione fruituros : idque tribus ostendit testimoniis. Primum est testimonium hominis justi, qui ex proprio experimento loquitur, dicens : *Quoniam ipse liberavit me...* — Alterum testimonium est prophetæ, qui, ut Spiritus sancti præco, dicit : *Scapulis suis obumbrabit tibi...* — Tertium testimonium est ipsius Dei, incipitque his verbis : *Quoniam in me speravit.*

Tres itaque partes distingui possunt.

I. *Testimonium de divina protectione perhibitum ab homine justo.*
II. *Item, testimonium prophetæ.*
III. *Item, testimonium ipsius Dei.*

---

1. *Qui habitat in adjutorio Altissimi, in protectione Dei cœli commorabitur.*

2. *Dicet Domino : Susceptor meus es tu et refugium meum : Deus meus, sperabo in eum.*

3. *Quoniam ipse liberavit me de laqueo venantium, et a verbo aspero.*

Prima pars : proclamat propheta protectionem Dei homini justo esse certissimam ; ipsumque justum id testantem inducit. — *Qui habitat in adjutorio Altissimi* : id est, qui conquiescit in Dei adjutorio, sese auxilio ejus committens, in eo confidens ; ille *in protectione Dei cœli commorabitur* : id est, protectione Dei gaudebit, tutus ab omni periculo. — *In protectione*, hebraice *in umbra* ; *commorabitur*, hebraice *pernoctabit* : illic nempe sub umbra protectrice Dei permanebit tota nocte, tanquam in hospitio. Illic dormiet secure, nec sentiet noctis injurias. — Symbolice, *nox* tempus est calamitatum et malorum.

Hoc primo versiculo continetur promissio insignis, per quam Spiritus sanctus certos nos reddit, auxilium divinum nunquam defuturum homini, quicumque fuerit, si vere spem suam in Deo repositam habeat. Dicitur *quicumque fuerit*, quia directe et explicite, respicit propheta universim et indeterminate quemlibet justum in Deo sperantem. Implicite tamen intelligendus est Christus, et quilibet Christianus ; præsertim vero si rector fuerit vel pastor Ecclesiæ.

2. *Dicet Domino* : id est, dicere poterit vere et merito. — *Susceptor meus es tu et refugium meum*... quia scilicet, cum jacerem peccato mortuus, erexisti me ; et quum impugnabor in posterum, defendes me. — *Deus meus* est, *sperabo in eum* : scilicet adhæreo ipsi tanquam Deo meo ; firmiterque statuo semper sperare in eum, quocumque in periculo, quacumque in tentatione deprehendar. Eodem sensu Beatus Job dicebat : *Etiam si occiderit me, in ipso sperabo* (Job. VIII, 15). — Tantæ fiduciæ rationem explicat, addendo :

3. *Quoniam ipse liberavit* (alias *liberabit*) *me* (1) *de laqueo venantium, et a verbo aspero* : id est, liberavit me a fraudibus seu clandestinis hostium insidiis ; et a *re aspera*, omnique detrimento quod ex illaqueatione sequeretur. *Verbum* enim apud Hebræos passim accipitur pro ipsa re, quæ dicitur vel dici posset (2). — Metaphorice, venatores sunt dæmones ; laquei, omnes creaturæ illecebrosæ, de quibus dicitur : *Creaturæ factæ sunt in muscipulam pedibus insipientium* (Sap. XIV, II) ; verbum asperum, est mors animæ ; vel etiam verbum supremi Judicis, sententiam damnationis proferentis : *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum*. Matth. XXX, 41.

4. *Scapulis suis obumbrabit tibi : et sub pennis ejus sperabis.*

(1) Hebraice, *liberavit te* : juxta hanc lectionem, jam hic incipit loqui propheta.

(2) Notandum tamen, vocem hebraicam DEBER (non DABAR), juxta lectionem masorethicam, significare *pestem* ; ita ut sensus sit : *et a peste perniciosa*.

5. *Scuto circumdabit te veritas ejus : non timebis a timore nocturno :*
6. *A sagitta volante in die : a negotio perambulante in tenebris : ab incursu et dœmonio meridiano.*

Secunda pars. — Incipit nunc propheta ipse loqui, et quasi confirmans verba hominis justi : Merito, inquit, dixisti : *Quoniam ipse liberavit me...* vere enim liberavit te, et deinceps semper liberabit ab omni periculo. Nam, dum eris parvulus et impar hostibus tuis, fovebit te sub alis suis, quomodo aquila vel gallina fovet pullos suos ; quando autem creveris, et per te pugnare poteris, dabit tibi scutum firmissimum quo invulnerabilis evades. *Scapulis suis*, id est, alis suis proteget te ; et sub tegmine pennarum ejus *sperabis*, id est, confidenter et secure ages. — Duabus avibus, inquit Bellarminus, Deus in Scriptura comparatur, aquilæ et gallinæ. *Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos, et super eos volitans expandit alas suas* (Deut. XXXII, II). — *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas* (Matth. XXIII, 37). — Velut aquila erat Deus ante Incarnationem; mystica gallina factus est, per Incarnationem ad nos descendens. Vel, si placeat ad Christum omnia referre : Christus, ut Deus, similis est aquilæ ; ut homo, gallinæ; — aut etiam, Christus homo, tempore mortalitatis suæ velut humilis et amantissima gallina fuit ; post resurrectionem, sublimis ut aquila.

5. *Scuto circumdabit te...* id est, sicut scuto ex omni parte proteget te ; — *veritas ejus :* id est, tum veritas promissionum, tum veritas doctrinæ ; utroque enim modo *veritas Dei* in Scripturis accipitur, et utroque modo hic intelligenda videtur. — Considerans hic propheta illos, qui jam per se pugnare possunt, eos a Deo armari dicit scuto admirabili. Finxerunt poetæ Achillem et Æneam scuto quodam cœlesti donatos fuisse, ut invulnerabiles fierent ; sed illæ fabulæ sunt. Hic autem clypeus, de quo loquitur David, vere clypeus cœlestis est, et invulnerabiles reddit eos, qui ipso bene uti sciunt. Scutum enim non solum caput tegit ut galea, vel pectus ut lorica ; sed totius hominis defensio est, cum possit attolli, demitti, converti ad omnes partes et opponi omnibus ictibus. Talis autem est Dei *veritas* ac *fides*, ut etiam Apostolus indicat, scribens : *In omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea exstinguere.* Eph, VI, 16.

Sequentibus verbis : *Non timebis a timore nocturno ....* explicat generatim pericula, a quibus per fidei scutum liberamur. *Timor nocturnus*, id est, sive quodvis terriculum noctis, sive nocumentum adversitatis , sive occultæ insidiæ hostium, sive absconditi detractoris verba.

6. *A sagitta volante in die...* Videtur illa *sagitta volans in die*, indicare verbum adulatorium in die prosperitatis ; vel malum quodvis subito et palam irruens. — *Negotium perambulans in tenebris, incursus et dæmonium meridianum* (1), velut repetitio sunt explicativa verborum præcedentium, *timoris nocturni et sagittæ diurnæ*. Proprie, *negotium* est *res* nempe quæcumque nociva. *Dæmonium meridianum* vel meridiei, est aggressor potens, qui non timet in ipso meridie nocere et lædere ; quoniam enim dæmon princeps est omnium malefactorum, recte transfertur hoc nomen ad malefactores omnes, præsertim audaciores.

Hæc omnia generatim designant quodvis periculum, sive nocturnum sive diurnum.

7. *Cadent a latere tuo mille, et decem millia a dextris tuis : ad te autem non appropinquabit.*

8. *Verumtamen oculis tuis considerabis : et retributionem peccatorum videbis.*

9. *Quoniam tu es, Domine, spes mea : Altissimum posuisti refugium tuum.*

10. *Non accedet ad te malum : et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.*

Pergit propheta explicare protectionem justi : Ita justus a periculis defendetur, ut inimici ejus prosternantur, utque nullum malum ipsum attingat. — *Cadent*, inquit, *a latere tuo mille....* sensus est, vel 1° tela inimicorum, aut ipsi inimici tua virtute prostrati, cadent plurimi a latere tuo sinistro ; ac multo plures a dextro : et ne unus quidem ex iis, aut ne unum quidem ex eorum telis, ad te appropinquabit. — Vel 2° melius : Alii, nempe commilitones, in se, non in Deo confidentes, cadent plurimi ; tu vero stabis incolumis, nec ab ullo inimico attingi poteris. — Tropologice, mille dicuntur casuri a sinistra, et decem millia a dextra ; quoniam per sinistram intelligitur adversitas, per dexteram vero prosperitas, et plures homines ex prosperitate pereunt quam ex adversitate.

8. *Verumtamen* : id est, verum etiam, imo insuper ; *oculis tuis considerabis, et retributionem peccatorum videbis.* — His verbis homini justo promittitur, non tantum victoria, sed etiam, quod sit cum gaudio visurus inimicos suos jacentes, et pro merito punitos. — Quæ promissio impletur aliquando in hac vita ; certissime vero et plene implebitur in die judicii.

(1) Juxta hebræum sensus hic nonnihil differt, ut patet ex nota textui Vulgatæ adjuncta, supra pag. 251.

9. *Quoniam tu es, Domine, spes mea : Altissimum posuisti refugium tuum.* — Pergit propheta alloqui hominem justum, sed subintelligit vocem *dicendo* ; ita ut sensus sit : Sic divino clypeo mirabiliter protegeris. Nam dicendo : *Quoniam tu es, Domine, spes mea,* o homo pie, ipsum Deum altissimum effecisti tibi refugium, et tanquam arcem super omnes alias munitam. Propterea non accedet ad te malum... — Nomen *Altissimum* non esse adjectivum, quod referatur ad refugium, sed substantivum designans Deum, patet ex græco, ubi habetur ὕψιστον generis masculini, et καταφυγὴν generis feminini.

10. *Non accedet ad te malum : et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.* — Explicat quid boni consequatur ex eo, quod justus refugium sibi constituit in Altissimo : immunis scilicet erit ab omni malo.

Duplex distinguitur malum : nimirum malum *culpæ*, quod solum absolute et *simpliciter* malum est ; et malum *pœnæ*, quod non est malum, nisi *secundum quid.* Jam vero, juxta Bellarminum, vox *malum* in textu designat malum culpæ ; *flagellum* vero, malum pœnæ. Quæ quidem expositio ut mystica, probabilis omnino est ; at ne admittatur ut litteralis, obstat parallelismus ; et insuper videtur psaltes hic totus esse in consideranda protectione ab adversis, de culpæ autem immunitate minime cogitare. *Non accedet*, inquit, *ad te malum*, id est, ullum mali seu adversitatis genus ; *et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo* : id est, plaga aut calamitas agros, liberos, familiam tuam non affliget.

Itaque conjuncto sensu litterali et mystico, promissio ista duplex sic videtur intelligenda. 1° Justi in Deo sperantes, peculiari providentia a peccato præservabuntur ; aut si peccent, ex lapsu surgent humiliores, ipso peccato eis cooperante in bonum. 2° Corporalia mala, etsi per divinam bonitatem sæpe mitigata, experientur quidem, sed facile portabunt, ea contemnent ; imo vix sentient, intima cordis pace semper fruentes. Ista enim non reputabunt esse mala, sed bona ; cum materiam patientiæ et segetem gloriæ sibi præbeant.

11. *Quoniam angelis suis mandavit de te : ut custodiant te in omnibus viis tuis.*

12. *In manibus portabunt te : ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.*

13. *Super aspidem et basiliscum ambulabis : et conculcabis leonem et draconem.*

Modus explicatur, quo justum Deus protegat et juvet, nempe per angelorum custodiam. Quæ quidem, licet non sit simpliciter

necessaria, cum immediata Dei actio sufficiat; suavi tamen ac sapienti Providentia constituta est. Hunc enim ordinem Deus in rebus posuit, ut inferiora per media, et media per superiora regenda velit. — Dicitur : *Mandavit de te*, id est, de justis, deque tutela justorum. Non tamen solis justis, sed etiam reliquis hominibus angeli custodes dati sunt (1). — *Ut custodiant te in omnibus viis tuis* : id est, quocumque pergas; vel, metaphorice, in omnibus actionibus tuis. Multæ, inquit Bellarminus, sunt viæ hominis, et in his omnibus angelo custode indiget : via est lex, via est operatio, via est vita præsens, per varias ætates et status decurrens : adsunt autem angeli qui custodiant nos in omnibus viis istis.

12. *In manibus portabunt te : ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.* — Metaphora videtur desumpta a nutricibus, quæ infantes manibus gestant ne impingant alicubi : ad significandam studiosissimam angelorum custodiam, ne justus detrimentum vel exiguum patiatur. — In particulari, et mystice, *manus angelorum* sunt intellectus et voluntas, sive sapientia et potentia, quibus nos tuentur. *Lapides in via*, sunt impedimenta quævis in hac vita occurrentia, sive temporalia sive spiritualia : scandala, tentationes, persecutiones, et similia. *Pedes*, quibus ad lapides offendere solemus, sunt affectus humani, præcipue humanus amor et timor. Justus autem ita ab angelis illustratur et juvatur, ut pede, id est, affectu elevato a terra, bonum ac malum temporale quod peccatum induceret, facile contemnat.

13. *Super aspidem et basiliscum ambulabis : et conculcabis leonem et draconem.* Hæc intelligi possunt tripliciter : 1° Proprie et corporaliter, ut jacent, de potestate Sanctorum in feras. 2° Symbolice, de diabolo et sceleratis hominibus. 3° Tropologice, de vitiis, ut S. Bernardus et alii exponunt. — Principalis tamen sensus est figuratus ac symbolicus; ita ut bestiis hisce venenosis et feris, astutis et violentis, dæmones diversorum ingeniorum indicentur. Prosequitur enim sermonem psalmista quasi dicat : Sicut ab angelis bonis juvaberis, ita a dæmonibus quibuscumque non læderis.

Ad verba quod attinet, *aspis* est anguis, terribili et immedicabili veneno formidandus. — *Basiliscus* seu regulus, quasi rex serpentium, alius anguis est, candida in capite macula, ut quodam diademate insignis, quique solo intuitu necare dicebatur (2). — *Draco* reptile est immanis magnitudinis et roboris; juxta hebræum, videtur hic crocodilus designari, vel certe monstrum marinum. — *Leo*, ut ferarum princeps notissimus est.

(1) Cf. *Elementa theol. dogm.* tract. 7, *de Creatione*, n. 80 seqq.
(2) Cf. Plinius, lib. 8, c. 21; l. 29, c. 4.

Hæc animalium nomina passim diabolo tribui solent. *Adversarius vester diabolus, tanquam leo rugiens* (1 Pet. V, 8). — *Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes et scorpiones, et super omnem virtutem inimici; et nihil vobis nocebit.* Luc X, 19.

14. *Quoniam in me speravit, liberabo eum : protegam eum, quoniam cognovit nomen meum.*

15. *Clamabit ad me, et ego exaudiam eum : cum ipso sum in tribulatione ; eripiam eum, et glorificabo eum.*

16. *Longitudine dierum replebo eum : et ostendam illi salutare meum.*

Tertia pars. Jam inducitur loquens ipse Deus, qui in tribus ultimis versiculis confirmat omnia quæ supra dicta sunt, et multa etiam addit. — Enuntiantur enim his versiculis octo promissa Dei, quæ optimo ordine incipiunt a liberatione a malis, et procedunt usque ad exaltationem ad summum bonum. Et quidem quatuor ex illis pertinent ad præsentem vitam : *liberabo eum, protegam eum, exaudiam eum, cum ipso sum in tribulatione* ; — quatuor reliqua ad futuram : *eripiam eum, glorificabo eum, longitudine dierum replebo eum, ostendam illi salutare meum.*

Protegam eum, quoniam cognovit nomen meum : id est, quoniam me cum fiducia invocavit. Dicitur enim cognoscere nomen Domini, qui ejus potentiam, et sapientiam, et bonitatem cognoscit, unde in spem ac fiduciam firmissimam erigitur. Dicitur etiam cognoscere nomen Domini, qui ex intima familiaritate novit Deum ut pastorem, amicum et patrem ; de qua notitia dicitur : *Ego sum pastor bonus, et cognosco oves meas, et cognoscunt me meæ.* Joan. X, 14.

15. *Clamabit ad me, et ego exaudiam eum : cum ipso sum in tribulatione....* id est : Peculiari quodam modo ipsi adero in tribulatione, et ero cum ipso præ aliis, per internam consolationem et assistentiam : quomodo mater ægrotanti filiolo assidet et opitulatur ; — vel etiam, tribulato adero ut spectator certaminis ejus, ut adjutor et consolator.

Illud *cum ipso sum*, tempore præsenti, dum reliqua, *liberabo, protegam*, etc. , ponuntur in tempore futuro, insinuat, tribulationem hujus vitæ esse momentaneam. — Illud *in tribulatione*, ponitur post *exaudiam eum*, et ante *glorificabo* : ut innuatur, sic Deum exaudire justum in hac vita, ut ipsi tribulationem cum patientia præstet ; atque hac via ad splendidissimam coronam deducat.

Eripiam eum : scilicet liberabo eum penitus, præsertim in hora

mortis, quando abstergam omnes lacrymas ejus, et *glorificabo eum in cœlis.*

16. *Longitudine dierum replebo eum* : id est, beata æternitate donabo.— Quod si longitudo dierum intelligatur de vita longa in hoc mundo, præ oculis habendum est, promissiones temporales semper esse intelligendas sub conditione tacita : *si expediat fieri quod promissum est.* De cætero, justus etiamsi morte præoccupatus fuerit, plenus dierum existimandus est : *Consummatus enim in brevi, explevit tempora multa.* Sap. IV, 13.

Et ostendam illi salutare meum : id est, manifestabo ipsi salutem, Salvatorem Christum meum, et gloriam meam sicuti est, ut me facie ad faciem beatifice contempletur.

Sensus liturgicus.

1° In psalmo XC, extensius quam in præcedentibus Completorii psalmis Ecclesia considerat molimina inimicorum, semper quidem, sed præcipue noctis ac mortis tempore animabus insidiantium, simulque Deum aspiciens ut unicum et certissimum auxiliatorem, ad eum confugit, ei firmissime adhæret, atque in sinu ejus secure quiescit, donec transeat tribulatio, et appareat salutare Dei.

Quicumque, inquit, perfecta fiducia in Dei sinu conquiescit, in omni adversitate, protegetur ; in nocte hujus vitæ mortalis, per assiduam orationem cum Deo commorabitur ; et quum advenerit nox mortis, habitaculum securum apud Deum inveniet : *In protectione Dei cœli commorabitur.*

Loquimini, o vos omnes sancti et justi, qui Dominum elegistis in partem hæreditatis vestræ, numquid frustra in ipso sperastis? — Ipse, inquiunt singuli, liberavit me secu speriturum. Vita enim hominis tota velut ingenti involuta est laqueo, quo animæ innumeræ capiuntur, et unde nec ego evadere poteram ; sed quia speravi in ipso, divina manu expedivit me, et in libertate filiorum Dei constituit : *Ipse liberavit me de laqueo venantium.*

Eia vir juste, permane in spe tua stabilis ; et ipse Dominus te protegere perget.

Scapulis suis obumbrabit tibi ... infirmum te fovebit sub alis suis; lacessitum præliis proteget te clypeo veritatis : teque tuebitur ab hostibus universis, sive invisibilibus sive visibilibus, sive dolosis sive violentis ; a timore nocturno pusillanimitatis, a sagitta diurna superbiæ, a negotio tenebroso avaritiæ, a dæmonio meridiano intemperantiæ et luxuriæ....

Cadent a latere tuo mille... Multiplicabunt quidem tela, multiplicabunt incursus suos ; sed simul multiplicabunt victorias tuas, donec penitus devicti jaceant. Etenim aliquando

oculis tuis videbis peccatum omnino devictum et punitum, justitiam vero triumphantem in æternum....

Invoca igitur confidenter nomen Domini, et salvus eris. Sit clamor cordis tui assiduus : *Tu es, Domine* Jesu, *spes mea* in tempore et in æternitate... Ecce sic sperantem assumet te, et abscondet in abscondito tabernaculi sui ; ubi tam securus eris, ut nulla tempestas, quamvis externe pulset, animæ tuæ latibulum penetrare possit.

Quum autem tibi exeundum erit, et per varia vitæ itinera incedendum, ab angelis deduceris ; ipsisque juvantibus omnia offendicula transilies, omnia ferarum monstra pedibus conteres. *Quoniam angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis.*

Invocando enim nomen Domini salvus eris. *Quoniam cognovit*, inquit ipse Dominus, *nomen meum*, ideo adero ipsi protector fidelis : cum ipso ero omnibus diebus, etiam diebus malis. Imo, præsertim cum ipso ero in cruce atque in tribulatione hujus vitæ, ut mecum constanter patiatur, et mecum per passionem et crucem ad resurrectionis gloriam perveniat, ubi *ostendam illi salutare meum.*

2° Recitatur quoque psalmus *Qui habitat*, in officio Dedicationis Ecclesiarum.—Huic autem solemnitati ex Ecclesiæ mente accommodatur ita, ut significet, templum, Christique Ecclesiam ac domum Dei, esse habitaculum illud, ubi homo justus *in protectione Dei cœli commorabitur et sub pennis ejus sperabit ;* ubi *clamabit ad Deum, et Deus exaudiet eum : cum ipso erit in tribulatione ; eripiet eum, et ostendet illi salutare suum.*

PSALMUS XCII.

Dominus regnavit, decorem indutus est.

1. Dominus regnavit, decorem indutus est : indutus est Dominus fortitudinem et præcinxit se.	1. Dominus regnum mundi suscepit : ecce visibilem decorem induit ac potentiam, et velut ad opus suum accinxit se.
2. Etenim firmavit orbem terræ, qui non commovebitur.	2. Scilicet creavit orbem terræ, eumque naturæ ordine mirabiliter stabilivit.
3. Parata sedes tua ex tunc : a sæculo tu es.	3. Ab illa die stetit thronus tuus visibilis, o Deus, qui invisibilem thronum occupas ab æterno.
4. Elevaverunt flumina, Domine : elevaverunt flumina vocem suam.	4. Elevaverunt flumina et aquarum gurgites sonitum suum minitabundum.

5. Elevaverunt flumina fluctus suos : a vocibus aquarum multarum.

5. Elevaverunt cum fremitu fluctus exundantium aquarum suarum.

6. Mirabiles elationes maris : mirabilis in altis Dominus.

6. Mirabiles elationes furentis maris : at mirabilior in altis cœlis dominator Dominus.

7. Testimonia tua credibilia facta sunt nimis : domum tuam decet sanctitudo, Domine, in longitudinem dierum.

7. Utique, Domine, mirabilior tu es : mirabilia namque tua manifestasti nobis testimoniis certissimis. Quapropter nos, populus tuus, cultum majestate tua dignum reddere tibi debemus in domo tua jugiter.

—

Explicatio prima.

Argumentum hujus psalmi, *litteraliter* spectatum, est regnum Dei in mundo naturali ; seu laus Dei, ob creationem et conservationem mundi.

Si vero spectetur allegorice, est regnum Christi in mundo spirituali ; seu laus Christi Domini, qui in cruce sua et in resurrectione, velut gloria regali indutus, hostes domuit, Ecclesiamque suam æterna stabilitate firmavit. — Sensus iste allegoricus a plerisque Hebræorum et SS. Patrum (1) assertus, confirmatur praxi Ecclesiæ, quæ psalmum hunc canere solet in aurora diei Dominicæ ad Laudes : quoniam Christus tunc resurgendo, possessionem regni sui accepit et *induit decorem ac fortitudinem.*

Textum exponemus primo secundum sensum priorem, de Deo Creatore ; deinde in explicatione secunda, aperiemus sensum altiorem, de Deo Redemptore, Christo.

I. *Quomodo Dominus regnum mundi suscipiat.*
II. *Quomodo imperium exerceat.*
III. *Quomodo a subditis sit honorandus.*

—

(1) Ita Bellanger, apud Migne, *cursus S. Script.* tom. 15. — Allegorice, inquit Le Blanc (in hunc Ps. tom. 5), laus est Christi Regis, in resurrectione sua dotibus gloriæ vestiti, et hostes suos terrentis ac domantis, Ecclesiamque æterna stabilitate firmantis. Ita S. Aug., Remig., Ludolph, Dionys., Haymo, Incognitus, et alii. De Messia hunc psalmum exponunt Rabbini ipsi Salomon et Kimhi, aliique ; sed male opinantur, Messiam necdum venisse, pugnaturum autem esse contra Gog et Magog, eosque superaturum : eaque de re psalmum agere. — Bellarminus putat, etiam ad litteram hunc psalmum esse de Christo.

1. *Dominus regnavit, decorem indutus est : indutus est Dominus fortitudinem et præcinxit se.*

Contemplatur propheta Deum in die creationis, tanquam regem in exordio regni sese parantem ut thronum conscendat, et habenas imperii manu suscipiat ; imo ut ipsum regnum ac thronum sibi constituat : idcirco dicit, eum veluti purpura decora et armatura fortissima indui, atque ad strenue operandum se accingere : *Indutus est decorem... fortitudinem, et præcinxit se.*

Decorem indutus est... id est : gloriam suam ac majestatem, magnificentiam ac potentiam in die Creationis manifestavit, et visibili splendore semetipsum velut operuit. Quod idem alibi psalmista sic enuntiat : *Domine, Deus meus, magnificatus es vehementer. Confessionem et decorem induisti : amictus lumine sicut vestimento, extendens cœlum sicut pellem...* Ps. CIII.

2. *Etenim firmavit orbem terræ, qui non commovebitur.*

3. *Parata sedes tua ex tunc : a sæculo tu es.*

Sicut modo vidimus Deum ad opus se accingentem, ita nunc videmus operantem.

2. *Etenim firmavit orbem terræ, qui non commovebitur.* De creatione orbis terrarum sermo est, deque ejus conservatione in statu illo atque ordine, in quo primitus est constitutus. His ergo verbis, *non commovebitur*, nequaquam negatur terræ motus, sive diurnus, sive annuus ; sed tantum excluditur omnis perturbatio, qua constitutio ejus, vel ordinatæ vicissitudines corrumperentur.

3. *Parata sedes tua ex tunc, a sæculo tu es.* — Sensus est quasi diceret : Ab illo die, tu qui regnas ab æterno, regnare cœpisti in tempore ; atque ita imperium exerces in mundo ut nihil adversus te prævalere possit, o Deus omnipotens ! — Quod quidem declarat, ostendendo quomodo naturæ vires impotentes contra ordinem a Deo stabilitum frustra insurgant.

4. *Elevaverunt flumina, Domine ; elevaverunt flumina vocem suam.*

5. *Elevaverunt flumina fluctus suos : a vocibus aquarum multarum.*

6. *Mirabiles elationes maris : mirabilis in altis Dominus.*

Secunda pars : Deus imperium exercet, et mundum, quem creavit, gubernat. — *Elevaverunt flumina vocem suam...*

fluctus suos... Describit motus atque impetus aquarum ac vim tempestatum quæ maxima est in mundo, et ex qua maxime naturæ perturbatio timeri posset : ut sic pateat supereminens Dei potentia et imperium. — *A vocibus aquarum multarum*, id est, propter fremitum ac vim aquarum exundantium.

6. *Mirabiles elationis maris, mirabilis in altis Dominus* : id est, multo magis mirabilis est Deus, maris ac mundi universi Dominus, qui in altissima cœlorum sede, tranquille omnia illa infima moderatur. — *Maris elationes* sunt, vel fluctus tumentes et tempestate agitati, vel maris æstus et reciprocatio.

7. *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis : Domum tuam decet sanctitudo, Domine, in longitudinem dierum.*

Tertia pars : quomodo ille Rex mundi a subditis suis sit honorandus. — Sensus est quasi diceret : O Rex mundi, Deus, quoniam tam manifesta est nobis gloria tua, ideo laus tibi sancta debetur a nobis.

Testimonia Dei sunt generatim omnia illa quibus semetipsum Deus manifestavit, etiam in ordine naturali. Quare Paulus dicebat Lystrensibus : *Non sine testimonio semetipsum reliquit, benefaciens de cœlo, dans pluviam et tempora fructifera* (Act. XIV, 16). — Hoc loco tamen psalmista præcipue significat manifestationes Dei in ordine supernaturali, nempe verba quæ Deus locutus est. Hæc, inquit, *testimonia tua*, nempe verba tua, et prodigia quibus temetipsum et perfectiones tuas populo Israel manifestasti, clara sunt et certissima. Nec tantum ostendisti potentiam tuam ; sed bonitatem ac sanctitatem aperuisti nobis, et cultum legemque sanctam tuam : ut digne te, Regem nostrum, honoremus in ipsa domo tua, quam inter nos eligere dignatus es : *Domum tuam decet sanctitudo in longitudinem dierum.*

De testimoniis Dei prophetam hic ideo loqui censet Bellarminus, ut respondeat tacitæ objectioni, quæ occurrere potest : unde videlicet sciamus ea, quæ dicta sunt de fundatione terræ, cui rei nullus testis adfuit, cum præcesserit omnium hominum creationem ? Respondet igitur David, illa innotescere ex testimonio Deo, qui revelavit ea servo suo Moysi ; et testimonium illud valde credibile esse, cum Moyses multis signis et prodigiis, aliisque modis, se esse servum Dei fidelem et prophetam verum probaverit.

Domus Dei intelligitur Tabernaculum fœderis. — Sensu autem allegorico est Ecclesia ; — item anima justa ; — item cœlum ; — item, latiore sensu, mundus universus, quem Deus inhabitat, quique velut in templum ei dedicandus est, ubi gloria ejus a creaturis omnibus perpetuo celebretur.

Explicatio secunda.

Præter sensum ex superioribus satis clarum de Deo Creatore, continet psalmus sensum mysticum *de Deo Redemptore Christo* : qui quidem sensus, si minus litteralis, saltem ut sensus principalis habendus videtur, ac præcipue a Spiritu sancto intentus (1).

Mystice igitur psalmista personam gerit Ecclesiæ, quæ Christum in sua passione et in sua resurrectione contemplatur tanquam Regem, accingentem se ut thronum conscendat; regnumque suum, ipsam nempe Ecclesiam, constituat, tueatur et gubernet.

Dominus, inquit, *regnavit : decorem indutus est...* En rex gloriæ, Christus, in sua nativitate indutus decora veste humilitatis atque humanitatis nostræ; in sua passione indutus chlamyde ignominiæ, imo sanguine suo tanquam purpura doloris : *Quis est iste qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra ? iste formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis suæ. Ego qui loquor justitiam et propugnator sum ad salvandum. Quare ergo rubrum est indumentum tuum et vestimentum tuum sicut calcantium in torculari ?..* (Isai LXIII, 1). — *Vestitus erat*, inquit Joannes, *veste aspersa sanguine, et vocatur nomen ejus Verbum Dei.* Apoc. XIX, 13.

In resurrectione vero gloria et honore coronatus est a Patre, qui *circumcinxit eum zona gloriæ, et induit eum stolam gloriæ, stolam sanctam, auro et hyacintho, et purpura.... et coronavit eum in vasis virtutis* (Eccli. XLV, 9, 12). — Eia, Rex gloriæ, *accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime : specie tua et pulchritudine tua intende, prospere procede et regna.* Ps. XLIV.

Dominus regnavit : etenim *firmavit orbem terræ* : terram, inquam, veterem, peccatis et dæmonibus agitatam, terram inanem et vacuam, religione ac fide sua stabilivit : fundata super petram Ecclesia sua, quæ non commovebitur.

(1) Qui contendere velit, sensum quem vocamus mysticum ac potiorem, esse sensum mere accommodatum, hic sententiæ suæ inhærere libere potest. Verumtamen si consideret, 1° accommodationem hic in allegoria fundari; et aliunde, 2° *Legem*, ut Augustinus ait, *fuisse a Christo gravidam ;* 3° præcipuum psalmorum objectum, ut Patres unanimiter docent, esse Christum et Ecclesiam; 4° psalmum hunc, sicut reliquos, fuisse a Spiritu sancto Ecclesiæ Christi destinatum : hæc, inquam, si consideraverit, fatebitur profecto non immerito adoptari sententiam Patrum et interpretum eorum, qui regnum Christi hic celebrari docent. — Quod si sensus admittitur de Christo, idem merito principalis appellatur : quia Christus finis est Legis ac figurarum; quia regnum Christi seu gratiæ, præstantius est regno naturæ; et quia Christum principaliter Ecclesia, dirigente Spiritu sancto, in sacra liturgia celebrat.

Parata sedes tua ex tunc, o Christe, qui a sæculo es, æternus Patris Filius : parata sedes tua nova, qua resides, tum in cœlo ad dexteram Patris ; tum in terra, in persona Vicarii tui, Romani Pontificis. Hæc sedes tua *sicut sol in conspectu Dei, et sicut luna perfecta in æternum* (Ps. LXXXVIII) : sedes instar solis conspicua, benefica, æterna, immutabilis...

Irruunt quidem persecutiones, hostesque omnigeni, sicut fluctus sævi maris furentes, perpetuoque sibi invicem succedentes : *Elevaverunt flumina, Domine, elevaverunt flumina vocem suam... mirabiles elationes maris...* At vero illis ipsis conatibus, semper irritis, magis mirabilis appares tu, in altis habitans Dominus : *Tu dominaris potestati maris, motum autem fluctuum ejus tu mitigas.* Ps. LXXXVIII.

Et quidem his pugnis atque triumphis perpetuis, magis magisque Ecclesia tua firmatur ; et fides ac veritas tua, aliunde firmissima, omnium oculis manifestatur : *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis.*

Nos autem fideles tui, qui in Ecclesia tanquam domestici ac filii in domo tua habitamus, te Regem ac Patrem sanctitate nostra honorare debemus : *Domum* enim *tuam decet sanctitudo* ; decet, ut eam omnes tanquam sanctam venerentur ; decet, ut qui in illa manent sancti sint, et moribus sanctis sanctitati doctrinæ ac testimoniorum tuorum respondeant ; denique decet, ut a te, Domine, *in longitudinem dierum* inviolata et sancta conservetur : nec unquam portæ inferi prævaleant adversus eam. Matth. XVI, 18.

Sensus liturgicus.

Psalmum *Dominus regnavi* Ecclesia primo loco cantat *ad Laudes*, in officio de Dominica, et similiter in officio quolibet festivo. Quapropter ut rite sensus liturgicus psalmi hujus et sequentium percipiatur, aliquid de hac Officii parte videtur explicandum.

Laudes cum *Matutino* unam duntaxat, ut aiunt, horam canonicam constituunt : ita ut Laudes post Nocturnos tanquam horum complementum subsequantur ; et Nocturni respondeant noctis tempori, Laudes vero auroræ.

Quo melius hic dicenda intelligantur, animadvertendum est, diem liturgicum, non secus ac annum liturgicum, ex Ecclesiæ mente figurare quodammodo totum temporis spatium a mundi exordio usque ad sæculorum finem ; horasque canonicas sic per diem distribui, ut repræsentent omnium sæculorum ac generationum cultum, Deo Creatori ac Redemptori exhibendum.

Laudes itaque ponuntur ad auroram, ut significetur, creaturas omnes ex tenebris nihili ad lucem existentiæ esse vocatas ideo tantum, ut Creatori suo laudes concinant. Cui circumstantiæ temporis psalmus præsertim primus in Laudibus et tertius conveniunt. Primus enim de creatione agit, quæ principium et quasi auroram temporis signat ; tertius vero explicite ad diei primordia refertur : *Deus*, *Deus meus*, *ad te de luce vigilo.*

Alio sub respectu, quatenus Matutinum cum Laudibus referuntur ad festum, ut Deus honoretur in Sanctis suis, Laudes sunt velut complementum Matutini. Sicut enim psalmi Nocturnorum respiciunt mysterium quod occurrit, vel Sanctum qui celebratur ; ita psalmi Laudum velut gratiarum actionem continent, Deo pro mysterio ac festo persolvendam.

Septem psalmi Laudum gradatim dispositi, sic connectuntur inter se, ut plenam quamdam ac perfectam laudationem constituant. Etenim celebratur Deus, tum in se, tum in suis beneficiis : quæ beneficia spectantur in omni ordine, nempe naturæ, gratiæ, et gloriæ ; utque de his omnibus quam dignissime et quam plenissime laudetur, invitantur creaturæ omnes, ut omni modo omnibusque viribus divinam majestatem ac misericordiam concinant.

In psalmo XCII, *Dominus regnavit*, Ecclesia Dei majestatem cum admiratione contemplatur, quatenus illa majestas, tum in creatione mundi, tum in constitutione ac gubernatione Ecclesiæ apparet. Deinde propter eadem Dei opera, quæ simul sunt magna beneficia, gratias agendas esse profitetur, dicens : *Domum tuam decet sanctitudo in longitudinem dierum ;* id est, decet ut universus mundus, et præsertim Ecclesia quæ est domus tua, o Domine, nomen tuum sanctificet ac laudet perpetuo.

—

PSALMUS XCIV.

Venite, exultemus Domino.

1. (1) Venite, exultemus Domino, jubilemus Deo	1. Venite, cum exultatione et jubilatione accedamus ad Dominum

(1) Psalmi textus describitur ex Breviario Romano. In Psalterio autem Vulgatæ sic legitur : 1. *Venite, exultemus Domino : jubilemus Deo salutari nostro.* — 2. *Præoccupemus faciem ejus in confessione ; et in psalmis jubilemus ei.* — 3. *Quoniam Deus magnus Dominus ; et rex magnus super omnes deos.* — 4. *Quia in manu ejus sunt omnes fines terræ ; et altitudines montium ipsius sunt.* — 5. *Quoniam ipsius est mare, et ipse fecit illud, et siccam manus ejus formaverunt.* — 6. *Venite, adoremus, et pro-*

salutari nostro : præoccupemus faciem ejus in confessione, et in psalmis jubilemus ei.

Salvatorem nostrum : festinemus sistere nos ante faciem ejus cum laude, et cum psalmis læte celebremus eum.

2. Quoniam Deus magnus Dominus, et Rex magnus super omnes deos : quoniam non repellet Dominus plebem suam, quia in manu ejus sunt omnes fines terræ, et altitudines montium ipse conspicit.

2. Quoniam Dominus noster est vere magnus Deus, et Rex magnus super omnes deos. Non repellet plebem suam Dominus, in cujus omnipotenti manu sunt omnes regiones terræ; et cui altissimi montes subjecti sunt.

3. Quoniam ipsius est mare, et ipse fecit illud, et aridam fundaverunt manus ejus : venite, adoremus, et procidamus ante Deum : ploremus coram Domino, qui fecit nos, quia ipse est Dominus Deus noster : nos autem populus ejus, et oves pascuæ ejus.

3. Ipsius quoque est mare : ipse fecit illud, simul ac terram quam stabiliverunt manus ejus. Venite igitur, adoremus, et procidamus ante Deum : ploremus coram Domino, qui fecit nos : quia ipse est Dominus Deus noster amantissimus, et nos populus ejus atque oves pascuæ ejus.

cidamus ; et ploremus ante Dominum qui fecit nos. — 7. *Quia ipse est Dominus Deus noster ; et nos populus pascuæ ejus, et oves manus ejus.* — 8. *Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra ;* — 9. *Sicut in irritatione secundum diem tentationis in deserto ; ubi tentaverunt me patres vestri, probaverunt me, et viderunt opera mea.* — 10. *Quadraginta annis offensus fui generationi illi, et dixi : Semper hi errant corde.* — 11. *Et isti non cognoverunt vias meas ; ut juravi in ira mea : Si introibunt in requiem meam.*

Ut patet, textus Vulgatæ nonnihil differt a textu Breviarii : cujus rei ratio est quod *invitatorium* proprie ad Psalterium Breviarii non pertinet, nec proinde cum Psalterio ad Vulgatæ textum debuit conformari.

Scilicet Sixtus V, Bulla *Æternus ille* (1589), constituit, ut Breviarii et Missalis textus conformis redderetur Vulgatæ textui vaticano, *quoad eas tantum Scripturæ lectiones et verba, quæ ex vulgata editione sumpta... fuisse constat.* — Atqui *invitatoria*, sicut et *introitus*, *gradualia*, *offertoria*, ac generatim quæcumque partem fixam constituunt Officii et Liturgiæ, non ex *Vulgata* nobis devenerunt ; sed ex antiqua Itala, qua ante S. Hieronymum Ecclesia utebatur. Cum enim Hieronymi versiones et emendationes adoptatæ sunt, lectiones duntaxat S. Scripturæ, Psalterium, Evangelia et Epistolæ, quæ volumina particularia esse solebant, volumina nempe *biblica*, a libris *liturgicis* sejuncta; versionis biblicæ sortem secuta sunt. Reliqua vero, Officii et Liturgiæ omnino propria, prout antiquitus erant remanserunt : ideoque hæ partes ex mandato Sixti V ad Vulgatæ textum non sunt reformatæ ; et hodiedum leguntur juxta lectionem antiquæ Italæ.

4. Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra, sicut in exacerbatione secundum diem tentationis in deserto : ubi tentaverunt me patres vestri, probaverunt et viderunt opera mea.

4. Quod si vocem pastoris hujus ac Domini, tempore hoc præsentis sæculi audieritis : nolite obdurare corda vestra, sicut fecerunt patres vestri, irritando me tempore tentationis in deserto ; ubi duritie sua tentaverunt me, ac probaverunt me ; quamquam viderant opera mea per quadraginta annos.

5. Quadraginta annis proximus fui generationi huic, et dixi : Semper hi errant corde : ipsi vero non cognoverunt vias meas, quibus juravi in ira mea, si introibunt in requiem meam.

5. Per quadraginta integros annos quam proxime accessi ad generationem illam ; et fastidio erga eam affectus ob infidelitatem perpetuam, dixi : Semper hi errant corde, et nequaquam sequuntur vias meas ipsis manifestatas ; ideoque juravi in ira mea, dicens : Nunquam introibunt in terram quietis, quam ipsis destinaveram.

—

Explicatio.

Argumentum psalmi exhortatorium est. David enim adhortatur populum Israel ad Deum digne laudandum, eique fideliter serviendum ; imo in figurativo populo Israel, videns prophetico spiritu omnes gentes a Christo redemptas, eas universim invitat ad adorandum Christum (1), eique obediendum. — Duæ sunt psalmi partes, quæ sic enuntiari possunt :

I. *Deum ac Dominum nostrum digne colite.*
II. *Ejus gratiæ ac legi ne resistite.*

—

1. *Venite, exultemus Domino, jubilemus Deo salutari nostro : præoccupemus faciem ejus in confessione, et in psalmis jubilemus ei.*

Invitatio hæc est et exhortatio ad laudandum Deum animo et voce, quasi diceret : Eia, omnes simul uniti accedamus ad Dominum, cordibus gestientes, læta voce laudes offerentes Deo qui est salus nostra.— Vox *Dominus*, *Deus salutaris*, et infra *Rex magnus*, juxta multos, etiam litteraliter designat Dominum Jesum Christum ; cum psalmum hunc afferat Paulus ad Hebr. III,

(1) De Christo ad litteram sermonen fieri, opinio est plurimis interpretibus probata, usu Ecclesiæ psalmun hunc recitantis in die Epiphaniæ confirmata, et maxime consona cum interpretatione S. Pauli, *Ad Hebr. III* et *IV*, prout mox in explicatione dicetur. Cf. Leblanc, Genebrard.

de Christo scribens. Quod si ex Apostoli citatione sententia illa non evidenter demonstratur, sequitur saltem, psalmum non ad antiquos tantum Judæos, sed ad universos quoque Christi fideles pertinere.

Præoccupemus faciem ejus in confessione.... Expositio duplex : 1° Præveniamus mature, properemus venire in præsentiam ejus cum laudibus et hymnis. — 2° Minus, ut videtur, litteraliter, sed magis ad mentem Patrum : Antequam Dominus ad judicium veniat, et vindictam de peccatis sumat, præveniamus eum confitendo peccata nostra. — *Et in psalmis jubilemus ei*, simul nempe magnis vocibus extollendo misericordiam ejus.

2. *Quoniam Deus magnus Dominus et rex magnus super omnes deos : quoniam non repellet Dominus plebem suam, quia in manu ejus sunt omnes fines terræ, et altitudines montium ipse conspicit.*

Rationes profert quinque, cur Dominus laudandus a nobis sit : 1° quia Dominus ille noster non alius est quam ipse magnus Deus ; 2° quia habet in potestate sua orbem terræ ; 3° quia etiam maris moderator et factor est ; 4° quia non solum terram et mare, sed etiam nos homines fecit ; 5° quia non solum fecit nos, sed singulari prudentia nos regit, quomodo pastor proprius gregem suum.

Rex magnus super omnes deos : id est, 1° super omnia falsa numina ac dæmonia gentilium ; 2° super omnes reges et judices terræ, de quibus scriptum est : *Ego dixi : Vos dii estis.* Ps. LXXXI.

Sequentia verba : *Quoniam non repellet Dominus plebem suam*, quæ juxta lectionem Breviarii hic interponuntur, in Vulgata uti in Hebræo desunt ; verissima tamen sunt in se, et textui non incongrua, quatenus declarant, immensam Dei majestatem cum immensa erga populum suum providentia ac bonitate esse conjunctam. *Non repellet*, inquit, *Dominus plebem suam, quia in manu ejus sunt omnes fines terræ...* quasi diceret : non repellet nos, etsi omnipotens est et mundum universum sub potestate sua tenet.

3. *Quoniam ipsius est mare, et ipse fecit illud, et aridam fundaverunt manus ejus : venite, adoremus, et procidamus ante Deum : ploremus coram Domino, qui fecit nos, quia ipse est Dominus Deus noster : nos autem populus ejus, et oves pascuæ ejus.*

Loco *ploremus*, quod cum LXX Interpretibus habet nostra Vulgata, S. Hieronymus vertit, *genua flectamus* ; quod et hodie in hebræo legitur.

Ploremus coram Domino qui fecit nos, id est, qui creavit nos ; vel etiam, qui fecit nos id quod nunc sumus, populum electum, beneficiis ejus auctum et ornatum.

Quia ipse est Dominus Deus noster : nos autem populus ejus, et oves pascuæ ejus : id est, populus quem Dominus amat et pascit sicut pastor gregem suum. — In Vulgata sic legimus : *Nos populus pascuæ ejus, et oves manus ejus* : id est, populus quem sua doctrina suisque beneficiis corporaliter et spiritualiter pascit. — Quod dicitur : *Et oves manus ejus*, id est, quas manu sua creavit, vel propria manu regit. Observat hic sanctus Augustinus singularem transpositionem verborum : videtur enim propheta conjungere debuisse *oves* cum *pascua* et *populum* cum *manu*, ac dicere : *Nos populus manus ejus et oves pascuæ ejus*. Conjunxit autem *populum* cum *pascua*, et *oves* cum *manu* : ut significaret, inquit S. Doctor, populum esse respectu Dei instar ovium, quæ pastore indigent ; ita tamen, ut non sint oves expertes rationis quæ baculo debeant cogi, sed quæ signo manus obediant.

4. *Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra, sicut in exacerbatione secundum diem tentationis in deserto : ubi tentaverunt me patres vestri, probaverunt, et viderunt opera mea.*

Incipit *secunda pars* psalmi, qua propheta populum Dei hortatur, ut non solum voce, sed etiam opere et obedientia Deum laudent. — Ut autem efficacius eos exhortetur, ipsum Deum loquentem introducit ; sensus enim est quasi Spiritus sanctus diceret : Hodie si vocem Domini, audieritis, id est, si vocem meam, qui Dominus vester sum, audieritis, nolite obdurare corda vestra ; sed sinite ea penetrari voce mea et ad fidem atque odedientiam inflecti. — Illud *hodie* significat *hoc tempore* ; et, ut declarat Apostolus (Hebr. III), *quamdiu hæc vita durat*. — Particula autem *si*, innuit, divinam gratiam non singulis momentis, sed pro tempore et loco nos alloqui et admonere.

Nolite obdurare corda vestra, sicut in exacerbatione secundum diem tentationis in deserto : id est, sicut obdurarunt Patres vestri corda sua exacerbatione ; vel, ut habet Vulgata, *in irritatione*, nempe irritando me ; *secundum diem tentationis*, scilicet *in die*, seu in tempore quo me tentaverunt in deserto, murmurantes et veluti dubitantes de providentia mea, ideoque explorare volentes, utrum ego verus Deus essem. — *Probaverunt, et viderunt opera mea* : id est, illi me sic tentaverunt, qui experti fuerant me esse Deum omnipotentem, et oculis viderant opera mea.

Dies tentationis designare videtur, non unum diem, sed occasiones varias quibus Judæi Deum tentaverunt in deserto; speciatim tamen hic innuitur seditio, de qua Numer. XIV sermo est, ubi Deus dixit : *Omnes homines qui viderunt majestatem meam, et tentaverunt me jam per decem vices, nec obedierunt voci meæ, non videbunt terram pro qua juravi patribus eorum... Vivo ego... in solitudine hac jacebunt cadavera vestra.* Num. XIV, 22 seqq.

5. *Quadraginta annis proximus fui generationi huic, et dixi : Semper hi errant corde ; ipsi vero non cognoverunt vias meas, quibus juravi in ira mea, si introibunt in requiem meam.*

Explicat exemplum contumaciæ Israelitarum in deserto. *Quadraginta*, inquit, *annis proximus fui generationi huic...* id est, toto tempore quo duxi illius ætatis homines per desertum, propinquavi illis, ut propius tum preces eorum, tum etiam querelas audirem, eosque variis plagis flagellarem. — Loco *proximus fui*, Vulgata versit *offensus fui* : id est, iratus fui illis ob fastidium diuturnæ eorum infidelitatis ; vox enim hebraica et græca significant *fastidio habui.* Quæ versio cum lectione Breviarii ita concilianda videtur : *Quum per quadraginta annos cum hoc populo infideli conversarer, fastidio erga eum affectus sum.*

Et dixi : *Semper hi errant corde* : id est, ducuntur variis desideriis extra viam rectam salutis. *Semper*, nempe, licet multis affecti beneficiis et frequenter admoniti, semper tamen persistunt in errore cordis sui.

Ipsi non cognoverunt vias meas, quibus juravi in ira mea, si introibunt in requiem meam. Sensus est : Non cognoverunt cognitione approbativa et practica leges meas, quæ sunt viæ, quibus eundum erat in requiem ipsis a me promissam ; quapropter in eam non introierunt, prout juravi in ira mea, dicens : Non introibunt in requiem meam.

Declarat cur erraverint corde : quia nimirum non cognoverunt *vias*, id est, leges Dei, quæ sunt rectæ viæ per quas errari non potest ; extra quas omnis error, periculum et interitus incurritur.

Iisdem verbis : *Non cognoverunt vias meas*, intelligit quoque, eos non pervenisse ad præstitutum terminum, quem vocat *requiem suam.* Scilicet, terminus viis Domini correspondens, est terminus Domini, requies Domini. Hoc nomine vocatur hic terra promissionis, quia eam Dominus quietæ ipsorum habitationi post itinera et labores, destinaverat.

In hanc itaque non intrarunt, ex justo et irrevocabili judi-

cio : *Quibus*, vel sicut *juravi*, inquit, *in ira mea*. Juramentum illud legitur libro Numerorum, his verbis : *Vivo ego, ait Dominus, sicut locuti estis audiente me, sic faciam vobis. In solitudine hac jacebunt cadavera vestra. Omnes qui numerati estis, a viginti annis et supra, et murmurastis contra me, non intrabitis terram, super quam levavi manum meam ut habitare vos facerem : præter Caleb, filium Jephone, et Josue, filium Nun.* (Num. XIV, 28 seq.) — Juramentum Dei significat, rem esse certissimam et immutabilem, fore, ut boni fruantur, mali vero priventur in æternum requie Domini.

Requies Domini, sensu spirituali psalmi, significat salutem ac vitam æternam, terra promissionis antiquitus figuratam. Nam cum psalmum Spiritus sanctus dictaret, et allato juramento Domini contra veteres Israelitas fulminato, coævos Davidis posterioresque generationes hortaretur ad vias Domini sequendas, et ingrediendum in requiem Domini : non intelligebat profecto terram Chanaan, quam jam occupabant ; sed respiciebat aliam, nempe æternam patriam in cœlis, ut ipse Apostolus exponit (Hebr. IV). In cœlesti enim patria requiescemus ab operibus nostris, sicut Deus die septimo requievit a suis : hic est *sabbatismus qui reliquus est populo Dei*. Hebr. IV, 9.

Concludit abrupte Deus sermonem suum, cum aposiopesi : *Si introibunt in requiem meam...* ut ostendat magnam esse iram suam erga peccatores obstinatos, præsertim erga incredulos ; ac gravissimum eorum periculum.

Sensus liturgicus.

1° Psalmus *Venite exultemus*, una cum *invitatorio* occurrente, præmittitur quotidie introductionis instar ante officium divinum ; estque in ore Ecclesiæ invitatio, qua populum christianum, præsertim sacerdotes, ministros divini cultus, provocat ad laudes Dei sancte concinendas ; et quidem ita, ut sanctæ orationi vitam congruam conjungant.

Venite, inquit, filii (1) cœlestis Patris, simul conveniamus omnes in nomine ejus, ut Deo ac Domino Salvatori nostro debitum cultum et obsequium præstemus : *Venite, exultemus Domino, jubilemus Deo salutari nostro...*

Accedamus autem uti decet, interne et externe digne dispositi : cum promptitudine et gaudio, cum reverentia et fiducia sistamus nos in præsentia ejus : *Præoccupemus faciem ejus...*

(1) Sunt qui hæc pie accommodando recitationi privatæ Officii, apostrophen intelligunt animæ ad suas facultates, in hunc sensum : *Venite* omnes animæ meæ vires, intellectus, memoria, affectus cordis, omni quavis profana cogitatione relicta, *venite, exultemus Domino...*

Seposito profano quolibet impedimento, nihil afferamus in conspectum ejus nisi hymnos et laudes : *Præoccupemus faciem ejus in confessione...*

Dignum sane et justum est, ut sic parati, sic officio divino omnimodis intenti vacemus. Qualis enim et quanta est Dei nostri majestas ! Quam paterna misericordia ejus et bonitas ! *Quoniam Deus magnus Dominus, et rex magnus super omnes Deos ;* quia terram et mare sicut manu formavit, ita manu continet omnipotenti... quia ipse est qui creavit nos, et redemit nos, et fecit nos *sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum* (Tit. II, 14). Hunc ergo Dominum, mentis, cordis, linguæ et operum obsequio colamus : *Venite, adoremus, et procidamus ante Deum : ploremus coram Domino, qui fecit nos...*

Sic autem orantibus vobis ipsemet respondere dignabitur : corde parato et intento audietis suavissimam vocem ejus, qua vos ad obedientiam filialem mandatis suis præstandam invitabit.

Hodie ergo *si vocem ejus audieritis*, ex animo excipite, in intimis visceribus custodite, operibus exsequimini : vox enim Domini est vivifica, animam excitans et perducens ad omne bonum.

Hanc vocem ergo hodie si audieritis, *nolite obdurare corda vestra* : — Cavete, *ne in vacuum gratiam Dei recipiatis* (II Cor. VI, 1) ; — Cavete, ne imitemini patres rebelles in deserto, qui tot monita audierunt, tot beneficia acceperunt, tot prodigia spectaverunt, tam splendidas promissiones sibi paratas habuerunt ; et nihilominus ingrati, rebelles, insipientes et errantes corde, non cognoverunt vias meas : vias humilitatis et obedientiæ, vias patientiæ et charitatis..... Quapropter terribilem Dei iram et vindictam provocaverunt : *Quibus juravi in ira mea, si introibunt in requiem meam.*

Nos ergo festinemus ingredi in beatam illam nobisque paratam requiem. *Videte*, fratres, *ne forte sit in aliquo vestrum cor malum incredulitatis discedendi a Deo vivo : sed adhortamini vosmetipsos per singulos dies, donec hodie cognominatur, ut non obduretur quis ex fallacia peccati. Participes enim Christi effecti sumus : si tamen initium substantiæ ejus usque ad finem firmum retineamus.* Hebr. III, 12 seqq.

2° Ponitur idem psalmus *Venite*, ad Nocturnum III in Ephiphania Domini ; estque ex mente Ecclesiæ invitatio ad omnes, ut una cum Magis adeamus adoraturi Christum recens natum : qui licet parvulus infans sit extrinsecus, nihilominus est *magnus Deus*, *et Rex magnus super omnes deos*, *ipse Dominus qui fecit nos : nos autem populus ejus et oves pascuæ ejus.*

—

PSALMUS XCV.

Cantate Domino canticum novum, cantate.

1. Cantate Domino canticum novum : cantate Domino, omnis terra.

2. Cantate Domino, et benedicite nomini ejus : annuntiate de die in diem salutare ejus.

3. Annuntiate inter gentem gloriam ejus : in omnibus populis mirabilia ejus.

4. Quoniam magnus Dominus et laudabilis nimis : terribilis est super omnes deos.

5. Quoniam omnes dii gentium, dæmonia : Dominus autem cœlos fecit.

6. Confessio et pulchritudo in conspectu ejus : sanctimonia et magnificentia in sanctificatione ejus.

7. Afferte Domino, patriæ gentium , afferte Domino gloriam et honorem : afferte Domino gloriam nomini ejus.

8. Tollite hostias, et introite in atria ejus : adorate Dominum in atrio sancto ejus.

9. Commoveatur a facie ejus universa terra : dicite in gentibus quia Dominus regnavit.

10. Etenim correxit orbem terræ, qui non commovebitur : judicabit populos in æquitate.

1. Cantate Domino canticum novum : cantate Domino , omnis terra.

2. Cantate Domino, et benedicite nomini ejus : prædicate diebus singulis salutem in Christo nobis datam.

3. Annuntiate gentibus gloriam Christi, omnibusque populis mirabilia ejus.

4. Dicite, quoniam magnus Dominus et laudabilis nimis : metuendus est super omnes deos.

5. Quoniam omnes dii gentium sunt dæmonum idola : Dominus autem creator est, qui cœlos fecit.

6. Laudis materia, et decor adsunt in præsentia ejus : sanctitas et magnificentia in templo ejus.

7. Afferte igitur, nationes gentium , afferte Domino gloriam et honorem : afferte Domino gloriam nomini ejus.

8. Sumite hostias et eas oblaturi introite in atria templi ejus : adorate Dominum in atrio sancto ejus.

9. Commoveatur salutariter a facie Christi venientis universa terra : vos apostolici viri, dicite inter gentes quia Christus Dominus regnavit (a ligno crucis exorsus).

10. Etenim ipse constituit orbem terræ novum, qui non commovebitur : ipse gubernabit populos in æquitate.

11. Lætentur cœli, et exultet terra : commoveatur mare, et plenitudo ejus : gaudebunt campi, et omnia quæ in eis sunt.

11. Lætentur ergo cœli, et exultet terra : moveatur præ gaudio mare et plenitudo ejus : gaudeant campi, et omnia quæ in eis sunt.

12. Tunc exultabunt omnia ligna silvarum a facie Domini, quia venit : quoniam venit judicare terram.

12. Tunc revera exultabunt vel ipsæ creaturæ inanimes, omnia ligna silvarum, veniente Domino : quia Dominus veniet feliciter regere terram.

13. Judicabit orbem terræ in æquitate, et populos in veritate sua.

13. Reget orbem terræ in justitia et populos in veritate fidei suæ ac verbi sui.

—

Explicatio.

Argumentum. — Prophetice celebratur hoc psalmo adventus Salvatoris, vocatio gentium, et regnum Dei, quod est imperium Ecclesiæ, per Christum toto orbe propagandum. Futura enim velut jam præsentia spectans psalmista, cum gaudio appellat omnes gentes ad laudandum Deum, ob salutem mundo per Christum præstitam, et, ob judicium ejus æquissimum.

Porro judicium a Christo exercendum duplex est, alterum in fine sæculorum seu in die secundi adventus sui ; alterum jam tempore primi adventus, quo-1) judicabit, id est *damnabit* impietatem, et tyrannidem diaboli ; et quo -2) judicabit, id est *gubernabit* mundum per leges Evangelicas perque Ecclesiæ suæ regimen. Hoc Christi judicium seu regnum, per Ecclesiam catholicam exercendum, præsenti vaticinio principaliter respicitur.

I. *Laus Deo ob salutem per Christum mundo allatam.*
II. *Laus Deo ob Christi regnum per orbem.*

—

1. *Cantate Domino canticum novum : cantate Domino omnis terra.*

Cantate, inquit, *Domino omnis terra*... 1° Omnem terram invitat ad laudandum Deum, quia celebraturus est beneficium Dei universæ terræ in Christo Salvatore concessum. Hac apostrophe tacite includitur conversio Gentium.

2° Petit *canticum novum* : id est, -1) excellens et pulchrum, ut solent nova esse comparatione veterum ; -2) *novum*, ob novum Dei beneficium, spiritualis præsertim liberationis a peccato :

opponitur scilicet cantico Mosaico de corporali liberatione e captivitate Ægyptiaca, quod proinde canticum *vetus* est, et veteris Testamenti. -3) *Novum*, quod succedit post vetera, eritque catholicum seu universale. Etenim, ut exponit Chrysostomus, vetera cantica, quale fuit Moysis aut Deboræ, extra terram promissionis cantari non poterant, juxta illud : *Quomodo cantabimus canticum Domini, in terra aliena* (Ps. CXXXVI) : canticum vero novum per universam terram est celebrandum. Ideo subjungitur : *Cantate Domino omnis terra.*

3° Ter repetitur *cantate*, inquit Bellarminus, sicut infra etiam ter repetitur *afferte Domino* : ut jam insinuetur, etsi obscure, mysterium SS. Trinitatis, quod in novo Testamento prædicandum est aperte.

2. *Cantate Domino et benedicite nomini ejus : annuntiate de die in diem salutare ejus.*

Annuntiate, id est, juxta hebræum et græcum : evangelizate, tanquam bonum nuntium prædicate salutare ejus.— Post exhortationem generalem, incipit explicare materiam cantici novi, quæ est de Salvatoris adventu. Prædicate, inquit, cum cantu et laudibus *salutare* Dei, id est, salutem a Deo venientem ; idque *de die in diem*, puta, omni die. Quemadmodum enim sine cessatione dies diei succedit, sic æquum est ut laudatio laudationi succedat perpetuo.

3. *Annuntiate inter gentes gloriam ejus : in omnibus populis mirabilia ejus.*

4. *Quoniam magnus Dominus et laudabilis nimis : terribilis est super omnes deos.*

5. *Quoniam omnes dii gentium dæmonia : Dominus autem cœlos fecit.*

6. *Confessio et pulchritudo in conspectu ejus : sanctimonia et magnificentia in sanctificatione ejus.*

Annuntiate inter gentes... Ad judæos et specialim ad Apostolos hæc apostrophe dirigitur, et vocationem Gentium continet : Evangelizate, inquit, Gentibus gloriam Domini, et miracula atque omnia mirabilia opera ejus.

Mox autem declarans quæ sit gloria Domini, et quæ mirabilia opera ejus prædicanda Gentibus, addit : *Quoniam magnus Dominus et laudabilis nimis : terribilis est super omnes deos. Quoniam omnes dii gentium dæmonia*... Prædicate scilicet, Dominum esse magnum et laudabilem absolute ; sive ejus potentia, sive sapientia bonitasve consideretur ; eumque esse *terribilem super omnes deos* : id est, metuendum magis quam omnes

deos Gentium ; vel, terribilem contra illos deos, qui nihil sunt aliud quam *dæmonia* (1) : nempe spiritus creati, ob superbiam lapsi, et per idololatriam honores divinos sibi captantes. Dæmones scilicet habitabant in simulacris, ipsique potissimum a Gentibus adorabantur, juxta illud Apostoli : *Quæ immolant gentes, dæmoniis immolant, et non Deo.* I Cor. X, 20.

Inanibus diis verum Deum opponit, ejusque gloriam explicat dicens : *Dominus autem cœlos fecit. Confessio et pulchritudo in conspectu ejus* : id est, confessionis seu laudis materia, *et pulchritudo*, decor nempe et gloria, sunt apud ipsum, vel ipsum circumdant ; quoniam scilicet diabolum vicit ac mortem, et gloriose resurrexit. — *Sanctimonia et magnificentia in sanctificatione ejus* : id est, sanctitas et magnifica gloria splendent in sanctuario ejus cœlesti, ubi habitat ; vel etiam : sanctitas et magnificentia mysteriorum replent sanctuarium ejus terrestre, quod est Ecclesia.

7. *Afferte Domino*, *patriæ* (id est *familiæ, tribus*) *gentium, afferte Domino gloriam et honorem : afferte Domino gloriam nomini ejus.*

8. *Tollite hostias, et introite in atria ejus : adorate Dominum, in atrio sancto ejus.*

Sicut modo prædixit Evangelii prædicationem Gentibus, ita nunc prædicit Gentium conversionem. Per apostrophen autem eas alloquens, hortatur ad glorificandum Dominum, ad conveniendum cum hymnis et hostiis in Ecclesiam sanctam ejus.

Afferte Domino, patriæ gentium, afferte gloriam et honorem : id est, accurrite, glorificando Deum verbis et operibus. — Dicendo *patriæ*, id est, familiæ, alludere videtur ad ritum Hebræorum, qui distincti per familias suas, ascendebant festis diebus ad templum Domini in Jerusalem.

8. *Tollite hostias*... iterum alludit ad morem hebraicum, juxta quem Judæi, cum ascenderent in templum, offerebant victimas. *Hostiæ* autem a Gentibus offerendæ, intelligendæ sunt hostiæ spirituales, nimirum : sacrificium cordis contriti, confessioque peccatorum, oratio, jejunium, eleemosyna, et similia. Potest etiam hic locus intelligi de Sacrificio Missæ ; ideoque non sine mysterio, hebraicus textus loco verbi ZEBACH quod significat hostiam quæ occiditur ; habet verbum MINCHATH, quod significat hostiam incruentam, ac præsertim ex farina confectam.

9. *Commoveatur a facie ejus universa terra : dicite in gentibus quia Dominus regnavit.*

(1) In hebræo tamen : *Omnes dii gentium sunt sculptilia*, vel *vanitates.*

Incipit *altera pars* psalmi, de regno Christi. — Hic propheta, quasi Messiam Regem prope intueatur, ac venientem cernat, spiritu exultans, regnum tam beatum proclamat; simulque, non solum gentes, sed etiam terram, cœlum, maria, arbores ipsas hortatur ad venerationem et lætitiam.

Commoveatur, inquit, *a facie ejus universa terra :* id est, commoveantur sensu timoris, reverentiæ ac gaudii omnes habitatores terræ, ante faciem Christi venientis. Sciant enim, ipsum esse Regem salutiferum : *Dicite in gentibus quia Dominus regnavit* : id est, auspicatus est regnum suum, et quidem a redemptione populi sui, pro quo mori dignatus est in ligno crucis. — Sensus enim textus sacri est, quasi legeretur : *Quia Dominus regnavit a ligno.* Imo verba illa *a ligno*, non tantum in Septuaginta Interpretum versione, sed etiam in hebræo legebantur olim, tempore sancti Justini, qui a Judæis ablata illa fuisse asserit contra Tryphonem. — Quoniam autem hodie eadem verba non exstant in hebræo textu, neque in græco aut in latino, a multis habentur pro glossemate. At vero lectio verbis illis aucta, olim tam pervulgata erat etiam sæculo sexto, ut eam Fortunatus in hymno *Vexilla Regis* inseruerit, ab Ecclesia adoptato et hactenus servato, hac strophe :

Impleta sunt, quæ concinit
David fideli carmine,
Dicendo nationibus :
Regnavit a ligno Deus.

A cruce itaque et per crucem auspicatus est Christus regnum suum, regnum spirituale, quo in animabus regnet per fidem et charitatem.

10. *Etenim correxit* (id est, *stabilivit*) *orbem terræ, qui non commovebitur : judicabit populos in æquitate.*

Explicatur his verbis quomodo beatum Christi regnum exercendum sit ; ista enim non tam dicuntur de mundo creato et constituto, quam de mundo recreato et restituto per Christi Evangelium. Mundum scilicet, antea erroribus et vitiis depravatum, Christus per Evangelicam legem velut instauravit ; et ita stabilivit, ut portis ac insultibus inferi jam commoveri non possit : *Qui non commovebitur.* Nec tantum Christus regnum æquitatis et justitiæ constituit, sed ipsemet illud perpetuo exercebit : *Judicabit populos in æquitate.* Quod quidem faustissimum regnum universalis erit causa lætitiæ :

11. *Lætentur cœli, et exultet terra, commoveatur mare et plenitudo ejus : gaudebunt campi et omnia quæ in eis sunt.*

12. *Tunc exultabunt omnia ligna silvarum : a facie Domini, quia venit, quoniam venit judicare terram.*

Lætentur cœli et exultet terra..... Lætari jubet propheta omnes creaturas, eo quod Christus regnum iniens, juste ac feliciter omnia moderabitur et reget. Licet enim judicium ultimum ac vindicativum non excludatur, de judicio tamen gubernativo præcipue hic sermo est. — Provocat autem ad lætandum creaturas omnes, etiam inanimatas : non tantum ut hac prosopopœia ingentem ac universalem lætitiam significet, quam Christus est allaturus ; verum etiam, ut insinuetur, omnes creaturas fore quodammodo liberationis et glorificationis per Christum participes, secundum illud : *Quia et ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei* (Rom. VIII, 21). Quæ promissio tunc perfecte implebitur, quando post universale judicium, gloria Domini et electorum ejus in cœlum, in terram, et in maria redundante, universus mundus beate renovabitur ; sicut Petrus docet : *Novos vero cœlos et novam terram secundum promissa ipsius exspectamus, in quibus justitia habitat.* II Pet. III, 13.

13. *Judicabit orbem terræ in æquitate, et populos in veritate sua.*

Concludit declarando iterum id, quo summatim tota mundi felicitas, a Christo derivanda, continetur : Reget, ait, mundum in justitia et sanctitate, reget populos *in veritate sua* : id est, in fide sua, seu juxta fideles suas promissiones ; — vel potius, per veram suam legem : quæ est lex evangelica, perducens ad vitam æternam.

Sensus liturgicus.

Psalmus XCV, *Cantate Domino.... omnis terra*, recitatur, 1° in festis Nativitatis, Circumcisionis, Epiphaniæ, Transfigurationis, Lanceæ et Plagarum Domini ; 2° In festo SS. Trinitatis ; 3° in Dedicatione Ecclesiæ ; 4° in festis Beatæ Mariæ Virginis ; 5° in officio de Communi Virginum ; 6° in officio de Angelis.

1° Quatenus spectat ad mysteria Christi, exhibet ejus adventum et regnum ; invitatque omnes totius orbis homines, ut Salvatorem suum cum gaudio et cantu excipiant : *Cantate Domino canticum novum... annuntiate de die in diem salutare ejus.*

In Nativitate specialius alludi videtur ad nuntium et cantum angelorum... *Cantate Domino omnis terra... annuntiate de die in*

diem salutare ejus... introite in atria ejus... lætentur cœli, et exultet terra... campi et omnia ligna silvarum a facie Domini, quia venit.

In Circumcisionie præterea respicitur illud : *Benedicite nomini ejus.. afferte Domino gloriam nomini ejus.*

In Epiphania dicitur cum respectu ad Magos ac Gentes : *Afferte Domino, patriæ gentium, afferte Domino gloriam et honorem...*

In Transfiguratione, idem Dominus spectatur in monte Thabor ut *Magnus Dominus ac laudabilis nimis,... confessio et pulchritudo in conspectu ejus, quia Dominus regnavit, quia venit...* Alludi videtur ad ipsius Christi verba : *Sunt quidam de hic stantibus qui non gustabunt mortem, donec videant Filium hominis venientem in regno suo.* Matth. XVI, 28.

In officiis de Passione celebratur *salutare* Christi, *mirabilia* et *regnum* Christi, in mysterio crucis : *Dicite in gentibus quia Dominus regnavit (a ligno)... quia venit judicare terram in æquitate et populos in veritate sua.*

2° In festo SS. Trinitatis, laudatur in mysterio Verbi incarnati ipsa hujus mysterii operatrix SS. Trinitas : *Cantate Domino... cantate Domino... cantate Domino, et benedicite nomini ejus... Quoniam magnus Dominus et laudabilis nimis... quoniam venit judicare terram.*

3° In Dedicatione Ecclesiæ respiciuntur præsertim hæc : *Cantate Domino... confessio et pulchritudo in conspectu ejus : sanctimonia et magnificentia in sanctificatione ejus. Afferte Domino, tollite hostias et introite in atria ejus : adorate Dominum in atrio sancto ejus.*

4° In festis Beatæ Mariæ Virginis, celebratur Dei Genitrix in ipso Domino Salvatore, qui eam in sacrarium sibi sanctificavit, et per eam venit in mundum. *Sanctimonia et magnificentia in sanctificatione ejus... lætentur cœli et exultet terra... a facie Domini, quia venit.*

5° In officio de communi Virginum, respiciuntur quoque Virgines ut sanctuaria viva, per castitatem Christo peculiariter sanctificata ; et præterea spectatur Christus ut divinus Sponsus, ad cujus adventum Virgines accensis lampadibus occurrere debent : *Ecce sponsus venit, exite obviam ei .. Exultet terra, a facie Domini, quia venit.*

6° In officio de angelis, respicitur Christus ut Angelorum Rex et Creator : *Dominus cœlos fecit.* Ipsi autem angeli, qui celebrarunt Christum natum in Bethlehem, et comitabunt eum venturum *in majestate sua, et omnes angeli cum eo* (Matth. XXV, 31), invitantur ut nobiscum Regem hominum et angelorum laudent : *Lætentur cœli et exultet terra.*

PSALMUS XCVI.

Dominus regnavit, exultet terra.

1. Dominus regnavit, exultet terra : lætentur insulæ multæ.

2. Nubes et caligo in circuitu ejus : justitia et judicium correctio sedis ejus.

3. Ignis ante ipsum præcedet : et inflammabit in circuitu inimicos ejus.

4. Illuxerunt fulgura ejus orbi terræ : vidit, et commota est terra.

5. Montes sicut cera fluxerunt a facie Domini : a facie Domini omnis terra (1).

6. Annuntiaverunt cœli justitiam ejus : et viderunt omnes populi gloriam ejus.

7. Confundantur omnes qui adorant sculptilia : et qui gloriantur in simulacris suis.

8. Adorate eum, omnes angeli ejus : audivit, et lætata est Sion.

9. Et exultaverunt filiæ Judæ propter judicia tua, Domine.

10. Quoniam tu Dominus altissimus super omnem terram : nimis exaltatus es super omnes deos.

11. Qui diligitis Dominum, odite malum : custodit Dominus animas sanctorum suorum, de manu peccatoris liberabit eos.

1. Dominus regnare cœpit : exultet terra, lætentur omnes regiones gentium.

2. Nubes et caligo circumdat eum : justitia et judicium stabilitas est throni ejus.

3. Ignis ante ipsum præcedet, et consumet in circuitu omnes inimicos ejus.

4. Illuxerunt fulgura ejus orbi terræ : utque ea vidit, commota est terra.

5. Montes sicut cera fluxerunt a facie Domini : a facie Domini velut liquefacta est omnis terra :

6. Et annuntiaverunt cœli justitiam ejus : videruntque omnes populi gloriam ejus.

7. Ergo confundantur omnes, qui adorant scuptilia, et qui gloriantur in simulacris suis.

8. Vos autem adorate eum, omnes angeli ejus. — Audivit hæc omnia de Rege ac Sponso suo Sion, et lætata est.

9. Et exultaverunt filiæ Judæ propter decreta tua tam magnifica, Domine.

10. Quoniam tu Dominus altissimus super omnem terram : et immense exaltatus es super omnes deos.

11. Vos ergo, qui diligitis Dominum, odite malum : custodit enim Dominus animas sanctorum suorum, et ubi opus fuerit, de manu peccatoris liberabit eos.

(1) In hebræo : *A facie Dominatoris totius terræ.*

12. Lux orta est justo, et rectis corde lætitia.

13. Lætamini, justi, in Domino : et confitemini memoriæ sanctificationis ejus.

12. Hinc lux orta est justo et rectis corde lætitia.

13. Quare jam lætamini, justi, in Domino : et confitemini ei, memores sanctitatis ejus, cujus vos effecit participes.

—

Explicatio.

Argumentum. — Psalmum hunc SS. Patres et interpretes communiter intellignnt de Christi adventu : alii quidem de primo, quo venit salvare atque convertere mundum ; alii de secundo, quo veniet judicare mundum et electos suos glorificare. Alii autem de utroque Domini adventu agi censentes, plenius et verius sensum exponere videntur.

Invitat propheta universam terram omnesque gentes, ut gaudeant de exoriente Domini regno in terris ; hujusque desiderati regis majestatem atque adventum describit.

I. *Adventus Christi erit in se majestatc plenus.*
II. *Respectu vero hominum, erit malis terribilis, jucundus bonis.*

—

1. *Dominus regnavit, exultet terra : lætentur insulæ multæ.*

Sensus est : Dominus regnum suum auspicatus est in terra ; ideo universa terra omnesque gentes gaudio exultent.

Insulæ multæ, seu omnis multitudo insularum, designant non tantum insulas proprie dictas ; sed regiones omnes, quæ respectu Hebræorum non nisi navigando adibantur : adeoque omnes occidentales plagas, earumque incolas gentiles. — Jubet ergo propheta gaudere omnes gentes, quia omnium gentium annuntiat Regem, nempe Christum.

Respectu primi adventus Christi, lætari debet mundus ob allatam gratiam ; respectu secundi adventus, lætari debent justi per orbem sparsi, ob conferendam sibi per Christum gloriam.

2. *Nubes et caligo in circuitu ejus : justitia et judicium correctio sedis ejus.*

3. *Ignis ante ipsum præcedet : et inflammabit in circuitu inimicos ejus.*

4. *Illuxerunt fulgura ejus orbi terra : vidit et commota est terra.*

5. *Montes sicut cera fluxerunt a facie Domini : a facie Domini omnis terra.*
6. *Annuntiaverunt cœli justitiam ejus : et viderunt omnes populi gloriam ejus.*

Adventus Christi Regis describitur : 1° circumdatus est nubibus et caligine, seu tenebris : *Nubes et caligo in circuitu ejus...*

2° *Justitia et judicium correctio sedis ejus :* id est, æquitas et summa potestas judicandi, fundamentum sunt throni ejus.

3° *Ignis ante ipsum præcedet, et inflammabit in circuitu inimicos ejus.* Inimici isti sunt adversarii justitiæ, nempe quivis impii et peccatores, sive homines sive dæmones.

4° *Illuxerunt fulgura ejus orbi terræ : vidit et commota est terra :* id est, populi omnes per orbem universum, videndo coruscationes ejus, vehementer cordibus suis moti sunt. — Alludere videtur propheta ad Dei apparitionem in monte Sinai, quæ figura fuit adventus Christi Regis.

5° Persequens eamdem similitudinem ignis, addit : *Montes sicut cera fluxerunt a facie Domini, a facie Domini omnis terra...* Intelligendum videtur, juxta versionem S. Hieronymi et hodiernum textum hebræum : *A facie Domini dominatoris universæ terræ.*

6° Porro igne Domini consumptis montibus ac terra universa, non remanent nisi cœli annuntiantes justitiam et gloriam Christi : *Annuntiaverunt cœli justitiam ejus, et* (vi annuntiationis seu prædicationis hujusmodi) *viderunt omnes populi gloriam ejus.*

Jam vero hæc intelligenda sunt de secundo adventu Christi ; imo etiam saltem per accommodationem, intelligi possunt de adventu ejus primo.

Etenim respectu primi adventus Christi, *nubes et caligo* sunt, 1° velamen humanitatis ejus ; 2° velamina fidei, quibus velut absconditus manet, usque in diem qui vocatur *dies revelationis Jesu Christi* (I Pet. I, 7). — *Justitia et judicium* constituunt firmissimum thronum ejus : quia lex evangelica, quæ est lex sanctitatis et justitiæ, velut basis est in qua nititur ejus regnum, et materia præceptorum, quæ servanda urgebit auctoritate plenissima. *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra : euntes ergo docete omnes gentes... servare omnia quæcumque mandavi vobis* (Matth. XXVIII, 18). — *Ignis* et *fulgura*, metaphorice sunt intelligenda, et designant, tum ignem Spiritus sancti, tum fulgura prædicationis evangelicæ, quibus movetur terra, et consumitur peccatum. Aliis verbis, indicant illa ignem charitatis et lumen fidei, quibus impletur terra,

quæque figurabantur igne et sonitu, cum Spiritus sanctus descendit in die Pentecostes. Patres per fulgura etiam intelligunt Apostolos ; per montes, homines superbos, qui a Christo humiliabuntur , sive obediant Evangelio , sive resistant. — *Cœli* sunt angeli , Christi nativitatem annuntiantes ; et apostolici viri, qui Christum eumque crucifixum prædicantes, manifestabunt mundo justitiam Dei ejusque gloriam, in opere Redemptionis effulgentem.

Respectu secundi adventus Christi, facilius omnia explicantur, cum non obscure indicent varias adventus illius circumstantias, ex novo Testamento notissimas. Ut enim ibi legimus, veniet Filius hominis in nubibus cœli, et omnes angeli cum eo : et sedebit super sedem majestatis suæ. Antea autem erunt signa in cœlis, in terra et in mari : natura tota turbabitur ; et ignis universam terram invadet : tunc, ut S. Petrus scribit , *cœli magno impetu transient , elementa vero calore solventur ; terra autem et quæ in ipsa sunt opera exurentur.* II Pet. III, 10.

7. *Confundantur omnes qui adorant sculptilia : et qui gloriantur in simulacris suis.*

Incipit *secunda pars* , spectans adventum Domini in suis effectibus : qui erunt, respectu impiorum, confusio ; respectu bonorum , adoratio , gaudium , justitia , lux et lætitia. Hæc autem pleraque forma hortatoria exprimit propheta.

Quod dicit : *Confundantur omnes qui adorant sculptilia.....* idololatriam ponit pro universa impietate , Christo adversaria.

8. *Adorate eum omnes angeli ejus : audivit et lætata est Sion.*

9. *Et exultaverunt filiæ Judæ, propter judicia tua , Domine.*

10. *Quoniam tu Dominus altissimus super omnem terram : nimis exaltatus es super omnes deos.*

Ab idolalatria per Christum prostrata, convertit se propheta ad angelos , in eorumque persona ad omnes bonos ; et Christi divinitatem proclamat, dicens : *Adorate eum, omnes angeli ejus.* Quibus verbis ipse Apostolus Christi divinitatem declarat, ad Hebræos scribens : *Quum iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit : Et adorent eum omnes angeli Dei.* Hebr. I, 6.

Addit autem : *Audivit , et lætata est Sion* : id est, audivit populus electus, audivit Ecclesia , suum Regem venisse, eumque esse Filium Dei ; et ideo gavisa est.

Quod idem explicat aliis verbis, subjungens : *Et exultaverunt filiæ Judæ , propter judicia tua , Domine.* Vocat *filias*

Judæ, varias civitates Judæ, quæ cum Sione repræsentant populum Dei, Ecclesiam, animas sanctas : istæ enim gaudebunt de judiciis sanctissimis, quibus imperium suum Christus Dominus exercebit in mundo.

Quod quidem erit imperium regnumque justitiæ, supremum et efficax, ut sequenti versiculo significatur. 10. *Quoniam tu Dominus altissimus super omnem terram : nimis exaltatus es super omnes deos* : nempe tibi ut supremo Domino, omnes reges terræ, omnes dæmones seu falsi dii subjiciuntur : omnesque populi tibi tuæque legi, quæ justitia est, obediunt.

11. *Qui diligitis Dominum, odite malum : custodit Dominus animas sanctorum suorum, de manu peccatoris liberabit eos.*

12. *Lux orta est justo : et rectis corde lætitia.*

Ex supra dictis de Christi divinitate, regnoque justitiæ ejus, practicam ducit conclusionem, dicens : *Qui diligitis Dominum, odite malum*..... appellat scilicet diligentes Deum seu vere justos, ut in vera justitia maneant et crescant. Non enim dicit, fugite malum ; sed ad radicem penetrans, *odite* inquit, *malum* : id est, omne peccatum, et quidquid Domino displicet detestamini, cor vestrum ac voluntatem cordi ac voluntati Domini omnino conformantes.

Subjungit deinde præmium, dicens : *Custodit Dominus animas sanctorum suorum, de manu peccatoris liberabit eos* : id est, defendit contra inimicos ac persecutores vitam diligentium se, tum corporalem, tum præsertim spiritualem.

12. *Lux orta est justo, et rectis corde lætitia.* Hoc est alterum præmium justorum, quod non solum liberabuntur a malis, sed etiam implebuntur bonis, nempe lumine et lætitia, dummodo vere justi sint et recti corde. — Porro lumen intelligitur animarum, quod Christus est ejusque gratia et futura gloria ; lætitia similiter est pax Christi quam mundus dare non potest : quæque in hac vita est gaudium charitatis ac puræ conscientiæ ; postea vero erit gaudium cœlestis beatitudinis.

13. *Lætamini, justi, in Domino : et confitemini memoriæ sanctificationis ejus.*

Exhortatio practica hæc est, qua psalmus concluditur. — Sensus hujus versiculi dilucidari potest hac paraphrasi : Lætamini igitur, o justi, non in vanitatibus sæculi, sed in Domino, qui vobis per sanctificationem vera bona tribuit : ideoque non tantum gaudete, sed etiam propter hæc tanta dona Deum laudate, gratam memoriam sanctificationis a

Deo acceptæ celebrantes. — Potest etiam, quod est hebræo conformius, *sanctificationis* nomine intelligi sanctitas Dei, qua ipse sanctus est; quamque angeli in cœlis, et Ecclesia in terris celebrat, clamans : *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth.*

Si respiciatur hac altera psalmi parte Christi adventus primus, prædictio habetur triumphi, per Evangelium de idololatria referendi; nec non donorum ac gratiarum quibus Christi fideles abundabunt.

Si respiciatur adventus Christi secundus, prædictio est supremæ impiorum confusionis, et retributionis justorum perfectæ in die judicii.

Sensus liturgicus.

Psalmum hunc plurimis in festis frequentat Ecclesia : nimirum, 1° in festis Circumcisionis, Epiphaniæ, Transfigurationis, Lanceæ et Clavorum, quinque Plagarum, et Ascensionis Domini; 2° in festo SS. Trinitatis; 3° in festis Apostolorum; 4° in festis Beatæ Mariæ Virginis; 5° in festis cæterarum Virginum; 6° in festis demum SS. Angelorum.

1° Ubi celebrantur mysteria Christi, cantatur ejus regnum : quod regnum est justitiæ, fundatum super ruinas idololatriæ et iniquitatis; liberationem quoque ac gaudium præbens omnibus justis : *Lætamini justi in Domino...*

In Circumcisione peculiarius respici videtur versiculus 2 : *Nubes et caligo in circuitu ejus : justitia et judicium correctio sedes ejus...* His enim mystice designatur Christi humanitas, qua velut nube tecta est divinitas, et in qua signaculum justitiæ ac mortificationis per Circumcisionem imprimitur. — Idem versiculus denotat mysterium Passionis : in qua, non tantum humanitate tanquam nube, sed doloribus tanquam atra caligine involutus est Dominus, et regnum suum justitia perfecta stabilivit.

In Epiphania alluditur ad vocationem Gentium versiculo primo : *Dominus regnavit exultet terra, lætentur insulæ multæ;* — nec non ad stellam Magorum, versu 6 et 12 : *Annuntiaverunt cœli justiam ejus et viderunt omnes populi gloriam ejus... Lux orta est justo et rectis corde lætitia.*

In transfiguratione respicitur Christus ut Rex gloriæ : *Dominus regnavit... et viderunt omnes populi gloriam ejus... Lætamini justi in Domino...* Cum emphasi quoque Ecclesia recitat verba illa versiculi 4, quæ sumit pro *Introitu* Missæ : *Illuxerunt coruscationes tuæ orbi terræ : commota est et contremuit terra.*

In Ascensione, respicitur idem Dominus ut ascendens in thronum cœlestem : ubi ab angelis adoratur et imperium mundi exercet, obtectus interim nube oculis mortalium, donec iterum ad judicandum veniat. *Dominus regnavit... nubes et caligo in circuitu ejus... Adorate eum omnes angeli ejus... Quoniam tu Dominus altissimus super omnem terram : nimis exaltatus es super omnes deos.*

2° In festo SS. Trinitatis, laudatur ineffabilis Trinitatis majestas, nube et caligine mysterii nobis abscondita, in Christo autem, quoad fieri potest, manifestata : *Dominus regnavit... nubes et caligo in circuitu ejus... Quoniam tu Dominus Altissimus super omnem terram.*

3° In officio Apostolorum, laudantur Apostoli ut Christi Regis ministri, ejusque regni propagatores et columnæ : *Annuntiaverunt cœli justitiam ejus, et viderunt omnes populi gloriam ejus... Audivit et lætata est Sion.* — Respicit quoque specialius Ecclesia versum hunc, quem sumit pro antiphona : *Lux orta est justo : rectis corde lætitia.*

4° In festis Beatæ Mariæ Virginis, laudatur Dei Genitrix in Filio suo, cujus lumine gloriæ ipsamet resplendet ; cujus adventus, nobis lætissimus, ipsi sanctissimæ Virgini debetur : per quam *lux orta est justo et rectis corde lætitia.*

5° In festis cæterarum Virginum, celebratur Christus ut Virginum Sponsus regius, infinite amabilis, et angelicis præsertim amandus cordibus : *Adorate eum, omnes angeli ejus. Audivit et lætata est Sion ; et exultaverunt filiæ Judæ.*

6. In officio de sanctis Angelis, celebratur Christus ut Rex Angelorum, *altissimus super omnem terram, exaltatus super omnes deos*, cujus ipsi cœlorum incolæ annuntiaverunt justitiam, et quem ut Regem ac Deum suum adorant : *Adorate eum omnes angeli ejus.*

—

PSALMUS XCVII.

Cantate Domino canticum novum, quia.

1. Cantate Domino canticum novum : quia mirabilia fecit.

1. Cantate Domino canticum novum : quia homo factus, mirabilia fecit.

2. Salvavit sibi dextera ejus : et brachium sanctum ejus.

2. Salvavit mundum ipse per se ; mundique tyrannum vicit dextera ejus, et brachium sanctum ejus solius.

3. Notum fecit Dominus salutare suum : in conspectu

3. Notum fecit Dominus Salvatorem nobis datum : in conspectu

gentium revelavit justitiam suam.

omnium gentium manifestavit gratiam per Christum promeritam.

4. Recordatus est misericordiæ suæ, et veritatis suæ domui Israel.

4. Atque ita recordatus est misericordiæ suæ Gentibus præstandæ : et veritatis promissionum suarum domui Israel :

5. Viderunt omnes termini terræ salutare Dei nostri.

5. Viderunt revera omnes termini terræ salutare Dei nostri.

6. Jubilate Deo, omnis terra : cantate, et exultate, et psallite.

6. Jubilate igitur Deo omnis terra : cantate, et exultate, et psallite.

7. Psallite Domino in cithara, in cithara et voce psalmi : in tubis ductilibus, et voce tubæ corneæ.

7. Psallite Domino in cithara, in cithara et voce psalmi : in tubis ductilibus, et voce tubæ corneæ.

8. Jubilate in conspectu regis Domini : moveatur mare, et plenitudo ejus : orbis terrarum, et qui habitant in eo.

8. Jubilate in conspectu advenientis Regis ac Domini Christi : moveatur et insonet præ gaudio mare, ejusque incolæ ; exultet orbis terrarum et qui habitant in eo.

9. Flumina plaudent manu, simul montes exultabunt a conspectu Domini : quoniam venit judicare terram.

9. Flumina tunc lætabunda velut manibus plaudent, montesque omnes simul exultabunt adveniente Domino Christo : quoniam venit regere et judicare terram.

10. Judicabit orbem terrarum in justitia : et populos in æquitate.

10. Judicabit autem orbem terrarum in justitia, et populos in æquitate.

Explicatio.

Argumentum est idem fere quod psalmi præcedentis ; prædicit enim David Christi adventum primum, et circa finem psalmi etiam secundum : illum ad salvandum, istum ad judicandum.

I. *Qua de causa Dominus sit laudandus.*
II. *Quonam modo.*
III. *A quisbusnam.*

---

1. *Cantate Domino canticum novum : quia mirabilia fecit.*

Invitat homines ad cantandum canticum novi Fœderis, *canticum novum* ; et ad celebranda nova quædam et mirabilia opera Dei : *Quia mirabilia fecit.* — Hæc autem *mirabilia* esse mysteria redemptionis a Christo Salvatore peracta, explicatur sequentibus.

2. *Salvavit sibi dextera ejus : et brachium sanctum ejus.*
3. *Notum fecit Dominus salutare suum : in conspectu gentium revelavit justitiam suam.*
4. *Recordatus est misericordiæ suæ, et veritatis suæ domui Israel.*
5. *Viderunt omnes termini terræ salutare Dei nostri.*

En mirabilia quæ fecit Dominus : imprimis *salvavit sibi dextera ejus, et brachium sanctum ejus :* id est, ipse propria manu, et quidem solus, salvavit mundum ; salutisque mysterium revelavit Gentibus, secundum promissiones patribus datas. — Illud *salvavit* potest referri vel ad Filium, qui sua virtute mundum salvavit ; vel ad Patrem, qui per *dexteram* suam, i. e. per Christum, salutem effecit : sed in idem recidunt omnia. — Quod dicit *salvavit sibi* idem est ac, *salvavit ipse, per se ;* denotatque salutem cujus Deus solus est auctor, prout declarant quæ sequuntur : *dextera ejus et brachium sanctum ejus.* His etiam indicatur, Salvatorem ita virtute sua salvasse mundum, ut non sit usus vi externa : non exercitu, non armis, aliisve humanis adjumentis.

3. *Notum fecit Dominus salutare suum,...* Aliud opus mirabile, manifestatio Christi per orbem. Illud enim *salutare* quod Dominus manifestat, est Salvator Christus, vel salus a Christo allata. — *In conspectu gentium revelavit justitiam suam :* id est, mysterium absconditum et velatum a sæculo, per apostolicam prædicationem revelavit ac manifestavit Gentibus. Est autem hoc mysterium *justitia Dei*, seu gratia, per quam Deus ex Christi meritis justificat impios, et de qua scribit Paulus : *Nunc autem... justitia Dei manifestata est, testificata a lege et prophetis.* Rom. III, 21.

4. *Recordatus est misericordiæ suæ, et veritatis suæ domui Israel :* id est, illa Dominus fecit, ut misericordissimas promissiones Israeli datas impleret : *Sicut locutus est ad patres nostros, Abraham et semini ejus in sæcula.* Luc. I, 55.

5. *Viderunt omnes termini terræ salutare Dei nostri :* hic declaratur fructus prædicationis apostolicæ ; sensus enim est : omnes per orbem gentes, seu multi homines ex omni natione et gente, cognoverunt et acceperunt Salvatorem Christum.

6. *Jubilate Deo omnis terra : cantate et exultate et psallite.*
7. *Psallite Domino in cithara, in cithara et voce psalmi : in tubis ductilibus, et voce tubæ corneæ.*

Secundo pars : quomodo Dominus sit laudandus. Omnes, inquit, per orbem fideles, conversi de tenebris ad admirabile lumen Christi, magna voce laudate et gratias agite ; cantate linguis, exultate animis, psallite moribus. — Quoniam autem mores sive virtutum opera multiplicia sunt, ideo multa hic subjicit genera instrumentorum : *Psallite Domino in cithara, in cithara et voce psalmi : in tubis ductilibus, et voce tubæ corneæ.* Quatuor instrumenta numerantur, cithara, vox psalmi, quod aliud non est quam psalterium decem chordarum ; tuba ductilis seu ænea, et tuba cornea. Hæc a Bellarmino quatuor virtutibus cardinalibus accommodantur : cithara prudentiæ, psalterium justitiæ, tuba ductilis fortitudini, tuba cornea temperantiæ.

8. *Jubilate in conspectu Regis Domini : moveatur mare, et plenitudo ejus : orbis terrarum, et qui habitant in eo.*
9. *Flumina plaudent manu, simul montes exultabunt a conspectu Domini : quoniam venit judicare terram.*
10. *Judicabit orbem terrarum in justitia : et populos in æquitate.*

A quibusnam Dominus sit laudandus. — Ut significet propheta, non sufficere homines, sed etiam cunctas terræ partes omnesque creaturas appellandas esse ad digne laudandum Deum de adventu Christi ; vel, ut innuat adventum Christi omnibus creaturis gaudio fore ; ideo omnes invitat ad laudandum Deum, adveniente Domino rege, id est, Christo : *Jubilate in conspectu regis Domini.*

Porro adventus Christi intelligitur primus, qui sensus litteralis esse videtur ; deinde etiam adventus secundus in fine mundi. — *Moveatur*, inquit, *mare*, motu scilicet exultationis ; moveatur mare et terra cum omnibus creaturis quas continent : *Mare et plenitudo ejus, orbis terrarum, et qui habitant in eo.*

Deinde flumina et montes appellat, subjungens : *Flumina plaudent manu, simul* (id est, omnes simul) *montes exultabunt a conspectu Domini.* Hic sensum metaphoricum subesse docent interpretes, variasque hominum classes designari. Humilia flumina designant pauperes, montes vero, divites et principes ; vel, si secundus Domini adventus spectetur, flumina sunt

humiles spiritu, montes vero animæ supra res terrenas elevatæ : in die enim judicii non nisi flumina et montes hujusmodi exultabunt.

A conspectu Domini, quoniam venit judicare terram : nempe adveniente Domino Christo, ut *judicet* terram : id est vel ut *regat* terram, constituendo regno cœlorum, quod est Ecclesia ; vel ut *judicet* eam pro tribunali, quod faciet in novissimo die. Eodem sensu duplici intelligenda est conclusio finalis : *Judicabit orbem terrarum in justitia ; et populos in æquitate.*

Sensus liturgicus.

Psalmus XCVII, *Cantate Domino... quia mirabilia fecit*, recitatur, 1° in festo SS. Trinitatis ; 2° in festis Nativitatis, Circumcisionis, Lanceæ et Plagarum Christi ; 3° in festis B. M. Virginis, cæterarumque Virginum.

1° In festo SS. Trinitatis, celebratur SS. Trinitas in Christo, secunda Trinitatis persona, Deo Filio incarnato, per quem SS. Trinitas nobis manifestata est et velut visibilis apparuit, secundum illud : *Qui videt me, videt et Patrem* (Joan. XIV, 9). — *Quum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre... ille me clarificabit : quia de meo accipiet et annuntiabit vobis* (Joan. XV, 26 ; XVI, 14).

Similiter, alio sub respectu, celebratur SS. Trinitas in opere Redemptionis : quod, ut opus ad extra, totius est SS. Trinitatis, per Verbum incarnatum mirabiliter operantis.

Quapropter Ecclesia mundum universum invitat, ut in Christo, Verbo incarnato, majestatem Patris et Filii et Spiritus sancti lætissimis canticis extollat.

2° In festis Christi Domini, seu in officiis de Nativitate aut Passionis ejus, ut patet, Ecclesia directe Christum respicit. In Nativitate enim videt, et velut cum universo mundo salutat eum advenientem, ac *salutare* seu salutem afferentem. — In Circumcisione et mysteriis Passionis, ubi effundit sanguinem, considerat eum velut in prælio constitutum, et, devictis hostibus, salutis opus mirabiliter perficientem : *Quia mirabilia fecit : salvavit sibi dextera ejus et brachium sanctum ejus...*

3° In festis B. Virginis, laudatur Mater Salvatoris in Filio. Ipsa scilicet respicitur ut mystica porta, per quam mundo lux est orta : id est, per quam Salvator in mundum venit. — Illud *quia mirabilia fecit*, peculiari quoque modo referri videtur ad Mariam : quatenus Salvator virgineo partu mundum ingrediens, imprimis mirabilia fecit in immaculata Virgine Matre sua.

In officio de reliquis Virginibus, Ecclesia peculiari modo invitare videtur chorum Beatarum Virginum, ut Agnum imma-

culatum Christum laudibus prosequantur, qui in ipsis præsertim mirabilia gratiæ operatus est ; utque cantent ei *canticum* illud *novum*, quod nemo dicere potest nisi virgines, emptæ ex hominibus primitiæ Deo et agno (Apoc. XIV, 3, 4) : *Cantate Domino canticum novum : quia mirabilia fecit...*

—

PSALMUS XCVIII.

Dominus regnavit, irascantur populi.

1. Dominus regnavit ; irascantur populi (1) : qui sedet super Cherubim, moveatur terra.

1. Regnat Dominus, contremiscant populi : regnat ille qui sedet super Cherubim, commoveatur terra.

2. Dominus in Sion magnus, et excelsus super omnes populos.

2. Dominus enim in Sion regnans, magnus est, et dominans super omnes populos.

3. Confiteantur nomini tuo magno, quoniam terribile et sanctum est : et honor regis judicium diligit.

3. Itaque, Domine, confiteantur nomini tuo magno, quoniam revera terribile et sanctum est : et, ut regem decet, justitiam repræsentans.

4. Tu parasti directiones : judicium et justitiam in Jacob tu fecisti.

4. Etenim tu tradidisti rectissimas leges Israeli : easque præmiis et pœnis justissime sanxisti.

5. Exaltate Dominum Deum nostrum, et adorate scabellum pedum ejus (2) : quoniam sanctum est.

5. Exaltate ergo, vos præcipue fideles, Dominum Deum nostrum : et veneramini scabellum pedum ejus, quoniam id sanctum est, Deoque sacrum.

6. Moyses et Aaron in sacerdotibus ejus : et Samuel inter eos qui invocant nomen ejus.

6. Sic Moyses et Aaron, sacerdotes ejus, et Samuel insignis invocator nominis ejus.

7. Invocabant Dominum, et ipse exaudiebat eos : in columna nubis loquebatur ad eos.

7. Invocabant Dominum reverenter, et ipse exaudiebat eos : quin etiam, in columna nubis loquebatur ad eos.

(1) In hebræo : *Contremiscant populi*, puta timore potius quam ira.

(2) Textum hebræum vertit S. Hieronymus sicut Vulgata : *Adorate scabellum pedum ejus, quia sanctus* (alias *sanctum*) *est.* — Sunt qui vertendum putant : *Prosternite vos ad scabellum pedum ejus* ; — quia habetur infra, versu 10 : *Et prosternite vos ad montem sanctum ejus.* Juxta hanc translationem, adorandus innuitur Dominus potius in se directe, quam indirecte in Arca cultu relativo : prout infra in explicatione dicetur.

8. Custodiebant testimonia ejus : et præceptum quod dedit illis.

8. Custodiebant enim omnia testimonia ejus, et præceptum quod dedit illis.

9. Domine Deus noster, tu exaudiebas eos : Deus, tu propitius fuisti eis, et ulciscens in omnes adinventiones eorum.

9. Domine Deus, tu exaudiebas eos rogantes : Deus, tu propitius fuisti eis veniam petentibus : etsi misericorditer puniens omnes culpas eorum.

10. Exaltate Dominum Deum nostrum, et adorate in monte sancto ejus : quoniam sanctus Dominus Deus noster.

10. Igitur laudate Dominum Deum nostrum, et adorate eum in monte sancto ejus : quoniam sanctus est Dominus Deus noster, cultuque dignissimus.

—

Explicatio.

Argumentum. David Sionis arce potitus, regiaque ibi domo ædificata, Tabernaculum seu locum sacrum quoque ibidem exstruxit, ubi arcam Domini, in suum totiusque populi solatium poneret. Postquam itaque arcam ibi collocasset, psalmum hunc cecinisse a multis dicitur : tunc enim, regno Davidis confirmato, et victis ejus hostibus, Deus in medio populi sui regnabat, et tranquilla pace adorari poterat.

E contra, SS. Patres, et Judæi doctores, eumdem psalmum de adventu Christi ejusque regno exponunt : ita ut, si minus litteraliter, saltem allegorice et sensu præcipuo, de Christo sit intelligendus. — Invitat propheta homines, ut Regem Dominum laudent et adorent.

I. *Laudandus Dominus Rex sanctissimus.*
II. *Colendus per custodiam legis, juxta exempla Sanctorum.*

—

1. *Dominus regnavit, irascantur populi : qui sedet super Cherubim, moveatur terra.*

2. *Dominus in Sion magnus, et excelsus super omnes populos.*

Proclamat Domini victricem potentiam et magnitudinem. *Dominus, regnavit, irascantur populi...* id est, juxta multos : Dominus regnum suum constituit, quantumvis frendeant populi inimici ; regnat Dominus qui sedet super Cherubim, licet turbetur ac tumultuetur universa terra.— Scilicet illud *irascantur*, *moveatur*, sumitur pro concessione quasi psalmista dicat :

Velint, nolint, quamvis fremant et renitantur, regnat et regnabit Dominus.

Sensu tamen qui textui hebræo conformior est, intelligi potest simplex prophetia, per apostrophen ad Gentes, hoc modo : Dominus inchoavit regnum suum, cui Gentes subjicientur : tremant itaque Gentes, et timere incipiant nomen ejus.

Qui sedet super Cherubim, usitata periphrasis est pro *Domino* : qui *ad litteram* dicitur sedere super Cherubim, quia sedem sibi elegerat *propitiatorium*, id est, Arcæ operculum, ex quo responsa dabat. Porro in propitiatorio erant duo Cherubim, extensis alis velut sedem Deo præbentes, ipso propitiatorio scabelli vices supplente : unde et Arca *scabellum Dei* vocabatur (I Paralip. XXVIII, 2). — *Altiore sensu*, Deus ac Dominus Jesus Christus dicitur sedere super Cherubim, 1° quia ipsos sua majestate transcendit ; 2° quia Cherubim juxta S. Augustinum repræsentant scientiam divinæ legis, cujus plenitudo est dilectio : in qua Deus velut in throno suo sedet ac regnat.

Regnum illud Domini, frustra frementibus populis stabilitum, ut facile cernitur, sive de Christi, sive de Davidis regno intelligi potest. — Si referatur ad Davidem, recte dicitur in ejus persona regnare Dominus ; quia quamvis David vere rex esset, tamen Dei nomine regnabat, et ipsi Deo principaliter regnum suum attribuebat.

Subjungendo : 2. *Dominus in Sion magnus, et excelsus super omnes populos*, explicat cur frustra irascantur, vel cur timere debeant populi : quia nempe sive Jehova regnans in Sione antiqua, sive Christus regnans in Sione nova, id est, in Ecclesia sua, magnus est et excelsus super omnes populos ; ita ut nullus ei resistere valeat.

3. *Confiteantur nomini tuo magno, quoniam terribile et sanctum est : et honor regis judicium diligit.*

4. *Tu parasti directiones : judicium et justitiam in Jacob tu fecisti.*

Jam hortatur propheta populos, ut non solum salutariter timeant Dominum ; sed ex animo ad illum conversi, laudibus celebrent nomen ejus : *Quoniam*, inquit, *terribile et sanctum est* : nempe terribile ratione potentiæ, et sanctum ratione justitiæ qua odit iniquitatem.— Porro, sicut regis perfecti gloria requirit, potentiam hanc suam et sanctitatem exercebit per judicium, quo efficacissime procurabit ut lex justitiæ vigeat aut vindicetur : *Et honor regis judicium diligit.* Quapropter ipsi per sanctum

timorem adhærendum est, ipsum super omnes impiorum impugnationes, super omnium persecutorum tormenta metuendo.
4. *Tu parasti directiones...* i. e. constituisti, o Domine, leges rectissimas; — *justitiam et judicium in Jacob tu fecisti*: scilicet in populo tuo exemplis demonstrasti, te punire peccata, et remunerare recte facta. — His verbis, ut patet, declaratur ille, qui paulo ante Regi assertus est, amor judicii.

5. *Exaltate Dominum Deum nostrum, et adorate scabellum pedum ejus : quoniam sanctum est.*

Iterum hortatur præsertim populum Israel, ad colendum, et quidem ad studiose colendum Deum, cujus majestatem explicavit : vult ut adoretur non solum in se ipso, sed etiam in *scabello pedum* ejus (1). Sensu immediato, *scabellum* hujusmodi intelligi potest Arca fœderis (2), quam inclinantes sese et prosternentes, Israelitæ venerabantur. — *Quoniam*, inquit, *sanctum*, id est, Deo dicatum *est* : quo significatur, Arcam honorandam esse, non propter se, sed propter relationem ad Deum : nempe cultu relativo, quo et Catholici sanctorum reliquias et imagines colunt. Sensu altiore et respectu Christi, *scabellum* pedum Dei, est Christi humanitas, sive spectetur ut est in cœlo, sive ut est in Eucharistia ; quæ quidem longe aliter adoranda est quam Arca figurativa : nempe adoranda cultu latriæ absoluto, utpote hypostatice unita cum Verbo Dei seu secunda Persona sanctissimæ Trinitatis.

6. *Moyses et Aaron in sacerdotibus ejus : et Samuel inter eos qui invocant nomen ejus.*

Incipit *secunda pars*, qua docet Deum laudandum esse juxta exemplum Sanctorum. — Affert autem in exemplum viros tres insignes, qui Dominum perfecte adorantes et invocantes exauditi sunt, Deique favoribus mirabiliter cumulati. — Moyses, qui sacerdotali munere functus est ante Aaronem, et hunc in sacerdotem consecravit, propterea una cum Aarone fratre suo sacerdotis nomine vocatur ; Samuel vero, qui simplex Levita erat, exhibetur tantum ut invocator nominis Dei : id est, ut vir sanctus, qui studiose Deum coluit et pro se ac populo invocavit ; ut sequentibus explicatur.

7. *Invocabant Dominum, et ipse exaudiebat eos : in columna nubis loquebatur ad eos.*

(1) Cfr. supra, text. hujus Ps., nota (2) ad vers. 5.
(2) Cf. supra, versu 1. *Qui sedet super Cherubim.*

8. *Custodiebant testimonia ejus : et præceptem quod dedit illis.*

9. *Domine Deus noster, tu exaudiebas eos : Deus, tu propitius fuisti eis, et ulciscens in omnes adinventiones eorum.*

Jam declarat exemplum propositum : sic, inquit, Deum orabant ut exaudirentur : id est, oratione perfecta, Deoque accepta. Talis autem erat oratio, quia conjuncta cum observantia legis fidelissima : *Custodiebant testimonia ejus*, *et præceptum quod dedit illis.* — Propterea exaudiebantur benignissime a Deo, qui dignabatur eis loqui in nube, eisque propitius esse : *Tu exaudiebas eos : Deus, tu propitius fuisti eis...* Illud, *in columna nubis loquebatur ad eos*, tantum refertur ad Moysen et Aaron ; vel si extendatur ad Samuelem, per columnam nubis intelligenda est locutio in obscuro, qua Deus ita Samueli loquebatur, ut vocem audiret, loquentem autem non videret (I Reg. III). — *Sensu altiore*, columna nubis est Christi humanitas, continens divinitatem absconditam et loquentem nobis : *Deus locutus est nobis in Filio.* Hebr. I, 2.

9. *Tu propitius fuisti eis*, facile concedens eis veniam, cum ipsi in te peccarent ; vel, cum pro peccatis populi precarentur. *Ulciscens in omnes adinventiones eorum.* Dupliciter istud exponitur. Expositio prima : Ultor fuisti injuriarum quas ipsi patiebantur ab iniquis, qui adinveniebant varias calumnias adversus sanctos principes suos. — Expositio secunda et melior : Non reliquisti impunita peccata eorum, sed eos misericorditer in hac vita castigasti, ut glorificares in futura. Cum enim Moyses et Aaron nonnihil hæsitassent in educenda aqua de petra, dixit ad eos Dominus. *Quia non credidistis mihi, ut sanctificaretis me coram filiis Israel, non introducetis hos populos in terram, quam ego dabo eis.* Num. XX, 12.

10. *Exaltate Dominum Deum nostrum, et adorate in monte sancto ejus : quoniam sanctus Dominus Deus noster.*

Concludit propheta repetendo versiculum quintum, quo continetur totius psalmi summa, sive finis ad quem omnia diriguntur.

Pro *scabello pedum*, hic ponitur, *mons sanctus*, Sion, ubi erat Arca et scabellum Domini. — Sensu autem spirituali, hortatur propheta Christianos, ut adorent Deum in Ecclesia catholica, ubi est Arca mystica ; et fugiant hæreticorum conventicula. — *Quoniam sanctus* est *Dominus noster* : propterea

odit cultum pollutum falsarum religionum ; et sicut ipse *sanctus* est, ita, in monte *sancto*, in *sancta* fidelium Ecclesia vult adorari.

Sensus liturgicus.

Psalmus XCVIII ponitur, 1° in officio Circumcisionis et Ascensionis Domini ; 2° in Dedicatione Ecclesiæ ; 3° in festis Apostolorum.

1° In Circumcisione Domini, respicit imprimis Ecclesia versiculum 3, *Confiteantur nomini tuo magno, quoniam terribile et sanctum est : et honor regis judicium diligit ;* quia videlicet Christus Rex noster, in Circumcisione recipit *nomen magnum*... et signaculum justitiæ.

In Ascensione vero respicit potius versiculum 1 et 2 : *Dominus regnavit, irascantur populi : qui sedet super Cherubim... in Sion magnus, et excelsus super omnes populos*... Quia scilicet Dominus Ascensione sua ingreditur cœlestem Sion, sedetque super Cherubim, elevatus super omnes angelos et populos, ad dexteram Patris. — Illud, *in columna nubis loquebatur ad eos*, in mentem vocat nubem illam, qua Dominus ascendens obtectus est ; nec non nubem fidei, ex qua loquitur nobis.

2° In Dedicatione Ecclesiæ, respicitur Christus ut regnans in templis nostris ; ibique sedens in Sacramento altaris longe excellentiore modo, quam olim super cherubim Arcæ fœderis.... Invitantur autem sacerdotes et laici, ut sicut Moyses, Aaron et Samuel orent eum, exauditurum preces eorum, et locuturum quoque ex columna nubis, quæ est prædicatio Evangelica.

3° In festis Apostolorum, respiciuntur Apostoli ut ministri Christi, Regis magni, qui regnum ejus propagant, trementibus, vel frustra frementibus populis ; quique in Moyse, Aaron ac Samuele fuere figurati : *Dominus in columna nubis loquebatur ad eos.... ipsi vero custodiebant testimonia ejus, et præceptum quod dedit illis.*

—

PSALMUS XCIX.

Jubilate Deo, omnis terra : servite.

1. Jubilate Deo, omnis terra : servite Domino in lætitia.

2. Introite in conspectu ejus in exultatione.

3. Scitote quoniam Dominus ipse est Deus : ipse fecit nos, et non ipsi nos.

1. Jubilate Deo, omnes habitatores terræ : servite Domino cum lætitia.

2. Apparete coram Domino cum exultatione.

3. Scitote enim quod Dominus Jehova, quem colitis, est Deus altissimus : quodque ipse fecit nos, et non ipsi nos ;

4. Populus ejus, et oves pascuæ ejus : introite portas ejus in confessione, atria ejus in hymnis : confitemini illi.

4. Quodque populus ejus sumus, et oves pascuæ ejus : quapropter introite portas domus ejus cum confessione laudis, et atria ejus cum hymnis ; et sic laudate eum.

5. Laudate nomen ejus : quoniam suavis est Dominus : in æternum misericordia ejus, et usque in generationem et generationem veritas ejus.

5. Laudate nomen ejus, quoniam benignissimus est Dominus, indeficiens misericordia ejus, et infallibilis veritas promissionum ejus.

—

Explicatio.

Argumentum. — Est hortatio ad laudandum Deum, tum quod Deus nos condiderit, tum quod nos pascat, tum quod suavis sit, misericors et fidelis in promissis.

Psalmista non tantum alloquitur veterem Israel, sed etiam Israel novum, populum christianum ; ita ut psalmus potiore sensu sit vox Ecclesiæ Christi, quæ omnes homines, præsertim filios suos, invitat ad laudandum Deum ac Dominum nostrum Jesum Christum ; simulque modum docet, et rationes aperit, ut digne et perfecte laudationem persolvant.

Duplex pars :

I. *Invitatio ad laudandum Deum.*
II. *Laudationis motiva.*

—

1. *Jubilate Deo, omnis terra : servite Domino in lætitia.*

2. *Introite in conspectu ejus in exultatione.*

Prima pars : invitat omnes ad laudandum Deum, tum vocibus, tum operibus, et quidem cum gaudio.

Jubilate Deo, omnis terra.... Omnes terræ incolas alloquitur : eos imprimis, qui verum Deum cognoscunt ; deinde etiam reliquos, quia idem Deo obsequium debent, et ad idem Deo præstandum omnes vocantur.

Jubilare, est magna et læta voce laudare. — *Servire Domino in lætitia,* seu læte, est illi non ex timore, sed ex dilectione obedire. — *Exultare Deo*, est præ amore ac desiderio ejus, lætitiæ motibus agitari ; seu, est Deum cum amore ac gaudio magno laudare. — *Confiteri Domino*, ubi laudatio significatur,

est laudare Deum, agnoscendo eum ut verum Deum, profitendo beneficentiam ejus, gloriam ejus, etc.

2. *Introite in conspectu ejus in exultatione* : i. e. intrate lætabundi in domum, in tabernaculum ejus, ubi peculiari modo estis in conspectu Dei, juxta illud : *Erunt oculi mei aperti, et aures meæ erectæ ad orationem ejus, qui in loco isto oraverit.* II. Paralip. VII, 15.

3. *Scitote, quoniam Dominus ipse est Deus : ipse fecit nos et non ipsi nos.*

4. *Populus ejus, et oves pascuæ ejus : introite portas ejus in confessione, atria ejus in hymnis : confitemini illi.*

5. *Laudate nomen ejus : quoniam suavis est Dominus : in æternum misericordia ejus, et usque in generationem et generationem veritas ejus.*

Secunda pars, motiva. — Dominus animo gaudenti et amanti colendus est : quia Deus est et Creator noster, quia Rex noster, et Pastor ; demum quia misericors Pater, qui prout promisit, perducet nos ad æternam hæreditatem. Itaque hymnis celebranda est Dei magnitudo et gloria, ejusque beneficia et ineffabilis erga nos misericordia.

3. *Scitote quoniam Dominus ipse est Deus*... Dominus ille quem colitis, et ad quem orandum et laudandum acceditis, ipse est verus Deus altissimus, quo nihil majus vel melius cogitari potest, quique auctor est existentiæ nostræ.

Ipse fecit nos et non ipsi nos. His verbis non tantum creationis nostræ beneficium memorat, sed simul brevissime demonstrat unius veri Dei existentiam. Scilicet, quod nemo sit suimet ipsius factor, res est evidens ; ad hanc autem rem tanquam ad principium sufficit attendere, ut inde ad unum Deum Creatorem ascendatur. — Iisdem quoque insinuatur verbis, Deum sicut creavit nos, ita nos perpetuo conservare et veluti manibus tenere.

4. *Populus ejus et oves pascuæ ejus.* Populus intelligitur quem Deus peculiari providentia regit, nempe judaicus et christianus : cujus idem Deus non tantum Creator, sed Rex et Pastor amabilissimus exhibetur.

Metaphora *pascuæ*, ad litteram videtur significari terra promissionis, et lex Dei : nam illa quidem populus Israel secundum corpus, hac vero secundum mentem pascebatur. *Mystice* autem, est Ecclesia, in qua doctrina sua Dominus, sacramentis, omnique gratia nos pascit.

Introite portas ejus in confessione, atria ejus in hymnis :

confitemini illi : introite nempe portas, atria templi seu tabernaculi ejus ; introite, laudes Domini celebrantes.

5. *Laudate nomen ejus* : id est, laudate *eum* : nomen enim pro re nominata in Scripturis poni solet. — *Quoniam suavis est Dominus*, hebraice, quoniam bonus (THOB), benignus, beneficus est. — *In æternum misericordia ejus, et usque in generationem et generationem veritas ejus* : id est, quoniam æterna et indeficiens est, tum misericordia ejus, tum veritas, ut quæ promisit servis suis fideliter impleat. *Fidelis* enim *Deus, per quem vocati estis in societatem Filii ejus Jesu Christi Domini nostri... qui et confirmabit vos usque in finem sine crimine, in die adventus Domini nostri Jesu Christi.* I, Cor. I, 9, 8.

Sensus liturgicus.

Psalmus *Jubilate*, velut complementum est psalmi XCII, *Dominus regnavit, decorem indutus est*, quem ad Laudes diebus Dominicis et festivis subsequitur. — Quoniam enim psalmus *Dominus regnavit*, in hanc desinit conclusionem, laudes esse Deo ab Ecclesia persolvendas ; ideo psalmus iste subsequens convocat ad laudandum Deum Ecclesiam ejus universam, fideles nempe, imo populos omnes : eosque docet, qua devotione et sancta lætitia ad Deum suum accedere debeant, ut digne eum adorent et colant.

—

PSALMUS CIX.

Dixit Dominus.

1. Dixit Dominus Domino meo : Sede a dextris meis :

2. Donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum.

3. Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion : Dominare in medio inimicorum tuorum.

4. (1) Tecum principium

1. Dixit Dominus Domino meo Christo : Sede a dextris meis.

2. Donec redigam inimicos tuos, tanquam scabellum pedum tuorum.

3. Sceptrum potentiæ tuæ ego Dominus proferam ex Sion : per hoc sceptrum dominare in medio inimicorum tuorum.

4. Principatus tuus manifestus

(1) Hebraice ad verbum : *Populi tui spontanei erunt in die fortitudinis tuæ in splendoribus sanctitatis* (vel, in armatura sancta) : *quasi de vulva auroræ orietur tibi ros adolescentiæ* (belligerantis) *tuæ*.

Paraphrastice : *Populi tui sponte sese tibi offerent, in die quo exercitum tuum congregabis ; aderunt tibi splendentes armis sanctis* (seu apparatu sacro) : *sicut ex utero auroræ ros prodit copiosus, ita tibi affluet copia juventutis armatæ.*

in die virtutis tuæ in splendoribus sanctorum : ex utero ante luciferum genui te.

apparebit in die potentiæ tuæ, ubi veneris cum splendenti multitudine sanctorum : Filius enim meus es unigenitus : ego ex substantia mea ab æterno genui te.

5. Juravit Dominus, et non pœnitebit eum : Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.

5. Insuper juravit Dominus Pater æternus, juramento irrevocabili, dicens : Tu es sacerdos in æternum, secundum ritum ac ordinem Melchisedech.

6. Dominus a dextris tuis : confregit in die iræ suæ reges.

6. Christus ergo, o Pater æterne, sedens ut Dominus a dextris tuis, omnes inimicos vincet : ipsosque reges, si rebelles fuerint, in die iræ suæ confringet.

7. Judicabit in nationibus, implebit ruinas : conquassabit capita in terra multorum.

7. Judicabit nationes, consummabit ruinam, confringetque superba capita multorum in terra.

8. De torrente in via bibet : propterea exaltabit caput.

8. De torrente dolorum in via sua mortali bibet : propterea tam gloriose attollet caput.

—

Explicatio.

Argumentum. — Agit hic psalmus de Christo, Filio Dei incarnato, cujus regnum universale, sacerdotium, munus judiciarium, et passionem subeundam prænuntiat.

Constat autem de Christo agi, non de alio : 1° ex contextu psalmi, quo inauguratio celebratur cujuspiam regis, qui, prout describitur, alius quam Messias seu Christus esse nequit.

2° Ex consensu omnium Patrum, imo et interpretum antiquæ Synagogæ.

3° Ex novo Testamento. Matth. XXII, 43, interrogat Jesus Pharisæos congregatos, dicens : *Quid vobis videtur de Christo ? cujus filius est? Dicunt ei : David. Ait illis : Quomodo ergo David in spiritu vocat eum Dominum, dicens : Dixit Dominus Domino meo : Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum ?*

Paulus autem ad Hebræos hæc scribit : *Christus non semetipsum clarificavit ut pontifex fieret : sed qui locutus est ad eum : Filius meus es tu, ego hodie genui te. Quemadmodum et in alio loco dicit : Tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech.* Hebr. V, 5 seq. Cf. Heb. I, 13 ; Act. II, 34 ; I Cor. XV, 25.

I. *De Christo rege.*
II. *De Christo sacerdote.*
III. *De Christo judice.*
IV. *De Christo patiente.*

—

1. *Dixit Dominus Domino meo : Sede a dextris meis.*
2. *Donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum.*
3. *Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion : dominare in medio inimicorum tuorum.*
4. *Tecum principium in die virtutis tuæ in splendoribus sanctorum : ex utero ante luciferum genui te.*

Prima pars : Christus Rex, ejusque regni exordium, exercitium, gloria.

1. *Dixit Dominus Domino meo...* Juxta hebræum, ad verbum : *Effatum Jehovæ ad Dominum meum.* — Sensus est : dixit Deus Pater Filio suo incarnato, qui est meus Dominus. — Etenim *Dominus* ille *qui* loquitur, in hebræo est JEHOVA, nomen tetragrammaton, quod soli Deo competit ; *Dominus* vero *cui* Jehova loquitur, appellatur ADONI, quod humanum est vocabulum : unde et respicit humanam Christi naturam, secundum quam omnium est Dominus, duabus de causis : 1° ratione dignitatis, cum etiam secundum humanam naturam, sit verus ac naturalis Filius Dei ; 2° ratione redemptionis, qua dominatum in genus humanum, soluto sanguinis sui pretio, acquisivit.

Dixit. Quum David scriberet, nondum verbum illud dixerat æternus Pater, quod postmodum protulit cum ascenderet Christus in cœlum ; recte tamen propheta scribit *dixit*, non *dicet*, præteritum usurpando pro futuro : quia prophetico lumine rem futuram videt tanquam præteritam.

Sede a dextris meis : id est, juxta me quiesce, mecum regna, æquali mecum fruere gloria et majestate. Quibus verbis, ut Apostolus explicat, ostenditur divinitas Christi : *Qui cum sit splendor gloriæ, et figura substantiæ ejus* (Dei Patris)... *sedet ad dexteram majestatis in excelsis... Ad quem autem angelorum dixit aliquando : Sede a dextris meis?.... Nonne omnes sunt administratorii spiritus ?* Hebr. I, 3, 13.

2. *Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum :* id est, usque ad consummationem sæculi, diemque judicii : quo tempore omnia tibi plene subjiciam. — Quod dicit *scabellum pedum tuorum*, alludit ad morem orientalium principum, qui hostes devictos pedibus suis subjiciebant. Sic devictis captisque quinque Chananæorum regibus, qui Gabaoni arma intulerant,

Josue principibus Israelis imperavit, ut illorum cervices pedibus conculcarent (Josue, X, 24). Et Sapor, rex Persarum, Valeriano imperatore velut scabello utebatur, cum in equum ascenderet. Eodem probro Tamerlanus Bajazetum, Turcarum imperatorem, bello captum afficiebat.

Donec ponam... Non quidem solus Pater, sed etiam Filius una cum Patre hanc subjectionem perficit, ut in sequenti versiculo dicitur ; Patri tamen illa actio hic tribuitur peculiariter, 1° quia ad potentiam pertinet, quæ Patri appropriatur ; 2° quia exhibetur ut merces, a Patre reddita obedientiæ Filii : *Propter quod*, inquit Apostolus, *et Deus exaltavit illum*. Phil. II, 9.

3. *Virgam virtutis tuæ*, id est, sceptrum regalis potentiæ tuæ, sceptrum potentissimum ; *emittet Dominus ex Sion* : id est, ex civitate Jerusalem, vel ex Judæa, quam Sion repræsentat. — Significat autem regnum Christi, imperium Evangelii et Ecclesiæ, inchoationem habiturum in Judæa ; præcipue vero in Jerusalem, ubi Dominus crucifixus est, et in monte Sion, ubi Spiritus sanctus in nascentem Ecclesiam descendit ; inde per omnes gentes propagandum. Quare additur illa velut fausta acclamatio : *Dominare in medio inimicorum tuorum* ; quasi dicat : Infer vexillum crucis tuæ inter Gentiles et Judæos, illisque invitis et frustra repugnantibus, regnum tuum constitue. — Eadem verba etiam prophetiam continent et significant : Dominaberis inimicis tuis, velint, nolint.

4. *Tecum principium in die virtutis tuæ in splendoribus sanctorum*... Explicandus est versiculus iste, tum juxta versionem Vulgatam, tum juxta textum hebræum.

Juxta Vulgatam, quæ consonat cum LXX, duplex datur expositio : 1° In die potentiæ tuæ, effulgente splendore sanctæ majestatis, patebit principium tuæ magnitudinis, quod in te est : æterna nempe ex Patre generatio. — 2° Altera expositio communior et melior : Apud te, seu tuus est principatus supremus, isque omnibus manifestus erit in die potentiæ tuæ, quando venies ad judicandum, circumdatus fulgenti Sanctorum multitudine ; tuus, inquam, totius mundi principatus est, quia Filius es Dei, ab æterno generatus : *Ex utero ante luciferum genui te.*

Ante luciferum : id est, ante creatum solem, ante stellam auroræ, vel ante auroram : puta, ante omnem creaturam, seu ab æterno.—De generatione æterna hæc proprie intelliguntur, qua Deus Pater *ex utero*, seu ex substantia sua Filium genuit. —Nonnulli etiam nativitatem Christi in carne hic vident, quasi Pater æternus diceret : Ego genui te ex utero Virginis Mariæ noctis tempore, antequam lucifer oriretur. Sensus autem iste litteralis non est.

Juxta hebræum. — Hactenus versiculum 4 exposuimus prout

exponunt Patres, ex versione Vulgatæ et LXX. Hæc autem versio insigniter a textu hebræo differt, qualem hebraizantes cum S. Hieronymo vertere solent, quique est hujusmodi (1) : Quo die exercitum tuum convocabis, sponte sese offerent tibi populi, splendentes armatura sancta : sicut ex utero auroræ ros uberrimus effunditur, ita tibi copiose affluet juventus armata. — Quibus verbis, ut patet, pulcherrimum continetur vaticinium de fecunditate et catholicitate Ecclesiæ, deque ejus perpetua juventute.

Non pauci tamen, cum Genebrardo, Bellarmino, Bertherio, textum hebræum cum versione Vulgatæ apprime componunt; adeo ut illa verba : *Ex utero ante luciferum genui te*, æternam Christi ex Patre generationem probent directe et per se, nec dumtaxat indirecte, ut exprimentia scilicet traditionem Patrum hoc textu fidem suam profitentium.

5. *Juravit Dominus, et non pœnitebit eum : Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.*

Secunda pars, de Christi singulari sacerdotio.

Juravit Dominus, et non pœnitebit eum... id est, certo et immutabiliter constituit. — *Jurasse* dicitur Dominus metaphorice, eo quod apud homines per jusjurandum fœdera confirmentur. Sensus est quasi dicat : Non obstantibus bellis inimicorum tuorum, Dominus cum juramento promisit et statuit, te non solum fore regem, sed etiam sacerdotem magnum, et sacrificaturum in æternum per tuos ministros, secundum purissimum ordinem et ritum Melchisedech.

Non pœnitebit eum : id est, non mutabit sententiam sicut in constituendo sacerdotio Aaronico, cui antiquato sacerdotium evangelicum substituit. Pœnitere Deum dicitur per metaphoram, desumptam ex hominibus, qui consilium mutant ubi eos facti pœnitet.

Tu es sacerdos in æternum... id est : Tu es constitutus mediator sacer ad placandam et honorandam digne majestatem meam; tu is es, per quem perpetuo reconciliabor, quantumvis iratus humano generi ; tu semper acceptabilem hostiam corporis tui mihi offeres, per te ipsum in cœlo, et per ministros in terra, sub panis et vini specie, secundum similitudinem Melchisedech, hujus incruentæ oblationis figuram exhibentis. — Sic Christi sacerdotium efficax in perpetuum fore ad Deum nobis placandum, cum juramento promittitur.

Secundum ordinem Melchisedech : id est, secundum morem, ritum et similitudinem ac figuram Melchisedech ; prout ipse

(1) Vide supra, notam ad textum et paraphrasim, pag. 300.

interpretatur Apostolus, Hebr. VII, 15. Scribit enim : *Secundum similitudinem Melchisedech* , κατὰ τὴν ὁμοιότητα , hebraice (HAL DEBRATHI), *secundum rationem Melchisedech* ; seu secundum ea quæ pertinent ad Melchisedech. — Opponitur autem ratio sacerdotalis, seu *ordo* Melchisedech , ordini Aaron ; ut iterum Apostolus ostendit , dicens : *Si consummatio per sacerdotium leviticum erat... quid adhuc necessarium fuit, secundum ordinem Melchisedech alium surgere sacerdotem, et non secundum ordinem Aaron dici ?* Hebr. VII, 11.

Jam vero, distinguitur ordo Melchisedech ab ordine Aaronico in multis. 1° Melchisedech , prout in Scriptura tanquam typus exhibetur, alteri non successit nec habuit successorem ; ideo dicitur *sine patre, sine matre, sine genealogia* , *neque initium dierum, neque finem vitæ habens* (Hebr. VII, 3) ; in sacerdotio vero Aaronis , fuit successio. — 2° Melchisedech erat sacerdos et rex ; Aaron tantum sacerdos. — 3° Melchisedech obtulit panem et vinum ; Aaron oves et boves. — 4° Melchisedech erat sacerdos universalis, non unius gentis tantum ; Aaron duntaxat Hebræorum. — 5° Melchisedech non indigebat tabernaculo vel templo ad sacrificandum ; Aaron eo egebat , et ideo apud Hebræos cessavit sacrificium , quia eversum est templum. Cf. Hebr. VII.

Christus itaque, sacerdos secundum ordinem Melchisedech , varias propietates in illo typo adumbratas, in se verissime possidet.

6. *Dominus a dextris tuis : confregit in die iræ suæ reges.*

7. *Judicabit in nationibus, implebit ruinas : conquassabit capita in terra multorum.*

Tertia pars : de Christi judicio , exercendo tum in sæculo præsenti, tum in futuro.

Dominus a dextris tuis , *confregit in die iræ suæ reges.* — Hic, ut probabilius exponunt doctores , psalmista convertit sermonem ad Deum Patrem, quasi dicat : Quod jurasti , o Pater, fiet. Christus Dominus, a te sacerdos constitutus in æternum, nulla regum reluctantia in munere sacerdotali impedietur ; sed sedens a dextris tuis , adversarios omnes devincet et confringet, *in die iræ suæ* : i. e. in die quo irascetur inimicis suis, regibus terræ. — Quæ dies est quodlibet opportunum momentum percutiendi persecutores , qui usque ad diem judicii adversus Ecclesiam , Christique religionem ac sacerdotium insurgent.

7. *Judicabit in nationibus, implebit ruinas...* Dixit propheta quid Rex sacerdotalis facturus sit adversus hostes suos poten-

tissimos nempe, reges terræ, in præsenti sæculo; addit jam quid sit facturus in die novissimo adversus inimicos suos omnes.

Judicabit, inquit, *in nationibus*: id est, judicium exercebit in nationibus, erga nationes omnes; et, condemnatis impiis, *implebit ruinas*: id est, strages multiplicabit, ruinas ingentes faciet; — vel melius: complementum ruinæ impiorum, antea tantummodo inchoatæ, tunc perficiet; — et hoc modo *conquassabit capita in terra multorum*: id est, confringet humiliando erecta capita superborum, qui multi sunt in terra.

S. Augustinus ista exponit de tempore præsenti, et in bonam partem: ita ut *implere ruinas*, sit instaurare quod cecidit; *conquassare capita*, sit humiliare ad salutem per contritionem: quæ pia est et utilis expositio, ait Bellarminus, sed mystica, non litteralis.

8. *De torrente in via bibet: propterea exaltabit caput.*

Quarta pars, de Christi passione. — His verbis: *De torrente in via bibet...* causam meritoriam indicat tantæ Christi potentiæ et majestatis, quasi diceret: In mortali vita multarum ærumnarum et humiliationum erit particeps; propterea exaltabitur, et in cœlum ascendens glorificabitur. — Hunc locum sic etiam interpretari videtur Apostolus, scribens: *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis; propter quod et Deus exaltavit illum.* Phil. II, 9.

Torrens (1) symbolum est calamitatum humanarum, quæ impetu magno ac strepitu ruunt, et mox cessant, ne vestigio quidem sui relicto. — *Via* est curriculum et transitus vitæ terrestris. — *Potus* est participatio: unde *bibere calicem* in ore ipsius Christi (Joan. XVIII, 11), est subire passionis tormenta. — *Exaltare caput*, est glorificari. Per antithesim ponitur ex una parte exaltatum caput humiliati, et ex altera, depressio capitum superborum. Sicut enim conquassantur et conteruntur capita erecta superborum; ita exaltatur humiliatum caput Christi.

Quod autem dicitur *bibere*, non de calice, sed *de torrente*, innuit, tum abundantiam dolorum, tum profunditatem humiliationum, in quas velut immergetur Salvator; prout alibi dicit: *Intraverunt aquæ usque ad animam meam; infixus sum in limo profundi, et non est substantia; veni in altitudinem*

(1) Non improbabile tamen est, in hoc versiculo respici metaphoram viatoris vel bellatoris, qui sitim suam in itinere restinguit ex aqua torrentis; et propterea refocillatus caput iterum sursum extollit.

maris, *et tempestas dimersit me* (Ps. LXVIII). — Hujus itaque merito humiliationis tam profundæ, pro gloria Patris et salute generis humani sponte susceptæ, exaltatus est, gloria et honore coronatus, et constitutus Judex vivorum et mortuorum.

Sensus liturgicus.

Psalmus *Dixit* recitatur ad vesperas diebus Dominicis, et in omnibus festis sive Christi sive Sanctorum.

Vesperæ sunt pars Horarum quæ pertinet ad finem diei, ideoque finem mundi repræsentat. Quapropter Ecclesia in orationibus Vesperarum finem intuetur, sive totius mundi, sive singulorum hominum. Nimirum respicit, tum consummationem sæculi et ultimum judicium, tum mortem cujusque fidelium æternaque justorum præmia. — Porro secundum Mysterium quod celebratur, vel Sanctum qui colitur, respectum suum Ecclesia convenienter variat, dirigendo ad Christum, vel inflectendo ad Sanctos; prout antiphonis suis indicare solet.

In psalmo *Dixit*, spectat Christum præsertim ut Judicem, sedentem nempe a dextris Dei Patris, unde venturus est cum gloria judicare vivos et mortuos; tunc ipse cum omnibus humilibus, qui secum de torrente in vita biberunt, glorificabitur et exaltabit caput. — Sensus itaque juxta Ecclesiæ mentem videtur sequenti modo explicari posse.

Dixit Dominus Domino meo: Sede a dextris meis.... Beati oculi qui vident quæ nos videmus: Christum, Filium hominis, sedentem a dextris Dei!

Quod propheta tot retro sæculis prædixit, illud nos spectamus, nos possidemus: nam videntibus discipulis, *assumptus est* Jesus *in cœlum, et sedet a dextris Dei* (Marc. XVI, 19). Et paulo post, *intendens in cœlum* Stephanus, *vidit gloriam Dei, et ait: Ecce video cœlos apertos, et Filium hominis stantem a dextris Dei.* Act. VII, 55.

Sedet a dextris Dei Christus Rex noster, et Caput cujus membra sumus: quanta gloria nobis, quanta protectio, quanta consolatio, quanta fiduciæ causa!

Sedet a dextris Dei Dominus noster, illic nos exspectans: quo enim præcessit caput, illuc membra sequentur. *Igitur*, inquit Apostolus, *si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens.* Col. III, 1.

Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum... Inimici Christi omnes, divina manu ponuntur scabellum pedum ejus. Quotquot ergo inimici Christi existunt, necesse est ut vincantur et subdantur ei. Qui quidem inimici sunt plurimi, nempe omnes persecutores Ecclesiæ, omnes peccatores, omnes

externi vel interni hostes animarum. Hi omnes domandi sunt et Christi pedibus subjiciendi : sive volentes, sive nolentes ; sive misericordia Dei ac gratia, sive justitia ejus devicti....

Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion... Virga regalis, sceptrum potentiæ Christo exoritur divinitus ex Sion terrestri, et ex Sion cœlesti : hinc enim *virtus ex alto*, inde lignum crucis prodivit.

Emittet Dominus... Non igitur ab hominibus Christus constituitur Rex ; sed ab ipso Deo Patre altissimo ; nec, sicut regna terrena, armis et viribus fundatur imperium ejus ; sed virtute ex alto, patientia et cruce. *Regnavit a ligno Deus* (Hymn. *Vexilla Regis ;* Ps. XCV, 9.)

Illo, nec alio sceptro *dominatur in medio inimicorum suorum*, per Ecclesiam militantem, per fideles suos, qui bonum certamen certando ad coronam justitiæ contendunt.

Tecum principium... In Christo principium est et principatus omnis : ipse est alpha et omega, omnia ab ipso fluunt, et ad ipsum vicissim tanquam ad terminum atque caput suum tendunt. — Ipsi soli principatus et potestas ; nec alia ulla potestas invenitur, nisi quæ ab ipso dimanet et ab ipso dependeat. Illa quidem Christi suprema potestas exercetur in hoc sæculo, sed velut latenter ; *in die* autem *virtutis ejus* apparebit *in splendoribus sanctorum.* Sicut enim ipse Sanctos suos splendore suo exornat ; ita vicissim Sanctorum suorum splendenti multitudine, velut corona viventi atque immortali, Rex Sanctorum ornabitur.

Ex utero ante luciferum genui te. Christus est Filius Dei unigenitus, ex Patre natus ante omnia sæcula, consubstantialis Patri : en principium, en fons divinus et ineffabilis principatus et gloriæ Christi. — Discipuli autem ejus similiter sunt filii Dei, etsi adoptivi, *qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.* En principium et origo divina omnis magnitudinis nostræ, quæ in die virtutis manifesta fiet.

Tu es sacerdos in æternum... Christus sacerdos est perfectus, secundum ordinem Melchisedech : ejusque sacerdotium fore in perpetuum efficax ad Deum nobis placandum, cum juramento promittitur : ut nos in ejus hostia placabili confidamus ; ut hostiam hanc mundam et immaculatam, quæ ab ortu solis usque ad occasum Deo altissimo offertur, digne æstimemus ; et ipsum divinum Melchisedech cum hostia sua, in altari nostro visibili invisibiliter adstantem oculo fidei videamus.

Dominus a dextris tuis... Sedens itaque ad dexteram Dei Patris omnipotentis, Rex ille et Sacerdos noster gratias et benedictiones effundit in omnes, qui, credendo sicut Abraham,

benedictiones hujus veri Melchisedech accipere volunt. At quicumque credere detrectant, ejusque iram justissimam excitant, quantumvis potentes sint, ipsique imprimis reges ac magnates mundi, ejus maledictiones experientur : *Confringet in die iræ suæ reges :*

Quis ergo justitiam misericordiæ, et maledictionem benedictionibus ejus anteponat ? Quis non observet sanctissimam legem ejus ?

Judicabit in nationibus... Omnes stabimus ante tribunal Christi, ut recipiamus unusquisque secundum opera nostra : qui bona egerimus, vitam æternam ; qui vero mala, ruinam, æternam : *Implebit ruinas....* Humiliabit superbos, exaltabit secum humiles in gloria.

Illos, inquam, humiles participes faciet gloriæ suæ, qui participes facti fuerint passionis suæ ; et secum bibere de torrente non fastidiverint : *De torrente in via bibet* ; *propterea exaltabit caput.*

—

PSALMUS CX.

Confitebor... in consilio justorum.

1. Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo : in consilio justorum et congregatione.

1. Laudabo te, Domine, in toto corde meo : in justorum cœtu et congregatione.

2. Magna opera Domini : exquisita in omnes voluntates ejus.

2. Dicam : Magna opera Domini : mire comparata sunt ad explendas omnes voluntates ejus.

3. Confessio et magnificentia opus ejus : et justitia ejus manet in sæculum sæculi.

3. Laudabilis et magnificanda est omnis operatio ejus : manifestatque justitiam ejus, quæ æterna est et indeficiens.

4. Memoriam fecit mirabilium suorum, misericors et miserator Dominus : escam dedit timentibus se.

4. Memoriam, seu monumentum fecit omnium mirabilium suorum : vere misericors et miserator Dominus escam dedit cultoribus suis.

5. Memor erit in sæculum testamenti sui : virtutem operum suorum annuntiabit populo suo :

5. Ipse profecto memor erit in sæculum fœderis sui ; ideoque mira potentiæ opera patrabit pro populo suo.

6. Ut det illis hæreditatem gentium : opera manuum ejus veritas et judicium.

6. Ut det illis promissam hæreditatem gentium. Quæ quidem opera simul erunt veritas promissionum et justitia vindicativa.

7. Fidelia omnia mandata ejus, confirmata in sæculum sæculi : facta in veritate et æquitate.

7. Fidelia sunt ac sine deceptione omnia præcepta legis ejus ; stabilita in æternum et indispensabilia, quippe quæ constant pura rectitudine et justitia.

8. Redemptionem misit populo suo : mandavit in æternum testamentum suum.

8. His præceptis atque hac lege promissum Redemptorem misit populo suo, qui condidit in perpetuum Fœdus suum novum.

9. Sanctum et terribile nomen ejus : initium sapientiæ timor Domini.

9. Sanctum nomen ejus , et terribile adversus peccatum : itaque initium sapientiæ est timor Domini et fuga peccati.

10. Intellectus bonus omnibus facientibus eum : laudatio ejus manet in sæculum sæculi.

10. Intellectus sanus inest colentibus illum timorem Domini : qui Dominus laudabilis est in æternum.

—

Explicatio.

Argumentum. — Psalmus *Confitebor* hymnus est, quo propheta laudibus celebrat opera et præcepta Dei : opera quidem ea potissimum , quæ in gratiam Israelis patravit ; præcepta vero, quæ eidem populo servanda tradidit.

Sub hoc autem allegorico cortice , celebrantur spiritualia opera gratiæ, pro novo Testamento patrata.

I. *Laudandus est Deus propter opera sua.*
II. *Laudandus similiter propter præcepta sua.*

—

1. *Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo : in consilio justorum et congregatione.*

Annuntiat propheta, se velle digne et solemniter Deum laudare. *Confitebor*, inquit, *tibi* , *Domine*, in toto corde meo : id est , laudabo te, laudare te volo quam ferventissime , o Deus : idque non modo privatim et in occulto ; verum etiam palam ac publice : *In consilio justorum et congregatione*, i. e. in ecclesia et conventu colentium te. — *Justi* vocantur filii Israel, et sensu altiore , Christi fideles ; non quod omnes et singuli justi sint ac recti ; sed quod tales esse debeant. — Præmisso hoc præambulo, laudare incipit opera Dei.

2. *Magna opera Domini : exquisita in omnes voluntates ejus.*

3. *Confessio et magnificentia opus ejus : et justitia ejus manet in sæculum sæculi.*

Imprimis generatim *magna* proclamat opera Domini. Sunt autem opera Dei duplicis generis : alia creationis, et alia providentiæ, qualia in favorem populi Israel atque populi christiani patravit. Hic intelligi videntur opera creationis, quæ omnia, etsi quædam ex illis exigua apparent, prædicantur magna.

Exquisita in omnes voluntates ejus : id est, vel 1° mire perfecta secundum omnem voluntatem ac beneplacitum ejus ; — vel, 2° sic mire comparata, ut in iis operibus seu creaturis, etiam libere agentibus, impleatur omnis voluntas omneque consilium ejus ; secundum illud : *Quoniam omnia serviunt tibi.* Ps. CXVIII.

3. *Confessio et magnificentia opus ejus....* Transit ab operibus creationis ad opus gubernationis ac providentiæ : quam speciatim considerat respectu populi Israel. Hujusmodi opus seu operatio dicitur *confessio et magnificentia*, i. e. confessionis seu laudis materia, argumentum ; id nimirum quod maxime est confitendum et magnificandum.

Et justitia ejus... Id quoque pertinet ad *opus* Dei, quod ei inest, non tantum *confessio et magnificentia*, sed etiam *justitia*. Intelligenda est justitia late sumpta, quæ omnem virtutem et sanctitatem complectitur : illa sanctitas ac bonitas, qua Deus sanctus est, sancte agit, et sanctos facit. — *Manet in sæculum sæculi* : periphrasis æternitatis, significans justitiam Dei esse indefectibilem, et semper ac necessario in omnibus ejus operibus inveniri.

4. *Memoriam fecit mirabilium suorum misericors et miserator Dominus : escam dedit timentibus se.*

5. *Memor erit in sæculum testamenti sui : virtutem operum suorum annuntiabit populo suo :*

6. *Ut det illis hæriditatem gentium : opera manuum ejus veritas et judicium.*

Recolit in particulari magnifica opera in favorem Israelis a Deo præstita. *Memoriam*, inquit, *fecit mirabilium suorum...*

Interpretatio hic datur duplex : 1° Tam mirabilia fuere opera misericordiæ ejus, ut eorum memoria permaneat indelebilis.

2° Melius : monumentum fecit, quo omnium mirabilium suorum memoriam servari voluit : nimirum, repositum in arca fœderis manna, quo nutrivit populum suum. — Innumera Dei beneficia ad quæ alludit psalmista, summatim omnia sub oculis ponit, ostendendo urnam illam manna plenam, antiquitus servatam Dei jussu, in memoriam miraculorum quæ patraverat in deserto. *Iste est,* ait Aaroni Moyses, *sermo, quem præcepit*

Dominus : Sume vas unum et mitte ibi manna, quantum potest capere gomor... et custodiatur in futuras retro generationes ; ut noverint panem, quo alui vos in solitudine, quando educti estis de terra Ægypti... Posuitque illud Aaron in tabernaculo reservandum (Exod. XVI, 32). — *In qua* (Arca testamenti) *urna aurea habens manna* (Hebr. IX, 4). — Manna vero illud figura fuit sacramenti Eucharistiæ, quod datum est populo christiano in cibum spiritalem, et in memoriam mirabilium, quæ operatus est Christus in terris.

Misericors et miserator Dominus. Paterna scilicet misericordia ac bonitate motus, pluit manna de cœlo, et *escam dedit timentibus*, id est, colentibus *se*, nempe filiis Israel.

5. *Memor erit in sæculum testamenti sui...* Duplici modo hæc cum præcedentibus connecti possunt : 1° Tanto bonitatis suæ pignore relicto, procul dubio memor erit pacti, quo promisit benedictionem fidelibus servis suis. — Vel, 2° melius : Sicut voluit populum suum esse memorem beneficiorum suorum, ita ipse *memor erit testamenti sui* : id est, continua protectione ostendet, se memorem esse fœderis et promissorum suorum ; ideoque per miracula multa introducet populum suum in terram Palæstinæ, quam gentiles Chananæi tanquam propriam hæreditatem et possessionem obtinebant : *Memor... testamenti sui, virtutem operum suorum annuntiabit populo suo, ut det illis hæreditatem gentium..*

6. *Opera manuum ejus veritas et judicium.* Sensus est : Operationes Dei omnes, speciatim vero respectu Israel, sunt *veritas* : i. e. fidelis adimpletio promissorum ; et *judicium*, id est, punitio peccati et remuneratio virtutis.

7. *Fidelia omnia mandata ejus, confirmata in sæculum sæculi : facta in veritate et æquitate.*

8. *Redemptionem misit populo suo : mandavit in æternum testamentum suum.*

Incipit *pars altera* psalmi, laus mandatorum Dei. — Hæc autem ita psalmista canit, ut simul eorum urgeat observationem. Etenim mandatorum præstantiam laudat, triplicem eorum excellentiam indicando. *Mandata ejus*, inquit, sunt 1° *fidelia* : id est, neminem decipient. Sunt autem fidelia *omnia* Dei mandata, scilicet tam naturalia quam cæremonialia : omnia promissionem vitæ æternæ continent, quæ fidelissime implebitur. — 2° *Confirmata in sæculum sæculi* : id est, firmissime sunt constituta, nec ullo tempore violari possunt. — 3° *Facta in veritate et æquitate* : id est, sunt ipsa expressio rectitudinis ac justitiæ ; quod quidem de præceptis legis naturalis præcipue

intelligendum est. Hæc est lex Domini sanctissima, quam dedit populo suo : filiis, inquam, Israel, quos liberatos de Ægypto, fecit populum vere suum, quem ipsemet ut Rex propria lege gubernare voluit. — Hoc autem verius dicitur de Israel novo, seu de populo Christiano, cui dedit legem præstantiorem per ipsum Redemptorem Christum, quem Deus simul ut Redemptorem, ut Legislatorem, et ut Regem misit populo suo.

8. *Redemptionem misit populo suo*... 1° Redemptionem misit Israeli ex Ægypto per Moysen ; — 2° melius, sensu altiore, redemptionem ex servitute diaboli, antiqua lege promissam, misit mundo universo per Christum ; de qua Zacharias, pater Præcursoris : *Benedictus Dominus Deus Israel*, *quia visitavit et fecit redemptionem plebis suæ* (Luc. I, 68). — Ad hunc porro Redemptorem, Christum, referuntur sequentia.

Mandavit in æternum testamentum suum : id est, missa nobis redemptione per Christum, condidit, sanxitque suum fœdus de gratia et liberatione in perpetuum. Nam promissa, præcepta, et sacramenta, quæ novum Testamentum constituunt, sunt perpetua et irrevocabilia, usque ad consummationem sæculi.

9. *Sanctum et terribile nomen ejus* : *initium sapientiæ timor Domini.*

10. *Intellectus bonus omnibus facientibus eum : laudatio ejus manet in sæculum sæculi.*

Hæc sunt velut explicatio practica illius quod laudavit Testamenti æterni, a Redemptore conditi. — *Sanctum,* inquit, *et terribile nomen ejus ;* nimirum sanctus, et terribilis est ille qui condidit Testamentum suum : *sanctus* quia diligit timorem Domini omnemque justitiam ; *terribilis*, quia severe puniet transgressores : adeoque timendus est, timenda ira ejus, timendum peccatum.

Quapropter *initium sapientiæ timor Domini* : hoc est, qui timent Dominum, quique sancto isto timore moventur ad fugienda peccata, ad observandam legem et operanda bona, illi ingrediuntur viam veræ sapientiæ.

10. *Intellectus bonus omnibus facientibus eum* : id est, vel 1° intelligentia harum veritatum bona est ac salutaris iis qui eam practice sequuntur ; — vel 2° intelligentia sana, quæ ad sapientiam pertinet, inest omnibus ex timore Domini operantibus : illis nempe, qui vere et constanter Dominum timent, ejusque legem servant.

Quod additur : *Laudatio ejus manet in sæculum sæculi*, non refertur ad *intellectum* eorum qui timent Dominum ; sed, juxta

proprietatem vocis hebraicæ (TEHILLA), ad ipsum Dominum; sensusque est : Dominus est perpetuo laudabilis ; ejus laus celebrabitur in æternum. Conclusio itaque ista velut species est doxologiæ.

Sensus liturgicus.

In Psalmo *Confitebor* Ecclesia, Spiritus sancti lumine illustrata, universa Dei opera spectat tanquam ordinata et tendentia ad hunc finem, ut electi hæreditatem æternam obtineant cum Christo et per Christum Redemptorem, in patria cœlesti ; ibique fiant velut corona gloriæ Deo in sæculum sæculi : *Laudatio ejus manet in sæculum sæculi.*

Confitebor, inquit, *tibi Domine*, et unanimi voce fidelium tuorum, laudes tibi per orbem terrarum et gratiarum actiones perpetuas reddam.

Magna enim sunt *opera Domini* : omnia, in ordine præsertim gratiæ, mire ordinavit ut impleatur sanctissima ejus voluntas, quæ est sanctificatio et æterna glorificatio creaturarum ejus, ad imaginem ipsius conditarum.

Confessio et magnificentia opus ejus.... Misericordia Dei erga hominem lapsum, promissus Redemptor, ejusque adventus per vetus Testamentum præparatus, et demum novi Testamenti per ipsum Redemptorem constitutio : quam magnifica, quam justa et sancta, quamque laude digna conspiciuntur !

At vero mirabilius est illud monumentum vivum omnium mirabilium suorum, Eucharistiæ mysterium, quod simul ut sanctionem novi Testamenti, ineffabili misericordia constituit Dominus, dicens : *Hoc est corpus meum... hic calix novum testamentum est in meo sanguine : hoc facite in meam commemorationem.*

Vere *misericors et miserator Dominus, escam dedit timentibus se*, animabus scilicet puris et diligentibus se.

Testamenti sui ita constituti atque sanciti *memor erit* ; et relicto nobis tali ac tanto pignore, promissionem suam de vita æterna, continuo miraculo implebit : *Virtutem operum suorum annuntiabit*, notam ac manifestam faciet *populo suo*, ut det Ecclesiæ suæ imperium orbis terrarum, victoriam de universis hostibus suis, et patriam ac hæreditatem æternam. — In his omnibus operibus ejus effulgebit *veritas et judicium* : veritas promissionum erga bonos ; judicium vindicativum erga malos.

Nota. — Illa *virtus operum suorum*, quam Deus ostendet servis suis, non tantum refertur ad singulare auxilium, Ecclesiæ ac fidelibus concedendum ; sed etiam ad ipsam Ecclesiæ constitutionem, sacramenta, gratiam, Incarnationem, aliaque mysteria : quæ revelabit fidelibus, et quidem eo clarius, quo verius

erunt populus ipsius, quoque intimius cum ipso conjuncti per Eucharisticum alimentum. *Annuntiabit populo suo...* — *Omnia*, inquit, *quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis*. Joan. XV, 15.

Fidelia omnia mandata ejus... Ut illa bona assequamur, necessaria est observatio legis evangelicæ, omniumque mandatorum Christi; quæ servanda sunt eo studiosius, quod fidelia sunt, immutabilia et sanctissima.

Etenim Redemptorem misit Dominus ipsum Filium suum unigenitum, Jesum Christum, æternam Sapientiam, qui sanctissimis mandatis constituit pactum cum populo suo, dicens: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur*. Marc. XVI, 16.

Sanctum ergo *et terribile nomen ejus*, salvans bonos, damnans malos: sanctificans volentes, eos vero qui sanctificationem noluerint, perdens in gehenna.

Quare *initium sapientiæ timor Domini*; et observatio legis christianæ vera prudentia atque intelligentia est: hac enim sequitur homo ipsam Sapientiam incarnatam, quæ est via, et veritas, et vita. — Cui laudes æternæ: *Laudatio ejus manet in sæculum sæculi*.

PSALMUS CXI.

Beatus vir qui timet Dominum.

1. Beatus vir qui timet Dominum: in mandatis ejus volet nimis.

1. Beatus vir qui timet Dominum, et in mandatis ejus delectatur penitus.

2. Potens in terra erit semen ejus: generatio rectorum benedicetur.

2. Florebit in terra posteritas ejus; nam soboles justorum benedicetur.

3. Gloria et divitiæ in domo ejus: et justitia ejus manet in sæculum sæculi.

3. Gloria et divitiæ in domo ejus abundabunt; simulque justitia ejus thesaurus ipsi est, æternum manens.

4. Exortum est in tenebris lumen rectis: misericors, et miserator et justus.

4. In tenebris adversitatis exortum est lumen hominibus rectis: nempe ipse Deus misericors et miserator et justus.

5. Jucundus homo qui miseretur et commodat, disponet sermones suos in judicio: quia in æternum non commovebitur.

5. Jucunde habebit homo qui miseretur et commodat egenis, quique disponit sermones suos in maturitate judicii et charitate: stabilis idem erit, et in æternum non commovebitur.

6. In memoria æterna erit justus : ab auditione mala non timebit.

6. In memoria æterna erit justus : ab auditione mala, id est, a verbo malo timendum non habebit.

7. Paratum cor ejus sperare in Domino, confirmatum est cor ejus : non commovebitur donec despiciat inimicos suos.

7. Paratum semper cor ejus sperare in Domino, ideo in omni casu firmum erit cor ejus ; nec commovebitur ipse donec videat prostratos inimicos suos.

8. Dispersit, dedit pauperibus : justitia ejus manet in sæculum sæculi, cornu ejus exaltabitur in gloria.

8. Dispersit divitias suas deditque pauperibus : quæ justitia ejus permanet in sæculum sæculi, reposita tanquam thesaurus in cœlo, ubi cornu ejus seu potentia exaltabitur in gloria.

9. Peccator videbit et irascetur, dentibus suis fremet et tabescet : desiderium peccatorum peribit.

9. Peccator videbit hanc justi felicitatem, et invidus irascetur, dentibusque suis fremet et tabescet ; sed vanum istud desiderium peccatorum peribit.

—

Explicatio.

Argumentum. — Psalmista celebrat felicitatem justi, enumerando bona ipsi obventura, præcipue temporalia, quæ imago sunt ac velut umbra bonorum spiritualium ipsi promissorum.

Sensu accommodato, psalmus iste est vox Ecclesiæ, beatitudinem quam Christus attulit, prædicantis.

I. *Felicitas justi ob pietatem erga Deum.*
II. *Felicitas justi ob charitatem erga proximum.*
III. *Infelicitas peccatoris.*

—

1. *Beatus vir qui timet Dominum : in mandatis ejus volet nimis.*

2. *Potens in terra erit semen ejus : generatio rectorum benedicetur.*

3. *Gloria et divitiæ in domo ejus : et justitia ejus manet in sæculum sæculi.*

4. *Exortum est in tenebris lumen rectis : misericors et miserator et justus.*

Prima pars : asseritur, justum ac timentem Deum fore felicem omnibus bonis animi, corporis, fortunæ, gratiæ et gloriæ. — Ista enim cuncta probitatis præmia singillatim recensen-

tur : 1° soboles, 2° gloria et divitiæ, 3° justitia permanens, 4° lumen in tenebris.

Beatus, inquit, *vir qui timet Dominum* : (et qui) *in mandatis ejus volet nimis* : id est, qui Deum ex animo colit, eique obedit, ita ut in lege ejus plane delectetur sibique complaceat. — *Vir* justus dicitur in genere et universim ; implicite tamen et sensu altiore, spectatur in particulari Christus ejusque asseclæ singuli.

2. *Potens in terra erit semen ejus : generatio rectorum benedicetur*. Sensus est, vel 1° soboles justorum benedictione Dei prosperabitur ; — vel 2° ut Genebrardus exponit, sumendo *generationem* pro *sæculo*, *ætate* : sæculum justorum fortunabitur et felix erit, quia benedictio qua justi cumulabuntur, in eorum coævos redundabit. Quæ tamen expositio minus probabilis.

3. *Gloria et divitiæ in domo ejus* : — *justitia ejus manet in sæculum sæculi* : id est, probitas ejus aliud divitiarum genus continet, quod immortale est. — Hic *justitia* sumitur pro pietate erga Deum ejusdemque pietatis mercede æterna ; infra, versiculo penultimo, accipietur pro beneficentia erga proximos, ejusdemque beneficentiæ fructu similiter æterno ; initio psalmi præcedentis, eadem locutio respectu Dei significat sanctitatem divinam, qua Deus semper agit, quaque operationes ejus essentialiter sanctæ sunt : *Justitia ejus manet in sæculum sæculi*.

4. *Exortum est in tenebris lumen rectis*... id est, in rebus adversis, vel in perplexitatibus ac dubitationibus, exoritur justis lumen : nempe *misericors et miserator et justus* Deus, qui has tenebras dissipat (1). — Illa Dei epitheta, misericors et miserator, sic distinguunt aliqui, ut *misericors* respiciat essentiam, qua Deus in se misericordissimus est ; *miserator* vero, effectus divinæ misericordiæ erga homines : ita ut *miserator* idem sit ac misericordiam exercens.

5. *Jucundus homo qui miseretur et commodat, disponet sermones suos in judicio : quia in æternum non commovebitur.*

Incipit *secunda psalmi pars*, de beatitudine justi benefici ; et sensus est quasi diceretur : Beatus qui miseretur pauperum, et

(1) Expositio tradita, quæ refert ad Deum attributiva *misericors*, *miserator et justus*, communis quidem est et Vulgatæ versioni respondet ; probabiliter tamen, juxta hebraicam veritatem, illa eadem attributiva referenda sunt ad hominem rectum qui describitur ; hoc modo : *Misericors et miserator et justus* est homo rectus.

indigentes adjuvat pecunia, verbo et consilio. — Etenim *jucundus*, idem est ac bonus, vel bene et jucunde habens, adeoque beatus. Juxta alios tamen, *jucundus* significat amabilis : nempe, amabilis est homo beneficus.

Qui miseretur : id est, qui misericors est, sive ad condonandas offensas, sive ad eleemosynas erogandas. — Et qui *disponet sermones suos in judicio :* id est, qui recte, cum prudentia ac maturitate dispensat et moderatur sermones ; ut nimirum neminem lædat, sed potius proximo bene consulat.

Hujusmodi homo beneficus felix erit, quia multa bona ipsi obvenient, qualia sunt : 1° stabilitas, 2° memoria æterna, 3° securitas ab auditione mala, 4° firmitas et triumphus in adversis, 5° spiritus liberalitatis, qui et ipse est principium meriti ac præmii æterni.

Quia in æternum non commovebitur : id est, nunquam evertetur e sua jucunda felicitate, nec dejicietur de constantia mentis, succumbendo tentationibus. Tempore enim adverso Deus ei aderit, saltem ut ei præstet animi constantiam et fidei firmitatem.

6. *In memoria æterna erit justus : ab auditione mala non timebit.*

7. *Paratum cor ejus sperare in Domino, confirmatum est cor ejus : non commovebitur donec despiciat inimicos suos.*

8. *Dispersit, dedit pauperibus : justitia ejus manet in sæculum sæculi ; cornu ejus exaltabitur in gloria.*

Exponere pergit bona viri benefici. *In memoria*, inquit, *æterna erit justus* : id est, vir beneficus, eleemosynarius, erit in memoria æterna et quidem *gloriosa* ; nec tantum apud homines in terra, sed multo magis apud Deum et Angelos in cœlo. Nomen ejus erit scriptum in libro vitæ, nec unquam delebitur. Huic promissioni consonat quod alibi legitur : *Et eleemosynas illius enarrabit omnis Ecclesia sanctorum.* Eccli. XXXI, 11.

Ab auditione mala non timebit : id est, 1° non terrebitur malo nuntio, seu rei adversæ auditu ; præcipue auditu sententiæ sinistræ in die judicii ; — 2° non terrebitur detractionibus et vituperationibus impiorum.

7. *Paratum cor ejus sperare in Domino, confirmatum est cor ejus : non commovebitur donec despiciat inimicos suos.* — Sensus est : Cor ejus fiducia in Deo plenum, dispositum est ad sperandum in omni eventu ; ideoque in rebus adversis sperabit ; ac propterea firmiter consistet, suffultus manu Dei, donec de omnibus inimicis suis, sive visibiles sint, sive invisibiles, triumphet.

8. *Dispersit dedit pauperibus...* id est, larga manu, et universaliter, ubicumque indigentia occurrit, eleemosynas distribuit, et velut semen sparsit in sinus pauperum... — Hæc verba si in specie de Christo intelligantur, cui apprime conveniunt : nomine *pauperum* designabunt, tum spiritualiter miseros et peccatores omnes ; tum peculiari quodam sensu *pauperes spiritu*, qui suis oculis pauperes sunt, suamque paupertatem agnoscunt.

Justitia ejus manet in sæculum sæculi : id est, virtutis ejus meritum erit perpetuum ; — vel melius, restringendo *justitiam* ad eleemosynas : fructus eleemosynarum quas seminavit, erit æternus, et fiet ei corona gloriæ in cœlis. Quare sequitur : *Cornu ejus exaltabitur in gloria* : id est, beatitudo ejus ad culmen elevabitur in gloria æterna. Hæc enim interpretatio præferenda videtur huic alteri : *Cornu ejus*, id est, prosperitas, felicitas et potentia ejus, eleemosynis non minuetur, sed potius *exaltabitur*, augebitur in tempore præsenti. — Uterque tamen sensus conjungi potest.

9. *Peccator videbit et irascetur, dentibus suis fremet et tabescet : desiderium peccatorum peribit.*

Tertia pars, miseria et ruina peccatoris. — *Peccator*, inquit, videbit... nempe felicitatem et gloriam justi, in utroque sæculo; et inde ira atque invidia exardescet : *Et irascetur, dentibus suis fremet et tabescet.* — At vero, frustra se torquebit : *Desiderium peccatorum*, quo nempe sibi cupiunt bona et magnitudinem, justis vero ruinam ; desiderium illud pessimum, ardentissimum et inexstinguibile *peribit*, decidetque inane, nihilque proderit ipsis peccatoribus, nihil nocebit justis.

Hæc tertia pars, et psalmi conclusio ostendit, impiis evenire contraria felicitati justorum : continetque picturam vividissimam invidiæ et miseriæ peccatoris, oppositam beatæ sorti servorum Dei.

Sensus liturgicus.

Ecclesia in hoc psalmo, tum Christi, tum cujuslibet Christi discipuli finem spectat, in vera beatitudine situm ; atque in benedictione Dei, qua jam in hoc sæculo, at præsertim in futuro vir ille justus cumulabitur : impio interim delabente in finem quoque suum, nempe in interitum : *Desiderium peccatorum peribit.*

Porro beatitudo justi spectatur adæquate, id est, quatenus continet bona omnia justo promissa, sive pro tempore, sive pro æternitate : *Centuplum nunc in tempore hoc, et in sæculo futuro vitam æternam.* Matth. XIX, 29 ; Marc. X, 30.

Divitiæ, aliaque temporalia bona justis promissa, intelligun-

tur tum proprie, tum metaphorice. 1° Sensu proprio, bona temporalia quæ promittuntur, intelligenda sunt cum exceptione castigationis et crucis : quæ, utpote gloriæ æternæ meritoria, longe melior est quam prosperitas quævis temporalis : *Beatus vir qui suffert tentationem*... (Jac. I, 12.) — 2° Sensu metaphorico, similia designant bona ordinis spiritualis : nempe bona gratiæ in hoc sæculo, et bona gloriæ in futuro.

Vir qui timet Dominum dicitur quidem in genere et universim ; implicite tamen spectatur in particulari Christus, singulique sancti ac justi, qui una cum Christo vere timent Dominum.

Beatus ergo prædicatur, non ille qui longa et jucunda vita fruitur, mundanisque gaudiis abundat ; sed ille, et ille solus *qui timet Dominum*, totoque animo sese impendit obsequio Dei : *In mandatis ejus volet nimis.*

Potens in terra erit semen ejus... tum semen filiorum secundum carnem, quos sæpe numero ac virtute auget Deus ; tum semen filiorum secundum spiritum, quos justus vitæ æternæ generat et alit ; tum semen bonorum operum, quæ fructificant permanenter, et Christi bonum odorem spargunt : atque ita *generatio rectorum benedicetur.*

Gloria et divitiæ in domo ejus... Nempe in familia justi, — in ejus munere, — in ejus anima, — in Ecclesia, quæ domus ejus est in terra ; — in ipso cœlo, quæ domus ejus futura est : gloria et divitiæ, præsertim spirituales abundabunt, ex justitia ejus tanquam ex fonte perenni manantes.

In tenebris, in cæcitate, in nocte qualibet, exoritur ei lumen : nempe misericordia, gratia, fides, justitia Domini semper præsens et parata. *Cum ipso*, inquit Dominus, *sum in tribulatione* (Ps. XC) ; quapropter *nox* ejus *sicut dies illuminabitur*. Ps. CXXXVIII.

Beatus autem beatitudine peculiariter amabili ac jucunda, beatitudine scilicet charitatis, est homo misericors et beneficus : qui corde, opere et verbis benignus est et suavis erga omnes ; *speciosus* ille apparet *præ filiis hominum*, *diffusa gratia in labiis ejus* (Ps. XLIV). Sua misericordia firmabitur in pace, et ab omni lapsu atque commotione noxia servabitur immunis : *Quia in æternum non commovebitur.*

In memoria æterna erit, et eleemosynas ejus omnigenamque beneficentiam enarrabit omnis Ecclesia sanctorum. — A verbis hominum injustis aut amaris, et a tremendo verbo Dei in die judicii securus erit : *Misericordes* enim *misericordiam consequentur*. Matth. V, 7.

Hinc quoque spe firmatus in Domino, nullo hostium suorum, tum visibili, tum invisibili impetu labefactabitur ; sed inimicos suos omnes, sive auxilio gratiæ, sive vi charitatis suæ, sive

effectu justitiæ Dei, devictos videbit. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum ; si sitit, potum da illi : hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput ejus. Noli vinci a malo, sed vince in bono malum.* Rom. XII, 20, 21.

Dispersit, dedit pauperibus... En misericordiæ ac charitatis fructus specialis : effusa in pauperes liberalitas ; seu sensus ac veluti gustus eleemosynarum, quod singulare quoddam Dei donum est, gratia seminatrix gratiarum ac meritorum. Donum scilicet illud pretiosum Deus amicis suis concedit, ut bene utantur divitiis hujus mundi, utque intelligant, quanta sapientia sit, per eleemosynas transferre thesauros suos in cœlum, ubi *nec tinea demolitur, nec fures effodiunt et furantur* (Matth. VI, 19). Hæc enim *justitia* seu largitio, in manu Dei deposita manet, et tanquam æternum gloriæ pondus reddenda in cœlis : *Cornu ejus exaltabitur in gloria.*

Peccator videbit, et irascetur... Quam dissimilis ab hac felicitate sors misera peccatorum ! Nulla hic spirat pietas, nulla beneficentia, aut ædificatio cujuspiam boni operis, nulla pax aut tranquillitas, nulla vera prosperitas ; sed spiritus invidiæ ac destructionis, ira ac furor impotens, et omnigena ruina, quæ præsertim apparebunt in die judicii : *Desiderium peccatorum peribit.*

—

PSALMUS CXII.

Laudate pueri.

1. Laudate, pueri, Dominum : laudate nomen Domini.

1. Laudate, o servi Domini, Dominum : laudate nomen Domini.

2. Sit nomen Domini benedictum, ex hoc nunc, et usque in sæculum.

2. Dicite : Sit nomen Domini benedictum, nunc, et semper usque in sæculum.

3. A solis ortu usque ad occasum, laudabile nomen Domini.

3. Ab oriente usque ad occidentem, laudandum est nomen Domini.

4. Excelsus super omnes gentes Dominus : et super cœlos gloria ejus.

4. Excelsus est enim Dominus super omnes gentes ac reges terræ ; imo super cœlorum principes gloria ejus.

5. Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat : et humilia respicit in cœlo et in terra ?

5. Quis sicut Dominus Deus noster, qui in excelsis habitat ? Et tamen humiles respicere dignatur creaturas in cœlo et in terra :

6. Suscitans a terra inopem : et de stercore erigens pauperem.

6. Suscitans a terra jacentem inopem, et de squalore erigens pauperem ;

7. Ut collocet eum cum principibus : cum principibus populi sui.

7. Ut collocet eum cum principibus, cum principibus populi sui.

8. Qui habitare facit sterilem in domo, matrem filiorum lætantem.

8. Qui habitare facit sterilem in familia multa, efficiens eam matrem filiorum lætantem.

—

Explicatio.

Argumentum. — Litterali ac immediato sensu, invitantur omnes justi, præsertim Israelitæ, ad laudandum Deum : qui, cum sit altissimus, non dedignatur creaturas suas benigne respicere et beneficiis exaltare.

Allegorice, invitantur omnes homines ut Christum laudent, qui de summo cœlo in hæc infima descendere dignatus est, ut hominem jacentem erigeret, et sterilem gentilitatem sibi in sponsam fecundam assumeret.

I. *Laudandus Dominus ab universo mundo.*
II. *Laudandus, quia ipse altissimus humiles exaltat.*

—

1. *Laudate, pueri, Dominum : laudate nomen Domini.*

2. *Sit nomen Domini benedictum : ex hoc nunc et usque in sæculum.*

3. *A solis ortu usque ad occasum, laudabile nomen Domini.*

Laudandum dicit Deum ab universo mundo : quæ prima pars est psalmi. — *Laudate*, inquit, *pueri*... invitans *pueros*, id est *servos* Domini, ut laudent *nomen* ejus. Ponitur autem *nomen Domini* pro ipso *Domino* (1). Sunt tamen interpretes qui censent, ideo frequenter poni colendum ac laudandum esse *nomen* Domini, quia clarius nobis affulget nomen Dei, quam ipse Deus : sicut melius cognoscimus attributa Dei, quam essentiam ejus. Nomen enim, vel nomina Dei, Deum nobis per aliquod ejus attributum exhibent : ideo dicitur, *Omnipotens, Admirabilis*... nomen ejus.

2. *Sit nomen Domini benedictum*... Declarat quomodo servi

(1) Cf. supra, Ps. VIII, 1 ; page, 25.

Dei laudare nomen Domini debeant : Dicite , ait , dicite intimo cordis affectu : *Sit nomen Domini benedictum*, i. e. sit a creaturis collaudatum. Nomen Dei in se quidem, et per se est benedictum et beatum ; sed in nobis quoque et per nos benedicitur et glorificatur, quando ejus majestatem agnoscimus et prædicamus. — Quod addit, *ex hoc nunc* (ἀπὸ τοῦ νῦν) *et usque in sæculum*, id est, a præsentibus generationibus laudetur et futuris , in hac vita et in futura : semper laus Domini in ore hominum.

3. *A solis ortu usque ad occasum, laudabile nomen Domini.* Hinc usque ad finem psalmi, rationes addit propheta, cur Deus celebrandus sit. — Illud *a solis ortu usque ad occasum*, intelligi potest vel de tempore, ita ut significetur : ab aurora usque ad vesperam ; vel melius de loco : ab Oriente usque ad Occidentem. — *Laudabile nomen Domini*, id est , dignum laude , vel actu laudatum ac celebratum. In posteriore acceptione, ut patet, vaticinium continetur de conversione Gentium, simile vaticinio Malachiæ : *Ab ortu solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus*. Malach. I, 11.

4. *Excelsus super omnes gentes Dominus : et super cœlos gloria ejus.*

5. *Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, et humilia respicit in cœlo et in terra ?*

Incipit *secunda pars* : laudandi causa. — Nimirum semper et ubique laudandus est Dominus , quia ex una parte in se est altissimus ; ex altera vero, erga humiles creaturas suas benignissimus.

Excelsus, inquit, *super omnes gentes Dominus*... 1° Si admittas, cum S. Joanne Chrysostomo , sensum propheticum supra propositum , recte cum Genebrardo particulam *super* vertes per *apud* ; ita ut habeas repetitionem explicativam versiculi præcedentis, hoc modo : Agnoscitur Deus ut supremus Dominus apud omnes gentes in terra ; et in cœlis , apud cœlites gloria ejus celebratur. — 2° Rectius tamen videtur plerisque sic exponendum : Superior est Dei majestas omni magnitudine populorum ac principum terræ, imo , major omni magnitudine cœlorum ; — vel etiam : Omnes laudes terrigenarum et cœlitum excedit.

Quis sicut Dominus... qui in altis habitat , et humilia respicit in cœlo et in terra ? — 1° Sunt qui explicant ista per hyperbaton, seu transpositionem verborum , ita ut constructio sententiæ regulariter esset ista : Qui in altis habitat in cœlo ; simul humilia respicit in terra. — 2° Melius : Quamvis sit excelsus ac summus Dominus , non dedignatur tamen aspicere humillima quæque in cœlo et in terra. — Scilicet , tum oculo providentiæ

minutissima quæque attingit ; tum oculo gratiæ ac misericordiæ, intuetur homines humiles in terra : sicut in cœlo angelos humiles, a superbia Luciferi alienos, intuitus est, et ad gloriæ suæ participationem evexit. — Altiore tamen et prophetico sensu, ait Bellarminus, significatur his verbis, Deum in cœlis sedentem, non neglexisse genus humanum, in terra per peccatum profundissime abjectum.

6. *Suscitans a terra inopem : et de stercore erigens pauperem.*

7. *Ut collocet eum cum principibus : cum principibus populi sui.*

8. *Qui habitare facit sterilem in domo, matrem filiorum lœtantem.*

Exemplis duobus superiorem propositionem declarat, ostendendo quomodo Deus respiciat humiliationem pauperis et despectionem sterilis : unum exaltando, alteram prole lætificando. — Nomine *inopis*, 1° innuuntur singuli homines illi, quos ex infimo gradu Deus evexit ad summum : quales fuerunt Joseph patriarcha, Moyses, David et similes. — 2° Præcipue designatur generatim humanum genus, et pusillus electorum grex, quos Salvator de stercore terræ, deque sordibus peccati suscitavit ; ut collocaret *cum principibus*, non quibuscumque, sed *cum principibus populi sui,* possessoribus cœlestis Jerusalem : nempe cum angelis, patriarchis, prophetis et Apostolis.

Hæc, ut Bellarminus merito animadvertit, vere magna exaltatio est, et Dei munificentia vere digna. Nam exaltatio a paupertate temporali ad opes regni temporalis, etiamsi nobis magna esse videatur ; vere tamen exigua ac pene nulla exaltatio est, cum opes regni caducæ sint, et ad dispensandum traditæ, et cum obligatione reddendæ rationis in die judicii, simulque conjunctæ cum magna afflictione spiritus et periculo æternæ salutis amittendæ. At exaltatio a statu peccati et mortis, ad statum gloriæ et beatæ immortalitatis, ad æqualitatem angelorum, ad consortium boni illius, quod ipsum Deum beatum facit : hæc vera, et vere magna, et maxime appetenda exaltatio est. — Ita Bellarminus.

8. *Qui habitare facit sterilem in domo, matrem filiorum lœtantem.* Per *domum* intelligitur familia, ita ut sensus sit : Qui facit ut sterilis, quæ manebat solitaria, jam habitet in numerosa familia, sitque materfamilias, gaudens filiorum multitudine.

Nomine *sterilis* hic similiter 1° innuuntur illæ feminæ, quæ peculiari Dei benedictione prolem susceperunt, ut Sara, Re-

becca, Rachel ; nec non Anna, mater Samuelis, quæ etiam sic Deum laudavit : *Dominus pauperem facit et ditat, humiliat et sublevat. Suscitat de pulvere egenum, et de stercore elevat pauperem : ut sedeat cum principibus, et solium gloriæ teneat... Repleti prius pro panibus se locaverunt, et famelici saturati sunt : donec sterilis peperit plurimos, et quæ multos habebat filios infirmata est* (1 Reg. II, 7, 5). — 2° Sensu altiore ac præcipuo, intelligitur Ecclesia, ex gentibus congregata, quæ longo tempore mansit sterilis, sed in senectute peperit plurimos, juxta illud Apostoli : *Lætare, sterilis, quæ non paris; erumpe et clama, quæ non parturis : quia multi filii desertæ, magis quam ejus quæ habet virum.* Gal. IV, 27, ex Isai. LIV.

Sensus liturgicus.

Ecclesia in hoc sacro carmine, præcipue considerat futuram exaltationem fidelium, fundatam in sancta humiliatione, juxta exemplum Christi. Hunc enim similiter Pater per humiliationem exaltavit : *Humiliavit semetipsum... propter quod et Deus exaltavit illum* (Phil. II, 8, 9). — In festis de Virginibus, et in dedicatione Ecclesiarum, peculiarem significationem continet versiculus ultimus : *Qui habitare facit sterilem in domo...* Porro totus Ecclesiæ sensus in hoc psalmo ut clarius pateat, hoc fere modo explicari potest.

Laudate, inquit, o servi Dei, laudate Deum ac Dominum nostrum Jesum Christum : sit benedictum nomen illud quod est super omne nomen ; *et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris.* Phil. II, 11.

Omnis lingua, omni tempore, omni loco, *a solis ortu usque ad occasum*, illum adoret ac celebret, qui universo mundo, omnibus hominibus, omnibus diebus, in prosperis et in adversis, in hoc sæculo et in futuro, causa existit salutis et vitæ ; qui est solus Sanctus, solus Dominus, solus Altissimus, Jesus Christus, cum sancto Spiritu, in gloria Dei Patris.

Excelsus super omnes gentes... Quid enim est omnis majestas ac gloria hujus mundi, quid ipsa gloria et splendor principum cœli, Cherubim atque Seraphim, præ celsitudine Filii Dei unigeniti, Domini ac Regis universorum ?

Quis sicut Dominus Deus altissimus, qui Dominus Deus *noster* factus est, et de sede magnitudinis suæ respiciens abjectionem nostram in visceribus misericordiæ suæ visitavit nos, oriens ex alto. Ipsemet Filius Dei incarnatus, in hæc infima descendere dignatus est, ut homines peccatores erigeret : *Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus* (Joan. I, 12). *Si autem filii, et hæredes : hæredes quidem Dei.* Rom. VIII, 17.

Humilia respicit... suscitans a terra inopem, et de stercore erigens pauperem... illos scilicet solos exaltandos respicit, qui vere et spiritu sunt humiles ; eos ditat, qui spiritu sunt pauperes. *Respexit humilitatem ancillæ suæ... deposuit potentes de sede et exaltavit humiles ; esurientes implevit bonis, et divites dimisit inanes.* Luc. I, 48, 52, 53.

Ut autem humiles omnes, ac filios Dei dispersos congregaret in unum, formavit sibi ex gentilitate Ecclesiam, sponsam dilectissimam. Dilexit eam sterilem, humiliatam ; et ineffabili amore *se tradidit pro ea... ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta et immaculata.* Eph. V, 27.

Hanc sponsam sanctam, humilem, introduxit in domum suam, et gratia sua perfusam, perpetuo fecundat, ac numerosa prole lætificat.

Porro Ecclesiæ, sponsæ Christi, simillima est filia ejusdem Ecclesiæ primogenita, Virgo et Mater Maria, cum reliquis Virginibus venientibus post eam ; ad quas singulas pertinet illud : *Qui habitare facit sterilem in domo matrem filiorum lætantem.*

—

PSALMUS CXIV.

Dilexi, quoniam exaudiet Dominus.

1. Dilexi, quoniam exaudiet Dominus vocem orationis meæ.

1. Dilexi Dominum : quoniam exaudiet vocem orationis meæ.

2. Quia inclinavit aurem suam mihi : et in diebus meis invocabo.

2. Quia benignissime inclinavit aurem suam mihi : ideoque diebus meis omnibus invocabo ipsum.

3. Circumdederunt me dolores mortis : et pericula inferni invenerunt me.

3. Ecce circumdederunt me dolores mortis ; et angustiæ sepulcri comprehenderunt me.

4. Tribulationem et dolorem inveni : et nomen Domini invocavi.

4. Tribulationem et dolorem offendi : at nomen Domini invocavi, dicens :

5. O Domine ! libera animam meam : misericors Dominus et justus, et Deus noster miseretur.

5. O Domine ! libera animam meam. — Confido autem, quia Dominus misericors et justus quidem est, sed ut Deus noster, propensius miseretur.

6. Custodiens parvulos Dominus : humiliatus sum et liberavit me.

6. Custodit peculiariter humiles Dominus : ideoque cum ad humilem statum redactus essem, liberavit me.

7. Convertere, anima mea, in requiem tuam : quia Dominus benefecit tibi.

7. Revertere ergo, anima mea, in requiem tuam : quia Dominus benefecit tibi.

8. Quia eripuit animam meam de morte, oculos meos a lacrymis, pedes meos a lapsu.

8. Quia liberavit animam meam de morte, oculos meos a lacrymis, pedes meos ab offensione et lapsu.

9. Placebo Domino in regione vivorum.

9. Itaque placere Domino contendam, tum in præsenti, tum in futura regione vivorum.

Explicatio.

Argumentum est oratio justi, propter tentationes hujus vitæ et pericula gementis, et ad cœlestem patriam suspirantis. Hæc est sententia Patrum, præferenda opinioni eorum, qui cum Judæis psalmum exponunt de temporali aliquo morbo, a quo liberari cupiebat propheta.

Porro hujusmodi oratio justi accommodari potest imprimis Christo Domino ; deinde vero, ejus dicipulis, sive in hoc mundo, sive in purgatorio patientibus.

I. *Quomodo justus Deum diligat.*
II. *Quomodo tribulationibus subjiciatur.*
III. *Quomodo ab iis liberetur.*

---

1. *Dilexi, quoniam exaudiet Dominus vocem orationis meæ.*

2. *Quia inclinavit aurem suam mihi : et in diebus meis invocabo.*

Dilectionem cordis sui exprimit, exclamans : *Dilexi...* intellige, *dilexi* Dominum.

Sunt tamen interpretes qui illud *dilexi* absolute dictum censent. Ex eorum sententia propheta non determinat dilectionis speciem, neque addit utrum Deum diligat an creaturam : quasi hoc determinare superfluum sit. Non enim habetur nisi unica dilectio vera : nempe dilectio charitatis, qua diligimus illud objectum quod solum vere est amabile, et simpliciter bonum, Deum. Deus namque solus omnem rationem boni continet, omnemque rationem mali excludit ; quod significat Joannes, dicens : *Deus lux est, et tenebræ in eo non sunt ullæ* (I Joan. I, 5). — Quod ergo dicit : *Dilexi*, significat : Charitate seu amore Dei inflammatus sum. —

Diligit autem, in mediis tribulationibus positus , ut mox patebit : quod veræ et solidæ charitatis signum est.

Dilectionis suæ rationem subjungit , dicens : *Quoniam exaudiet Dominus vocem orationis meæ*. Quasi diceret : Dilexi Dominum, quoniam benignus et misericors est, et ex naturali sua benignitate exaudire paratus preces vilissimi servi sui Hoc autem experientia novit , prout continuo declarat dicens :

2. *Quia inclinavit aurem suam mihi* : id est , sæpius jam exaudivit me, imo inclinatam tenet aurem, paratus semper ad audiendum me. — Altiore sensu , Deus inclinat aures ad nos , quando per gratiam prævenientem nos ad orandum movet.

Et in diebus meis invocabo : id est, ideoque tam benignum Dominum omnibus diebus meis , quamdiu vivam, invocabo. — Altiore sensu, dies intelligi possunt illi, quibus peculiariter divina gratia affulget, et quibus peculiariter Deus audire nos paratus est, ideoque ferventius invocandus, secundum illud : *Ecce nunc tempus acceptabile , ecce nunc dies salutis* (II Cor. VI, 2). Insinuatur quoque , Deum esse invocandum tempore vitæ et valetudinis, nec differendum tam grave officium usque ad mortem.

3. *Circumdederunt me dolores mortis* : *et pericula inferni invenerunt me.*

4. *Tribulationem et dolorem inveni* : *et nomen Domini invocavi.*

5. *O Domine, libera animam meam : misericors Dominus, et justus, et Deus noster miseretur.*

Secunda pars, de tribulationibus, quæ orationis ejus sunt urgens objectum. — Ingentia mala inquit , me premunt undique : *Circumdederunt me dolores mortis* , id est, mortiferi dolores, angustiæ gravissimæ ; *pericula inferni*, id est, pericula mortis temporalis aut etiam æternæ, mihi imminent. De tentationibus, scandalis , et animæ periculis hæc sensu spirituali intelligenda sunt.

4. *Tribulationem et dolorem inveni*, *et* (id est , *at*) *nomen Domini invocavi*. Magis depingit suam miseriam, subjungens, se omni ex parte velut occurrentes habuisse tribulationes : at vero iis non est devictus, nec in desperationem dejectus ; sed potius ad invocandum Deum excitatus : *Et nomen Domini invocavi*. — S. Basilius paulo aliter exponit, ut sensus sit : Peccatum mortale commisi , quapropter in mortem animæ incidi, et in pericula inferni seu gehennæ deveni ; sed tribulationem et dolorem pœnitentiæ salutaris inveni , inde corde

contrito Dominum invocavi, dicens : *O Domine, libera animam meam.*

5. *O Domine, libera animam meam*... Invocationem de qua locutus est, subjungit, quasi diceret : Obsecro, Domine, libera me de doloribus mortis et de periculis inferni.

Perfecta precatur cum fiducia, quam profitetur addendo : *Misericors Dominus et justus* (est), *et Deus noster miseretur* ; quasi diceret : In misericordia Domini confido : nam etsi justus est, et tribulationes juste pro peccatis infligit ; simul tamen et quidem maxime miseretur. — Insinuatur scilicet, Deum magis esse pronum ad miserandum, quam ad puniendum.

6. *Custodiens parvulos Dominus : humiliatus sum, et liberavit me.*

7. *Convertere, anima mea, in requiem tuam : quia Dominus benefecit tibi.*

8. *Quia eripuit animam meam de morte, oculos meos a lacrymis, pedes meos a lapsu.*

Tertia pars, liberatio. — Jam ostendit, se auxilium et misericordiam invenisse in Domino, ideo præcipue, quia humiliavit se, et humilitate sua Dei gratiam meruit. Dominus enim humiles custodit quasi mater : *Custodiens parvulos*, id est, simplices, humiles, timentes Deum : nomen illud non ætatis est, sed habitus moralis.

Humiliatus sum, id est, sensu passivo, tribulatione afflictus ; — vel melius, sensu activo : parvulus esse studui, in afflictione me sub manu Dei humiliavi : ideoque Dominus *liberavit me.* — Liberatus, saltem in spe, homo justus, gratulatur sibi ipsi tantum bonum dicens :

7. *Convertere, anima mea, in requiem tuam*... id est, redi ergo, anima mea, ad pristinam tuam tranquillitatem, ne amplius perturbata esto ; *quia Dominus benefecit tibi* : id est, quia Dominus te protegendam suscepit. — Sensu altiore : Revertere ad Patrem tuum, convertere omni spe ac desiderio ad cœlestem requiem, quia Dominus magnum tibi bonum seu beneficium contulit. Hoc autem Dei beneficium explicat, addens :

8. *Quia eripuit animam meam de morte oculos meos a lacrymis, pedes meos a lapsu.* En magnum Dei beneficium : liberatio ab omni malo et incommodo, inchoata jam in hoc sæculo, consummanda in futuro.

9. *Placebo Domino in regione vivorum.*

Conclusio. — Pro tantis Dei beneficiis ut gratiam rependat : Domino, inquit, placere studebo quoad ero in regione vivorum, seu quamdiu in terra vivam. — At vero quoniam hæc terra potius mortuorum regio est quam vivorum, censetur Spiritus sanctus præcipue vitam respicere futuram, quæ regio est viventium, in qua sola vere vivitur et perfecte Deo placetur. — Quod Vulgata post LXX vertit *placebo Domino*, in hebræo dicitur *ambulabo coram Domino*; unde intelligimus hæc duo, *ambulare coram Deo*, et *Deo placere*, lingua Scripturarum esse synonyma.

Sensus liturgicus.

Psalmum *Dilexi*, dum in vesperis officii Defunctorum recitat Ecclesia, loquitur in persona animarum fidelium; Deumque in tribulatione sua invocat cum amore et fiducia magna, spe gaudens proximæ liberationis. *Tribulationem et dolorem inveni : et nomen Domini invocavi. O Domine, libera animam meam... Ingredere, anima mea, in requiem tuam... Placebo Domino in regione vivorum.*

PSALMUS CXV (1).

Credidi, propter quod locutus sum.

1. Credidi, propter quod locutus sum : ego autem humiliatus sum nimis.	1. Credidi, ideoque locutus sum : etsi tribulationibus afflictus sum vehementer.
2. Ego dixi in excessu meo : Omnis homo mendax.	2. In profunda tribulatione mea dixi : Deus solus salvator verax in quo fidendum ; omnis autem homo mendax.
3. Quid retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi ?	3. Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi ?
4. Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo.	4. Calicem salutiferum accipiam, et nomen Domini invocabo.
5. Vota mea Domino reddam coram omni populo ejus : pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus.	5. Præterea vota mea Domino reddam coram omni populo ejus, etiam cum vitæ meæ periculo vel sacrificio : nam pretiosa oculis Domini mors Sanctorum ejus.

(1) In hebræo, psalmus iste CXV cum præcedenti CXIV conjungitur.

6. O Domine, quia ego servus tuus : ego servus tuus, et filius ancillæ tuæ.

6. De cætero omnia tibi debeo, o Domine, quia servus tuus : ego servus tuus et filius ancillæ tuæ.

7. Dirupisti vincula mea : tibi sacrificabo hostiam laudis, et nomen Domini invocabo.

7. Tua servitute dirupisti vincula mea : ideo tibi sacrificabo hostiam laudis, et nomen tam boni Domini invocabo.

8. Vota mea Domino reddam in conspectu omnis populi ejus : in atriis domus Domini, in medio tui, Jerusalem.

8. Vota mea Domino reddam in conspectu omnis populi ejus, in atriis domus Domini, in medio tui, Jerusalem.

—

Explicatio.

Argumentum. — Propheta gratias agit pro salute a Deo post magnas tribulationes accepta. — Utrum litteraliter ac immediate respiciat objectum quoddam temporale, verbi gratia, liberationem a rebellione Absalonis, incertum est ; illud autem constat, eum respicere spiritualiter ac potiore sensu, salutem æternam, quam Martyres, omnesque pro Christo tribulationem sustinentes, certissime consequentur. Statui scilicet potest, sicut psalmus superior oratio est, qua justus in tribulationibus positus ad cœlestem patriam suspirat ; ita psalmum hunc esse gratiarum actionem pro salute æterna, quam crucis Christi amator in spe jam possidere cœpit.

S. Paulus, duplicem citans ex hoc psalmo sententiam, ad genuinum sensum investigandum facem præfert.

1° In epistola II ad Cor. IV, 12 : *Ergo mors*, inquit, *in nobis operatur, vita autem in vobis ;* — 13. *Habentes autem eumdem spiritum fidei, sicut Scriptum est : Credidi, propter quod locutus sum ; et nos credimus, propter quod et loquimur.* Quæ verba Bernardinus a Piconio sic interpretatur : Itaque per Evangelii prædicationem, mors corporalis in nobis efficitur ; sed per nostram mortem vita spiritualis vobis procuratur. Cæterum in mediis his mortibus et periculis, habentes eumdem fidei spiritum quem habuit David in suis tribulationibus, sicut de eo scriptum est : Credidi, ideo loquor ; ita et nos Apostoli, quia vere credimus, ideo libere et audacter prædicamus.

2. In epistola ad Rom. III, 3, 4 : *Numquid incredulitas illorum fidem Dei evacuabit ? Absit. Est autem Deus verax, omnis autem homo mendax* ; quod sic explanant interpretes : Propter incredulitatem Judæorum Deus non deerit suis pro-

missis ; nam : Deus in omnibus dictis et promissis summe verax est, adeo ut fallere non possit ; a quo longe distat homo, qui ut homo, et falli potest et fallere.

Duæ partes distingui possunt :

I. *Præambulum de fide, salutis fonte.*
II. *Gratiarum actio pro salutis beneficio.*

—

1. *Credidi, propter quod locutus sum : ego autem humiliatus sum nimis.*

Spiritu fidei repletus, quo Apostoli, Martyres, omnesque Sancti fuere animati ; propheta hanc fidem suam manifestat, tanquam radicem totius vitæ suæ spiritualis, fructuumque justitiæ quos producit, secundum illud : *Justus ex fide vivit* (Rom. I, 17). Dicit se credere, ideoque loqui, licet multis interim tribulationibus affligatur.

Quæritur autem quid se credere, quidve loqui significet ? — Resp. 1° Ex mente S. Augustini, credere se dicit et loqui *absolute* ; ita ut simpliciter spiritum fidei et locutionem perfectam enuntiet, quasi his uteretur verbis : Divina gratia illustratus credo ex toto corde quæcumque Deus revelavit ; hinc, Dei scientia repletus, loquor, veritatem justitiamque profitendo ac prædicando. Hæc autem professio justitiæ magnas mihi suscitat tribulationes : *Ego autem humiliatus sum nimis.*

2° Sensus quoque, prout aliis interpretibus magis placet, sic *respective* exponi potest : Credidi vitam futuram, ideoque veritatem constanter locutus sum, etsi tribulationibus ac persecutionibus gravissimis obnoxius. — Ad hanc futuram vitam respicere videtur Paulus, verbum psalmistæ recitans ; addit enim : *Et nos credimus, propter quod et loquimur : scientes quoniam qui suscitavit Jesum, et nos cum Jesu suscitabit, et constituet vobiscum.* II. Cor. IV, 14.

2. *Ego dixi in excessu meo : Omnis homo mendax.*

Intimius ostendit fidei suæ firmitatem, utpote fundatæ in summa veracitate Dei. — Ipsa scilicet experientia intellexit, vanam esse ac fallacem consolationem hominum ; eorumque sermonem quo felicitatem promittunt, esse mendacem : Deum autem solum veracem esse et infallibilem, ubi promittit homini consolationem in hac vita, et beatitudinem in futura.

Dixi in excessu meo (hebraice, *in trepidatione*)... id est : In perturbatione ac tribulatione maxima positus, intime cognovi, non ab hominibus, sed a solo Deo promissam salutem esse exspectandam ; ideoque dixi : *Omnis homo* bona promittens,

mendax ac fallax ; et solus Deus verax. — Psalmista opponit hic implicite mendacitatem hominis veracitati Dei, quod Apostolus explicite fecit, dicens : *Numquid incredulitas illorum fidem Dei evacuabit ? Absit. Est autem Deus verax, omnis autem homo mendax.* Rom. III, 3, 4.

3. *Quid retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi ?*

Incipit *secunda pars*, gratiarum actio.

Quid retribuam ?... Formula gratitudinis hæc est, qua significat immensa esse Dei promissa et fideliter sibi collata beneficia pro quibus immensam gratitudinem debet. — Respicit generatim universa beneficia Dei ; præsertim vero liberationem singularem a summo quodam periculo. Quid reddam, inquit, Domino pro bonis omnibus quæ promisit, et confidenti tribuit mihi? quæque tanta sunt, ut nesciam quales gratiæ ex mea parte rependi possint : *Pro omnibus quæ retribuit mihi !*

4. *Calicem salutaris accipiam : et nomen Domini invocabo.*

Interrogationi suæ respondet, non meliorem posse se Domino rependere gratiam pro *omnibus quæ sibi retribuit* beneficiis, quam ut accipiat et hauriat *calicem salutaris*, seu salutis.

Non desunt qui calicem hic intelligunt convivialem et eucharisticum, qualis apud Israelitas in more erat. Solebant enim, post acceptum a Deo insigne beneficium, offerre sacrificium eucharisticum, et instituere convivium solemne, in quo poculum vini in gratiarum actionem Deo libabant ac destribuebant accumbentibus.

At, ut Bertherius ait, intelligere præstat cum S. Augustino, calicem tribulationum, quem propheta sibi salutarem fore cognoscit : intuens forte passionem Christi, quæ etiam *calix* appellatur, et per quam digne nomen Domini invocamus eique gratias agimus. — Hæc quoque expositio est Bellarmini, quam, ut ipse ait, SS. Basilius, Chrysostomus (*in 2 expositione*), Hieronymus, et alii magno consensu sequuntur.

Juxta hanc itaque sententiam, *calix* iste gratiarum actionis et *salutaris*, etsi forte alludit ad calicem sacrificii et convivii, est calix amaræ potionis, calix tribulationum et patientiæ ; calix Martyrum, calix Dominicæ passionis, de quo ipse dixit : *Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum ?* Matth. XX, 22.

« Calicem in Scripturis divinis, inquit S. Hieronymus (1),

(1) *Comment. in Matth.* XX, 22.

« passionem intelligimus ; quo sensu David dicit : *Quid retri-* « *buam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi ? Calicem* « *salutaris accipiam , et nomen Domini invocabo.* Statimque « infert quis iste sit calix : *Pretiosa in conspectu Domini mors* « *sanctorum ejus.* »

Sensu sublimiori , *calix salutaris* est calix Eucharisticus , calix sanguinis Domini , mysterium fidei : prout patet ex Ecclesiæ sensu , ad communionem calicis in Missa dicentis : *Calicem salutaris accipiam...*

Calix passionis ac tribulationum dicitur *calix salutaris* , id est, salutifer : quia quamvis amarus, salutem animæ operatur.

Et nomen Domini invocabo , nempe ut me juvare pergat et roboret ; vel etiam, nomen Domini invocabo , ut mea patientia ipsum glorificem.

4. *Vota mea Domino reddam coram omni populo ejus : pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus.*

Præter calicem *salutaris* in gratiarum actionem acceptum, etiam publice vota sua Domino exsolvet. — Per illa *vota sua* Domino reddenda , intelligere videtur sacrificium omnium quæ habet et possidet, etiam vitæ suæ, ut ea immolet quatenus Domino placuerit. Etenim, inquit , etiamsi pro causa Domini mori me oportuerit, libenter moriar, cum *pretiosa sit in conspectu Domini mors sanctorum ejus* (1).

De cætero, quæcumque vota intelligat , ea sese dicit persoluturum publice, *coram omni populo ;* et si opus sit , cum ipso vitæ suæ sacrificio, quod pretiosissimum adeoque maxime exoptabile æstimat ; *pretiosa* enim *in conspectu Domini mors sanctorum ejus :* scilicet mors pro Dei honore et confessione suscepta, tanti pretii est oculis ejus, ut pro ea vitam æternam reddat.

Mystice et sensu generali , prout psalmista loquitur in persona omnium fidelium , vota ab unoquoque reddenda Deo, sunt obligationes nostræ : illæ præsertim quæ erga divinam Majestatem in Baptismo contraximus. — Sublimiore sensu , vota sunt illa , quibus pars quædam selecta Ecclesiæ intimius se Domino obstringit, quæque consilia evangelica et evangelicam perfectionem continent ; efficiuntque ut homo penitus mundo moriatur, et soli Christo vivat.

(1) Cf. Berthier in hunc locum ; ubi quoque confutat sententiam eorum qui dicunt, *pretiosam* esse Deo cruentam mortem justorum eo sensu, quod Deus eam non facile permittat. — E contra , consuevit Dominus electos suos omni tribulatione , etiam morte acerbissima probare , sicut aurum in fornace.

Mors sanctorum est, 1° mors Martyrum; 2° mors sancta justi cujuslibet; 3° mors mystica, qua morimur peccatis et mundo, secundum illud : *Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam* (Matth. XVI, 25); et illud : *Mortui enim estis, et vita vestra est abscondita cum Christo in Deo.* Coloss. III, 3.

6. *O Domine, quia ego servus tuus : ego servus tuus, et filius ancillæ tuæ.*

7. *Dirupisti vincula mea : tibi sacrificabo hostiam laudis, et nomen Domini invocabo.*

Explicat cur usque ad mortem sit Deo devotus : quia nimirum sese totum Deo debet ut supremo Domino, cui tamen servire regnare est. — Imprimis omnimodum Dei in se dominium profitetur dicens : *O Domine! quia ego servus tuus....* id est : O Domine! etiamsi vitam meam tibi immolem, nihil magni facio : etenim tuus sum ego totus, possessio tua, *servus tuus*; nec tantum servus tuus ex voluntate et electione mea, sed etiam ex natura : tuus quasi vernaculus, *filius ancillæ tuæ.* — S. Augustinus per ancillam intelligit Ecclesiam : quia non sufficit hominem esse servum Dei; sed oportet eum esse filium Ecclesiæ, ut sacrificium ejus Deo gratum esse possit.

7. *Dirupisti vincula mea*... Dixit se esse servum Dei; nunc illam servitutem declarat, significando eam esse libertatem filiorum Dei, libertatem a vinculis veræ servitutis et captivitatis (1). Hæc autem vincula sunt quatuor, quæ a solo Deo solvi possunt : vincula corporis, vincula peccati, vincula concupiscentiæ, et demum vincula sepulcri. — *Dirupisti*, inquit, *vincula mea* ista, et libertatem tribuisti mihi omni gratitudine dignam. Quapropter *tibi sacrificabo hostiam laudis* perpetuæ; et non amplius nomen invocabo hominum, quibus antea confidebam : sed *nomen Domini*, in quo solo vera salus est, assidue *invocabo*.

8. *Vota mea Domino reddam in conspectu omnis populi ejus : in atriis domus Domini, in medio tui Jerusalem.*

Per modum conclusionis repetit, se vota persoluturum in conspectu omnium; addit autem, se id facturum esse in Jerusalem et in templo : ad significandum, ut S. Augustinus monet, debere servum Dei offerre vota sua, cultum suum, et seipsum Deo, intra Ecclesiam, quæ per Jerusalem significatur.

(1) Qui sensui litterali inhærent, vincula ista censent esse pericula, persecutiones, angustias, quibus David velut vinculis et laqueis mortis antea tenebatur.

Potest etiam referri versiculus iste ad Jerusalem cœlestem, in qua Dei servus, diruptis vinculis omnibus, et perfecta libertate filiorum gaudens, sacrificium laudis æternæ offeret Deo in conspectu omnis populi ejus jam glorificati : id est, in medio Angelorum, Sanctorum, omniumque Beatorum, supernæ civitatis civium.

Sensus liturgicus.

Psalmus *Credidi* pertinet 1° ad officium Passionis, ac Cœnæ Domini, nec non sanctissimi Nominis ejus ; 2° ad officium Apostolorum ; item 3° et Martyrum.

1° In Passione ac Cœna Domini, exhibetur hoc psalmo Christus ut princeps Martyrum : qui propter fidelitatem præstitam Patri ac Domino suo, calicem salutaris accepit, et pretiosa morte in conspectu omnis populi, in medio Jerusalem sacrificium laudis obtulit... *Tibi sacrificabo hostiam laudis ; vota mea reddam in conspectu omnis populi ejus, in atriis domus Domini, in medio tui Jerusalem.*

In festo sancti Nominis Jesu, respicitur præcipue illud : *Calicem salutaris accipiam et nomen Domini invocabo ... tibi sacrificabo hostiam laudis et nomen Domini invocabo.*

2° In festis Apostolorum, Ecclesia fidem, prædicationem ac martyrium fidei Principum celebrat, quasi in eorum persona diceret : Credidi, ideo, verbum Dei per orbem locutus sum, etsi omnigenis persecutionibus lacessitus. At nihilominus, Christi amore inflammatus, ejusque nomine fretus, *calicem salutaris accipiam et nomen Domini invocabo...*

3° In festis Martyrum, Ecclesia similiter Christi militum fidem, fideique confessionem, vincula, tormenta ac mortem pretiosam prædicat, nec non ingressum in cœlestem Jerusalem : *Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis ... in atriis domus Domini, in medio tui, Jerusalem.*

PSALMUS CXVI.

Laudate Dominum omnes gentes.

1. Laudate Dominum omnes gentes : laudate eum omnes populi.	1. Laudate Dominum omnes gentes, celebrate eum omnes populi.
2. Quoniam confirmata est super nos misericordia ejus : et veritas Domini manet in æternum.	2. Quoniam stabilita est per Christum super nos misericordia ejus ; et sic veritas promissionum Domini in effectu suo permanet in æternum.

Explicatio.

Argumentum. — Exhortatio ad omnes populos terræ, ut Deum laudent ob redemptionem, quam humano generi, secundum promissa sua, per Christum concessit.

I. *Laudandus Deus ab omnibus populis.*
II. *Ratio cur Deo laus universalis debeatur.*

—

1. *Laudate Dominum omnes gentes : laudate eum omnes populi.*

Illæ quas alloquitur *gentes*, sunt gentiles, seu ethnici ad fidem conversi aut convertendi ; *populi*, probabiliter intelligendi sunt judaici, seu Judæi, ex variis Israelis tribubus pariter Christi fidem amplexi. Utrumque terminum adhibendo, universalitatem humani generis in Christo coadunandam propheta significat. — Dici tamen etiam posset, *gentes* et *populos* designare duntaxat gentiles ; utrumque autem nomen adhiberi, ut gentium universalitas significetur.

2. *Quoniam confirmata est super nos misericordia ejus : et veritas Domini manet in æternum.*

Quod ait : *Quoniam confirmata est*, intellige, invaluit *super nos misericordia ejus* ; quasi diceret : Multiplicata est erga nos, homines universos, Dei misericordia a Judæis in Gentes redundans : quæ misericordia Dei est ipsa humani generis per Christum Redemptio, et cum Deo reconciliatio.

Et veritas Domini manet in æternum : en fidelitas Dei, et promissionum ejus constantia. Quæ quidem homines universos respicit, primario tamen Judæos ; ita ut sensus sit : Gentes de mera misericordia, Judæi etiam de veritate Deum laudent. — Nam *misericordia* dicitur, quando nulla intercedit promissio ; *veritas*, quando præstantur quæ promissa sunt. — *Manet* autem et perdurat usque in finem mundi et in *æternum* Dei fidelitas ; quia sicut promisit Christum sine fine regnaturum, ita revera regni ejus non erit finis.

Ipse Apostolus locum hunc declarat, ad Romanos (XV, 8, seq.) scribens : *Dico enim Christum Jesum ministrum fuisse circumcisionis propter veritatem Dei, ad confirmandas promissiones patrum : gentes autem super misericordia honorare Deum, sicut scriptum est : Propterea confitebor tibi in gentibus, Domine, et nomini tuo cantabo* (Ps. XVII, 50). *Et iterum dicit : Lætamini*

gentes cum plebe ejus (Deut. XXXII, 43) (1). *Et iterum : Laudate omnes gentes Dominum, et magnificate eum omnes populi* (Ps. CXVI). — Ex quo intelligimus, prophetam hoc loco alloqui totam Ecclesiam, ex Gentibus et Judæis congregatam, eamque hortari ad laudandum Deum, eo quod misericordiam et veritatem ei exhibere non desinat.

Sensus liturgicus.

Misericordiam Dei hic celebrat Ecclesia illam, qua beatam nobis vitam promittit in æternum.

Laudate, inquit, *omnes gentes*, omnes terræ populi, Dominum : vos imprimis, qui fide jam illuminati eum clare cognoscitis, deinde etiam vos, qui adhuc in tenebris et umbra mortis sedetis, et quorum conversionem ardentibus votis a Deo postulo.

Laudate Dominum ob *misericordiam et veritatem*. Misericordia enim Domini est, quod per sanguinem Christi redemptos, ad fidem nos perduxerit ; veritas autem Domini nobis data est in ipsa fide, quæ intellectum illuminando erroribus nos liberavit ; et promissa dando vitæ æternæ, nos in suavissima certaque fiducia constituit : *Veritas Domini manet in æternum.*

PSALMUS CXVIII.

Beati immaculati in via.

Psalmus CXVIII est omnium longissimus, versus continens 176 ; adeoque Psalmus LXXVII *Attendite*, qui cæteris prolixior est, et usque ad 78 versus excurrit, multum superat. Causa tantæ longitudinis, ait Bellarminus, fortasse fuit, ut populus haberet, in quo pie et cum fructu occuparetur, dum ter in anno ex omni parte Judææ ad Tabernaculum fœderis, et post tempora Salomonis, ad templum Domini in Jerusalem ascenderet. Videtur enim psalmus compositus ut in itinere caneretur ; quæ circumstantia quoque explicat peculiarem hujus cantici divisionem, et ordinem alphabeticum, juvandæ memoriæ accommodatum.

Dividuntur enim centum et septuaginta sex versiculi in *octonarios* viginti duos : tot scilicet, quot sunt elementa alphabeti hebraici. Singuli autem cujusque octonarii versus in textu

(1) Textus ab Apostolo citatur ex versione LXX Interpretum ; secundum Vulgatam enim in Deuteronomio sic legimus : *Laudate gentes populum ejus.* — Cf. tom. I, *Expositionum serie* 1, pag. 367, seq., ubi hic locus Apostoli explicatur.

hebræo incipiunt ab eadem littera, quæ octonarii ordinem seu numerum indicat. Sic in octonario *aleph*, id est in primo, versus singuli, seu primæ eorum voces, incipiunt à littera *aleph* ; in octonario *beth* , a littera *beth* ; et sic in cæteris octonariis : quæ res in versione græca, et in latina servari non potuit.

Aliter psalmus ab Ecclesia dividitur, in sectiones nempe undecim ; quarum singulæ octonarios duos, seu versiculos sexdecim continent, quæque in Officio divino ad parvas Horas recitantur : nimirum duæ ad Primam, tres ad Tertiam, et similiter tres ad Sextam atque ad Nonam. — Juxta divisionem hanc, psalmi textum cum paraphrasi distinguendum existimavimus.

Ad Primam.

SECTIO I. — *Beati immaculati.*

ALEPH.

1. Beati immaculati in via : qui ambulant in lege Domini.	1. Beati immaculati in via vitæ, ii nempe qui ambulant in lege Domini.
2. Beati qui scrutantur testimonia ejus : in tota corde exquirunt eum.	2. Beati qui scrutantur mandata ejus : et qui in toto corde exquirunt eum, ei in omnibus placere studentes ; quique proinde iniquitatem non operantur.
3. Non enim qui operantur iniquitatem , in viis ejus ambulaverunt.	3. Non enim qui operantur iniquitatem , in viis Domini immaculatis ac beatis ambulant ; et quamvis beati videantur , vere beati nequaquam sunt.
4. Tu mandasti mandata tua custodiri nimis.	4. Tu , Domine , jussisti mandata tua custodiri diligentissime.
5. Utinam dirigantur viæ meæ ad custodiendas justificationes tuas.	5. Utinam ergo per te dirigantur actiones meæ ita, ut observem mandata tua.
6. Tunc non confundar , cum perspexero in omnibus mandatis tuis.	6. Tunc non confundar , cum respexero in omnibus ad mandata tua.
7. Confitebor tibi in directione cordis , in eo quod didici judicia justitiæ tuæ.	7. Laudabo te recto ac puro corde, eo quod didicerim servare justissima mandata tua.
8. Justificationes tuas custodiam : non me derelinquas usquequaque.	8. Præcepta tua custodiam : tu vero ne me derelinquas omnino , ita ut ea servare non possim.

BETH.

9. In quo corrigit adolescentior viam suam? in custodiendo sermones tuos.

9. Qua ratione corrigere potest ipse adolescentior viam suam, nisi custodiendo legem tuam, Domine?

10. In toto corde meo exquisivi te : ne repellas me a mandatis tuis.

10. In toto corde exquisivi te : ne permittas me recedere a mandatis tuis.

11. In corde meo abscondi eloquia tua : ut non peccem tibi.

11. In corde meo abscondi tanquam pretiosas gemmas eloquia tua, ut non peccem tibi.

12. Benedictus es, Domine : doce me justificationes tuas.

12. Benedictus es et laudabilis, o benefice Domine : doce me implere justificationes tuas.

13. In labiis meis pronuntiavi omnia judicia oris tui.

13. Labiis meis prædicavi (prædico) assidue omnia judicia seu mandata oris tui.

14. In via testimoniorum tuorum delectatus sum, sicut in omnibus divitiis.

14. In via mandatorum tuorum delectatus sum, sicut qui fruitur omnibus divitiis.

15. In mandatis tuis exercebor : et considerabo vias tuas.

15. In mandatis tuis perpendendis et implendis me exercebo assidue ; et considerabo vias tuas.

16. In justificationibus tuis meditabor : non obliviscar sermones tuos.

16. In justificationibus tuis meditandis recreabor : et nunquam obliviscar sermones tuos.

SECTIO II. — *Retribue.*

GHIMEL.

17. Retribue servo tuo, vivifica me : et custodiam sermones tuos.

17. Concede hoc servo tuo, Domine, ut vivifices me Spiritu tuo ac gratia : tunc enim custodiam sermones tuos.

18. Revela oculos meos : et considerabo mirabilia de lege tua.

18. Remove ab oculis meis velamen passionum, et considerabo mirabilia documenta atque mysteria legis tuæ.

19. Incola ego sum in terra : non abscondas a me mandata tua.

19. Peregrinus ego sum in hac terra : ne permittas ut desinant illuminare gressus meos mandata tua.

20. Concupivit anima mea desiderare justificationes tuas in omni tempore.

20. Ardenti desiderio concupivit anima mea justificationes tuas, in omni tempore.

21. Increpasti superbos : maledicti qui declinant a mandatis tuis.

21. Increpasti superbos legis tuæ contemptores : maledicti sunt a te qui declinant a mandatis tuis.

22. Aufer a me opprobrium et contemptum : quia testimonia tua exquisivi.

22. Aufer a me offendiculum opprobrii et contemptus, quo impetor a superbis : quia testimonia tua exquisivi.

23. Etenim sederunt principes et adversum me loquebantur : servus autem tuus exercebatur in justificationibus tuis.

23. Etenim sederunt principes superbi, et adversum me contemptim locuti sunt : servus autem tuus studebat intelligendis et adimplendis justificationibus tuis.

24. Nam et testimonia tua meditatio mea est : et consilium meum justificationes tuæ.

24. Nam et testimonia tua jucunda mihi exercitatio sunt : et consilium prudentissime dirigens me, justificationes tuæ.

DALETH.

25. Adhæsit pavimento anima mea : vivifica me secundum verbum tuum.

25. Adhæsit aliquando pavimento terrenarum rerum debilis anima mea : vivifica me spiritu tuo secundum promissum tuum.

26. Vias meas enuntiavi, et exaudisti me : doce me justificationes tuas.

26. Vias meas pravas humiliter confitendo enuntiavi tibi, et exaudisti me : doce me deinceps efficacius justificationes tuas.

27. Viam justificationum tuarum instrue me : et exercebor in mirabilibus tuis.

27. Viam justificationum tuarum doce me : et a te edoctus, implebo præcepta tua etiam perfectiora et mirabilia.

28. Dormitavit anima mea præ tædio : confirma me in verbis tuis.

28. Alias dormitavit languens anima mea, præ tædio luctæ continuæ : confirma me, quæso, meque accende in verbis tuis implendis.

29. Viam iniquitatis amove a me : et de lege tua miserere mei.

29. Atque sic viam iniquitatis amove a me, et misericorditer mihi tribue legem tuam implere.

30. Viam veritatis elegi : judicia tua non sum oblitus.

30. Viam veritatis ut partem meam elegi ; et quamvis carne gravatus, judicia tua semper præ oculis habeo.

31. Adhæsi testimoniis tuis, Domine : noli me confundere.

31. Adhæsi jam, non pavimento, sed testimoniis tuis, Domine : ne permittas me confundi.

32. Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum.

32. Ecce viam mandatorum tuorum cucurri, cum per gratiam et charitatem tuam dilatasti, et spirituali lætitia recreasti, tædio constrictum cor meum.

Ad tertiam.

SECTIO I. — *Legem pone.*

HE.

33. Legem pone mihi, Domine, viam justificationum tuarum : et exquiram eam semper.

33. Declara mihi ac doce me, Domine, viam justificationum tuarum ; et in omni actione quæram eam semper.

34. Da mihi intellectum, et scrutabor legem tuam : et custodiam illam in toto corde meo.

34. Da mihi intellectum, ut scrutari possim legem tuam : et custodiam illam in toto corde meo.

35. Deduc me in semitam mandatorum tuorum : quia ipsam volui.

35. Deduc me perseveranter per semitam mandatorum tuorum : quia juvante gratia tua ipsam elegi.

36. Inclina cor meum in testimonia tua, et non in avaritiam.

36. Inclina cor meum in testimonia tua : et non in avaritiam, seu terrenarum rerum cupidinem.

37. Averte oculos meos ne videant vanitatem : in via tua vivifica me.

37. Averte oculos meos ne videant fallacem vanitatem : et sic in via tua vivifica ac robora me.

38. Statue servo tuo eloquium tuum, in timore tuo.

38. Statue firmiter servo tuo eloquium tuæ legis, implendo eum sancto timore tuo.

39. Amputa opprobrium meum, quod suspicatus sum : quia judicia tua jucunda.

39. Fac ne incurram opprobrium transgressionis, quod mihi unice timeo : judicia enim tua sola sunt jucunda.

40. Ecce concupivi mandata tua : in æquitate tua vivifica me.

40. Ecce concupivi servare mandata tua : pro tua æquitate et amore omnis justitiæ, vivifica me ac robora.

VAU.

41. Et veniat super me misericordia tua, Domine : salutare tuum secundum eloquium tuum.

41. Veniat mihi misericordia tua, Domine : nempe gratia tua, seu salutare auxilium tuum, secundum promissum tuum.

42. Et respondebo exprobrantibus mihi verbum : quia speravi in sermonibus tuis.

42. Et exprobrantibus mihi respondebo hoc unum verbum : sperare me in sermonibus tuis.

43. Et ne auferas de ore meo verbum veritatis usquequaque : quia in judiciis tuis supersperavi.

43. Nec permittas unquam taceri ore meo hoc verbum verissimum : nam in judiciis, seu verbis tuis justis ac fidelissimis, multum omnino speravi.

44. Et custodiam legem tuam semper, in sæculum et in sæculum sæculi.

44. Ideoque custodiam legem tuam semper, in sæculum et in sæculum sæculi.

45. Et ambulabam in latitudine : quia mandata tua exquisivi.

45. Nimirum adjutus gratia tua, ambulabo velut via lata ac facili : quia mandata tua toto animo exquisivi.

46. Et loquebar in testimoniis tuis in conspectu regum : et non confundebar.

46. Et loquar de testimoniis tuis in ipso conspectu regum : et non confundar.

47. Et meditabar in mandatis tuis, quæ dilexi.

47. Et meditabor in mandatis tuis, quæ dilexi.

48. Et levavi manus meas ad mandata tua quæ dilexi : et exercebar in justificationibus tuis.

48. Et levabo manus meas ad mandata tua, quæ dilexi, implenda : et sic omni modo exercebor in justificationibus tuis.

SECTIO II. — *Memor esto.*

ZAIN.

49. Memor esto verbi tui servo tuo, in quo mihi spem dedisti.

49. Memor esto verbi tui servo tuo, per quod mihi spem dedisti.

50. Hæc me consolata est in humilitate mea : quia eloquium tuum vivificavit me.

50. Ista promissio me consolata est in humiliatione atque afflictione mea : istud eloquium tuum vivificavit et confirmavit me.

51. Superbi inique agebant usquequaque : a lege autem tua non declinavi.

51. Superbi homines inique erga me egerunt omni modo : propterea autem a lege tua non declinavi.

52. Memor fui judiciorum tuorum a sæculo, Domine : et consolatus sum.

52. Memor fui judiciorum tuorum a sæculo, Domine, circa superbos et circa humiles : et consolatus sum.

53. Defectio tenuit me pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam.

53. Defectio, seu vehemens dolor tenuit me, propter peccatores derelinquentes legem tuam, quasi duriorem.

54. Cantabiles mihi erant justificationes tuæ, in loco peregrinationis meæ.

54. Mihi autem fons gaudii, et delectabiles sunt justificationes tuæ, in loco peregrinationis meæ.

55. Memor fui nocte nominis tui, Domine : et custodivi legem tuam.

55. Quare semper memor fui, etiam nocte, nominis tui, Domine : et custodivi legem tuam.

56. Hæc facta est mihi : quia justificationes tuas exquisivi.

56. Hæc tota res facta est mihi, quia justificationes tuas sincere exquisivi.

HETH.

57. Portio mea, Domine : dixi, custodire legem tuam.

57. Portio mea, tu es, Domine : ideo dixi ac statui custodire legem tuam.

58. Deprecatus sum faciem tuam in toto corde meo : miserere mei secundum eloquium tuum.

58. Deprecatus sum te ex toto corde meo, dicens : Miserere mei secundum eloquium ac promissum tuum.

59. Cogitavi vias meas : et converti pedes meos in testimonia tua.

59. Consideravi omnes actiones meas : et converti me ad agendum in omnibus secundum testimonia tua.

60. Paratus sum, et non sum turbatus : ut custodiam mandata tua.

60. Paratus sum, et non sum ullo obstaculo turbatus, ut custodiam mandata tua.

61. Funes peccatorum circumplexi sunt me : et legem tuam non sum oblitus.

61. Funes quidem et laquei peccatorum, hominum ac dæmonum, circumplexi sunt me : at legem tuam ideo nullatenus sum oblitus.

62. Media nocte surgebam ad confitendum tibi, super judicia justificationis tuæ.

62. Imo media etiam nocte surgebam ad confitendum tibi, propter justa ac sapientissima mandata tua.

63. Particeps ego sum omnium timentium te, et custodientium mandata tua.

63. A sceleratis refugiens, particeps et socius ego sum omnium timentium te, et custodientium mandata tua.

64. Misericordia tua, Domine, plena est terra : justificationes tuas doce me.

64. Tu autem, Domine, cujus misericordiæ plena est terra : miserere mei, ut justificationes tuas magis magisque doceas me.

SECTIO III. — *Bonitatem fecisti.*

TETH.

65. Bonitatem fecisti cum servo tuo, Domine, secundum verbum tuum.

65. Benignitatem fecisti cum servo tuo, Domine, secundum promissum tuum.

66. Bonitatem et disciplinam et scientiam doce me : quia mandatis tuis credidi.

66. Similem bonitatem, et disciplinam, seu prudentiam, et scientiam doce me : quia mandatis tuis credidi et adhæsi.

67. Priusquam humiliarer ego deliqui : propterea eloquium tuum custodivi.

67. Beneficentiam exhibuisti etiam humiliando me : nam priusquam humiliarer ego deliqui; propterea eloquium tuum diligentius custodivi.

68. Bonus es tu : et in bonitate tua doce me justificationes tuas.

68. Bonus utique es tu : et pro bonitate ista tua doce me justificationes tuas.

69. Multiplicata est super me iniquitas superborum : ego autem in toto corde meo scrutabor mandata tua.

69. Multiplicata est super me iniquitas superborum : ego autem nihilominus in toto corde meo scrutabor mandata tua.

70. Coagulatum est sicut lac cor eorum : ego vero legem tuam meditatus sum.

70. Cor eorum instar lactis coagulati incrassatum est, et ad spiritualia ineptum evasit; ego vero corde puro legem tuam meditatus sum.

71. Bonum mihi quia humiliasti me : ut discam justificationes tuas.

71. Bonum ergo mihi quod humiliasti me, ut efficaciter discam justificationes tuas.

72. Bonum mihi lex oris tui, super millia auri et argenti.

72. Quæ justificationes, seu lex oris tui bonum mihi est, super millia pondera auri et argenti.

IOD.

73. Manus tuæ fecerunt me, et plasmaverunt me : da mihi intellectum, et discam mandata tua.

73. Summa bonitate quoque manus tuæ fecerunt me quoad animam, et plasmaverunt me quoad corpus : da mihi intellectum et discam mandata tua.

74. Qui timent te videbunt me, et lætabuntur : quia in verba tua supersperavi.

74. Tunc omnes qui timent te, videndo me propter te lætabuntur : quia in verbis tuis stabiliter speravi, quamvis pressus tribulationibus.

75. Cognovi, Domine, quia æquitas judicia tua : et in veritate tua humiliasti me.

75. Cognovi enim, Domine, quia æquissima sunt judicia tua, quamvis severa erga me; et quod in veritate tua : i. e. secundum justitiam tuam humiliasti me.

76. Fiat misericordia tua ut consoletur me, secundum eloquium tuum servo tuo.

76. Fiat autem misericordia tua ut consoletur me, secundum promissum tuum cuilibet servo tuo in te speranti.

77. Veniant mihi miserationes tuæ, et vivam : quia lex tua meditatio mea est.

77. Veniant mihi ubertim miserationes tuæ, et vivam vita gratiæ : veniant, inquam, quia lex tua meditatio mea est.

78. Confundantur superbi : quia injuste iniquitatem fecerunt in me : ego autem exercebor in mandatis tuis.

78. Ut sic confundantur superbi, quia injuste iniquitatem fecerunt in me : ego interim exercebor assidue in mandatis tuis.

79. Convertantur mihi timentes te, et qui noverunt testimonia tua.

79. Ex altera parte convertantur mihi, seseque mihi associent timentes te, et quicumque noverunt ac diligunt testimonia tua.

80. Fiat cor meum immaculatum in justificationibus tuis : ut non confundar.

80. Denique beneficiis tuis culmen impone, faciendo ut fiat cor meum immaculatum in servandis mandatis tuis : ut non confundar in hoc sæculo nec in futuro.

Ad sextam.

SECTIO I. — *Defecit.*

CAPH.

81. Defecit in salutare tuum anima mea : et in verbum tuum supersperavi.

81. Defecit aspirando in salutare tuum auxilium, anima mea : et in verbum tuum quamvis afflictus supersperavi.

82. Defecerunt oculi mei in eloquium tuum, dicentes : Quando consolaberis me ?

82. Defecerunt oculi mei spectando in eloquium ac promissum tuum, dicentes : Quando demum consolaberis me ?

83. Quia factus sum sicut uter in pruina : justificationes tuas non sum oblitus.

83. Imo factus sum sicut uter in pruina, gelu constrictus, et suavitate gratiæ tuæ destitutus : justificationes tamen tuas non sum oblitus.

84. Quot sunt dies servi tui : quando facies de persequentibus me judicium ?

84. Quot sunt dies afflictionis servi tui adhuc futuri ? Quando facies de persequentibus me judicium ?

85. Narraverunt mihi iniqui fabulationes : sed non ut lex tua.

85. Ecce primum fallaciter narraverunt mihi iniqui fabulationes, speciosas quidem, sed non ut lex tua.

86. Omnia mandata tua veritas : inique persecuti sunt me, adjuva me.

86. Omnia enim mandata tua sunt veritas et æquitas. Hinc inique et violenter persecuti sunt me : tu, adjuva me.

87. Paulo minus consummaverunt me in terra : ego autem non dereliqui mandata tua.

87. Nam fere perdiderunt me prosternendo me in terram : ego autem perstiti, nec dereliqui mandata tua.

88. Secundum misericordiam tuam vivifica me : et custodiam testimonia oris tui.

88. Ergo secundum misericordiam tuam vivifica me spiritu tuo potenti ; et invicte custodiam testimonia oris tui.

LAMED.

89. In æternum, Domine, verbum tuum permanet in cœlo.

89. In æternum, Domine, verbum tuum permanet efficax in cœlo : i. e. cœli verbo tuo sunt stabiles in perpetuum.

90. In generationem et generationem veritas tua : fundasti terram et permanet.

90. Similiter in generationem et generationem veritas tua permanet in terra : sicut permanet stabilis ipsa terra quam verbo tuo fundasti.

91. Ordinatione tua perseverat dies : quoniam omnia serviunt tibi.

91. Sic etiam ordinatione verbi tui perseverat dies in suo cursu et in sua pulchritudine : quoniam omnia serviunt ac obediunt tibi ; et quidem ita ut secus omnia perirent. Similiter obedientia legi tuæ est firmitas hominis.

92. Nisi quod lex tua meditatio mea est : tunc forte periissem in humilitate mea.

92. Ideo nisi lex tua meditatio mea fuisset, jamjam periissem in humilitate , i. e. in afflictione mea.

93. In æternum non obliviscar justificationes tuas : quia in ipsis vivificasti me.

93. In æternum ergo non obliviscar justificationes tuas : quia in ipsis vivificasti et corroborasti me.

94. Tuum sum ego, salvum me fac : quoniam justificationes tuas exquisivi.

94. Tuus sum ego , salvum fac me servum tuum : quoniam justificationes tuas exquisivi.

95. Me exspectaverunt peccatores ut perderent me : testimonia tua intellexi.

95. Me exspectaverunt peccatores ut perderent me : sed testimonia tua intelligens , invictus permansi.

96. Omnis consummationis vidi finem : latum mandatum tuum nimis.

96. Omnis enim etiam consummati boni in hoc mundo , vidi finem brevi futurum : solum mandatum tuum est bonum quoddam latissimum, adeoque interminabile.

SECTIO II. — *Quomodo dilexi.*

MEM.

97. Quomodo dilexi legem tuam, Domine? tota die meditatio mea est.

97. Quomodo et quam ardenter dilexi legem tuam, Domine! tota die meditatio mea est.

98. Super inimicos meos prudentem me fecisti mandato tuo : quia in æternum mihi est.

98. Super inimicos meos prudentem me fecisti mandato tuo : quia in æternum, jugiter, ante oculos mihi est.

99. Super omnes docentes me intellexi : quia testimonia tua meditatio mea est.

99. Super omnes docentes me intellexi et sapui : quia testimonia tua meditatio mea sunt.

100. Super senes intellexi : quia mandata tua quæsivi.

100. Super senes intellexi : quia mandata tua quæsivi.

101. Ab omni via mala prohibui pedes meos : ut custodiam verba tua.

101. Sic a te edoctus ab omni via mala aut periculosa prohibui pedes meos : ut custodiam indeclinabiliter verba tua.

102. A judiciis tuis non declinavi : quia tu legem posuisti mihi.

102. A judiciis tuis minime declinavi, quia tu legem tuam posuisti mihi in mente et corde, ut lumen et cibum animæ meæ.

103. Quam dulcia faucibus meis eloquia tua! super mel ori meo.

103. Quam dulcia faucibus meis eloquia tua! vere dulcia super mel ori meo.

104. A mandatis tuis intellexi : propterea odivi omnem viam iniquitatis.

104. Ex mandatis tuis intellexi quænam sit vera suavitas, quodnam verum bonum : propterea odivi omnem viam iniquitatis.

NUN.

105. Lucerna pedibus meis verbum tuum : et lumen semitis meis.

105. Lucerna pedibus meis verbum tuum; et lumen semitis meis.

106. Juravi, et statui custodire judicia justitiæ tuæ.

106. Ideo juravi, et statui custodire justissima mandata tua.

107. Humiliatus sum usquequaque, Domine : vivifica me secundum verbum tuum.

107. Humiliatus et vexatus sum usquequaque, Domine : vivifica et conforta me secundum promissionem tuam.

108. Voluntaria oris mei beneplacita fac, Domine : et judicia tua doce me.

108. Voluntaria ac spontanea vota et postulata oris mei, tibi, Domine, beneplacita sint : et perseveranter judicia tua doce me. — Tunc enim proposita mea servabo, et dicere potero :

109. Anima mea in manibus meis semper : et legem tuam non sum oblitus.

109. Vita mea in continuo versatur discrimine, nihilominus legem tuam non sum oblitus.

110. Posuerunt peccatores laqueum mihi : et de mandatis tuis non erravi.

110. Posuerunt peccatores, animæ meæ hostes, laqueum mihi : et de mandatis tuis non erravi.

111. Hæreditate acquisivi testimonia tua in æternum : quia exultatio cordis mei sunt.

111. Ut portionem meam elegi in æternum testimonia tua : quia hæc sola exultatio cordis mei sunt.

112. Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum, propter retributionem.

112. Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas jugiter et in æternum : propter retributionem æternæ mercedis.

SECTIO III. — *Iniquos odio habui.*

SAMECH.

113. Iniquos odio habui : et legem tuam dilexi.

113. Iniquos odio habui, non ratione personarum, sed quia legem tuam dilexi.

114. Adjutor et susceptor meus es tu : et in verbum tuum supersperavi.

114. Adjutor et protector meus contra eorum tentationes es tu : et sollicitatus molitionibus eorum, in verbum tuum magis speravi.

115. Declinate a me, maligni : et scrutabor mandata Dei mei.

115. Declinate a me, maligni ; nihil vobiscum commune volo : sic enim libere scrutabor mandata Dei mei.

116. Suscipe me secundum eloquium tuum, et vivam : et non confundas me ab exspectatione mea.

116. Tu, Domine, suscipe et protege me secundum eloquium tuum, et in omni periculo incolumis vivam : neque confundas me ab exspectatione et spe mea in te.

117. Adjuva me, et salvus ero : et meditabor in justificationibus tuis semper.

117. Adjuva me, et salvus ero : atque sine impedimento meditabor in justificationibus tuis semper.

118. Sprevisti omnes discedentes a judiciis tuis : quia injusta cogitatio eorum.

118. Merito aversor consortium improborum : nam et tu sprevisti omnes discedentes a judiciis tuis, quia injusta et perversa est cogitatio eorum.

119. Prævaricantes reputavi omnes peccatores terræ : ideo dilexi testimonia tua.

119. Et ego sicut tu, contemptibiles reputavi, et quasi scoriam, omnes peccatores terræ : ideo dilexi testimonia tua.

120. Confige timore tuo carnes meas : a judiciis enim tuis timui.

120. Ne autem ab eis recedam, confige timore tuo velut clavis carnem meam ejusque cupiditates, eamque affige legi tuæ : a judiciis enim tuis justisque pœnis timui.

AIN.

121. Feci judicium et justitiam : non tradas me calumniantibus me.

121. Feci judicium et justitiam erga proximum, jus suum cuique reddendo : ne permittas me a calumniatoribus injuste vexari.

122. Suscipe servum tuum in bonum : non calumnientur me superbi.

122. Suscipe servum tuum ut bene mihi sit et bene agam : non calumnientur me, saltem non habeant justam calumniandi me causam superbi, sive homines, sive dæmones.

123. Oculi mei defecerunt in salutare tuum : et in eloquium justitiæ tuæ.

123. Oculi mei defecerunt respiciendo in salutare tuum, quod a cœlo exspecto ; et in eloquium justæ ac fidelissimæ promissionis tuæ.

124. Fac cum servo tuo secundum misericordiam tuam : et justificationes tuas doce me.

124. Fac igitur cum servo tuo secundum misericordiam tuam : et justificationes tuas doce me.

125. Servus tuus sum ego : da mihi intellectum, ut sciam testimonia tua.

125. Servus enim tuus sum ego, non tantum natura, sed etiam electione mea : da mihi intellectum ut sciam practice testimonia tua.

126. Tempus faciendi, Domine : dissipaverunt legem tuam.

126. Tempus faciendi Domine, et liberandi me a superbis ; nam pessumdederunt peccando legem tuam.

127. Ideo dilexi mandata tua, super aurum et topazion.

127. At ideo ego accensus zelo, magis dilexi mandata tua, et quidem super aurum et topazion.

128. Propterea ad omnia mandata tua dirigebar : omnem viam iniquam odio habui.

128. Propterea secundum omnia mandata tua recte incessi : viam iniquam et non rectam odio habui.

Ad Nonam.

SECTIO I. — *Mirabilia.*

PHE.

129. Mirabilia testimonia tua : ideo scrutata est ea anima mea.

129. Mirabilia testimonia tua cuncta, tum cæremonialia, tum judicialia, tum moralia : ideo ea scrutatus sum ex animo.

130. Declaratio sermonum tuorum illuminat : et intellectum dat parvulis.

130. Declaratio seu explicatio sermonum tuorum mentes illuminat, et intellectum dat parvulis spiritu.

131. Os meum aperui, et attraxi spiritum : quia mandata tua desiderabam.

131. Os meum aperui, et suspirando attraxi spiritum, præ legis tuæ desiderio.

132. Aspice in me, et miserere mei, secundum judicium diligentium nomen tuum.

132. Aspice in me, et miserere mei, secundum judicium ac morem quo uteris erga diligentes te.

133. Gressus meos dirige secundum eloquium tuum : et non dominetur mei omnis injustitia.

133. Gressus meos dirige secundum eloquium tuum rectissimum : et non dominetur in me ulla injustitia.

134. Redime me a calumniis hominum, ut custodiam mandata tua.

134. Libera me a calumniis hominum, ut animo tranquillo custodiam mandata tua.

135. Faciem tuam illumina super servum tuum : et doce me justificationes tuas.

135. Faciem tuam favorabilem ostende servo tuo : et doce me justificationes tuas custodire.

136. Exitus aquarum deduxerunt oculi mei : quia non custodierunt legem tuam.

136. Nam rivos lacrymarum effuderunt oculi mei : quia oculi mei, vel homines, hanc legem tuam non custodierunt.

SADE.

137. Justus es, Domine : et rectum judicium tuum.

137. Justus es essentialiter, Domine, et ideo essentialiter rectum est omne judicium ac mandatum tuum.

138. Mandasti justitiam testimonia tua : et veritatem tuam nimis.

138. Ideo quoque absolute et rigorose servanda mandasti testimonia tua, quæ sunt ipsa justitia et veritas.

139. Tabescere me fecit zelus meus : quia obliti sunt verba tua inimici mei.

139. Propterea tabesco , consumor zelo et indignatione : quia inimici mei, omnesque impii , obliti sunt sanctissima verba tua.

140. Ignitum eloquium tuum vehementer : et servus tuus dilexit illud.

140. Igne purificatum , adeoque purissimum est eloquium tuum : propterea servus tuus dilexit illud.

141. Adolescentulus sum ego et contemptus : justificationes tuas non sum oblitus.

141. Equidem adolescentulus sum, id est, parvulus, abjectus et contemptus oculis hominum : at justificationes tuas non sum oblitus, et hæc magnitudo mea est.

142. Justitia tua , justitia in æternum : et lex tua , veritas.

142. Nam justitia tua , in æternum erit justitia eadem ac immutabilis : et lex tua est veritas, nihil falsi continens , sive in dogmatibus , sive in præceptis , sive in promissionibus aut comminationibus.

143. Tribulatio et angustia invenerunt me : mandata tua meditatio mea est.

143. Tribulatio et angustia invenerunt me : tunc autem præcipue mandata tua meditatio mea sunt.

144. Æquitas testimonia tua in æternum : intellectum da mihi et vivam.

144. Considero enim , testimonia tua esse justitiam , sive in se, sive in fructu suo æternam : magis magisque da mihi intellectum eorum, ut vere vivam.

SECTIO II. — *Clamavi.*

COPH.

145. Clamavi in toto corde meo, exaudi me , Domine : justificationes tuas requiram.

145. Clamavi, ardenti desiderio gratiam tuam postulans : exaudi me , Domine , et justificationes tuas studiosius requiram.

146. Clamavi ad te , salvum me fac : ut custodiam mandata tua.

146. Clamavi ad te , dicens : Salvum me fac , salvificam gratiam dando : ut custodiam mandata tua.

147. Præveni in maturitate, et clamavi : quia in verba tua supersperavi.

147. Præveni mature tempus surgendi , et clamavi orando : quia in verba tua super omnia obstacula speravi.

148. Prævenerunt oculi mei ad te diluculo : ut meditarer eloquia tua.

148. Prævenerunt oculi mei tempus suum , ad te diluculo aperti : ut meditarer eloquia tua.

149. Vocem meam audi secundum misericordiam

149. Audi me secundum misericordiam tuam , Domine : et se-

tuam, Domine : et secundum judicium tuum vivifica me.

cundum judicium ac morem tuum, quo reddis quæ promisisti, vitam corporis animæque mihi custodi.

150. Appropinquaverunt persequentes me iniquitati : a lege autem tua longe facti sunt.

150. Appropinquaverunt et adhæserunt iniquitati, qui persequuntur me : ideoque a lege tua longe facti sunt.

151. Prope es tu, Domine : et omnes viæ tuæ veritas.

151. At prope es tu, Domine, ipsis, sicut omnibus aliis : et omnes operationes tuæ sunt veritas, qua statuta supplicia, vel præmia, et auxilia præstabis.

152. Initio cognovi de testimoniis tuis : quia in æternum fundasti ea.

152. Ab initio id cognovi de testimoniis tuis : quod in æternum constituisti ea, ut in perpetuum serventur ab omnibus.

RES.

153. Vide humilitatem meam, et eripe me : quia legem tuam non sum oblitus.

153. Vide miseriam meam, et ex ea libera me : quia legem tuam, licet non perfecte custodiam, tamen non sum oblitus.

154. Judica judicium meum, et redime me : propter eloquium tuum vivifica me.

154. Judica causam meam, et libera me : propter eloquium ac promissum tuum vivifica me.

155. Longe a peccatoribus salus : quia justificationes tuas non exquisierunt.

155. Longe a peccatoribus salus tua : quia justificationes tuas non exquisierunt.

156. Misericordiæ tuæ multæ, Domine : secundum judicium tuum vivifica me.

156. E contra, justis misericordiæ tuæ multæ, Domine : itaque secundum judicium ac morem misericordiæ tuæ vivifica me.

157. Multi qui persequuntur me, et tribulant me : a testimoniis tuis non declinavi.

157. Multi sunt qui persequuntur me et tribulant me, sive homines sive dæmones : tamen a testimoniis tuis non declinavi.

158. Vidi prævaricantes, et tabescebam : quia eloquia tua non custodierunt.

158. Sed dum vidi ipsos prævaricantes, contabui zelo exardescens : quia eloquia tua non custodierunt.

159. Vide quoniam mandata tua dilexi, Domine : in misericordia tua vivifica me.

159. Hinc vide, Domine, quod mandata tua dilexi : et pro misericordia tua vivifica me. — Vivificabis autem, nam

160. Principium verborum tuorum, veritas : in æternum omnia judicia justitiæ tuæ.

160. Principium verborum tuorum veritas, ideoque indefectibilia sunt præcepta tua, et certissima tua promissa : ideoque in æternum sese extendunt omnia statuta sanctissimæ legis tuæ.

SECTIO III. — *Principes.*

SIN.

161. Principes persecuti sunt me gratis : et a verbis tuis formidavit cor meum.

161. Principes mundi et tenebrarum persecuti sunt me immerito : at, non ipsos, sed verba tua ac te, Domine, timuit cor meum.

162. Lætabor ego super eloquia tua : sicut qui invenit spolia multa.

162. Imo lætabor ego propter eloquia tua : sicut victor qui invenit spolia multa.

163. Iniquitatem odio habui, et abominatus sum : legem autem tuam dilexi.

163. Proinde iniquitatem omnem odio habui, et abominatus sum : legem autem tuam ex toto corde dilexi.

164. Septies in die laudem dixi tibi, super judicia justitiæ tuæ.

164. Ideo sæpius in die laudem dixi tibi, propter justissima judicia ac mandata tua.

165. Pax multa diligentibus legem tuam : et non est illis scandalum.

165. Laus enim tibi est, quod felicitas multa detur diligentibus legem tuam ; nec ullum sit illis offendiculum, cum omnia cooperentur in bonum.

166. Exspectabam salutare tuum, Domine : et mandata tua dilexi.

166. Cujus pacis fontem exspectavi, salutare illud tuum in lege promissum : et eo ardentius mandata tua dilexi.

167. Custodivit anima mea testimonia tua : et dilexit ea vehementer.

167. Atque custodivi ex animo testimonia tua, et dilexi ea vehementer.

168. Servavi mandata tua et testimonia tua : quia omnes viæ meæ in conspectu tuo.

168. Servavi autem efficaciter mandata tua et testimonia tua : quia omnes actiones meas oculis tuis apertas esse scit adeoque in præsentia tua ambulo.

TAU.

169. Appropinquet deprecatio mea in conspectu tuo, Domine : juxta eloquium tuum da mihi intellectum.

169. Appropinquet igitur, Domine, oratio mea tibi et conspectui tuo : juxta promissum tuum, da mihi intellectum legis tuæ.

170. Intret postulatio mea in conspectu tuo : secundum eloquium tuum eripe me.

170. Intret postulatio mea in præsentiam tuam, ut respiciatur a te : secundum idem eloquium tuum eripe me a peccatis et peccandi periculis.

171. Eructabunt labia mea hymnum : dum docueris me justificationes tuas.

171. Eructabunt tibi labia mea hymnum : cum docueris me servare justificationes tuas.

172. Pronuntiabit lingua mea eloquium tuum : quia omnia mandata tua æquitas.

172. Prædicabit lingua mea eloquium legis tuæ, et dicam : quia omnia mandata tua sunt æquitas.

173. Fiat manus tua ut salvet me : quoniam mandata tua elegi.

173. Adsit igitur mihi potentia tua salvifica : quoniam mandata tua elegi.

174. Concupivi salutare tuum, Domine : et lex tua meditatio mea est.

174. Imo concupivi salutare tuum, in lege et quidem servantibus legem promissum : unde et lex tua jugis meditatio mea est.

175. Vivet anima mea, et laudabit te : et judicia tua adjuvabunt me.

175. Illud salutare adepta vivet anima mea, et semper laudabit te : et mandata tua ad beatum illum effectum adjuvabunt ac perducent me.

176. Erravi sicut ovis quæ periit : quære servum tuum, quia mandata tua non sum oblitus.

176. Equidem erravi in deserto hujus vitæ, sicut ovis quæ periit : quære servum tuum et deduc ad æternum ovile, quia legem tuam non sum oblitus.

—

Explicatio.

Argumentum. — Psalmus centesimus decimus octavus hymnus est divinæ legis : celebrat enim propheta legem Domini, seu potius amorem legis ; amorem, inquam, ejusdem efficacem seu practicum, exponendo hæc duo : 1° quare, et 2° quomodo lex sancta diligenda sit.

Hæc autem duo non successive, sed fere simul et permixtim explicat : unum quidem, afferendo varia motiva, ut excellentiam legis, ejusque necessitatem, jucunditatem, utilitatem ac fructus indicet ; alterum vero, exprimendo cordis sui affectus atque actus, amoris nempe, fortitudinis, fiduciæ et precationis, quibus perfectus divinæ legis amor continetur.

Hinc psalmus est veluti manifestatio quædam cordis humani, per Spiritum sanctum respectu legis divinæ perfecte dispositi. Scilicet anima prophetæ, Spiritu sancto suggerente sensus suos eloquitur, et eloquendo aliis insinuat.

Hinc intelligitur singularis quædam hujus psalmi utilitas; cui si addatur longitudo ejus, pulchritudo et jucunditas, facile patebit, hunc inter reliquos psalterii cantus præstantia eminere. Est enim, inquit Ghesquierus (1) ex mente Patrum, veluti meridianus sol, qui puri luminis radios spargens, suavissimo calore cor hominis fovet, imo ardore divino accendit; ut ipse in via mandatorum Dei, quæ sola ad veram beatitudinem conducit, vel inconcusse ambulare pergat; vel, si forte ex humano errore, ab ea tantisper diverterit, in eam regredi festinet, eique constanter insistat.

Divisio. — Ad divisionem psalmi, seu ad sensus distinctionem quod attinet, id generatim dici potest, sensum aliquatenus respondere divisionibus, secundum ordinem Horarum canonicarum supra in textu indicatis. — Et quidem sectiones *ad Primam*, magis accommodatæ videntur juniori ætati, atque animæ in viam divinæ legis primum ingredienti; — *ad Tertiam*, progredienti, et fraudibus expositæ; — *ad Sextam*, luctanti, et tribulationibus obnoxiæ; — *ad Nonam* demum, animæ perfectiori jam et triumpho proximæ.

Quilibet *octonarius* propriam aliquam considerationem, vel affectum, aut petitionem, vel hæc simul conjuncta continet, quæ velut proprium ejus argumentum constituunt; prout infra indicabitur.

—

Adnotationes generales.

Antequam textum per *octonarios* singulos dilucidemus, quædam in genere præmittenda sunt, quæ vel ad verba synonyma *legis*, vel ad alia frequentiora vocabula pertinent.

I. — Imprimis ad textus intelligentiam juvabit animadvertisse, legem Dei hic multa nominum varietate designari. In singulis enim fere versibus occurrit unum ex hisce synonymis: *Domini lex*, *eloquia*, *verba*, *sermones*, *mandata*, *præcepta*, *testimonia*, *viæ*, *justificationes, judicia*, *justitia*, *et æquitas*, *judicia justitiæ*, *veritas*. Quæ quidem verba, etsi non eamdem omnino significationem continent; hic tamen promiscue pro synonymis usurpantur.

Lex generica vox est, omnia quæ Deus homini quomodocumque imperavit complectens; potissimum sensu litterali, legem scriptam designat per Moysen datam; spirituali autem, legem evangelicam.

Eadem lex dicitur *Dei eloquium*, *verbum, sermo*: quia revera

(1) *Psalmi, philologice ac paraphrastice expositi.*

non hominum sed Dei verba continet, quæ Deus populo suo per prophetas loqui dignatus est.

Verbum tamen *Dei* non est solum *præceptivum* : seu non solum præcepta complectitur ; sed etiam promissiones, minas, institutiones, mysteria. Quare *Dei verbum* non semper in psalmo nostro significat legem, aut doctrinam ; sed sæpe etiam simplex *promissum* : præsertim ubi adjungitur particula *secundum*. Et generatim illud, *secundum verbum, secundum eloquium tuum*, significat secundum promissum tuum ; non datur fortassis nisi unica exceptio, versu nimirum 133 : *Gressus meos dirige secundum eloquium tuum ;* ubi illud *secundum eloquium tuum* significat *secundum legem tuam*.

Lex dicitur deinde, *testimonium Dei*, quia testificatur nobis Dei voluntatem.

Dicitur *mandatum, præceptum Dei* : quia articulis, seu distinctis mandatis constat, quæ cultum et amorem Dei, proximique dilectionem præscribunt.

Dicitur *via, semita Dei* : quia tanquam via nobis a Deo signata est, qua in itinere vitæ ambulando, ad terminum nostrum, nempe beatitudinem perveniamus ; estque via quædam recta et munda, ut in versiculo primo insinuatur.

Dicitur *justificatio*, quia justificat observatores suos, id est, justiores facit ; juxta illud Apostoli : *Factores legis justificabuntur* (Rom. II, 13). — Dictum est, *justiores* eos fieri qui legem observant : quia gratiæ cooperantes merentur justitiæ augmentum ; prima autem justificatio, qua ex peccatoribus efficimur justi, non legis observantiæ, sed soli gratiæ debetur, dicente eodem Apostolo : *Si per legem justitia, ergo Christus gratis mortuus est*. Gal. II, 21.

Dicitur *judicium, judicia oris Dei* : quia legis præcepta sunt quædam agendi regulæ, quas Deus nobis convenientes judicavit ; sive quædam decreta, quæ Deus ipse judicavit esse rectissima.

Dicitur *justitia* vel *æquitas*, quia lex est regula, justitiam et æquitatem continens ; vel etiam, quia lex est ipsa justitia, seu expressio ipsius ordinis justitiæ. Ex hoc principio S. Thomas colligit, legem decalogi esse omnino indispensabilem, quia continet ipsum ordinem justitiæ : quomodo si quis juberet ut nullus peccet, vel ut nemo sit iniquus, lex esset omnino indispensabilis ; quia dari non potest casus, in quo peccare liceat vel iniquum esse (1. 2, q. 100, a. 8).

Dicitur *judicium justitiæ*, quia continet judicia ac decreta justissima.

Dicitur *veritas*, quia nihil falsi continet ; quia est ipsa veritas practica, seu enuntiatio ejus ; et quia promissiones atque comminationes, quas lex continet, certissime implebuntur.

Variis quoque comparationibus proprietates legis declarantur, præcipue tribus : auri, mellis et luminis, quibus legis pretium, suavitas et veritas designatur ; nec non veræ divitiæ, vera delectatio , vera sapientia , quas legis observantia animabus præstat.

II. — Secundo, præter synonyma, legem Domini significantia, alia quædam verba quæ frequentius recurrunt, proderit prævie huc afferre et explicare.

Doceri legem Dei, eam *discere, cognoscere* , *intelligere* , *intellectum ejus accipere*... non speculativam notitiam indicant , sed practicam ; ac talem , quæ non modo mentem illuminet , sed simul etiam voluntatem suaviter moveat ad legem amandam et implendam. Quo sensu alibi dicitur : *Doce me facere voluntatem tuam*. Ps. CXLII.

Exerceri in Dei mandatis, est, vi vocis hebraicæ , meditari, seu mente, cogitatione et consideratione in iis occupari , ita ut illud : *In mandatis tuis exercebor*, et : *Considerabo vias tuas* (versu 15), idem fere significent.

Meditari in Dei mandatis, est in iis delectari, iisque decantandis suaviter recreari.

Vivificare, *vivere*, de vita gratiæ intelligenda sunt ; præcipue de gratia actuali, quæ animam illuminat, excitat et corroborat ad bonum.

Superbi, *principes*, *persequentes*, *inimici*, *calumniatores*, *iniqui*, *peccatores* , synonyma fere sunt ; et designant varia ratione Davidis inimicos atque adversarios, sed cum respectu ad observationem divinæ legis : quatenus nempe impedirent ipsum in via bona, vel vi aut seductione ab ea retrahere conarentur. — Dicuntur *superbi*, quia contra Dei legem sese extollunt ; *principes* , quia potentes, etc. — Sensu altiore designant varios animæ hostes, visibiles et invisibiles, fraudulentos et violentos : de quibus liberationem aut triumphum petimus , eodem fere sensu ac in oratione Dominica : *Ne nos inducas in tentationem* , *sed libera nos a malo*.

Humilitas sumitur pro afflictione, calamitate , oppressione.

Supersperare plus dicit quam *sperare*, et spem significat firmissimam , omnique difficultate superiorem ; quo fere sensu Apostolus de Abrahamo scribit : *Qui contra spem in spem credidit*. Rom. IV , 18.

—

Adnotationes particulares.

Ad primam.

Octonarius 1. *Beati.*

Considerationem exhibet propheta, quam sequitur affectus et oratio. — Finem legis proponit, beatitudinem. Via, inquit, ad beatitudinem, lex Domini est. Ideo hanc tu, Domine, constituisti immutabiliter, et ego servare cupio ardenter : da mihi, quæso, gratiæ tuæ auxilium.

1. *Beati immaculati in via...* Sensus est : Beati erunt æterna felicitate, et nunc etiam beati jam sunt, i. e., læti et quieti corde, illi qui vivunt sine macula peccati, eo quod ambulent in lege Domini. — Scilicet vir justus, jam in hac vita, maximam obtinet veræ felicitatis partem. Nam vere beatus est, qui habet quidquid vult, et nihil mali vult : justus autem solus nihil mali vult, et habet quidquid cupit, cum solum Deum ejusque voluntatem implere cupiat. — Illud *immaculati*, non significat carentiam omnis peccati, etiam venialis ; sic enim nulli essent in hac vita immaculati ; sed significat carentiam omnis peccati mortalis, quod solum proprie inducit intrinsecam maculam, seu corruptionem instar mortis, in animam.

3. *Non enim qui operantur iniquitatem, in viis ejus ambulaverunt.* Declarat a contrario id, quod prioribus versibus significavit, quasi diceret : Beati illi, et quidem soli, qui recedunt a peccatis, et ambulant in via Domini : peccatores enim quicumque sint, sicut non in viis Domini, ita neque in viis beatitudinis ambulant.

7. *Confitebor tibi in directione cordis, in eo quod didici judicia justitiæ tuæ.* Sensus est quasi dicat : Gratias agam tibi corde recto, menteque sincera, eo quod gratia tua juvante, didicerim justissimas leges tuas.

8. *Justificationes tuas custodiam* : *non me derelinquas usquequaque* : id est, noli derelinquere me omnino, subtracta gratia tua efficaci ; da mihi semper saltem gratiam efficacem orationis.

AD PRIMAM, octonarius 2. *In quo corrigit.*

Consideratio cum affectu. — Lex est regula, hominem ab ipsa adolescentia dirigens ; ideo ingenti amore, omnibusque animæ potentiis eam amplector.

10. *Ne repellas me a mandatis tuis* : id est, ne deseras me, subtrahendo gratiam tuam ; alioquin idem esset ac si ab impletione mandatorum me repelleres ; cum sine auxilio gratiæ tuæ ea servare non possim. — Simili sensu dicit infra,

versu 31 : *Noli me confundere*, quod nempe faceres, si auxilio tuo me destitueres.

AD PRIMAM, octonarius 3. *Retribue servo tuo.*

Oratio. — Concede, Domine, servo tuo spiritualem animæ vitam, quæ me illuminet, me roboret, meque disponat ad humilitatem amandam, et ad tolerandos contemptus improborum.

18. *Revela oculos meos, et considerabo mirabilia de lege tua* : id est, tolle per infusionem luminis tui velamen passionum ab oculis mentis meæ ; et tunc, oculo interiori purificato, considerabo mirabilem æquitatem, sapientiam, utilitatem, legis tuæ, et mirabilia mysteria in ea recondita.

22. *Aufer a me opprobrium et contemptum.* De contemptu loquitur, quem a superbis propter studium divinæ legis sustinet. Dupliciter tamen ejus verba intelligi possunt : primo sensu, petit ut liberetur ab opprobriis, quatenus hæc impedimento sibi sunt in via Dei ; — altero sensu, prædicit quod futurum est, quasi sic loqueretur : Tempus erit, Domine, cum auferes a me opprobrium et contemptum, ut in superbos inobedientes rejicias. Etenim, ut Augustinus monet, eæ quæ in psalmis imprecationes esse videntur, prædictiones sunt, per modum imprecationum prolatæ.

AD PRIMAM, octonarius 4. *Adhæsit pavimento.*

Confessio infirmitatis suæ, cum petitione remedii. — Velut in terra, inquit, jacet anima mea, ad res terrenas pronissima, ad cœlestia torpens : vi gratiæ tuæ, quæso, eam subleva, confirma, et inflamma.

25. *Adhæsit pavimento* (id est, terræ, hebraice *pulveri*) *anima mea : vivifica me, secundum verbum tuum.* Expositio datur duplex. Prima : appropinquavit pulveri vita mea, mortique proximus sum, urgentibus me persecutionibus ; itaque conserva mihi vitam, tu Domine, secundum promissa tua. — Expositio altera et melior : Adhæret terræ, rebusque terrenis per carnales affectus anima mea : da mihi, Domine, vitam conformem legi tuæ, ut adhærendo tibi per spirituales affectus, spiritualis homo efficiar.

28. *Dormitavit anima mea præ tædio : confirma me in verbis tuis.* Sensus est : Præ tædio continuæ luctæ adversus carnem sustinendæ, tepidior et velut dormitans facta est anima mea ; tu, Domine, in præceptis tuis sectandis confirma me, addito fervore gratiæ et charitatis tuæ.

Ad Tertiam.

Octonarius 1. *Legem pone.*

Oratio. — Doce me, inquit, Domine, constanter sequi viam justificationum tuarum, illuminando intellectum, inclinando cor meum, confirmando gressus meos vigore gratiæ.

33. *Legem pone mihi...* hebraice dicitur uno verbo, HORANI, id est, doce me, nempe mandata tua ; ita ut latina periphrasis, *legem pone mihi, Domine, viam justificationum tuarum*, nec non græca, νομοθέτησον, hunc habeat sensum : Pone mihi in corde, Domine, tanquam legem quam unice sequar, viam mandatorum tuorum.

36. *Inclina cor meum in testimonia tua, et non in avaritiam* : chaldaice *in mammona*, i. e. in pecuniàm. — Inclinat Deus in testimonia sua et ad bonum, *efficienter*, per gratiam suam id nobiscum operando ; inclinat vero in avaritiam et ad malum, *deficienter* et negative, subducendo gratiam efficacem.

37. *Averte oculos meos ne videant vanitatem* : id est, ne videant, ad æstimandum aut ad concupiscendum, res temporales. Vanitas enim dicitur id omne quod inutile et fluxum est : cujusmodi sunt omnia quæ in hac vita speciosa atque jucunda videntur.

38. *Statue servo tuo eloquium tuum in timore tuo :* id est, stabilire, confirmare digneris in me legem tuam per sanctum tui timorem. — Petitur hic sanatio instabilitatis, gratia perseverantiæ.

39. *Amputa opprobrium meum...* id est, aufer a me probrum peccati ; *quod suspicatus sum :* id est, quod timui, nempe quod unicum dedecus timeo.

AD TERTIAM, octonarius 2. *Et veniat.*

Oratio spectans ad misericordiam. — Misericordissima gratia tua, Domine, in me descendat, ut legem tuam corde, ore, mente et opere custodiam atque manifestem.

45. *Et ambulabam in latitudine...* id est, veniente misericordia Domini super me, gratia ejus juvante me, jam non ambulabam in angustiis timoris, sed in latitudine dilectionis : scilicet libenter, magnoque cordis affectu legem servabam. — Hoc versu et tribus sequentibus, propheta per partes explicat, quæ sit perpetua illa legis custodia, quam præcedenti versiculo 44 promisit, dicens : *Et custodiam legem tuam semper, in sæculum, et in sæculum sæculi* ; testaturque se corde, verbo, mente et opere in lege Domini semper futurum : *ambulabam, loquebar, meditabar, levavi manus, exercebar in justificationibus tuis* ; etenim in

hebraico textu hæc omnia dicuntur in futuro : *ambulabo*, *loquar*, etc.

AD TERTIAM, octonarius 3. *Memor esto.*

Oratio et affectus, cum respectu ad æternam retributionem. — Promissæ retributionis spe a te, Domine, repletus, opportunam consolationem et constantiam inveni in custodia legis tuæ.

49. *Memor esto verbi tui servo tuo, in quo mihi spem dedisti.* — Quæritur de quanam promissione hic sermo sit ? — 1° Sunt qui sensum restringunt ad promissionem particularem, Davidi factam ministerio Nathan prophetæ. — 2° Alii melius, extendunt ad promissionem generalem, qua Deus pollicitus est, salutem se daturum omnibus qui custodierint mandata sua. Orat psalmista, inquit Bellarminus, in sua et aliorum fidelium persona, ut Dominus impleat quod promisit servo suo Abraham, et in illo omnibus filiis ejus, dicens : *Ambula coram me, et esto perfectus* (Gen. XVII, 1) ; — *Ego ero merces tua magna nimis.* Gen. XV, 1.

50. *Hæc me consolata est*... intellige, istud, hæc res, hæc promissio consolata est me. Hebræorum more ponitur femineum genus pro neutro. — Idem fere occurrit infra, versu 56 : *Hæc facta est mihi*, quod significat : Hoc, nempe quod dixi, ut promissiones Dei considerarem, spem inde conciperem, aliaque bona obtinerem ; hoc totum mihi evenit *quia justificationes tuas exquisivi.* Omnia scilicet ad legem Dei servandam refert, tanquam ad fontem omnis boni.

52. *Memor fui judiciorum tuorum a sæculo, Domine, et consolatus sum.* — Judicia hic non sumuntur pro præceptis ; sed pro præmiis ac pœnis, Dei judicio decernendis ; et sensus est : In humiliatione et contemptu memor fui judiciorum, quæ ab initio sæculi exercuisti, Domine, exaltans humiles, deprimens superbos, reddens custodientibus legem tuam præmia magna, prævaricatoribus autem magna supplicia : atque hinc hausi in omni tribulatione mea magnum solatium.

AD TERTIAM, octonarius 4. *Portio mea, Domine.*

Oratio et affectus animæ, Dominum tanquam portionem suam aspicientis. — Portio mea tu es, Domine ; ideo legem tuam, non obstantibus quibusvis impedimentis, custodiam : tu vero adjuva me.

61. *Funes peccatorum circumplexi sunt me*... id est, laquei, sive retia variarum tentationum, quæ a peccatoribus hominibus vel dæmonibus tendi solent, circumdederunt me : et tamen a

lege tua recordanda et implenda impedire me non potuerunt.

63. *Particeps* (i. e. socius) *ego sum omnium timentium te.* — Expositio datur duplex : 1° Cum justis ac bonis soleo me conjungere, recedens a consortio malorum ; — 2° melius : Conjungor cum omnibus justis, in communione bonorum omnium ac gratiarum spiritualium. Scilicet omnes justi in Domino, qui communis est portio eorum, colligantur tanquam membra viva in unum corpus, glutino charitatis, quæ facit omnia communia.

AD TERTIAM, octonarius 5. *Bonitatem fecisti.*

Oratio, cum respectu ad Dei bonitatem. — Semper, Domine, bonitatem exhibuisti mihi : da mihi bonitatem tuam imitari ; simul autem concede mihi prudentiam et scientiam, quæ necessariæ mihi sunt.

66. *Bonitatem et disciplinam et scientiam doce me...* id est, tum benignitatem beneficam, tum sapientiam ac prudentiam, tum intelligentiam veritatum quæ lege continentur. Hæc tria, inquit Bellarminus, propheta postulat a Deo, tanquam dona ad custodiendam legem necessaria ; eorumque necessitatem ex effectibus ostendit.

67. *Priusquam humiliarer ego deliqui : propterea eloquium tuum custodivi.* Propheta humiliter fatetur, se tribulationem meruisse ; simulque sapienter agnoscit, eam a Deo optimo tanquam utilem castigationem sibi esse inflictam.

70. *Coagulatum est sicut lac cor eorum...* id est, pinguefactum, incrassatum præ adipe : in hebræo enim legitur *adeps* pro *lacte.* Sensus autem est, obtusum esse cor seu mentem impiorum, ne verba Dei intelligant, neque iis delectentur. Sic fere dicitur alibi : *Incrassatum est cor populi hujus...* (Matth. XIII, 15). — Et : *Animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei.* I Cor. II, 14.

AD TERTIAM, octonarius 6. *Manus tuæ fecerunt me.*

Oratio creaturæ ad suum Creatorem. — Manus tuæ, Domine, fecerunt me : miserere creaturæ tuæ, et gratiam mihi præsta implendi mandata tua, ut non confundar, neque in hoc sæculo, neque in futuro.

79. *Convertantur mihi timentes te...* id est, convertantur ad me, adjungant se mihi. Hortatur homines pios, et qui scientiam legis habent, eos præsertim, qui forte calumniis decepti, ab ipso alienati sunt, ut sibi concilientur, et una secum legem Domini custodiant.

Ad Sextam.

Octonarius 1. *Defecit.*

Oratio animæ graviter laborantis. — Defecit, Domine, anima mea præ laboribus occurrentibus in lege tua : adjuva me, vivifica me.

81. *Defecit in salutare tuum anima mea.* Vehemens desiderium significatur salutaris Dei, simulque afflictio quam anima ob ejusdem salutaris dilationem experitur. Porro illud *salutare*, tanti desiderii objectum, est vel æterna salus, vel salutis auctor Christus ; vel salutis conditio, observatio legis.

83. *Factus sum sicut uter in pruina...* Sensus est : Præ desolatione et angustiis tentationum, factus sum frigidus et aridus, gratia nempe consolante destitutus, sicut uter hiemali frigore congelatus.

AD SEXTAM, octonarius 2. *In æternum, Domine.*

Consideratio ordinis naturæ ideo permanentis quod omnia verbo Dei obediunt ; et hinc voluntas servandi simili obedientia legem Dei in æternum.

89. *In æternum, Domine, verbum tuum permanet in cœlo.* Locus iste, ex mente Genebrardi, intelligi commode potest de stabilitate ordinis naturalis, imaginem referente tum stabilitatis ordinis moralis, seu legis Dei ; tum fidelitatis, qua ordo ille per obedientiam legi servandus est. Ita ut sensus sit : In æternum, Domine, cœli sunt stabiles verbo tuo ; item terra, veritate seu efficacitate verbi tui consistit ; item perseverat ordinatione tua successio dierum : quoniam omnia serviunt tibi, ac verbo tuo obediunt. Simili, imo majore stabilitate lex tua hominibus constituta, simili quoque obedientia, etsi libere, ab eis servanda est. Quare in æternum ego servare eam volo.

96. *Omnis consummationis vidi finem : latum mandatum tuum nimis.* Sensus est : Omnia quantumvis perfecta in hoc mundo, tandem deficiunt et finiuntur : sola lex tua finem et interitum non habet. — Significatur, legem Domini esse æternam, tum quoad se, tum quoad fructus quos producit observantibus eam.

AD SEXTAM, octonarius 3. *Quomodo dilexi.*

Affectus amoris erga legem Dei. — O quam dilecta mihi, quamque digna dilectione lex tua, Domine ! Quam pretiosi fructus ejus !

98. *Prudentem me fecisti mandato tuo : quia in æternum mihi est...* intellige, quia mandatum tuum mihi in æternum est in possessione, in animo, præ oculis positum.

104. *A mandatis tuis intellexi : propterea odivi omnem viam iniquitatis.* Id est : Mandatis tuis eruditus, prudens et sapiens factus sum ; propterea, ex hac nempe acquisita sapientia, non solum abstinui a peccatis et peccandi periculis, sed etiam magnum odium concepi adversus omnem iniquitatem.

AD SEXTAM, octonarius 4. *Lucerna.*

Consideratio legis tanquam luminis, et firmissima voluntas eam servandi. — Lucerna homini viatori verbum tuum, Domine ; propterea non obstante quavis difficultate, ei inhærebo in æternum.

108. *Voluntaria oris mei beneplacita fac, Domine....* id est, oblationes oris mei, quas profero tibi libenter et spontanee, acceptas habe et placitas. — Intelligit autem hymnos, laudationes et orationes ; nam quæ alibi *sacrificia laudis*, hic *voluntaria oris* dicuntur, i. e. voluntariæ orationes et piæ laudationes.

109. *Anima mea in manibus meis semper...* id est, in continuo vitæ periculo versor. Res enim pretiosa quæ manibus tenetur, facile potest cadere vel eripi, nisi fortiter custodiatur. — Causam hujusmodi vitæ discriminis addit, dicens : *Posuerunt peccatores laqueum mihi,* scilicet ut me caperent et occiderent.

112. *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum, propter retributionem.* Dixit legem Domini esse exultationem cordis sui ; hic tantæ delectationis effectum addit et causam. Effectus est firma voluntas servandi legem perpetuo; causa vero, *propter retributionem* : i. e. propter mercedem vitæ æternæ, et aliorum bonorum, quibus Deus homines legis suæ studiosos remunerat.

AD SEXTAM, octonarius 5. *Iniquos odio habui.*

Affectus odii erga peccatum. — Iniquorum opera, consilia et consortia detestor, quia legem tuam, Domine, unice diligo : at vero, ne trahar ab ipsis in perniciem, retine me timore tuo.

113. *Iniquos odio habui, et legem tuam dilexi.* Iniquis opponit, non justos, red legem : ut indicet, se non odisse iniquos, nisi quia contrarii sunt legi divinæ quam diligit. Eos scilicet odio habet ratione iniquitatis, diligit autem ratione naturæ.

118. *Sprevisti omnes discedentes a judiciis tuis, quia injusta cogitatio eorum* : id est, quoniam ipsi cogitant, se non debere legi Dei obedire, nec ab ea pendere ; qua cogitatione nihil iniquius esse potest, cum omnis creatura summo jure creatori subjici debeat.

119. *Prævaricantes reputavi omnes peccatores terræ...* in hebræo : tanquam scorias abjecisti omnes impios. Verba

hebraica (SIGIM HISBATHA, scorias removisti), metaphoram continent ab aurifice desumptam, qui argenti vel auri scoriam abjicit, ut Deus impios. Videntur sæpe impii splendere et aurum esse ; sed eorum splendor est inanis et falsus, ut etiam eorum sapientia, quam reprobat Dominus. Sensus itaque Vulgatæ esse videtur : Peccatores quoslibet, quantumvis mundo splendentes, nullius pretii, imo miseros censeo, quia oculis Dei contemptibiles sunt et abjiciendi.

120. *Confige timore tuo carnes meas.....* Vox hebraica (SEMOR vel SAMAR) scripta sine punctis, significare potest *exhorruit*, vel *confige ;* hinc S. Hieronymus vertit : *Horripilavit a timore tuo caro mea ;* Septuaginta vero καθήλωσον, i. e. *clavis transfige.*— Porro hujus nostræ versionis sensus est : Transfige timore tuo tanquam clavis carnes meas, id est, concupiscentias meas carnales, ne me trahant in peccatum et inde in infernum. Comprime scilicet et coerce cupiditates meas, stabiliendo me in sancto timore judiciorum tuorum, quem per gratiam tuam jam habere cœpi : *A judiciis enim tuis timui*, nempe a decretis tuis, quibus te perditurum impios comminaris.

AD SEXTAM, octonarius 6. *Feci judicium.*

Respectus ad calumniatores seu inimicos, et petitio divini auxilii. — Ecce, Domine, feci justitiam secundum legen tuam : protege ergo me ad hostibus, et adjuva ut in præceptis tuis perseverem.

121. *Feci judicium et justitiam...* id est, justitiæ et virtuti studui. Non jactantia hæc est ; sed innocentiæ coram Deo et bonæ voluntatis assertio, ut Deus, æquitatis amator, et innocentiæ protector , non permittat servum suum improborum libidini : *Non tradas me calumniantibus me* (hebraice, *oppressoribus meis*). — Calumniatores nostri perpetui, dæmones sunt ; quibus tradimur a Deo, quando permittimur tentari ab illis ; vel potius , quando Deo permittente superamur, et tentantibus consentimus.

126. *Tempus faciendi, Domine : dissipaverunt legem tuam* : id est, tempus est puniendi, ulciscendi ; tempus faciendi judicium in impios , qui legem tuam violant et penitus evertunt. — Augustinus cum Patribus latinis, magis mystice verbum *facere* exponunt in bonam partem, huc sensu : O Domine, jam satis docuisti verbis , jam tempus ut venias ad opus gratiæ , ut carnem sumas, et per passionem tuam ad veram sanctitatem nos efficaciter deducas. Nam *dissipaverunt legem tuam*, Judæi, videlicet, quibus data erat.

127. *Ideo dilexi mandata tua, super aurum et topazion* : id est,

super quemvis thesaurum. Topazion lapis est imprimis pretiosus, partim aurei coloris, partim viridis.

128. *Propterea ad omnia mandata tua dirigebar : viam iniquam odio habui.* Sensus est quasi diceret : Quoniam multi dissipaverunt legem tuam, ideo ego magis incensus ejusdem legis amore, rectissime ambulabam per viam mandatorum tuorum, non declinans ad dexteram vel sinistram, evitans omnem viam carnis et peccati : *Omnem viam iniquam odio habui.*

Ad Nonam.

Octonarius 1. *Mirabilia.*

Admiratio mysteriorum legis, et inde petitio gratiæ. — Mirabilia testimonia tua, Domine : da mihi gratiam, ut eorum mysteria intelligam et præcepta custodiam.

130. *Declaratio sermonum tuorum illuminat, et intellectum dat parvulis* : id est, explicatio verborum Dei mirifice mentes illustrat, ipsosque idiotas ac ignorantes erudit ; seu melius, simplices atque humiles mente illuminat. — *Declaratur* autem lex et Dei verbum, quando aperiuntur mysteria figurarum, et ostenditur spiritus sub cortice litteræ absconditus. Declaratio porro hujusmodi efficitur, vel ab Ecclesiæ doctoribus, vel ab ipso Deo per infusionem luminis divini. — *Parvuli* generatim intelliguntur, qui tales sunt ætate, sensu, eruditione, fortuna... quique oculis suis sapientes et prudentes non sunt ; sed humiles, juxta illud : *Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis.* Matth. XI, 25.

131. *Os meum aperui et attraxi spiritum...* id est, attraxi aerem respirando, seu suspiravi, anhelavi præ legis tuæ desiderio. — Merito interpretes passim incisum istud etiam metaphorice et spiritualiter accipiunt ; ita ut intelligatur os mentis, quo Spiritus sancti gratia attrahitur, hoc sensu : Ego, ut unus ex parvulis, desiderio divinæ sapientiæ æstuans, os meum interius aperui orando ac gemendo, et sic attraxi spiritum bonum, quo mandata intelligerem et implerem.

132. *Aspice in me et miserere mei, secundum judicium diligentium nomen tuum* : id est, secundum consuetudinem qua uteris erga amicos tuos, qui te in veritate diligunt et quærunt. — Vox hebraica (MISPAT) significat tum *judicium* tum *morem agendi* ; hic autem pro *agendi more* accipitur, ita ut sensus sententiæ sit : Miserere mei, ut solus misereri diligentium te.

133. *Faciem tuam illumina super servum tuum...* id est, benigne me aspice, serenam ac benevolam faciem mihi ostende,

et lumine ad me transfuso doce me. — Sicut enim sol, ubi nubibus obscuratur, privat nos lumine et calore : ita Deus, cum nos gratia sua non adjuvat, videtur abscondere faciem suam ; et contra, cum nos gratiæ suæ lumine collustrat, videtur nubium obstacula dissipare, et nobis faciem ostendere serenam.

136. *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam* : intellige, quia *homines*, vel, ut latini Patres exponunt, quia *oculi mei* non custodierunt legem tuam. — Quam vehementer diligat legem Domini, hactenus precibus, verbisque multis ostendit ; hic vero id demonstrat ex magno dolore quem ob suam aliorumque prævaricationem concepit. Non tantum enim se lacrymatum esse dicit, sed rivos lacrymarum ex oculis quasi ex fontibus produxisse.

AD NONAM, octonarius 2. *Justus es, Domine.*

Admiratio summæ rectitudinis ac sanctitatis legis, et hinc petitio gratiæ. — Justitiæ perfectæ norma est lex tua, Domine, utpote ex te, qui ipsa justitia es ac veritas, tanquam radius e sole dimanans. Intellectum da mihi, ut illa justitia fruendo vivam.

137. *Justus es, Domine, et rectum judicium tuum :* id est, justus es, Domine, essentialiter et efficienter ; justus natura, non qualitate ; justus in omni decreto ac judicio tuo. — *Judicium* Dei generatim significatur, adeoque illud etiam quo pœnas distribuit et præmia ; specialius tamen intelligitur judicium seu decretum legis. Laudat enim propheta legem a summa rectitudine ac justitia ; et demonstrat eam esse justissimam eo quod auctorem habeat Deum, ipsam justitiam, et in quem injustitia nulla cadere potest.

140. *Ignitum eloquium tuum vehementer...* id est, igne probatum et excoctum, ad omni injustitia purum, instar auri sine scoriis. — Nom tamen falsum, sed potius verissimum est, legem Dei esse etiam *igneam*, ut dicitur. Deut XXXIII. 2 : *In dextera ejus ignea lex ;* tum quia instar ignis illuminat et purificat, tum quia finis ejus est charitas, quæ est ignis divinus.

141. *Adolescentulus sum ego et contemptus...* id est, parvus et abjectus. — Vos *adolescentulus* accipi potest 1° tanquam nomen ætatis, hoc sensu : Ego fui minimus inter filios Isai, et contemptus a patre et fratribus ; tamen exaltatus sum ad regnum, quia *justificationes tuas non sum oblitus.* — Vel 2° tanquam nomen conditionis et status, nempe humilitatis, quasi diceret : Quamvis me contemnant homines, tamen non sum oblitus præceptorum tuorum, sed in his perseveravi constantissime.

142, 144. *Justitia tua justitia in æternum, — æquitas testimonia tua in æternum...* intellige, in æternum immutabiliter permanens; vel, sensu causali, in æternum utilis, æternos fructus, æterna nobis bona pariens.

AD NONAM, octonarius 3. *Clamavi in toto corde meo.*

Ardens oratio. — Vehementi desiderio, a te, Domine, gratiam flagito constanter servandi legem tuam.

146. *Clamavi ad te, salvum me fac...* Potest hoc intelligi, tum de salute *in spe*, quæ habetur per gratiam in hoc sæculo; tum de salute *in re*, quæ habetur per gloriam in futuro.

149, 158. *Secundum judicium tuum vivifica me...* id est, peto ut repleas me spiritu et vita tua, agendo secundum morem misericordiæ tuæ, quo misericorditer judicas eos qui diligunt legem tuam.

151. *Prope es tu, Domine, et omnes viæ tuæ veritas* : intellige, prope es peccatoribus, quantumvis a te recesserint, ut eos punias; et prope quoque mihi, omnibusque servis tuis, ut eos adjuves. — Vel etiam idem sic exponi potest : Prope es omnibus, Domine, urgens mandata tua, quæ verissima sunt et æquissima. — Ita ut persecutoribus, eorumque iniquitati opponatur legis immutabilitas et veritas.

152. *Initio cognovi de testimoniis tuis, quia in æternum fundasti ea.* Significat æternitatem esse characterem legis manifestum, et statim considerantibus obvium. Jam inde ab initio, inquit, cum primum cœpi intendere in mandata tua, cognovi quod sint æternæ veritatis, et plane indispensabilia, quia immutabilem justitiæ ordinem continent.

AD NONAM, octonarius 4. *Vide humilitatem meam.*

Oratio, cum respectu ad inimicos et persecutores. — Vide, inquit, humiliationem meam, Domine; vide tribulationes ac tentationes quas patior propter legem tuam : libera me, confirma me, vivifica me.

154. *Judica judicium meum, et redime me...* id est, judica causam meam; inter me et inimicos affligentes me decerne, et per sententiam tuam judiciariam, de manu eorum redime seu libera me.

158. *Vidi prævaricantes et tabescebam...* Ostendit propheta verum spiritum charitatis, moleste ferendo persecutores, non tam ob propriam sui afflictionem, quam ob injuriam Dei : *Quia eloquia tua non custodierunt.* Quod idem supra dixit, illis verbis : *Defectio tenuit me pro peccatoribus derelinquentibus*

legem tuam ; et rursum : *Tabescere me fecit zelus meus, quia obliti sunt verba tua inimici mei.*

160. *Principium verborum tuorum veritas : in æternum omnia judicia justitiæ tuæ.* — Duobus modis intelligi potest præsens versiculus : 1° Verba tua procedunt a veracitate, ut a suo principio et quasi fonte ; ideo in æternum manent judicia justitiæ tuæ, quibus præmium piis, impiis vero pœnam decernis. — 2° Summa (ἀρχὴ) verborum tuorum est veritas : veritatem in omnibus spectas ; ideoque mandata tua verissima, et, sicut ipsa veritas, æterna sunt.

AD NONAM, octonarius 5. *Principes persecuti sunt.*

Affectus gaudii in Domino, et in perfecta legis impletione. — Principum omnium, inquit, persecutiones superavi timore tui solius, Domine : ideo in te gaudeo, et lætus ambulare pergo in conspectu tuo, donec ostendas mihi salutare tuum.

161. *Principes persecuti sunt me gratis...* Principes injuste persecuti Davidem, sunt Saul, Isboseth et Abner, Absalom et Achitophel. Sensu autem allegorico significantur inimici animarum, qui ab Apostolo vocantur *principes et potestates, mundi rectores tenebrarum harum, spiritualia nequitiæ in cœlestibus.* Eph. VI, 12.

Et a verbis tuis formidavit cor meum : id est, tandis tentationibus non succubui, quia magis mandata tua transgredi timui, quam subire persecutiones eorum.

162. *Lætabor ego super eloquia tua, sicut qui invenit spolia multa :* id est, sicut victor, qui peracto prælio invenit multa spolia hostium quos devicit. Aptissima similitudo, alludens ad certamina cum diabolo sustinenda, et ad præmia pretiosissima victoribus a Deo parata.

166. *Exspectabam salutare tuum, Domine, et mandata tua dilexi :* id est, Salvatorem a te mittendum, et per eum salutem æternam cum fiducia exspecto, quia mandata tua dilexi et implevi. — Hoc loco propheta induens personam perfectorum, eodem fere modo loquitur ac Apostolus Paulus, II, Tim. IV, 7 : *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi, in reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex.*

AD NONAM, octonarius 6. *Appropinquet deprecatio.*

Oratio finalis. — Exaudi, inquit, Domine, hanc meam orationem ; et gratiam toties hoc psalmo postulatam concede, intelligendi nimirum et constanter servandi legem tuam. Miserere mei, et tanquam pastor ovem errantem, me per viam legis tuæ deducere digneris.

169. *Juxta eloquium tuum da mihi intellectum* : id est, juxta promissum tuum, quod ex te audivi dicente : *Intellectum tibi dabo, et instruam te* (Ps. XXXI) ; da mihi intelligere mandata tua eo modo, quo intelligunt qui ea opere adimplent, et qui adimplendo ad vitam perveniunt.

175. *Vivet anima mea et laudabit te* ; *et judicia tua adjuvabunt me* : id est, cum salutem optatam obtinuerit anima mea, et manus tua fuerit porrecta ad salvandam eam, tunc vivet et laudabit te in æternum : et sic *judicia tua adjuvabunt me*, fructu suo ac mercede me locupletando.

176. *Erravi sicut ovis quæ periit : quære servum tuum, quia mandata tua non sum oblitus.* Erravi per peccatum, ego et humanum genus totum ; mitte ergo bonum Pastorem, Christum, qui ovem perditam reducat. Confidenter autem id peto, *quia mandata tua non sum oblitus.* — Sic precatur psaltes ut Christus veniat, et hominem in his infinis inter lupos infernales errantem salvet : qui finis ac scopus est omnium Scripturarum.

Sensus liturgicus.

Pauca hic dicenda veniunt, cum sensus liturgicus vix ab illo differat, qui hactenus est expositus. Etenim per totum hunc pulcherrimum psalmum, Ecclesia divinæ legis, quam tamen legem Christi et Evangelii semper intelligit, præconium cantat ; quo filios suos animet, ut non obstantibus tædiis, laboribus, hostiumque quorumlibet insultibus, eamdem legem ab infantia usque ad vitæ exitum strenue impleant. Amore scilicet perfecto divinæ legis per Spiritum sanctum inflammata, sensus suos ore fidelium eloquitur, et eloquendo eorum animis insinuat. — Psalmum autem eumdem quotidie recitandum præscribit, quia quotidie eodem fervore præcepta divina servanda sunt ; et quia necesse est, ut per actus atque affectus sæpius repetitos, recitantium corda imbuantur iisdem affectibus sanctis, qui psalmo continentur.

Affectus hujusmodi pro variis animæ necessitatibus sunt varii ; et secundum processum Horarum, gradatione quadam alii aliis succedunt. Nimirum *ad Primam* dominatur firma voluntas ac propositum inhærendi divinæ legi, eamque perfecte et constanter servandi ; — *ad Tertiam*, fiducia in Deo, et petitio luminis adversus fraudes inimici ; — *ad Sextam*, fortitudo in prælio ; — *ad Nonam*, amor, gaudium et pax in Domino.

—

PSALMUS CXIX.

Ad Dominum, cum tribularer, clamavi.

1. Ad Dominum, cum tribularer, clamavi : et exaudivit me.

2. Domine, libera animam meam a labiis iniquis : et a lingua dolosa.

3. Quid detur tibi , aut quid apponatur tibi ad linguam dolosam ?

4. Sagittæ potentis acutæ, cum carbonibus desolatoriis.

5. Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est : habitavi cum habitantibus Cedar : multum incola fuit anima mea.

6. Cum his qui oderunt pacem (1) , eram pacificus : cum loquebar illis , impugnabant me gratis.

1. Cum tribularer , ad Dominum clamavi : et exaudivit me.

2. Dixi : Domine , libera animam meam a labiis iniquis, et a lingua fraudulenta.

3. Quid dabitur tibi , aut quid reddetur tibi , o maledice , tanquam merces linguæ dolosæ ?

4. Sagittis tuis respondebunt sagittæ Omnipotentis , acutæ , et ignitæ carbonibus incendiariis.

5. Heu mihi ! Quia incolatus meus in hoc exilio prolongatus est : habitavi cum inhumanis Cedarenis ; illic diutius exul fuit anima mea.

6. Cum his qui oderunt pacem conabar esse pacificus : cum autem loquebar illis pacifice, ipsi impugnabant me gratis, et ex mera malitia. — Quapropter , Domine , libera animam meam.

—

Explicatio.

Argumentum. — Oratio justi in tribulatione positi , et petentis a Deo, ut tum a linguis malignis , tum ab exilio suo liberetur.

Psalmus est primus e *gradualibus*, id est, ex quindecim illis, qui proxime post psalmum CXVIII sequuntur , et inscribuntur singuli *canticum graduum* seu *accessionum*. Non ponitur *psalmus*, sed *canticum* graduum : eo quod hujusmodi

(1) Hæc verba cum inciso præcedenti conjungit S. Hieronymus , ex hebræo ; et quidem magis ad rem juxta legem parallelismi. Sic enim ordinat versionem :

5. *Heu mihi, quia peregrinatio mea prolungata est ! habitavi cum tabernaculis Cedar.*

6. *Multum peregrina est anima mea cum odientibus pacem.*

7. *Ego pacifica loquebar, et illi bellantia.*

hymni solis vocibus, sine musicis instrumentis essent decantandi.

De sensu hujus tituli valde disputato, tres sunt magis receptæ sententiæ. Prima tenet, psalmos sic inscribi, quod ab Israelitis cantarentur, cum hi in festis Paschatis, Pentecostes et Tabernaculorum, ex omnibus Judææ partibus convenirent in Jerusalem : qui conventus, quia civitas in montibus sita erat, *ascensio* vocabatur. — Secunda tenet, *cantica graduum* ita vocari, quod cantarentur a Levitis per quindecim gradus ad templum Salomonis ascendentibus. — Tertia, quod cantati fuerint ab Israelitis Babylone captivis, cum proximæ reversionis, seu *ascensionis* in patriam, spe gauderent. Hæc ultima sententia communius probatur.

Et revera tam apte statui captivorum Babylonis hi psalmi conveniunt, ut omnino sensu immediato ac litterali, illum eventum respicere videantur. Merito itaque existimari potest, Davidem, prophetico spiritu de futura captivitate locutum esse ; vel saltem, Deo sic disponente, eum psalmos istos scripsisse cum ipse in iisdem fere circumstantiis versaretur, in quibus postea Judæi captivi versati sunt. — Nil etiam vetat admittere, psalmos istos post captivitatem ab alio viro inspirato esse conscriptos.

SS. Patres passim, psalmos graduales sensu spirituali exponunt de animabus justis, quæ in hujus vitæ exilio positæ, ad cœlestem patriam suspirant et contendunt (1).

In præsenti psalmo, oratio justi afflicti applicari potest, sive Christo patienti, sive fidelibus in hoc mundo, sive animabus purgatorii.

I. *Justus petit ut liberetur a linguis iniquis.*
II. *Petit ut liberetur ab exilio.*

—

1. *Ad Dominum, cum tribularer, clamavi : et exaudivit me.*

2. *Domine, libera animam meam a labiis iniquis : et a lingua dolosa.*

Cum tribularer... Tribulationes quibus se afflictum dicit justus, a sermonibus malignis hominum præcipue oriuntur, prout ex sequentibus patebit. — In his tribulationibus suis non humanam defensionem quærit, nec crimina et maledicta calumniantibus opponit ; sed ad Deum recurrit adjutorem paratum, dicens :

(1) Cf. infra, præamb. ad Ps. CXXXIII, qui est ultimus gradualium. Pag. 589.

2. *Domine, libera animam meam a labiis iniquis, et a lingua dolosa.* Vi vocis hebraicæ *labia iniqua* indicant detractiones et calumnias. *Lingua dolosa* denotat fraudulentos et perfidos sermones, quibus non tantum homini conflatur odium, sed et pernicies. — Sensu *altiore* et *pleno*, non solum hic detractio, convicia, calumniæ, et fraudes indicantur ; sed generatim omnia peccata linguæ, blasphemiæ, turpiloquia, pravæ doctrinæ, sermonibus vel scriptis propagatæ : quæ omnium fere malorum causa exsistunt. *Lingua ignis est, universitas iniquitatis.* Jac. III, 6.

3. *Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi ad linguam dolosam ?*

4. *Sagittæ potentis acutæ, cum carbonibus desolatoriis.*

Per apostrophen hostem maledicum interrogat, quasi dicens : Quem fructum, o maligne, quodve emolumentum tibi afferet lingua fraudulenta ? Hebraice : *Quid dabit tibi* (Deus), *et quid addet tibi, o lingua dolosa ?*

Respondet autem : Durissimæ plagæ et incendia perniciosa tibi dabuntur : *Sagittæ potentis acutæ cum carbonibus desolatoriis.* — Sagittæ, manu omnipotentis Dei emissæ, acutæ simul et ignitæ; ut sicut fulgura quidvis desolari et vastare possint (1) ; figurate significant divinam vindictam maledicis reservatam.

Alii, intelligentes apostrophen esse ad hominem justum, hunc locum sic interpretantur : Quid mali, o juste, inferri tibi possit, quod adæquet malum linguæ maledicæ ? Nullum sane. At exspecta tempus vindictæ divinæ, quæ sicut fulgur erumpet. — Vel etiam : Quodnam vere malum tibi ab istis linguis infligi potest ? Ecce mox Dei manu percutientur. — S. Augustinus sensu morali intelligit *sagittas ignitas* in bonam partem, de charitate et bono exemplo ; ut fideles doceat, charitatem et bonum exemplum solum remedium esse contra malignos sermones.

5. *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est : habitavi cum habitantibus Cedar : multum incola fuit anima mea.*

Altera pars, petit ut liberetur ab exilio. Ex occasione enim tot malorum quæ sibi venenosis linguis suscitantur, suspirat

(1) Hebraice dicitur, *cum carbonibus genistarum*, vel *juniperorum*, quorum lignum vehementem ardorem concipit ac diu servat ; atque ita imaginem exhibet odii vehementis.

ad patriam. Heu ! me miserum, inquit, quod peregrinatio mea et commoratio in terra aliena prolongatur ; quod vivere cogor cum habitantibus Cedar : vere protrahitur nimis meum exilium. — *Heu* ponitur hic cum dativo *mihi*, secundum syntaxin hebraicam : ad fontis commendationem, ait Genebrardus, et venerationem, cujus causa grammaticas leges facile spernit Ecclesia. De cætero in illa verborum simplicitate, plus sæpe continetur nervorum et succi, quam in ulla sermonis congruitate aut elegantia.

Habitantes Cedar, seu Cedareni, ut videtur, sic dicti a Cedar, uno e filiis Ismael, Arabiæ populi, postea appellati Saraceni ; tunc erant subditi regi Nabuchodonosor, qui forte partem captivorum Israel in illam provinciam misit. In hebræo dicitur, *habitavi cum tabernaculis Cedar*, quia Arabes sub tentoriis habitabant. — Forte Cedareni metonymice duntaxat hic commemorantur pro populis feris et crudelibus, quales fuere illi de quibus propheta conqueritur ; quosque exhibet tanquam perversos, maledicos, et omnino pacis inimicos : ut ex supra dictis colligitur, nec non ex iis quæ adduntur :

6. *Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus : cum loquebar illis* (quæ pacis erant), *impugnabant me gratis.*

Concludit declarando magis adversariorum malitiam, simulque animum pacificum et constantem quem ipsis opponit, donec Deus aliter provideat. Habitavi, inquit, ego pacis amator, cum hominibus turbulentissimis ; qui, si forte loqui de pace incipiebam ad illos, ipsi sine ulla causa magis me impugnabant. — Hic suppleri potest quod ex dictis ab initio intelligitur : En tribulationes, in quibus *ad Dominum clamavi, et exaudivit me.*

Sensus liturgicus.

Recitatur psalmus iste, 1° in Cœna Domini et in officio de Passione ; 2° in vesperis Defunctorum.

1° In Cœna Domini et in officio de Passione, Ecclesia in persona Christi patientis liberationem petit a calumniis et injustis persecutionibus Judæorum. *Domine, libera animam meam a labiis iniquis et a lingua dolosa... cum his qui oderunt pacem eram pacificus...*

2° In officio Defunctorum, allegorice sumens orationem Christi, loquitur in persona animarum fidelium, quæ liberationem petunt a calumniatore per excellentiam ejusque calumnia : nempe a diabolo et peccato. *Satanas* enim seu *diabolus*, spiritus mendacii, *calumniator* est : qui *lingua dolosa*, id est,

suasione perversa inducit homines in peccatum, atque inde in ignem inferni vel purgatorii : adeo ut vere dici possit lingua ejus esse sagitta lethifera et incendiaria. — Ab effectu itaque linguæ satanicæ, id est a peccato ejusque pœna, liberari postulat, intuitu calumniarum quas Christus tam patienter tamque pacifice pertulit : *Domine, libera animam meam... Heu mihi! quia incolatus meus prolongatus est... cum his qui oderunt pacem eram pacificus : cum loquebar illis impugnabant me gratis.*

PSALMUS CXX.

Levavi oculos meos in montes.

1. Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi.

2. Auxilium meum a Domino, qui fecit cœlum et terram.

3. Non det in commotionem pedem tuum : neque dormitet, qui custodit te.

4. Ecce non dormitabit, neque dormiet, qui custodit Israel.

5. Dominus custodit te, Dominus protectio tua, super manum dexteram tuam.

6. Per diem sol non uret te : neque luna per noctem.

7. Dominus custodit te ab omni malo : custodiat animam tuam Dominus.

8. Dominus custodiat introitum tuum et exitum tuum : ex hoc nunc, et usque in sæculum.

1. Peregrinus ego viator, levavi oculos meos in montes Jerusalem, unde veniet auxilium mihi.

2. Auxilium meum exspecto a Domino omnipotenti, qui fecit cœlum et terram.

3. Adsit tibi Deus, ad quem levasti oculos, o homo, et non permittat vacillare pedem tuum : neque, claudendo oculos periculis tuis ; dormitet idem Deus qui custodit te.

4. Ecce revera non dormitabit neque dormiet, qui custodit te, fili Israel.

5. Dominus custodit te ; Dominus protectio tua, ac velut umbraculum, tibi adest ad manum dexteram tuam.

6. Hinc, per diem sol non uret te, neque frigida luna per noctem tibi nocebit.

7. Dominus custodit te ab omni malo : custodietque porro animam tuam Dominus.

8. Dominus custodiat introitum tuum et exitum tuum, adeoque totum cursum peregrinationis tuæ : ex hoc nunc et usque in sæculum.

Explicatio.

Argumentum. — Psalmus est consolatorius : consolatur enim peregrinos ascendentes in Jerusalem, promittendo eis perpetuam Dei custodiam.

I. *Auxilium divinum a peregrino imploratur.*
II. *Auxilium ipsi a propheta promittitur.*

—

1. *Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi.*

2. *Auxilium meum a Domino , qui fecit cœlum et terram.*

Vox est et oratio hominis Israelitæ, viam ineuntis ut ad patriam revertatur. Attollens enim oculos versus Judæam et montes sanctos, quibus Jerusalem cingebatur et partim insidebat ; Deum implorat, ut de sanctuario illo suo ad prospere iter conficiendum, auxilium præstet : *Levavi oculos meos in montes...* Addit autem, auxilium sibi *inde* venire : id est , ut mox explicat, ab ipso Domino omnipotenti *qui fecit cœlum et terram.*

Mystice, montes ad quos orando levare nos oportet oculos , sunt cœli, et quis in eis sunt Sancti, B. Virgo, et Christus Dominus : quos contemplari et implorare debemus.

3. *Non det in commotionem pedem tuum : neque dormitet, qui custodit te.*

Incipit *altera pars*, responsio prophetæ, peregrino Israeli auxilium quod petit, apprecantis , vel potius promittentis. — Quæ enim optativo modo ponuntur, possunt, vi vocis hebraicæ, indicativo enuntiari ; ita ut *non det*, significet *non dabit.* De cætero, ubi prophetæ loquuntur , vix temporis differentia haberi solet.

Non det in commotionem pedem tuum... sensus est : Non frustra in Domino speras : non sinet te vacillare aut cadere in via ; imo ipse custos tuus est, teque custodiet diligenter. — Quod dicit, *non dormitabit*, id est , ne levissimo quidem somno indulgebit : metaphora sumpta ab excubitoribus, qui diligenter vigilant. — *Spiritualiter* , Deus dicitur dormitare , quando permittit nos cadere, quasi non adverteret.

4. *Ecce non dormitabit, neque dormiet, qui custodit Israel.*

Explicatur custodia, et protectio Domini respectu Israel. Hanc admirans, et viva fide quasi videns, *ecce*, inquit, manifesta est nec unquam dificiet tibi protectio Domini : *Non dormitabit*, *neque* (id est, et multo minus) *dormiet*... dicitur *dormitare* ille, qui est semisopitus ; *dormire* autem, qui a somno penitus victus est. Neutrum in Deum cadere potest, qui semper, in omni casu et angustia, oculos servis suis intentos habet ; etiamsi, sicut Christus in navicula dormiens, suorum periclitantium aliquamdiu oblitus videatur. — Non sic homines protectores, aut custodes, a dormitione immunes sunt ; sed solus ille qui custodit *Israel*. Hujusmodi autem singulari custodia, et in omnibus necessitatibus auxilio solus fruitur *Israel* : verus nempe et spiritualis Israel, homo fidei, homo Deo dicatus et ex animo devotus.

Moraliter, conveniunt ista omnibus Ecclesiæ Pastoribus, et quibuscumque superioribus ; imo et singulis fidelibus, qui et ipsi custodiunt Israel... et ab omni dormitione cavere debent : *Vigilate et orate*.

5. *Dominus custodit te, Dominus protectio tua super manum dexteram tuam.*

6. *Per diem sol non uret te : neque luna per noctem.*

Ulterius explicat singularem Domini protectionem et custodiam. Dominus, inquit, *protectio tua* (est), *super manum dexteram tuam* : id est, ad manum dexteram tuam, ad latus tuum, tanquam auxiliator paratus.

Nec tantum proteget te ab hostibus, sed etiam ab aliis itineris incommodis, tam de die quam de nocte : *Per diem sol non uret* (hebraice, *non lædet*) *te*, *neque luna per noctem*. Comparat pericula aperta radiis solaribus, et clandestina lunaribus ; — vel significat, fore ut Israel non vexetur calore diei nec frigore noctis. Illud enim, *neque luna uret per noctem*, de frigore intelligi potest, quod lunæ nocturnæ tribuitur. Sic dicebat Jacob : *Æstu urebar et gelu*. Gen. XXXI, 40.

7. *Dominus custodit te ab omni malo : custodiat* (in hebræo et græco, *custodiet*) *animam tuam Dominus.*

8. *Dominus custodiat introitum tuum et exitum tuum : ex hoc nunc et usque in sæculum.*

Absque figura et prorsus universaliter dicit, fore ut Dominus Israelem servét incolumem prorsus ab omni malo : intellige, a vero malo, quod ad spiritum pertineat. Etsi enim *anima* hic ponitur pro *vita*, vel pro toto homine ; altiore tamen sensu designat *spiritum*.

Introitus et exitus, est vel quævis hominis actio et conversatio ; vel ejus status domi et foris, vel ejus vita et mors. — 8. *Dominus custodiat introitum tuum et exitum tuum, ex hoc nunc et usque in sæculum* : id est, custodiat te Dominus perfecte, ab initio itineris usque ad exitum, ab exitu e Babylone usque ad ingressum in patriam ; imo, ab hoc momento usque in æternum.

Conclusio hæc pulcherrima est, quæ votis, imo promissis Israelem prosequitur ac deducit usque in patriam beatam et æternam.

Sensus liturgicus.

Psalmus *Levavi oculos,* recitatur 1° in officio de Oratione Christi ; et 2° in vesperis Defunctorum.

1° In festo de Oratione Domini, Psalmus precatio est, qua Ecclesia primum in persona cujusque fidelium exemplo Christi orat ; deinde, oranti cuilibet respondens nomine Dei, promittit copiosissima Dei auxilia ad vitam æternam consequendam. *Levavi oculos meos in montes , unde veniet auxilium mihi... Non det in commotionem pedem tuum... Dominus custodiat introitum tuum et exitum tuum : ex hoc nunc, et usque in sæculum.*

2° In vesperis Defunctorum , personam agens animarum fidelium, oculos ad montes cœlestis Jerusalem attollit, Deique auxilium implorat. Deinde, nomine Dei, eis solatium pollicetur ac proximum in patriam ingressum : *Non dormitabit neque dormiet, qui custodit Israel... Dominus custodiat introitum tuum et exitum tuum.*

—

PSALMUS CXXI.

Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi.

1. Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi : In domum Domini ibimus.	1. Lætatus sum in his quæ nuntiata sunt mihi : In Jerusalem, in domum Domini ibimus.
2. Stantes erant pedes nostri in atriis tuis, Jerusalem.	2. Jam steterunt pedes nostri in portis tuis, o Jerusalem !
3. Jerusalem quæ ædificatur ut civitas , cujus participatio ejus in idipsum.	3. Jerusalem urbs mirabilis est, quæ ædificatur in civitatem cujus participatio seu inhabitatio est communis.

4. Illuc enim ascenderunt tribus, tribus Domini : testimonium Israel ad confitendum nomini Domini.

5. Quia illic sederunt sedes in judicio : sedes super domum David.

6. Rogate quæ ad pacem sunt Jerusalem : et abundantia diligentibus te.

7. Fiat pax in virtute tua : et abundantia in turribus tuis.

8. Propter fratres meos et proximos meos, loquebar pacem de te :

9. Propter domum Domini Dei nostri, quæsivi bona tibi.

4. Illuc enim ascenderunt a sæculis universæ tribus Domini, juxta legem Israel ad laudandum nomen Domini.

5. Illic quoque constituti sunt throni judicantium, throni constituti in familia David.

6. Rogate quæ ad pacem pertinent Jerusalem, utque sit abundantia diligentibus eam.

7. Utique fiat pax, o Jerusalem, in ambitu murorum tuorum, et abundantia in palatiis tuis.

8. Propter fratres meos et proximos meos, qui sunt cives tui, peto pacem pro te.

9. Propter domum Domini Dei nostri, quæ est in te, apprecor bona tibi.

— •

Explicatio.

Argumentum. — Juxta plerosque interpretes (1), David spiritu prophetico prævidens reversuros a captivitate Babylonica exules filios Israel, qui summo desiderio civitatis sanctæ tenerentur ; gaudium suum, nec non laudes et benedictiones civitatis Jerusalem, celebrat.

Anogogice, in typo redeuntium captivorum e Babylone, describit propheta lætitiam animæ, quæ dum peregrinatur in hac terra, cœlestis patriæ pulchritudinem contemplatur. Hic sensus est præcipue a Spiritu sancto intentus.

I. *Gaudium euntium in Jerusalem.*
II. *Laudes Jerusalem.*
III. *Vota pro hac sancta civitate.*

—

1. *Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi : In domum Domini ibimus :*

(1) Alii tamen, nequaquam improbabiliter, psalmum scriptum censent post captivitatem, pro redeuntibus. Versio syriaca hunc ei titulum præponit : *Quum præcepit Cyrus ut redirent exules.*

Verba hæc sunt populi Dei, qui lætari se dicit de optimo nuntio accepto reversionis e Babylonia in patriam. Nuntium illum dedit ipse Deus, primo quidem per os Jeremiæ (Jer. XXV et XXIX) ; et clarius deinde per Danielem , Aggæum, ac Zachariam, illo ipso tempore, quo soluta est captivitas. — *In domum Domini ibimus* : id est, in Jerusalem , ubi est mons Sion et locus domus Dei ; imo ubi, templo reædificato, in domum Domini rursum ingrediemur.

Sensu altiore, nuntium vere beatum dedit ipse Christus Dominus, dicens : *Pœnitentiam agite , appropinquavit enim regnum cœlorum* (Matth. IV, 17). — *In domo Patris mei mansiones multæ sunt : si quo minus, dixissem vobis, quia vado parare vobis locum. Et si abiero, et præparavero vobis locum, iterum venio, et accipiam vos ad me ipsum , ut sum ego, et vos sitis.* Joan. XIV,2, 3.

2. *Stantes erant pedes nostri in atriis tuis, Jerusalem.*

Per apostrophen alloquitur desideratam Jerusalem, dicitque jam stetisse pedes suos *in atriis ejus*, id est, in portis. Portæ scilicet partem civitatis præcipuam apud Judæos constituebant; quare et in Apocalypsi portæ cœlestis Jerusalem tanta magnificentia describuntur : *Et duodecim margaritæ duodecim portæ sunt per singulas.* Apoc. XXI, 21.

Illud *stantes erant*, sumi potest, vel in tempore præterito, ut jacet in vulgata ; vel in tempore futuro, quod significatur in hebræo. Unde sensus duplex probabilis : 1° Ibimus in domum Domini, in Jerusalem, cujus portas charissimas ingrediebamur olim ante captivitatem. — Multi enim ex redeuntibus , Jerusalem ante excidium viderant. — 2° Ibimus in sanctam civitatem, stabuntque mox pedes nostri in portis ejus ; imo ex quo nuntium felicem accepimus, veluti stantes sunt pedes nostri in beato tuo vestibulo, o Jerusalem ! — Vestibulum cœlestis Jerusalem est Ecclesia terrestris ; quæ vere *domus Dei est*, etsi fide velata, *et porta cœli.*

3. *Jerusalem quæ ædificatur ut civitas, cujus participatio ejus in idipsum.*

Secunda pars psalmi, laudes Jerusalem, quibus sancti peregrini se magis ad properandum iter inflammant. — Laudant autem Jerusalem, 1° ab unitate, qua constituta est ; 2° a religione ; 3° a sede regni et justitiæ.

Quod dicit imprimis Jerusalem *ædificari*, respicit singularem ædificationis modum : nimirum ædificatur ad modum talis

civitatis, *cujus participatio sit in idipsum* : id est, cujus participatio sit omnium simul, communis.

Id autem duplici modo intelligi potest : 1° ita ut Jerosolymæ habitatio, (quæ *participatio* vocatur) sit communitas quædam arctissima, cum cives omnes perfecta concordia inter se conjungantur ; — 2° vel ita, ut partes ac domus Jerusalem non sint inter se divisæ ac separatæ ; sed omnes apte connexæ atque conjunctæ in unum corpus, urbem quamdam ordine pulcherrimam et unitate firmissimam constituant. — Sensus iste magis congruit cum textu primigenio, qui ad litteram sic vertitur : *Jerusalem*, tu bene *ædificata*, *sicut urbs quæ* perpetuis ædibus *conjuncta sibi est in unum.*

In utraque expositione facile patet, Ecclesiæ unitatem significari, conjunctionem charitatis, et communionem sanctorum. Describitur scilicet, tum Ecclesia terrestris, quæ per fidem, charitatem, participationem eorumdem bonorum spiritualium ex vivis lapidibus coagmentatur in unum Christi corpus ; tum Ecclesia cœlestis, quæ consummatur in unum intuitione, amore ac fruitione ejusdem summi boni, ipsius Dei, qui est *omnia in omnibus*. Rom. XV, 28, 4.

4. *Illuc enim ascenderunt tribus, tribus Domini : testimonium Israel ad confitendum nomini Domini.*

Laudat secundo Jerusalem a religione : quia civitas sancta est, possidens Sanctuarium, quo ex Dei mandato confluxerunt a tot sæculis universæ tribus Israel ad cultum ac laudem persolvendam nomini Domini.

Illuc, inquit, *ascenderunt tribus, tribus Domini* : id est. tribus et tribus, tribus numerosæ, universæ. *Testimonium Israel*, i. e. quod erat præceptum, vel quod fiebat juxta præceptum Israeli datum, ut visitarent templum Jerosolymitanum, unicum Sanctuarium Domini in tota terra promissionis.

Sensu spirituali significatur, filios Israel, tribus sanctas Domini, id est, justos ex omni tribu et lingua, ascendere in Jerusalem cœlestem.

5. *Quia illic sederunt sedes in judicio : sedes super domum David.*

Ultima laus Jerusalem, et ratio gaudendi : quod illa civitas est sedes regni, sedes principum de domo David, qui regunt et judicant populum Israel.

Sedes in judicio, id est, sedes seu throni ad judicandum et regendum. — *Sederunt sedes*, id est, quieverunt tibi, stabiliter constitutæ et fixæ sunt sedes principum multorum sibi invicem

succedentium : quod dicitur ad differentiam throni Saulis, primi regis, qui positus fuit in Gabaa Benjamin, sed ibi non mansit ; cum paulo post fuerit alio translatus — *Sedes super domum David*, hebræice *sedes domui David* : id est, fundatæ super domum seu familiam David ; vel quæ ejusdem domus Davidicæ possessio sunt, utpote datæ domui David, ab ipso Deo, qui per os prophetæ Nathan sic locutus est : *Fidelis erit domus tua, et regnum tuum usque in æternum ante faciem tuam, et thronus tuus erit firmus jugiter.* II Reg. VII, 16.

Sensu spirituali significantur throni, in cœlesti Jerusalem firmissime stabiliti, Christi et Sanctorum, qui etiam in die judicii judicabunt duodecim tribus Israel. — Sunt autem sedes istæ fundatæ super domum David, quia omnis Sanctorum potestas regia et judiciaria a Christo dependet, qui verus David est, in Davide filio Jesse adumbratus ; vel etiam, qui filius est David secundum carnem, et accepit spiritualem *sedem David patris sui et regnabit in domo Jacob in æternum.* Luc. I, 32.

6. *Rogate quæ ad pacem sunt Jerusalem : et abundantia diligentibus te.*

Pars tertia psalmi, vota et precationes pro Jerusalem.

Jam alloquitur ipse propheta peregrinos redeuntes ; vel, ipsi peregrini se invicem invitant ad bene precandum sanctæ civitati, ad petendum ipsi duo bona : pacem et abundantiam.

Quod dicunt : *Quæ ad pacem sunt*, est periphrasis pacis. — *Et abundantia diligentibus te* : id est, et ut sit abundantia bonorum diligentibus te, o Jerusalem : iis scilicet, qui non tantum incolunt te ; sed qui te amant ut patriam felicissimam et civitatem sanctam.

Sensu spirituali, hortatur propheta exules hujus mundi ad amorem spiritualis Jerusalem effectivum : ut nempe omni modo, oratione et cooperatione conferant ad bonum civium ejus, quod in pace et abundantia spiritus consistit : Hæc præsertim Jerusalem spiritualem respiciunt, quatenus in hac terra est Ecclesia militans, et hujusmodi bonis adhuc indigens ; — respectu autem Ecclesiæ triumphantis, solum exprimunt pium affectum et lætitiam, quam habemus ex bonis, quibus Beati fruuntur.

7. *Fiat pax in virtute tua : et abundantia in turribus tuis.*

Præcedenti invitationi respondetur, et rogatur pax intra muros, seu in ambitu murorum Jerusalem ; atque abundantia in palatiis ejus.

Virtus, seu robur, ponitur pro munimento murorum ; et quidem petitur , ut sit pax in ipsis , quia muri maxime ad arcenda bella conferunt. — Per *turres* autem significantur palatia, quæ turrita esse solebant.

8. *Propter fratres meos et proximos meos , loquebar* (loquor et loquar) *pacem de te.*
9. *Propter domum Domini Dei nostri , quæsivi* (quæro et quæram) *bona tibi.*

Concludit pius peregrinus indicando duo dilectionis suæ atque precationis motiva : 1° quia cives Jerusalem sunt ejus fratres ac proximi, nempe ratione sanguinis et ratione religionis ; 2° quia in eadem civitate est domus ac Sanctuarium Dei.

Sensu spirituali , purissimum desiderii atque operationis principium declaratur , quo animæ sanctæ moventur , nempe charitas, seu dilectio erga Deum et proximum : qua non quærunt bona propter semetipsas sed propter gloriam Dei et salutem animarum.

Sensus liturgicus.

Psalmus *Lætatus sum* propriùs est vesperarum Beatæ Mariæ Virginis, cæterarumque Virginum.

1° In vesperis de Beata, intuetur Ecclesia B. Virginem ut mysticam Jerusalem, domum David, sanctuarium Dei et portam cœli. — Mystica domus est, in qua Verbum incarnatum, verus David habitavit ; civitas sancta est, quia materna sua protectione refugium præbet et habitationem salutarem omnibus tribubus Israel, id est, omnibus Christi fidelibus ; porta cœli est , quia per eam Christum Salvatorem recepimus , et per ejus patrocinium salutem æternam actu consequimur. Quo spectant illa : *Stantes erant pedes nostri in atriis tuis, Jerusalem... propter domum Domini Dei nostri , quæsivi bona tibi.*

2° Ubi celebrat cæteras Virgines , has Ecclesia spectat , tum ut Reginæ Virginum imitatrices, eique sanctitate et fecunditate spirituali similes ; tum ut sponsas Christi, quæ in domum ejus cœlestem Jerusalem introducuntur : *In domum Domini ibimus...* quasi respiciendo ad hæc Evangelii verba : *Quæ paratæ erant intraverunt cum eo ad nuptias.*

—

PSALMUS CXXV.

In convertendo Dominus captivitatem Sion.

1. In convertendo Dominus captivitatem Sion, facti sumus sicut consolati.
2. Tunc repletum est gaudio os nostrum : et lingua nostra exultatione.
3. Tunc dicent inter gentes : Magnificavit Dominus facere cum eis.
4. Magnificavit Dominus facere nobiscum : facti sumus lætantes.
5. Converte, Domine, captivitatem nostram, sicut torrens in austro.
6. Qui seminant in lacrymis, in exultatione metent.
7. Euntes ibant et flebant, mittentes semina sua.
8. Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos.

1. Cum reduceret Dominus captivos Sion : facti sumus sicut homines magna tribulatione levati.
2. Tunc repletum est gaudio os nostrum : et lingua nostra exultatione.
3. Tunc dixerunt ipsi gentiles : Magnifice cum ipsis egit Dominus.
4. Vere magnifice egit Dominus nobiscum : ideo facti sumus lætantes.
5. Reduc, Domine, captivos nostros reliquos : fac affluant in patriam sicut torrens in austro.
6. Sic, qui seminant in lacrymis, in exultatione metent.
7. Agricolæ e domo exeuntes ibant in agrum, et flebant, mittentes semina sua.
8. Postea autem tempore messis, redeuntes ex agro venient domum cum exultatione, portantes manipulos suos.

—

Explicatio.

Argumentum. — Celebratur isto carmine reversio a captivitate Babylonica (1), vi decreti quod primum a Cyro promulgatum est. Fuit autem decretum istud figura Evangelii, quo nobis per Apostolos annuntiata est remissio peccatorum, et ascensio ad cœlestem Jerusalem.

I. *Gaudium captivorum qui sunt liberati.*
II. *Desiderium ut et reliqui captivi liberentur.*

—

1. *In convertendo Dominus captivitatem Sion, facti sumus sicut consolati.*

(1) Prophetice hæc scripta esse patet, si tamen a Davide scripta sint. Psalmus enim iste unus ex illis est, qui posteriori hagiographo a multis tribuitur.

2. *Tunc repletum est gaudio os nostrum : et lingua nostra exultatione.*

Consolatio significatur et gaudium ob liberationem e captivitate. — *In convertendo Dominus captivitatem Sion* : id est, cum nos captivos Israelitas reduceret Dominus in patriam ; *facti sumus sicut consolati*, id est, sicut ii qui consolationem post magnam tribulationem accipiunt ; intelligendum autem : maxima consolatione vere recreati sumus. — Vulgata hic recessisse videtur a veritate hebraica , quæ habet : *Facti sumus sicut somniantes.* Scilicet, cum primum auditum est a nobis decretum liberationis nostræ et reditus in patriam, præ gaudio vix credere potuimus quod dicebatur ; et nobis non videre et audire, sed somniare videbamur.

Ex consolatione autem interna prodiit lætitia externa, quæ hilaritate vultus et vocis exultatione manifestatur ; ideo subjungit :

2. *Tunc repletum est gaudio os nostrum* (hebraice : repletum est *risu* os nostrum) : *et lingua nostra exultatione.* — Mystice hic significatur consolatio peccatoris ad Deum conversi , et gaudium animæ, sese omnino ac integre Deo tradentis.

3. *Tunc dicent inter gentes : Magnificavit Dominus facere cum eis.*

4. *Magnificavit Dominus facere nobiscum : facti sumus lœtantes.*

Non tantum Israelitæ liberati gaudent ; sed etiam qui liberatos eos esse audiunt, et quidem ipsi gentiles, mirantur, et Dei manum agnoscunt : *Tunc dicent* (vel *dixerunt*) , *inter gentes* : *Dominus* , non Cyrus , *magnificavit facere cum eis* , id est , magna et mirabilia fecit eis. — Cum enim tempore a Jeremia prædicto , tot millia captivorum, nullo pretio redempti , imo donis onerati remitterentur in patriam ; et quidem a Cyro palam profitente (I Esdr. I), se Dei jussu agere ; ipsi gentiles facile intelligebant , Judæos a Deo suo insigne beneficium accepisse. — Sic ipsi mundo mirabiles sunt servi Dei , per terrenorum contemptum et Christi imitationem ad patriam cœlestem ascendentes.

Confirmant Gentium verba liberati, respondentes :

4. *Magnificavit Dominus facere nobiscum : facti sumus lœtantes* : id est, magna sane nobis fecit Dominus, unde lætitia sumus plane perfusi.

5. *Converte , Domine , captivitatem nostram , sicut torrens in austro.*

Pars altera, desiderium, oratio, ut reliqui liberentur.

Quoniam non statim omnes captivi reversi sunt, sed primum pars cum Esdra, deinde alii cum Nehemia ; ideo qui primi redierunt, precantur pro plena atque integra reversione captivorum. *Converte, Domine, captivitatem nostram...* sensus est : Fac, Domine, ut revertantur captivi nostri, qui adhuc remanent in terra aliena, affluantque in patriam omnes cito et feliciter. *Sicut torrens in austro* : id est, juxta quosdam interpretes, sicut Austro (vento) flante et solvente nives ac glacies, torrens e montibus devolvitur. — Juxta alios verius, *torrens in austro*, est torrens in regione australi, nempe in deserto Arabiæ, sitientes terras lætificans. — *Sensu spirituali*, hæc oratio est pro conversione peccatorum, ut Spiritus sancti gratiis arida et sterilia corda salubriter irrigata fecundentur.

Hinc sequitur allegoria, qua psalmus concluditur.

6. *Qui seminant in lacrymis, in exultatione metent.*

7. *Euntes ibant et flebant, mittentes semina sua.*

8. *Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos.*

Israelitæ liberati pulcherrimam subjungunt allegoriam de seminantibus et metentibus : sive ut suam fiduciam significent, sive ut captivos reliquos ad fiduciam adhortentur. *Qui seminant*, inquiunt, *in lacrymis, in exultatione metent.* Proverbium istud est, ab agricultura desumptum. Solet enim agricola seminare injucunde : quia laborat et fatigatur, non tantum sine præsenti mercede, sed potius cum detrimento ; quippe cogitur triticum suum projicere in terram et quasi perdere, nesciens etiam utrum postea fructum sit feliciter recuperaturus. Ideo dicitur *seminare in lacrymis*, i. e. cum gravamine, cum dolore et gemitu. — Quando autem messis venit, cum magno gaudio metit ; quia videt triticum suum, non solum non periisse, sed cum magno fœnore sibi redditum. Ideo dicitur *metere in exultatione.*

Proverbium autem istud hic significat, post tribulationes pro Deo toleratas succedere gaudia ; — et tanquam regula profertur, quam Dei misericordia sequi solet, afflictos consolando. — Dein captivis applicatur :

7, 8. *Euntes ibant et flebant, mittentes semina sua : — venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos.* Seminatores flentes non solum designant illos, qui olim amare flerunt cum in captivitatem abducerentur ; sed etiam generatim omnes eos, qui tempore captivitatis lacrymis pœnitentiæ Dei misericordiam implorarunt ; nunc autem misericordiam consecuti, cum abundantia gaudii in patriam reducuntur.

Sensu altiore, significatur hic seminatio spiritualis, 1° per pœnitentiam et patientiam in tribulationibus hujus vitæ; 2° per prædicationem apostolicam; 3° per varia opera bona, præsertim per eleemosynam, secundum illud Apostoli: *Qui parce seminat, parce et metet* (II Cor. IX, 6); et illud: *Qui seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam*. Gal. VI, 8.

Quoniam autem sensu locupletissima est allegoria seminis, ad pleniorem ejus intelligentiam, hæc animadverti possunt: 1° semen est res exigua et vilis, producit autem granorum multitudinem; sic etiam semen spirituale. At vero, ubi de eleemosyna agitur, hæc producit fructum altioris ordinis: quomodo si granum tritici seminatum, non produceret spicam triticeam, sed spicam auream, non granis frumenti, sed gemmis pretiosis refertam. — 2° Granum seminatum debet corrumpi et perdi; sic etiam eleemosyna, sacrificium quodlibet, debet fieri absolute, sine humana commutatione aut retributione. — 3° Granum seminatum eget sole et pluvia; ita semen spirituale, præsertim verbi Dei, indiget gratia ad incrementum. — 4° Hoc autem interest inter semen temporale et spirituale, quod illud, etiam recte seminatum, possit varios ob casus carere fructu; hoc autem infallibiliter producit fructum in vitam æternam.

Sensus liturgicus.

Hoc psalmo, quem in secundis vesperis Apostolorum recitat Ecclesia, apostolicos celebrat labores et fructus, ipsos Apostolos inducens loquentes hunc in sensum: Cum Christus humanum genus e captivitate dæmonis redemit, nos Apostoli, primitiæ liberatorum seu credentium, redemptionem inter gentes annuntiavimus. Gentes autem agnoverunt Christum, dicentes: *Magnificavit Dominus facere cum eis*. — Hinc fructus lætissimi apostolicæ prædicationis: at non sine sudore ac lacrymis. *Euntes ibant et flebant mittentes semina sua: venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos*.

PSALMUS CXXVI.

Nisi Dominus ædificaverit domum.

1. Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam.

1. Nisi Dominus adjutorio suo principaliter ædificaverit domum, frustra laborant qui ædificant eam.

2. Nisi Dominus custodierit civitatem , frustra vigilat qui custodit eam.

2. Nisi Dominus similiter juvando custodierit civitatem, frustra vigilat qui custodit eam.

3. Vanum est vobis ante lucem surgere : surgite, postquam sederitis , qui manducatis panem doloris.

3. Vanum est ad laborandum ante lucem surgere : Deum vobis propitium reddite , et tunc post justam quietem surgite , vos omnes qui laborem hunc durissimum sustinetis.

4. Cum dederit dilectis suis somnum : ecce hæreditas Domini , filii : merces , fructus ventris (1).

4. Prospere enim omnia cedent : vobis , quos diliget ac tuebitur , dabit somnum quietis ; et inde filios, qui erunt non tam fructus ventris materni quam merces ac munus Dei ; quique simul existent hæreditas Domini , seu hæredes regni ejus.

5. Sicut sagittæ in manu potentis : ita filii excussorum.

5. Sicut sagittæ in manu potentis jaculatoris , ita erunt filii eorum qui propter Dominum tribulationibus vexati sunt.

6. Beatus vir qui implevit desiderium suum ex ipsis (2) : non confundetur, cum loquetur inimicis suis in porta.

6. Beatus vir qui tales filios habet quam multos exoptat ; ab illis enim defensus non confundetur , cum respondere debebit inimicis suis in porta judiciaria.

Explicatio.

Argumentum psalmi historice spectatum incertitudini et controversiis subjacet. — Qui rationem habent tituli : *Canticum graduum Salomonis* (3) , censent psalmum vel a Salomone conscriptum esse, vel a Davide Salomoni traditum, cum respectu ad fabricam prioris templi. — Juxta probabilem græcorum Patrum sententiam, quam in expositione sequemur, est exhortatio prophetica, sive admonitio Israelitis facta post reversionem a captivitate Babylonica , cum laborarent in ædificanda domo Dei , et restauranda civitate Jerusalem : interim , toto fere

(1) Hebraice : *Ecce donum* (hæreditarium) *Domini sunt filii : præmium* (ejus est) *fructus uteri.*

(2) In hebræo : 5. *Sicut sagittæ in manu potentis , ita filii juventutis.* 6. *Beatus vir qui implevit pharetram suam ex ipsis* (hujusmodi sagittis) ; *non trepidabit* (non confundetur) *cum respondebit inimicis suis in porta.*

(3) Nomen *Salomonis* non videtur exstitisse antiquitus in hebræis codicibus, cum desit in versione LXX Interpretum, ubi simpliciter legitur *Canticum graduum.*

tempore, a vicinis gentibus vexati et impediti (I Esdræ IV ; II Esdræ item IV et seqq.).

Illud certum est, psalmum continere adhortationem practicam, qua populo suadet vates, ut omnem in Deo fiduciam collocent, et justæ quieti indulgeant ; omnes enim illorum conatus atque omnia studia irrita prorsus fore, si Deus eos adjuvare neglexerit.

Sensu altiori monentur servi Dei, qui ad supernam Jerusalem aspirant, 1° quomodo debeant ædificare et custodire domum seu civitatem Ecclesiæ ; 2° quomodo etiam unusquisque per bona opera domum sibi ædificare debeat in cœlo, eamque custodire, ut ad eam feliciter inhabitandam perveniat.

I. *Sine Deo ædificari Jerusalem non potest.*
II. *Cum Dei auxilio ædificabitur faustissime.*

---

1. *Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam.*

Hæc, inquit Bellarminus, dicuntur Judæis ædificantibus domum Dei, i. e. templum, cum infeliciter opus procederet, impedientibus Samaritanis (I Esd. IV). Admonentur autem, ut cogitent, nihil valere opera hominum, nisi primarius ædificator, Deus, adsit ; et ideo non solum operentur manibus, sed etiam corde et ore Deum invocent, in ejusque adjutorio præcipue confidant. — Hæc eadem dicuntur iis, qui spiritualem quamlibet ædificationem, sive in anima sua, sive in animabus aliorum moliuntur.

2. *Nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat, qui custodit eam.*

Continuatur monitio iisdem ædificantibus, qui simul custodes operis erant : ut sciant, sine Dei adjutorio sese opera sua custodire non posse. — Inimici eorum non solum impedire conabantur ædificationem, sed etiam demoliri, quod fuerat ædificatum ; et ideo filii Israel *una manu sua faciebant opus, et altera tenebant gladium* (II Esdr. IV, 17) ; multique eorum dispositi ad custodiendum, perpetuas agebant excubias. Sed nihilominus tot vigiliis suis nihil profecissent, nisi Dominus civitatem custodire voluisset. — Quod quidem potiore ratione de custodia spirituali intelligendum est.

3. *Vanum est vobis ante lucem surgere : surgite postquam sederitis, qui manducatis panem doloris.*

Filii Israel præ nimia sollicitudine, dum in angustiis essent,

ante lucem opus ædificationis aggrediebantur ; ideo monentur a Spiritu sancto, nihil profuturum quod ante lucem operari incipiant, nisi Dominus illis adfuerit et benedicat. Quod si Domini benedictionem habere meruerint, opus prospere successurum ; etiamsi post necessariam quietem, orto jam sole operi se accingant.

His verbis : *Surgite postquam sederitis...* incipit *altera pars* psalmi, qua ædificatio faustissima fore ostenditur cum auxilio Dei. — *Surgite*, inquit *postquam sederitis* (1) : id est, postquam debito tempore quieveritis, ad laborandum surgite... subintellige, et res prospere cedent, dummodo in Domino confidatis ejusque benedictionem assidue invocetis. — *Qui manducatis panem doloris* : id est, vos, qui in angustia et oppressione nunc vivitis, propter infestationem continuam inimicorum.

Sensu spirituali monentur fideles, ut in negotiis suis, præsertim in iis quæ ad animas pertinent, caveant ne suæ operationi fidant magis quam orationi ; *ut surgant* ad opus *postquam sederint* vacantes orationi. — *Qui manducatis panem doloris...* his mystice designantur illi, qui præ desiderio cœlestis patriæ assidue gemunt, cupientes dissolvi, sicut Apostolus, *et esse cum Christo*. Phil. I, 23.

4. *Cum dederit dilectis suis somnum : ecce hæreditas Domini, filii : merces, fructus ventris.*

Describit effectus benedictionis Dei erga eos qui primum quæsierint Dei auxilium, ejusque dilectionem et benevolentiam ; quasi diceret : Si in Deo confiditis, vobis benignissimus Dominus ut dilectis famulis dona sua largietur. Nam dabit vobis somnum, tranquillitatem nempe et quietem ab hostibus ; insuper ecce nascentur vobis filii, qui erunt hæreditas Dei : filii, seu fructus ventris, qui erunt vobis merces ac munus ejusdem Dei. — Congrue promittuntur Judæis filii ac posteri, eo quod timerent ne hostium vi atque odio penitus ipsi cum posteris suis exstinguerentur.

Sensu mystico, 1° respectu Christi, annuntiat Spiritus sanctus fore ut per Christum ædificetur Ecclesia Dei. Dabit, inquit, Deus populo suo quietem ac pacem per Christum : et ecce tunc apparebit quod hæreditas Domini erunt filii plurimi, et merces ejusdem Christi erit *fructus ventris*, fideles videlicet plurimi, semen longævum (Isai. LIII, 10). — Respectu fidelium, adhortatur Spiritus sanctus fideles ad fiduciam, promittendo

(1) In hebræo hæc paulo aliter : *Frustra vos mane surgitis, quiescere tardatis, manducatis panem dolorum : somnum dabit Dominus iis quos diligit.*

ipsis post labores vitæ ac post somnum beatæ mortis, hæreditatem Domini, societatem Sanctorum ac filiorum Dei, mercedem æternam, et ipsum Christum, fructum ventris virginalis, beate contemplandum.

5. *Sicut sagittæ in manu potentis, ita filii excussorum.*

Declaratur quales futuri sint filii in præcedenti versiculo promissi ; diciturque eos fore potentissimos, similes sagittis quæ manu viri robustissimi jaciuntur et omnia perrumpunt. — Vocantur autem nunc *filii excussorum* : id est, filii patrum piorum, qui adversitatibus ac persecutionibus vehementer exagitati sunt.

Mystice *filii excussorum*, seu patrum qui persecutiones passi sunt, dicuntur, 1° omnes filii Sanctorum : Sancti enim omnes variis modis, interne vel externe vexati sunt. — 2° *Filii excussorum* dicuntur etiam discipuli Prophetarum atque Apostolorum, totaque generatio fidelium, qui velut sanguine Martyrum, quorum princeps est Christus, geniti sunt. Dicuntur esse velut sagittæ *in manu potentis*, i. e. in manu Dei et Christi : qui eos sibi prorsus devotos quocumque voluerit mittit, eis divinam suam imprimendo vim ac virtutem....

6. *Beatus vir qui implevit desiderium suum ex ipsis : non confundetur, cum loquetur inimicis suis in porta.*

Epiphonema, quo psalmus concluditur. — Sensus est : Beatus vir, qui filios hujusmodi habeat bene multos ; ita ut, quod spectat ad multitudinem et ad bonitatem filiorum, acceperit quidquid desideret : *Qui impleverit desiderium suum ex ipsis.*

Beatitudinem autem hujusmodi patris explicat addendo : *Non confundetur, cum loquetur inimicis suis in porta* : id est : Cum ei loquendum erit adversus inimicos coram tribunali, ad portam urbis collocato, defendetur interventu filiorum ; scilicet nihil ipsi metuendum erit, quoniam in omni discrimine, filiorum suorum præsidio ac defensione tutabitur.

Sensu spirituali, beatus prædicatur Christus, qui Pater existit generationis numerosæ filiorum, pro quibus veniet cum Sanctorum millibus ad loquendum inimicis suis in die judicii : tunc enim illa ipsa multitudo Sanctorum, qui ejus vestigia fuerint secuti, erit condemnatio impiorum, et Christi gloria ac triumphus. — Beati similiter prædicantur viri Apostolici qui multis laboribus et persecutionibus filios genuerint Christo.

Sensus liturgicus.

Psalmum *Nisi Dominus* Ecclesia recitat ad vesperas Beatæ Mariæ Virginis cæterarumque Virginum : ut earum celebret tum diligentiam ac fortitudinem, qua mysticum virginitatis habitaculum Deo ædificaverunt ; tum fecunditatem spiritualem, qua in præmium suæ virginitatis donatæ sunt. Scilicet laboraverunt quidem et vigilaverunt in virginitate servanda ; sed non frustra, quoniam ante omnia Deum adjutorem habere curaverunt.

Illud, *fructus ventris*, respectu Dei Genitricis, alludit ad Christum : consonat enim cum verbis Elisabeth : *Benedictus fructus ventris tui.*

Respectu cæterarum Virginum, *filii* earum ac *fructus ventris* sunt, tum animæ, earum exemplo et orationibus salvatæ ; tum generatim omnia earum opera bona, quæ in porta paradisi seu in judicii die, eas defendent et coronabunt.

—

PSALMUS CXXIX.

De profundis.

1. De profundis clamavi ad te, Domine : Domine, exaudi vocem meam.

1. De abysso profunda clamavi, et etiamnum clamo ad te, Domine, misericordiam tuam implorans : Domine, exaudi orationem meam.

2. Fiant aures tuæ intendentes in vocem deprecationis meæ.

2. Fiant aures tuæ intendentes in vocem deprecationis meæ.

3. Si iniquitates observaveris, Domine, Domine, quis sustinebit ?

3. Si enim iniquitates meas oculis rigorosæ justitiæ observaveris, Domine : Domine quis subsistere poterit ?

4. Quia apud te propitiatio est : et propter legem tuam sustinui te, Domine.

4. Sed apud te condonatio est : et propter promissam in lege tua misericordiam pœnitentibus, speravi in te, Domine.

5. Sustinuit anima mea in verbo ejus : speravit anima mea in Domino.

5. Speravit anima mea in verbo promissionis ejus : speravit anima mea in Domino.

6. A custodia matutina usque ad noctem, speret Israel in Domino.

6. Similiter omnis Israel, a primo mane usque ad noctem finitam, speret in Domino.

7. Quia apud Dominum misericordia : et copiosa apud eum redemptio.

7. Quia apud Dominum misericordia : et copiosa reposita est apud eum redemptio.

8. Et ipse redimet Israel ex omnibus iniquitatibus ejus.	8. Nam ipsemet per proprium Filium redimet Israel, ex omnibus iniquitatibus ejus.

Explicatio.

Argumentum. — Psalmus iste, unus e pœnitentialibus, oratio est, qua homo humiliatus et pœnitens misericordiam implorat. — Utrum historice referatur ad Judæos in captivitate gementes, an ad Davidem postquam agnovit peccatum suum, non constat : cum utriusque rei circumstantiis verba congruant. Quæcumque autem occasio psalmi fuerit, eum Spiritus sanctus dictare voluit, ut sensum exhiberet animæ pœnitentis, educi cupientis e profundo carcere in quem propter peccatum devenit. Hinc satis intelligitur, orationem istam merito ab Ecclesia recitari in persona defunctorum fidelium qui in purgatorio detinentur, unde liberari cupiunt per merita Redemptoris.

Tria distingui possunt :

I. *Oratio ad Deum.*
II. *Exhortatio ad populum.*
III. *Prædictio redemptionis futuræ.*

---

1. *De profundis clamavi ad te, Domine : Domine, exaudi vocem meam.*

2. *Fiant aures tuæ intendentes in vocem deprecationis meæ.*

De profundis clamavi.... Velut in abysso profunda vel in carcere sese jacentem propheta considerat, et inde Deum orat. Oraturus autem, imprimis petit ut exaudiatur : *Domine, exaudi vocem meam.* Atque ad significandam instantiam, idem repetit aliis verbis dicens : *Fiant aures tuæ intendentes in vocem deprecationis meæ.*

Quænam sunt illa *profunda*, vel *profundum* illud, ex quo propheta se clamare significat ? — Est 1° sensu litterali probabili, exilium et captivitas Babylonica ; 2° est exilium hujus vitæ ; 3° abyssus et miseria peccati ; 4° carcer purgatorii. — Hanc miseriam suam humiliter agnoscens anima ad Deum instantissime clamat, dicens :

3. *Si iniquitates observaveris, Domine, Domine, quis sustinebit ?*

4. *Quia apud te propitiatio est : et propter legem tuam sustinui te, Domine.*

Jam petitionem suam exponit, quæ est, ut Deus non severa justitia secum utatur, sed misericordia. *Si iniquitates*, inquit, *observaveris*... Sensus est quasi diceret : Si iniquitates hominum accurate et in rigore justitiæ investigaveris, nemo subsistere poterit, nemo non peribit. Noli igitur tam strictam exercere justitiam, sed cum justitia misericordiam conjunge.

4. *Quia apud te propitiatio est*... Verus pœnitens non tantum suam miseriam considerare debet, sed etiam Dei misericordiam ; quare postquam confessus est miserrimum statum suum, oculos in divinam misericordiam convertit. Quia tamen, inquit, proprium tibi est misereri semper et parcere ; et quia in lege tua pœnitentibus veniam polliceris, *propter legem tuam* ; ideo confido in te, Domine : *Sustinui te*, id est, spero, patienter exspecto misericordiam tuam.

5. *Sustinuit anima mea in verbo ejus : speravit anima mea in Domino.*

6. *A custodia matutina usque ad noctem, speret Israel in Domino.*

Secunda pars : exhortatio ad alios, quos exemplo suo hortatur ad sperandum in Domino.

Speravi, inquit, *in verbo ejus*, i. e. juxta promissionem ejus, speravi a Domino promissam pœnitentibus gratiam. — Sæpe enim Deus per Moysen, in Deuteronomio et alibi, promisit indulgentiam pœnitentibus. *Cum* (lapsus in idololatriam) *quæsieris Dominum Deum tuum, invenies eum ; si tamen toto corde quæsieris, et tota tribulatione animæ tuæ.* Deut. IV, 29.

6. *A custodia matutina usque ad noctem, speret Israel in Domino.* — Quod ego, inquit, facio, idem totus Israel faciat : nimirum *speret in Domino* : quicumque fuerit in quocumque profundo, a summo mane usque ad noctem extremam, id est, tota die et tota nocte, sperare non desinat. — Altiore sensu significatur, per totam vitam, usque ad noctem mortis exspectandum esse Dominum et in eo sperandum.

Illud *a custodia matutina*, juxta hebræum proprie significat : a crepusculo matutino, quo excubitores incipiunt vigilare, usque ad alterum crepusculum matutinum, quo alii succedunt.

7. *Quia apud Dominum misericordia : et copiosa apud eum redemptio.*

8. *Et ipse redimet Israel ex omnibus iniquitatibus ejus.*

Tertia pars : rationem reddit cur oporteat semper in Deo confidere ; simulque prædicit redemptionem generis humani per Christum Salvatorem.

Quia apud Dominum misericordia...... sensus est : Merito sperare potest Israel in Domino, quia apud Dominum invenitur singulari quodam modo misericordia ; et quidem misericordia fundata in redemptione, ac satisfactione quam Christus suo sanguine divinæ justitiæ persolvit : quæ utique redemptio copiosa est.

8. *Et ipse redimet Israel, ex omnibus iniquitatibus ejus.* Explicatur cur redemptio futura sit copiosa : idcirco nimirum, quia Dominus ipsemet eam præstabit. Consonant hæc verba cum verbis angeli, dicentis sancto Joseph : *Vocabis nomen ejus Jesum : ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.* Matth. I, 21.

Redimet *Israel*, id est, populum fidelem. — Hæc redemptio jam quidem inchoata est ; sed perfecte demum complebitur in die novissimo, cum non solum a peccatis verum etiam ab omnibus peccatorum pœnis liberabimur : *Redimet Israel ex omnibus iniquitatibus ejus.*

Sensus liturgicus.

Psalmus *De profundis* ponitur 1° in secundis vesperis Nativitatis Domini ; 2° in vesperis defunctorum ; 3° inter psalmos pœnitentiales, sexto loco.

1° Ut pertinens ad officium Nativitatis Domini, est vox Ecclesiæ, ceu humani generis, per peccatum Adami in profundum delapsi, ibique humiliter appellantis Dei misericordiam et promissam redemptionem : quæ tandem nunc advenit. — Continet hæc oratio magnam Redemptoris æstimationem, una cum sensu gratitudinis, et desiderio fructum redemptionis recipiendi.

2° Ut pertinens ad officium defunctorum, est vox Ecclesiæ patientis in Purgatorio : seu, vox Ecclesiæ militantis, quæ in persona animarum expiantium, cum sensu humillimæ compunctionis, misericordiam Dei implorat ac liberationem e piacularibus flammis, per merita Christi Redemptoris : *Ipse redimet Israel ex omnibus iniquitatibus ejus.*

3° Ut pertinens ad psalmos pœnitentiales, est oratio unicuique fidelium accommodata, ut corde vere contrito et humiliato, veniam peccatorum a Deo postulet per copiosa merita Salvatoris.

PSALMUS CXXXI.

Memento, Domine, David.

1. Memento, Domine, David, et omnis mansuetudinis ejus.

1. Memento, Domine, David servi tui, et omnis ejus inter ærumnas mansuetudinis.

2. Sicut juravit Domino: votum vovit Deo Jacob:

2 Memento quomodo tibi Domino suo juraverit, seu votum nuncupaverit tibi Deo Jacob, dicens:

3. Si introiero in tabernaculum domus meæ: si ascendero in lectum strati mei;

3. Si introiero in domum meam, si ascendero in lectum meum;

4. Si dedero somnum oculis meis: et palpebris meis dormitationem,

4. Si dedero somnum oculis meis, et palpebris meis dormitionem;

5. Et requiem temporibus meis: donec inveniam locum Domino, tabernaculum Deo Jacob.

5. Et capiti meo requiem qua obliviscar domus Dei ædificandæ: si hæc, inquam, fecero, donec paravero locum sanctum qui sit tabernaculum Deo Jacob... commeritis pœnis me Deus afficiat.

6. Ecce audivimus eam in Ephrata: invenimus eam in campis silvæ.

6. Ecce audivimus olim, arcam Domini fuisse in Silo tribus Ephraim; postea invenimus eam in campis silvæ seu Cariathiarim, velut, errabundam... In posterum vero non sic; sed.

7. Introibimus in tabernaculum ejus: adorabimus in loco, ubi steterunt pedes ejus.

7. Introibimus in stabilem domum Dei: ibique adorabimus eum coram arca, scabello pedum ejus.

8. Surge, Domine, in requiem tuam, tu, et arca sanctificationis tuæ.

8. Surge, Domine, ingredere in requiem tuam, tu, et arca sanctificationis tuæ.

9. Sacerdotes tui induantur justitiam: et sancti tui exultent.

9. Deinceps sacerdotes tui induantur justitiam: iidemque sancti tui in laudibus tuis decantandis exultent.

10. Propter David servum tuum, non avertas faciem Christi tui.

10. Propter David servum tuum, ne auferas regi, filio ejus, favorem tuum.

11. Juravit Dominus David veritatem, et non frustrabitur eam: de fructu ventris tui ponam super sedem tuam.

11. Juravit Dominus David veritatem, et non frustrabitur eam, dicens: De stirpe tua nascetur Messias, quem ego ponam in æternum super sedem tuam spiritualem.

12. Si custodierint filii tui testamentum meum, et testimonia mea hæc, quæ docebo eos :

13. Et filii eorum usque in sæculum, sedebunt super sedem tuam.

14. Quoniam elegit Dominus Sion : elegit eam in habitationem sibi.

15. Hæc requies mea in sæculum sæculi : hic habitabo quoniam elegi eam.

16. Viduam (1) ejus benedicens benedicam : pauperes ejus saturabo panibus.

17. Sacerdotes ejus induam salutari : et sancti ejus exultatione exultabunt.

18. Illuc producam cornu David : paravi lucernam Christo meo.

19. Inimicos ejus induam confusione : super ipsum autem efflorebit sanctificatio mea.

12. Si autem custodierint filii tui fœdus meum, et præcepta mea quæ docebo eos :

13. Et si filii eorum illa similiter custodierint usque in sæculum : sedebunt etiam ipsi super sedem tuam temporalem.

14. Quoniam elegit absolute Dominus Sion spiritualem : elegit eam in habitationem propriam, dicens :

15. Hæc requies mea in sæculum sæculi : hic habitabo quoniam elegi eam toto cordis affectu.

16. Ideoque effundam in eam bonorum abundantiam : ipsas viduas ejus implebo benedictionibus, ipsos pauperes saturabo panibus.

17. Sacerdotes ejus induam salute : et sancti ejus ingenti gaudio exultabunt in Domino.

18. Ibi suscitabo cornu seu regnum David : ibique parare decrevi lucernam Christo meo.

19. Ibi inimicos Christi mei induam confusione : super ipsum autem effulgebit diadema sanctum meum.

—

Explicatio.

Argumentum. — Oratio pro sanctificatione templi et stabiliendo throno David.

Ad litteram, petit propheta, ut templum (2) quod David

(1) Textus græcus et hebraicus non habet *viduam*, sed *venationem*, *victum* ; nostra tamen versio cui consonat syriaca, arabica et æthiopica, non omni probabilitate caret. Vid. Berthier in h. loc. — De cætero sensus quoad substantiam non differt, cum in utraque lectione significetur magna bonorum abundantia.

(2) Psalmum ad templum pertinere, et tanquam dedicationis carmen scriptum esse, interpretes passim, non tantum Christiani sed etiam Israelitæ consentiunt ; etsi quidam, ut adnotat Calmetus, idem publice cantatum fuisse existimant, cum transferretur arca ex Cariathiarim ad paratum in Sione tabernaculum.

extruendum vovit, Dominus inhabitet ; utque sacerdotes sanctificet, regem protegat, impleatque promissum de stabiliendo regno Davidico in Messia ejusque Ecclesia. — Altiore sensu ipsa orat Ecclesia, ut propter Christum in Davide olim figuratum, et propter ejus mansuetudinem, dignetur Deus templum vivum a Christo ædificatum Ecclesiam nimirum et corda fidelium inhabitare, ejusdemque Christi regnum ac sacerdotes conservare, sanctificare, et glorificare.

De psalmi auctore disputant interpretes. A multis auctor censetur Salomon, qui carmen istud conscripserit, cum, ædificato templo, intulit arcam Domini in locum ei præparatum. Quam sententiam ex eo confirmant, quod versiculi quidam ab ipso Salomone in sua oratione citentur : *Tu es*, inquit, *Deus meus ; aperiantur, quæso, oculi tui, et aures tuæ intentæ sint ad orationem quæ fit in loco isto. Nunc igitur consurge, Domine Deus, in requiem tuam, tu et arca fortitudinis tuæ ; sacerdotes tui, Domine Deus, induantur salutem, et sancti tui lætentur in bonis : Domine Deus, ne averteris faciem Christi tui ; memento misericordiarum David servi tui.* II Paralip. VI, 40 seq.

His tamen non obstantibus, alii psalmum hunc, sicut reliquos omnes, Davidi tribuunt, qui eum Salomoni dederit, post futuram templi ædificationem concinendum. Et re quidem vera, non est improbabile, ut piissimus Psalmista, qui aurum et argentum, omniaque reliqua ad templi ædificationem præparavit, etiam solemne dedicationis canticum præparare voluerit.

I. *Invitat Deum, ut in templum sibi paratum veniat.*
II. *Orat Deum, ut thronum David stabiliat et Jerosolymæ benedicat.*

—

1. *Memento, Domine, David, et omnis mansuetudinis ejus.*

Salomonis hæc esse verba censentur, quibus Deum orat per merita patris sui David; petitque ut intuitu illius servi sui, qui tanto zelo pro templo flagravit, dignetur et templum et ipsam domum David benigne aspicere.

Recte et humiliter orat filius Salomon per merita patris sui ; nec humilitas Davidem impedire debuit, quominus ipse hæc de se scriberet. Quemadmodum enim alibi peccata sua candide confitetur ; ita quoque nunc bona sua opera, quæ per Dei gratiam fecit, candide et fiducialiter Deo exhibet.

Meminit Davidis *mansuetudinis*, quia hæc velut prædominans fuit sancti regis virtus, eaque simillimus fuit Christo Domino, Regi mansueto. Vi vocis hebraicæ significatur non

tantum *mansuetudo*, sed etiam *modestia, humilitas, tribulatio, paupertas*, quæ fortassis omnia uno verbo propheta includere voluit.

2. *Sicut juravit Domino : votum vovit Deo Jacob :*
3. *Si introiero in tabernaculum domus meæ : si ascendero in lectum strati mei ;*
4. *Si dedero somnum oculis meis : et palpebris meis dormitationem,*
5. *Et requiem temporibus meis : donec inveniam locum Domino, tabernaculum Deo Jacob.*

En effectus mansuetudinis et humilitatis David : voluntas ac votum ædificandi templum Domino. Dicebat enim, nequaquam decere, nec tolerari posse, ut ipse servus, etsi rex, habitaret in domo cedrina, dum arca Dei maneret in tentorio (II Reg. VII, 2). — Davidis *votum* hoc sensu intelligendum est, quasi dicat : Juro me non usurum domo mea et lecto meo, ita ut quiescam a sollicitudine domus Dei præparandæ. — Quod quidem votum, etsi expresse Scriptura non dicit, tunc David nuncupasse videtur, quando prophetæ Nathan consilium suum de ædificando templo aperuit (II Reg. VII, 2). Deus autem ei per eumdem Nathan significavit, velle se, ut hujus operis executionem filio Salomoni relinqueret.

5. Quod dicitur, *donec inveniam locum Domino* : id est, donec effecero, et ædificando consecutus fuero locum habitationis, Domino exhibendum, habitaculum, *tabernaculum Deo Jacob.* — Quod autem dicit parare se velle domum Deo, intelligit *arcæ Dei* : quæ sedes Dei erat, in qua peculiari modo Deus sese populo suo præsentem exhibebat.

6. *Ecce audivimus eam* (arcam) *in Ephrata : invenimus eam in campis silvæ.*
7. *Introibimus in tabernaculum ejus : adorabimus in loco, ubi steterunt pedes ejus.*

Explicatur ratio et causa voti Davidici : quoniam arca Dei sedem propriam et stabilem non habebat, ideo dixit : Habebit, prout decet, Dominus domum suam, in quam nos, populus ejus, introibimus ad colendum eum.

6. *Ecce audivimus eam in Ephrata...* Obscurior hic ac disputatus versiculus, communius et melius exponitur hunc in sensum : Ecce res prorsus indecens : ex patribus audivimus, arcam fuisse aliquando in Silo, sito in terra Ephraim ; deinde *invenimus* et vidimus *eam in campis silvæ,* quando nempe remissa a Philistæis, inventa est in agro Josue Bethsamitæ. —

Ille autem locus silvosus erat, ut patet ex proxima civitate *Cariathiarim*, quo fuit translata ex agro Josue, quodque nomen significat *civitatem silvarum*.

Ephrata designat territorium tribus Ephraim (1), et ponitur pro urbe Silo, quæ ibidem erat sita. Mandato ipsius Josue, filii Nun, arca primum translata in urbem Silo, ibidem mansit per annos 328 ; tunc a Philistæis capta et dein reddita, collocata est in Gabaa, qui collis erat oppidi Cariathiarim ; inde post 70 annos translata est a Davide in domum Obededom prope Jerosolymam ; et iterum, post tres menses, in montem Sion. — De arca sola loquimur ; tabernaculum enim Fœderis manserat in Silo.

7. *Introibimus in tabernaculum ejus* : id est : in domum, templum, habitationem stabilem ejus ; quo sensu supra dictum est : *In tabernaculum domus meæ.*

Adorabimus in loco ubi steterunt pedes ejus : hebraice, *prosternamus nos ad scabellum pedum ejus :* nempe adorabimus Dominum conversi ad arcam sanctam, quæ est scabellum ubi stant pedes Domini, sedentis super Cherubim.

8. *Surge, Domine, in requiem tuam, tu, et arca sanctificationis tuæ.*

Jam videt mente templum magnifice exstructum ac paratum, et magno affectu invitat Dominum, quatenus in arcæ mysterio residentem, ut ingrediatur in domum ubi quiete habitare possit.

Tu et arca sanctificationis tuæ : id est, tu cum throno tuo et scabello pedum tuorum ; cum arca, in qua et per quam tu a filiis Israel *sanctificaris* et honoraris. — In hebræo habetur *arca fortitudinis tuæ* : id est, qua potentiam tuam et mirabilia tua ostendis, atque ita efficis ut nomen tuum ab omnibus sanctificetur, timeatur et laudetur.

9. *Sacerdotes tui induantur justitiam : et sancti tui exultent.*

10. *Propter David servum tuum, non avertas faciem Christi tui.*

Secunda pars, petitio. — Introducta jam arca in templum, orat Salomon, primo pro sacerdotibus, deinde pro rege, id est pro se ; nam ab his totius populi salus dependet. — Pro sacerdotibus duo postulat : ut sint sancti, prout eorum status

(1) Hoc nomine fuisse designatum tribum Ephraim, constat ex Libb. Judicum, Ruth, I et III Reg., ubi homines Ephraim vocantur Ephratæi.

requirit, et ut alacriter Deum laudent, quod proprium eorum munus est.

Pro se autem, Christo seu uncto Domini, petit ut *non avertat Dominus faciem Christi sui*, i. e. ut exaudiatur. Etenim *avertere faciem orantis*, est quidem eum non exaudire, sed confusum atque aversa facie dimittere.

Sensu mystico, ille Christus non est Salomon, sed Messias; petitque propheta, ut populus Israel qui rejiciet venturum Messiam, non totus pereat, sed reliquiæ ejus misericordi oculo, propter orationes et merita Salvatoris respiciantur.

11. *Juravit Dominus David veritatem, et non frustrabitur eam : de fructu ventris tui ponam super sedem tuam.*

12. *Si custodierint filii tui testamentum meum, et testimonia meæ hæc quæ docebo eos ;*

13. *Et filii eorum usque in sæculum, sedebunt super sedem tuam.*

Quo facilius impetret petita, Salomon promissiones commemorat, a Deo patri suo factas. Ex his autem prior est absoluta et immutabilis, nempe de Messia ; altera, nempe de aliis Davidis filiis seu nepotibus, est conditionata.

Sicut David juravit Domino, se templum ei ædificaturum ; ita Dominus vicissim juravit Davidi, se regnum in domo ejus stabiliturum in æternum. Deus enim vinci se liberalitate non patitur ; et non solum opera, sed etiam voluntates et desideria cumulatissime remuneratur.

Juramentum Dei significat decreti immobilitatem.

11. *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam* : id est, constituam et firmabo tibi successorem in regno, filium tuum. — Quæ verba videntur intelligenda ad litteram de Christo. Nam in Psalmo LXXXVIII idem clarius explicatur, his verbis : *Semel juravi in sancto meo, si David mentiar : semen ejus in æternum manebit, et thronus ejus sicut sol in conspectu meo, et sicut luna perfecta in æternum, et testis in cœlo fidelis.* Imo S. Petrus diserte dicit, Deum, cum Davidi jurasset *de fructu lumbi ejus sedere super sedem ejus* (Act. II, 30), intellexisse Christum. Atque hoc est quod angelus dicit ad Virginem : *Dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus : et regnabit in domo Jacob in æternum* (Luc. I, 32) ; conformiter ad illud Isaiæ IX, 6, 7 : *Parvulus natus est nobis... et multiplicabitur ejus imperium, et pacis non erit finis ; super solium David et super regnum ejus sedebit ; ut confirmet illud, et corroboret in judicio et justitia, a modo et usque in sempiternum.* — Itaque verba

psalmi nostri de Salomone non dicuntur ; nisi forte quatenus ille typum Christi gessit.

Testamentum Dei custodiendum ab aliis filiis Davidis, erat fœdus Domini de non habendis diis alienis, deque mandatis servandis : quod pactum, inquit, si custodiunt *usque in sæculum*, i. e. perseveranter, non amovebuntur a solio regni tui usque ad adventum Messiæ ; si autem non perseveraverint, dejicientur : quod factum est, prout historia testatur.

14. *Quoniam elegit Dominus Sion : elegit eam in habitationem sibi.*

15. *Hæc requies mea in sæculum sæculi : hic habitabo, quoniam elegi eam.*

Litteraliter de domo Domini in monte Sion, typice vero et principaliter de Ecclesia dicuntur verba ista, quæ continuantur cum illis : *Juravit Dominus David veritatem, et non frustrabitur eam : de fructu ventris tui ponam super sedem tuam* : id est, juravit Davidi, se stabiliturum filium ejus Christum super sedem ejus, quæ est Sion, civitas David : quia *elegit Dominus Sion*, i. e. Ecclesiam in habitationem perpetuam ; eam elegit firmissimo decreto, ideoque nunquam deseret : sed in ea habitabit in terris, et postea in ea requiescet in cœlis.

Sicut duæ erant promissiones respectu throni Davidis, una absoluta, pertinens ad Messiam ; altera conditionata, pertinens ad Davidis filios : ita duæ erant promissiones respectu civitatis Jerusalem, una absoluta, pertinens ad Jerusalem spiritualem, Ecclesiam ; altera conditionata, pertinens ad Jerusalem terrenam. Hic autem non profertur nisi promissio absoluta, quæ respicit Ecclesiam.

16. *Viduam ejus benedicens benedicam : pauperes ejus saturabo panibus.*

17. *Sacerdotes ejus induam salutari : et sancti ejus exultatione exultabunt.*

18. *Illuc producam cornu David : paravi lucernam Christo meo.*

19. *Inimicos ejus induam confusione : super ipsum autem efflorebit sanctificatio mea.*

His versiculis ultimis promittit Deus civitati David, quæ est Sion seu Jerusalem, multa bona, quæ soli Ecclesiæ proprie et perfecte conveniunt.

1° Dabit tantam rerum copiam, ut ipsi pauperes abundent : *benedictio* enim in Scripturis abundantiam significare solet.

Porro hic abundantia cibi spiritualis, ut doctrinæ, sacramentorum, etc. præsertim intelligenda est.

2° Sacerdotes ejus *induet salutari* : id est, ornabit conspicua et exemplari sanctitate. *Salutare* enim, salutaris virtus, salutaris protectio seu *salus*, spiritualiter intelligitur : et idem est in vita præsenti, ac justitia et sanctitas ; altiore autem sensu, est ipse Salvator Christus, quem, ut Apostolus monet, induere debemus. Fortassis etiam insinuatur, sacerdotes plenos esse debere efficacia in procuranda hominum salute. — Quod addit : *Et sancti ejus exultatione exultabunt*, etiam de sacerdotibus saltem principaliter dicitur, respondetque precationi supra positæ : *Et sancti tui exultent.*

2° Faciet ut illic, in eodem monte Sion, oriatur et germinet *cornu*, seu potestas atque excellentia regia *David*, ac velut alterum regnum David. Quo verbo *cornu David*, significatur ad litteram, etsi metaphorice, regnum Messiæ, prout explicavit Zacharias in nativitate Joannis Baptistæ : *Erexit* inquit, *cornu salutis nobis, in domo David pueri sui.* Luc. I, 69.

Quod autem addit, se parasse *lucernam Christo suo*, potest duplici modo intelligi. -1) Ita, ut sensus sit : Præparavi, prospexi *christo* meo Davidi progeniem splendidam et perpetuam, usque ad Messiam, ex eadem stirpe nasciturum. — His enim consonant quæ dicuntur III Reg. XI, 36 : *Filio ejus* (Salomonis) *dabo tribum unam, ut remaneat lucerna David, servo meo, cunctis diebus coram me in Jerusalem civitate, quam elegi ut esset nomen meum ibi.* — Porro splendida illa Davidis progenies, sensu spirituali, est Christus Salvator, qui est *lux mundi ;* et Christi fideles, qui sunt *filii lucis.* — 2) Idem, juxta SS. Hieronymum et Augustinum, sensu spirituali altero, exponi potest ita, ut *Christus* designet Messiam, et *lucerna* Præcursorem ejus, Joannem Baptistam ; de quo Dominus, velut adludens ad hunc locum, dixit : *Ille erat lucerna ardens et lucens.* Joan. V, 35.

4° Messiæ, adeoque etiam civitati sanctæ in qua Messias regnabit, triumphum dabit et gloriam. Indicat non defuturos hostes ; sed, sicut Christi ministros vestiet salute, ita hostes ejus induet confusione : quod excidio Judæorum, et omnium generatim persecutorum ruina impletum est.

Contra vero, Christus ipse cumulabitur gloria : *Super ipsum*, inquit, *efflorebit sanctificatio mea* (seu, juxta hebræum, corona mea) : id est, capiti ejus imponam coronam gloriæ ; vel imponam sanctitatem, quæ efflorebit in gloriam. Nam sanctitas ac justitia Dei, primum in Christo, dum mortalem vitam ageret, fuit seminis instar abscondita : deinde autem flores germinavit sanctificationis et gloriæ. Quod idem similiter omnibus Christi discipulis ac membris est applicandum : *Pater.... claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis.* Joan. XVII, 22.

Sensus liturgicus.

Psalmum *Memento, Domine, David*, recitat Ecclesia 1° in secundis vesperis Nativitatis Domini ; 2° in secundis item vesperis Confessorum Pontificum.

1° Dum recitat eum in Nativitate Domini, in Davide tanquam in typo contemplatur Ecclesiæ ædificatorem Christum, qui ab ipsa nativitate sua, domus Dei structuram inchoavit ; eumdemque Christum mox invitat, ut in templo quod ipse sibi ædificavit, nempe in Ecclesia, et in animabus præsertim fidelium, habitare dignetur. *Surge, Domine, in requiem tuam, tu, et arca sanctificationis tuæ... Propter* hunc verum *David*, inquit, *servum tuum, non avertas faciem,* non repellas orationem *Christi tui*, mystice spectati, qui est populus Christianus, seu ipse Christus cum suo corpore mystico.

Deinde considerat, quomodo in Christi nativitate impleta sit prophetia, seu promissio solemnis Davidi facta : *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam ;* quomodo in hoc semine Abrahæ benedicantur omnes tribus terræ : *Viduam ejus benedicens benedicam...* — Quomodo prodeat ex civitate David : *Illuc producam cornu David...* — Ille, in cujus fronte, non obstante Herode aliisque inimicis, fulgebit diadema divinitus impositum : *Super ipsum autem efflorebit sanctificatio mea.*

2° Dum recitat eumdem psalmum in officio Pontificum, Ecclesia hos viros intuetur tanquam cum Christo cooperantes ad ædificationem domus Dei ; deinde considerat, qnomodo in ipsis impleta sint Spiritus sancti verba quæ sequuntur, præsertim ista : *Sacerdotes tui induantur justitiam, et sancti tui exultent... Sacerdotes ejus induam salutari, et sancti ejus exultatione exultabunt... Inimicos ejus induam confusione : super ipsum autem efflorebit sanctificatio mea.*

—

PSALMUS CXXXIII.

Ecce nunc benedicite Dominum.

1. Ecce nunc benedicite Dominum, omnes servi Domini :	1. Ecce nunc opportuno tempore, benedicite Dominum omnes servi Domini.
2. Qui statis in domo Domini : in atriis domus Dei nostri.	2. Vos præsertim, qui statis pro sacro munere in domo Domini : in atriis domus Dei nostri :
3. In noctibus extollite manus vestras in sancta, et benedicite Dominum.	3. In noctibus ipsis vigilantes et orantes, extollite manus vestras versus Sanctuarium, et laudate Dominum.

4. Benedicat te Dominus ex Sion, qui fecit cœlum et terram.

4. Vicissim te, o tribus sancta, benedicat Dominus de Sion, sede sua : ispe qui fecit cœlum et terram.

—

Explicatio.

Psalmus est ultimus *gradualium*. — Ut autem dictum est supra (1), *graduales* vocantur, seu nomine *cantici graduum* inscribuntur psalmi quindecim, post centesimun decimum octavum subsequentes ; ideo fortasse, quia spiritu prophetico editi sunt ut canerentur a Judæis, vel post captivitatem Babylonicam revertentibus et in Jerusalem ascendentibus ; vel dum ascenderent quindecim gradibus in templum Salomonis.

Quidquid de his opinionibus videatur tenendum, illud, inquit Bellarminus, certum est, ascensiones istas, sive de Babylone in Jerusalem, sive per gradus templi Salomonis, figuras fuisse ascensionis electorum, qui per gradus virtutum, ac præcipue charitatis, ascendunt de valle lacrymarun ad cœlestem Jerusalem ; et de hac ascensione Spiritum sanctum esse locutum. Enim vero psalmi sunt pleni affectibus in Deum, et proprii eorum, qui se peregrinos atque exules in terra inimicorum esse intelligentes, nunc ærumnas exilii deflent, nunc ad requiem patriæ suspirant, semper autem se ad ascendendum et in via Domini proficiendum accendunt.

Argumentum. — Itaque psalmus iste, gradualium ultimus, præcedentium veluti conclusio est et epilogus : eos qui jam feliciter ascenderunt hortans ad vacandum perpetuis Dei laudibus. — Peculiari tamen modo ad sacerdotes Domini spectat et ad levitas, qui in Tabernaculo fœderis excubias agebant ; hos scilicet excitat, ut præ cæteris diu noctuque Deum, omnis boni auctorem colant, atque pro se et pro populo exorent.

Sensu mystico psalmus ad sacerdotes novæ Legis pertinet, estque, ut Genebrardus ait, breve sacerdotum speculum. Ecclesia enim his versiculis sacerdotalem ordinem alloquitur, et ad Deum assidue orandum provocat. — Non tamen ad solos sacerdotes diriguntur verba ejus ; sed etiam ad fideles omnes, qui sunt *genus electum, regale sacerdotium* (I Pet. II, 9). Respicit autem præcipue ferventiores : qui dum peregrinantur in terra, corde habitare conantur in cœlo, et cum Apostolo dicere possunt : *Conversatio nostra in cœlis est.* Phil. III, 20.

I. *Hortatur propheta ministros sacros ut Deum orent.*
II. *Ipsemet orat Deum, ut sacræ tribui benedicat.*

(1) Ad Psalm. CXIX, pag. 372.

1. *Ecce nunc benedicite Dominum, omnes servi Domini :*
2. *Qui statis in domo Domini : in atriis domus Dei nostri.*
3. *In noctibus extollite manus vestras in sancta, et benedicite Dominum.*

Prima pars, exhortatio ad orandum. — *Ecce nunc benedicite Dominum....* hortatoria formula est illud *ecce nunc*, tempus opportunum adesse innuens, et quidem respective ad præteritum, quasi dicatur : Ecce nunc, expediti a laboribus, a tumultu externo, nunc in Dei præsentia constituti.... benedicite Dominum.

Omnes servi Domini... nimirum omnes ministri sacri, quorum sequitur periphrasis :

2. *Qui statis in domo Domini, in atriis domus Dei nostri :* id est, qui illic permanenter consistitis, illi loco vi status vestri addicti ; quique in eodem assidue moramini ad rem divinam faciendam. *Separavit* enim Deus *tribum Levi, ut portaret arcam fœderis Domini, et staret coram eo in ministerio, ac benediceret in nomine illius*. Deut. X, 8.

In atriis domus Dei nostri (1), id est, in porticibus quæ erant circa domum Dei. — Tabernaculum testimonii seu fœderis, circumdatum erat atrio uno ; templum vero Salomonicum, atriis tribus : nempe Gentilium, Israelis, et Levitarum. — Quod dicitur, *qui statis in atriis* : id etiam ad laicos pertinere potest, qui, dum res divina fiebat a sacerdotibus, in exteriore atrio versabantur.

3. *In noctibus extollite manus...* sensus est :

1° Respectu servorum Dei generatim : Non solum interdiu, sed etiam nocturno tempore precibus insistite. — Solebant enim Hebræi aliquando in oratione pernoctare, prout de Anna prophetissa insinuatur his verbis : *Non discedebat de templo, jejuniis et obsecrationibus serviens nocte ac die* (Luc II, 37). — 2° Respectu Levitarum, qui interdiu ministeriis vacabant, noctu vero custodiis, sensus est quasi dicat : Dum noctu custodiis templi vacatis, procul a populi conspectu, Deum collaudate attollendo ad loca sancta manus vestras ; adeo ut etiam pro absente et dormiente populo precemini. — Monet scilicet ministros sacros, ut sanctificent vigilias noctis, sicut supra monuit ut sanctificent ministeria diurna.

Extollite manus vestras in sancta : versus eas tabernaculi vel

(1) Hæc verba desunt in hebræo, et explicationis causa videntur addita a LXX Interpretibus ex psalmo sequenti.

templi partes, quarum una vocabatur *Sanctum*, altera *Sanctum sanctorum*, ubi erat Arca, typus corporis Domini ; et ubi se exauditurum orationes Deus pollicitus erat. — *In sancta* metaphorice significat *in cœlum*, cujus typus etiam erat sanctuarium Fœderis. — Extensis itaque manibus *benedicite*, inquit, id est, adorate, invocate, laudate *Dominum*.

4. *Benedicat te Dominus ex Sion, qui fecit cœlum et terram.*

Secunda pars : petitio benedictionis divinæ. — Benedicat te.... id est, benedictione et favore suo prosequatur te Dominus omnipotens, de Sion ubi habitat. — Vox *benedicere* hoc loco aliud significat ac paulo ante : supra enim significabat *laudare*, gratias agere ; nunc vero *bene facere*. Aliter enim benedicit Deus hominibus, aliter homines Deo.

Verba hæc : *Benedicat te*, vel sunt mimesis orationis levitarum pro populo, quasi sic alloqueretur levitas propheta : O levitæ, dicite populo : Benedictione te repleat Dominus.... — vel est oratio ipsius prophetæ pro levitis : quos, quia unam tribum sanctam constituunt, atque charitate uniti unum sunt in Domino, numero singulari alloquitur ; quo fere modo dicebat Moyses : *Non habuit Levi partem neque possessionem cum fratribus suis ; quia ipse Dominus possessio ejus est.* Deut. X, 9.

Sensus liturgicus.

Psalmus iste, ultimus e psalmis Completorii, est vox Ecclesiæ, servos Dei, præsertim ministros sacros hortantis, ut ipso noctis tempore Deum laudare non desistant : id est, ut quietem nocturnam, — noctem adversitatum, — ac denique noctem mortis sanctificent ; atque ita in omnibus et per omnia Deum glorificent, ejusque benedictionem mereantur.

O vos omnes, inquit, qui servitio Domini ex animo addicti estis, benedicite Domino nunc, hodie, singulisque diebus et horis, dum tempus manet : *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.* II Cor. VI, 2

Vos autem præ cæteris, sacerdotes sancti, muneri sacro consecrati ; vos versantes, inhabitantes in domo Domini, non velut hospites, sed tanquam domestici Dei, et amici Dei, et mediatores inter Deum et populum ejus : vos *benedicite Dominum, qui statis in domo Domini, in atriis domus Dei nostri.* — Nihil aliud vobis curæ sit ; nihil profani vos a domo Dei, ab opere Dei, a laude Dei retrahere valeat. Semper in intimo Sanctuario, vel in atriis Domini manete, ibique tanquam in vestibulo cœli delectamini, dicentes : *Domine, dilexi decorem domus tuæ... Unam*

petii a Domini , hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.... Quia melior est dies una in atriis tuis super millia....

Extollite manus vestras in sancta : dum alii extendunt manus ad profana vel iniqua, vos extollite manus puras ac supplices ad sanctuarium misericordiæ Dei. Inter vestibulum et altare extollite manus, plorantes et dicentes : *Parce Domine, parce populo tuo : et ne des hæreditatem tuam in opprobrium, ut dominentur eis nationes.* Joel. II, 17.

Nec de die tantum, sed etiam *in noctibus extollite manus* , cum Domino Jesu vigilantes et orantes. Etenim vigilat etiam inimicus animarum, circumiens et quærens quem devoret. — Extollite manus in noctibus : cum Domino Jesu pernoctantes in oratione Dei, ut cum eodem Domino impendatis diem in perficiendo opere Patris.

Extollite manus in noctibus adversitatum et calamitatum, ut Dominus illuminet faciem suam super nos, et misereatur populi sui.

Benedicite Dominum, o tribus sancta, immaculata, a Domino prædilecta ; et vicissim *benedicat te* magis magisque *Dominus ex Sion* ; Dominus inquam ille, qui sic oravit pro te : *Pater sancte, serva eos in nomine tuo quos dedisti mihi... sanctifica eos in veritate... ut omnes unum sint, ut sint... consummati in unum.* Joan. XVII.

PSALMUS CXXXVII.

Confitebor tibi, Domine... quoniam.

1. Confitebor tibi , Domine , in toto corde meo : quoniam audisti verba oris mei.

2. In conspectu angelorum psallam tibi : adorabo ad templum sanctum tuum, et confitebor nomini tuo,

3. Super misericordia tua et veritate tua : quoniam magnificasti super omne , nomen sanctum tuum.

4. In quacumque die invocavero te , exaudi me : multiplicabis in anima mea virtutem.

1. Laudabo te, Domine, in toto corde meo : quoniam audisti verba oris mei.

2. In conspectu et e regione angelorum psallam tibi : adorabo te in templo sancto tuo, et laudabo nomen tuum,

3. Propter misericordiam tuam et veritatem tuam : quibus manifestasti per Verbum tuum magnitudinem nominis sancti tui super omnia.

4. Hanc misericordiam tuam quacumque die invocavero, exaudi me : ut multiplices in anima mea virtutem ac robur.

5. Confiteantur tibi Domine, omnes reges terræ : quia audierunt omnia verba oris tui.

5. At mecum laudent te, Domine, omnes reges terræ : quia et ipsi audierunt omnia verba oris tui.

6. Et cantent in viis Domini : quoniam magna est gloria Domini.

6. Et cantent in viis Domini, dicentes : Magna est gloria Domini.

7. Quoniam excelsus Dominus, et humilia respicit : et alta a longe cognoscit.

7. Excelsus est Dominus, et nihilominus humilia corda respicit benigne ; superba vero a longe tantum respicere dignatur.

8. Si ambulavero in medio tribulationis, vivificabis me : et super iram inimicorum meorum extendisti manum tuam, et salvum me fecit dextera tua.

8. Hinc, quantumvis fuero abjectus, etiamsi ambulavero in medio tribulationis, tu, o misericors, servabis me : et contra insultus inimicorum meorum extendes manum tuam, et salvum me faciet dextera tua.

9. Dominus retribuet pro me : Domine, misericordia tua in sæculum : opera manuum tuarum ne despicias.

9. Imo Dominus retribuet eis justas pœnas pro me : O Domine, misericordia tua vere æterna est : me ergo, opus manuum tuarum, ne despicias, sed misericorditer perfice.

Explicatio.

Argumentum. — Gratias agit propheta, quod exaudiverit Deus orationem suam, et magnum sibi beneficium contulerit. Quodnam autem beneficium immediate et litteraliter respiciat, incertum est. Sunt qui de liberatione a captivitate Babylonica agi putant ; cui systemati revera explicatio accommodari potest. At vero probabilius, immediate et simpliciter hic est canticum gratitudinis, a Spiritu sancto editum ut Ecclesia et unusquisque fidelium digne Deo pro universis beneficiis ejus gratias agat.

I. *Ipse propheta pro beneficiis Deum laudat.*
II. *Alios ad similiter Deum laudandum invitat.*

---

1. *Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo : quoniam audisti verba oris mei.*

2. *In conspectu angelorum psallam tibi : adorabo ad templum sanctum tuum, et confitebor nomini tuo.*

Laudes Deo pollicetur pro beneficio impetrato, et modum

quo Deum laudaturus sit declarat : *Confitebor*, inquit, *in toto corde meo ; — psallam in conspectu angelorum ; — adorabo ad templum sanctum tuum.*

Quod dicit *in toto corde*, indicat intimum affectum erga Deum, imo devotionem perfectam , et oblationem cordis Deo gratissimam.

In conspectu angelorum, id est, coram angelis qui tibi assistunt : laudabo te, eorum præsentiam recordando, et me gerendo ea pietate quæ angelorum conspectu digna sit. — Sanctus Chrysostomus addit, illud *in conspectu* significare *ex adverso* seu *e regione*, ita ut sensus sit : Psallam e regione angelorum, ipsis alterum chorum conficientibus, nec tantum aspicientibus. — Constat scilicet dum oramus, nos ab angelis videri et audiri : ipsi enim preces nostras Deo offerunt. *Ego*, inquit Tobiæ angelus Raphael, *obtuli orationem tuam Domino* (Tob. XII, 12). — *Ascendit fumus incensorum de orationibus sanctorum de manu angeli coram Deo.* Apoc. VIII, 4.

Hoc autem præcipue verum , ubi publicas Ecclesiæ preces persolvimus , aut in templis oramus. Testatur Isaias , se in templo audivisse Seraphim alternis vocibus clamantes : *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum* (Isai. VI, 3). Et Josephus (1) tradit , angelos habitatores templi , paulo ante Jerosolymæ vastationem , templique incendium , auditos esse dicentes : *Migremus hinc.* — A fortiori adsunt angeli in templis christianis, ut Chrysostomus et passim Patres docent. Imo diserte Apostolus Paulus tradit, cœlitum chorum interesse et præesse nostris precibus : jubet enim mulieres dum orant, velamen *habere supra caput propter angelos* (I Cor , XI , 10) : id est, verecundiæ causa, ne præsentes angelos offendant.

Adorabo ad templum, id est , in templo ; vel etiam , versus templum : quia Hebræi, quando aberant a Jerosolyma, orabant facie ad locum templi conversa.

Sic itaque interne et externe summa pietate dispositus, *confitebor*, inquit, *nomini tuo.*

3. *Super misericordia tua et veritate tua : quoniam magnificasti super omne, nomen sanctum tuum.*

Materiam laudis indicat, quasi diceret : Toto corde laudabo te ob misericordiam illam et fidelitatem in promissis , qua manifestasti nomen sanctum tuum , ut magnum super omne nomen. — De incarnatione Verbi probabiliter hic sermo est, et de nomine Jesu, quod nomen est super omne nomen. Imo illud *sanctum tuum* substantive sumi potest pro Christo ; sic

(1) Lib. 6, *de bello Judaico* C. 12.

enim melius consonat cum hebræo, ubi habetur : *Confitebor nomini tuo, propter misericordiam tuam et fidem tuam, nam magnum fecisti super omne nomen tuum* (intellige, super omne opus gloriosum a te factum), *verbum tuum*, i. e. Verbum incarnatum, Christum tuum, Sanctum tuum.

4. *In quacumque die invocavero te, exaudi me : multiplicabis in anima mea virtutem.*

Quoniam novis semper beneficiis indiget, cum gratiarum actione conjungendam esse sentit novam petitionem donorum : ideoque rogat beneficum Dominum, ut semper exaudiri mereatur, præsertim intuitu illius Sancti, de quo mentionem fecit. Tunc enim, ait, *multiplicabis in anima mea virtutem*, nempe gratiam, robur spiritus sancti, virtutem ex alto ; hanc enim solam, non corporalia commoda, oratione postulabit.

5. *Confiteantur tibi, Domine, omnes reges terræ : quia audierunt omnia verba oris tui.*

Altera pars : invitat omnes reges et populos ad Deum pariter laudandum. — Hæc invitatio prædictionem continet conversionis Gentium, quasi propheta diceret : Laudent te, Domine, non jam soli filii Israel, sed omnes reges terræ cum populis suis : quia et ipsi, prædicantibus Apostolis, audierunt omnia verba quæ per prophetas et per unigenitum Filium tuum loqui dignatus es.

6. *Et cantent in viis Domini : quoniam magna est gloria Domini.*

7. *Quoniam excelsus Dominus, et humilia respicit : et alta a longe cognoscit.*

Amplius explicat quomodo Gentes laudes Dei debeant celebrare : Cantent, inquit, gloriam Domini, quam per Redemptionis mysterium tam magnifice manifestavit, humilia exaltando, superba humiliando. — *Cantent in viis Domini*, id est, in viis Domini ambulantes. *Erit ibi semita et via*, inquit Isaias.... *per eam ambulabunt qui liberati fuerint, et redempti a Domino convertentur, et venient in Sion cum laude* (Isai. XXXV, 8, 9). — Idem juxta hebræum aliter exponi potest, ita ut *cantent in viis Domini*, idem sit ac, cantent *de* viis Domini : nempe cantent vias Domini, facta et consilia ejus mirabilia celebrantes.

Humilia respicit : id est, quamvis Deus excelsus sit et altissimus, humiles creaturas respicere dignatur, et quidem de proximo, ad eas descendendo ; e contra *alta*, quæ non sunt humilia, creaturas nempe superbas, *cognoscit a longe*, non

prope, non familiariter : id est, superbos removet ac rejicit procul a se, a suo favore et clementia.

8. *Si ambulavero in medio tribulationis, vivificabis me : et super iram inimicorum meorum extendisti manum tuam, et salvum me fecit dextera tua.*
9. *Dominus retribuet pro me : Domine, misericordia tua in sæculum : opera manuum tuarum ne despicias.*

Quoniam Dominus excelsus humilia benigne respicit, David humilitatis spiritu animatus, cum fiducia sibi pollicetur auxilium Domini in omni tribulatione. Si fuero, inquit, undique a tribulantibus me inimicis circumdatus, vivum et incolumen servabis me, Domine ; super iratos inimicos extendes manum tuam et liberabis me. — Aliter Sanctus Augustinus, sensuque sublimiore sed accommodato hæc intelligit, et sic exponit : Si ex amore Dei libenter ambulavero in tribulatione, tunc vivificabis me vita gratiæ tuæ ; imo, quia per tribulationes me vis salvari, ipsemet extendens manum tuam, vexationibus, quas ab inimicis patior, plagas novas superaddidisti ; at simul, et hoc ipso, salvum me fecit dextera tua : nunc quidem spe et promissione ; postea vero in æterna gloria, reipsa et perfecte me salvum faciet.

9. *Dominus retribuet pro me*, id est : Dominus retribuet vindictam inimicis meis pro me ; vel etiam, altiore sensu, retribuet Deo Patri pretium pro peccatis meis. — Addit autem per modum conclusionis : *Domine, misericordia tua in sæculum* ; *opera manuum tuarum ne despicias* : id est : O Domine, misericordia tua est infinita ; ideo peto, ut me, qui sum opus manuum tuarum, ne despicias ; — sive melius, ut opus tuum non deseras, ut id quod misericorditer jam in me inchoasti non relinquas imperfectum, sed conservando, augendo, perficiendo consummes. — Non dicit *opera manuum nostrarum*, sed *tuarum*, quia quidquid boni habemus illius dono habemus, et de manu ejus accepimus.

Sensus liturgicus.

Psalmus *Confitebor... quoniam*, recitatur 1° in vesperis festi SS. Angelorum ; 2° item in vesperis Defunctorum.

1° In festo SS. Angelorum est canticum laudis, quo Ecclesia una cum Angelorum choris divinam misericordiam, maximaque Dei beneficia celebrat. Inter hæc autem beneficia, illud præcipue respicit, quod nos homines humillimos, miserrimos, Deus per angelos suos juvare, et velut dextera sua deducere dignetur, semper in nobis respiciens opus manuum suarum. *Super iram inimicorum meorum extendisti manum tuam, et salvum me fecit*

dextera tua... Domine, misericordia tua in sæculum : opera manuum tuarum ne despicias.

2° In officio Defunctorum Ecclesia, personam assumens sanctarum fidelium animarum, inchoat canticum laudis, quod mox cum angelis in paradiso cantabunt : *In conspectu angelorum psallam tibi : adorabo ad templum sanctum tuum et confitebor nomini tuo, super misericordia tua...* — Deinde eamdem misericordiam implorans, petit, ut omnes homines Deus ad suam laudem adducat, suisque beneficiis repleat ; atque se, miseram creaturam, in tribulatione Purgatorii positam, sed spe firmatam, liberare dignetur ; opus misericordiæ suæ sic feliciter coronando : *Misericordia tua in sæculum : opera manuum tuarum ne despicias.*

—

PSALMUS CXXXVIII.

Domine, probasti me, et cognovisti me :

1. Domine, probasti me, et cognovisti me : tu cognovisti sessionem meam, et resurrectionem meam.	1. Domine, scrutatus es me, et perspicue cognovisti me : tu cognovisti omnes actiones et motus meos.
2. Intellexisti cogitationes meas de longe : semitam meam et funiculum meum investigasti.	2. Intellexisti cogitationes meas longe antequam a me conciperentur : totamque vitæ meæ seriem investigasti.
3. Et omnes vias meas prævidisti (1) : quia non est sermo in lingua mea.	3. Et omnes vias gressusque meos prævidisti : quamvis nullo verbo mea consilia manifestassem.
4. Ecce, Domine, tu cognovisti omnia, novissima et antiqua : tu formasti me, et posuisti super me manum tuam.	4. Ecce, Domine, tu cognoscis omnia, remotissima futuri temporis, et antiqua præteriti. Tu præterea formasti me, et posuisti super me manum tuam, ut quasi figulus formares me.
5. Mirabilis facta est scientia tua ex me : confortata est, et non potero ad eam.	5. Mirabilis plane facta est scientia tua super captum meum : immensa, ut eam comprehendere non possim.
6. Quo ibo a spiritu tuo ? et quo a facie tua fugiam ?	6. Quo enim ibo ut abscondar a cognitione tua ? et quo a præsentia tua fugiam ?

(1) In hebræo, vers. 3 : *Non est sermo in lingua mea* (ignotus tibi) *ecce, Domine, tu cognovisti omnem illum* (sermonem meum).
4. *A tergo et a fronte formasti me : posuisti super me manum tuam* (ad me formandum).

7. Si ascendero in cœlum, tu illic es : si descendero in infernum, ades.

8. Si sumpsero pennas meas diluculo, et habitavero in extremis maris :

9. Etenim illuc manus tua deducet me : et tenebit me dextera tua.

10. Et dixi : Forsitan tenebræ conculcabunt me : et nox illuminatio mea in deliciis meis (1).

11. Quia tenebræ non obscurabuntur a te, et nox sicut dies illuminabitur : sicut tenebræ ejus, ita et lumen ejus.

12. Quia tu possedisti renes meos : suscepisti me de utero matris meæ.

13. Confitebor tibi, quia terribiliter magnificatus es (2) : mirabilia opera tua, et anima mea cognoscit nimis.

14. Non est occultatum os meum a te, quod fecisti in occulto : et substantia mea in inferioribus terræ.

7. Si ascendero in cœlum, tu illic es : si descedero in infernum, ades.

8. Si sumpsero pennas auroræ et fugiens velociter ab Oriente, habitavero in extremis maris Occidentis ; frustra fugiam,

9. Etenim illuc manus tua deducet me, et tenebit me dextera tua.

10. Et dixi : Forsitan tenebræ cooperient me ; sed nox illuminatio mei erit, patefaciens me in deliciis meis.

11. Quia tenebræ non erunt obscuræ apud te : et nox sicut dies illuminabitur Deo : tenebræ ejus, sicut lumen erunt.

12. Etenim tu, Deus, formasti renes meos : cœpisti me formare de utero matris meæ.

13. Laudo te, quia mirabiliter hic magnificaris : vere mirabilia opera tua, ea intime miratur anima mea.

14. Nullum ex ossibus meis est occultum tibi, unumquodque enim fecisti in occulto nativitatis meæ ; et substantia mea non fuit occulta tibi in ipsis visceribus matris meæ.

(1) Quod LXX verterunt *in deliciis meis,* id a S. Hieronymo et recentioribus vertitur *circa me ;* hoc modo : *Si dixero : Forte tenebræ operient me ; — nox quoque lux erit circa me.*

(2) Versiculus iste et sequentes, aliter verti possunt ex hebræo, hac ratione :

13. *Laudo te, quod mirum in modum magnificasti me : mirabilia sunt opera tua, et anima mea id agnoscit valde.*

14. *Non erat occulta substantia mea tibi, quando formabar in abscondito* (matris utero at quando) *contexebar* (venis ac nervis) *in inferioribus terræ* (in locis occultis : puta in utero matris).

15. *Fœtum meum viderunt oculi tui ; et in libro tuo omnes illi* (dies) *scripti sunt, dies* qui) *formandi erant* (scripti sunt) *priusquam ullus eorum existeret.*

15. Imperfectum meum viderunt oculi tui, et in libro tuo omnes scribentur : dies formabuntur , et nemo in eis.

15. Imperfectum adhuc corpus meum viderunt oculi tui ; et in libro scientiæ tuæ omnes homines descripti sunt : jam sunt definiti dies, etsi in eis nullus adhuc homo existit.

16. Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui, Deus : nimis confortatus est principatus eorum.

16. Quod si justos considerem, et amicos tuos, hi supra modum honorificati sunt, o Deus : nimis auctus est principatus eorum.

17. Dinumerabo eos , et super arenam multiplicabuntur : exsurrexi, et adhuc sum tecum (1).

17. Nam si dinumerare eos velim, etiam super arenam numerosi sunt. Inter ipsos resurgam ego ex mortuis, et iterum tecum ero.

18. Si occideris , Deus , peccatores : viri sanguinum, declinate a me.

18. O si destruas, Deus , peccatores !... Viri sanguinum discedite a me.

19. Quia dicitis in cogitatione : Accipient in vanitate civitates tuas (2).

19. Quia dicitis in cogitatione vestra : In vanum justi accipient, o Deus, principatus et civitates tuas : ejicientur a nobis.

20. Nonne qui oderunt te, Domine , oderam ? et super inimicos tuos tabescebam ?

20. Nonne homines istiusmodi, qui oderunt te , Domine, odi ? et super hos inimicos tuos tabesco ?

21. Perfecto odio oderam illos : et inimici facti sunt mihi.

21. Utique perfecto odio oderam illos, et inimici facti sunt mihi.

22. Proba me , Deus , et scito cor meum : interroga me , et cognosce semitas meas.

22. Explora me , Domine, et intime cognosce cor meum : examina me et cognosce semitas meas.

23. Et vide si via iniquitatis in me est : et deduc me in via æterna.

23. Et vide an forte via quæpiam iniquitatis in me sit, et deduc me in via æterna.

---

(1) In hebræo : *Evigilavi, et adhuc sum tecum.* Fortassis hoc sensu : Aggressus enumerare amicos tuos, frustra laboro usque ad vesperam ; et mane expergefactus, adhuc eadem re detineor , in cogitando scilicet te, et in dinumerando amicos tuos. — Forte , juxta sensum interpretis latini, *evigilavi ad lucem novæ vitæ*, i. e. *resurrexi.*

(2) In hebræo, juxta versionem probabilem : *Qui nominant te ad nequitiam* (patrandam) ; *qui proferunt* (nomen tuum) *in vanum, adversarii tui* (sunt, quibus et ego adversor).

Explicatio.

Argumentum. — Celebrat propheta scientiam et providentiam Dei. Juxta Chrysostomum, quem sequuntur insigniores interpretes, propositum psalmistæ est admonere humanum genus, Deum esse magnum remuneratorem operum bonorum, severumque judicem operum malorum. Quod ut persuadeat, prolixe exponit divinam omniscientiam, qua Deus clarissime omnia nostra novit, naturam, opera, verba, cogitationes ; ita ut nemo dicere possit : « Deus non novit res nostras aut non « considerat ; ideoque vel vindictam ejus effugiemus, vel pro « meritis non coronabimur. »

I. *De providentia Dei generatim.*
II. *De providentia Dei speciali erga justos.*

—

1. *Domine, probasti me et cognovisti me : tu cognovisti sessionem meam et resurrectionem meam.*

Non de se solum loquitur David ; sed assumens personam generis humani, de omnibus affirmat, Deo nos et omnia nostra esse notissima. — *Probasti me*, id est, scrutatus es me. Quoniam autem Deus scrutatione nulla aut examine indiget, sensus est : Cognoscis me, Deus, accuratissime, sicut rem cognoscere solet qui diligenter eam examinat et scrutatur. — Quod declarat subjungens : *Tu cognovisti sessionem meam, et resurrectionem meam*, h. e. cognoscis plane omnes vitæ meæ actiones ac vicissitudines. *Sessio* enim *et resurrectio* idem significat quod alibi *introitus et exitus*, nempe totam hominis conversationem. Spiritualiter, *sessio* et *resurrectio* designat humiliationem et exaltationem, quam de omnibus hominibus novit Deus, præsertim vero de Christo : ideoque Ecclesia in die Resurrectionis hæc verba Christo Domino accommodat.

2. *Intellexisti cogitationes meas de longe : semitam meam et funiculum meum investigasti.*

3. *Et omnes vias meas prævidisti : quia non est sermo in lingua mea.*

Jam ad particularia veniens dicit, Deum cognoscere ipsas hominis cogitationes ; et quidem *de longe*, id est, longe antequam cogitare incipiat. Cumque cogitationes sint agendi principia, hinc Deus etiam præcognoscit, hominis *semitam et funiculum*, id est, viam et filum vitæ ; vel juxta alios, cursum et terminum vitæ (1). Quod idem aliis verbis repetit et declarat :

(1) In hebræo : *Semitam* (itionem) *meam et accubationem meam exploras.*

3. *Et omnes vias meas prævidisti, quia non est sermo in lingua mea* : quod sic exponunt interpretes : Omnes vias meas seu cogitationes cognovisti, cum tamen ne verbum quidem proferrem ullum. — Sensus tamen hebræo conformior est, si post verba : *Non est sermo in lingua mea*, mente suppleatur : *qui tibi sit ignotus*. Tunc autem particula *quia* referenda erit ad initium psalmi : *Domine, probasti me et cognovisti me... quia non est sermo...*

4. *Ecce, Domine, tu cognovisti omnia novissima et antiqua : tu formasti me, et posuisti super me manum tuam.*

5. *Mirabilis facta est scientia tua ex me : confortata est, et non potero ad eam.*

Rationem aperit omniscientiæ Dei circa hominem : 1° quod Deus per essentiam suam cognoscat omnia, *novissima et antiqua* : id est, omnia, futura sicut præterita ; 2° quod ipse hominem fecerit, *et posuerit super ipsum manum suam* : nempe ut manu sua, instar figuli, hominem e limo terræ fingeret ; vel etiam, quod posuerit manum suam super hominem a se formatum, ut eum regeret, conservaret, et quasi portaret.

5. Hinc velut distinctius intuens abyssos scientiæ Dei, admirans exclamat, eam incomprehensibilem esse : *Mirabilis facta est scientia tua ex me : confortata est, et non potero ad eam.* Mirabilis, inquit, *ex me* : id est, probabilius, vi vocis hebraicæ, *super me*, super captum meum ; atque ita *confortata*, magna nempe atque alta *est*, ut non possim ad eam pertingere : *Et non potero ad eam.*

6. *Quo ibo a spiritu tuo ? et quo a facie tua fugiam ?*

7. *Si ascendero in cœlum, tu illic es : si descendero in infernum, ades.*

8. *Si sumpsero pennas meas diluculo, et habitavero in extremis maris :*

9. *Etenim illuc manus tua deducet me : et tenebit me dextera tua.*

10. *Et dixi : Forsitan tenebræ conculcabunt me : et nox illuminatio mea in deliciis meis.*

11. *Quia tenebræ non obscurabuntur a te, et nox sicut dies illuminabitur : sicut tenebræ ejus, ita et lumen ejus.*

Dixit, Deum omnia humani cordis decreta cognoscere, adeoque neminem esse qui divinam scientiam, divinumve ocu-

lum effugere possit. Hoc ut clarius demonstret novum affert argumentum, quod Deus ubique est et omnia penetrat. Id autem enuntiat per pulcherrimam omnipræsentiæ Dei hypotyposin. *Quo ibo*, inquit, *a spiritu tuo?...* ut videlicet a spiritu seu intelligentia tua abscondar ; *aut quo a facie tua fugiam?* id est, a præsentia et visione tua.

7. *Si ascendero in cœlum* : scilicet etiamsi ascendam usque in cœlum, *tu illic es ; si descendero* in profundum et usque *in infernum, ades.*

8. *Si sumpsero pennas meas diluculo, et habitavero in extremis maris....* Vi textus hebraici, sensus probabilior est : Si sumptis Auroræ pennis, celeriter ab Oriente fugiam usque ad extremum Occidentem ; non tamen habitaculum inveniam ubi tu non adsis : cum nisi te ipso portante me, moveri non possim : *Etenim illuc manus tua deducet me, et tenebit me dextera tua.*

10. *Et dixi : Forsitan tenebræ...* Postquam exclusit effugium loci, excludit effugium temporis, seu latibulum tenebrarum. Per modum quæstionis, *forsitan*, inquit, *tenebræ conculcabunt me*, id est, operient me ? Respondet autem : *Et nox illuminatio mea in deliciis meis.* Id est juxta Bellarminum, nox etiam est illuminatio *mei*, ut manifestet me, measque delicias pravas quas occultare voluero. — Alii cum Chrysostomo, versum hunc metaphorice intelligunt, ita : Forsitan tenebræ tribulationum conculcabunt me ; sed per gratiam Dei consolantem me, nox ipsa erit mihi illuminatio, tribulatio vertetur in consolationem *in deliciis meis* spiritualibus. — Probabilius recta est versio S. Hieronymi : *Nox quoque lux erit circa me.*

11. Quam sententiam declarat addendo, perinde esse apud Deum noctem et diem, cum non minus in tenebris videat quam in luce : *Quia tenebræ non obscurabuntur a te, et nox sicut dies illuminabitur : sicut tenebræ ejus, ita et lumen ejus* : scilicet, tenebræ noctis sicut lux Deo sunt.

Hæc respiciunt peccatores, qui frustra nituntur nocturna peccata occultare ; spiritualiter tamen intelligitur quoque de justis, qui per noctem tribulationum in Deo suo semper præsente suavissimum lumen ac solatium inveniunt. Quo sensu S. Martyr Laurentius dicebat : *Mea nox obscurum non habet, sed omnia in luce clarescunt.* — Imo ad beatam Resurrectionem Christi hæc pertinere Ecclesia ostendit, in vigilia Paschatis cantando : *Hæc nox est de qua scriptum est : Et nox sicut dies illuminabitur, et nox illuminatio mea in deliciis meis.*

12. *Quia tu possedisti renes meos : suscepisti me de utero matris meæ.*

13. *Confitebor tibi* (Domine), *quia terribiliter magnificatus es : mirabilia opera tua, et anima mea cognoscit nimis.*

14. *Non est occultatum os meum a te, quod fecisti in occulto : et substantia mea in inferioribus terræ.*

15. *Imperfectum meum viderunt oculi tui, et in libro tuo omnes scribentur : dies formabuntur, et nemo in eis.*

Ut declaret Deo non esse tenebras, eumque obscura quæque maximeque recondita videre ; præ oculis ponit non tantum quomodo cognoscat, sed quomodo formaverit corpus humanum in utero matris. *Quia tu possedisti renes meos....* formasti, inquit, partes etiam interiores et secretissimas corporis mei ; in ipso utero matris *suscepisti me* formandum, sicut figulus suscipit fingendum vas luteum (1). — *Possidere*, hebraice est *producere*, et ratione productionis possidere ut rem suam, quo sensu Eva dicit, dum genuit Cain : *Possedi hominem per Deum* (Gen. IV, 1). — *Renes* sumuntur pro iis quæ in homine sunt secretissima, præsertim pro desideriis et affectibus, quæ in renibus sedem habere censentur.

Hic admirans propheta opificium humani corporis, interrumpit sermonem suum per apostrophen ad Deum, dicens :

13. *Confitebor tibi, quia terribiliter magnificatus es* (2) : *mirabilia opera tua, et anima mea cognoscit nimis.* Sensus est : Laus tibi, o Deus, qui tam magnum te exhibes et manifestas in mei opificio ac structura, ut terrore admirationis ac reverentiæ me repleas : utique cognoscit intime anima mea quam sint mirabilia hæc opera tua. — Hinc enarrare pergit quomodo Deus humani corporis compagem formaverit.

14. *Non est occultatum os meum a te, quod fecisti in occulto : et substantia mea in inferioribus terræ.* Sensus est quasi diceret : Nullum ex ossibus meis te latet, cum tu feceris ea in occulto nativitatis meæ ; nec est occultata a te substantia corporis mei, ne tunc quidem, cum lateret adhuc *in inferioribus terræ* : id est, in profundo utero, sicut metalla vel semina latent in visceribus terræ. — Alii minus probabiliter censent, *inferiora terræ* hic significare sepulcrum, cum hæc sit hujus locutionis significatio consueta.

15. *Imperfectum meum viderunt oculi tui, et in libro tuo omnes scribentur : dies formabuntur, et nemo in eis.* Expositio

(1) Sunt qui vertunt : *Texuisti me in utero matris meæ.*

(2) Differentias textus hebræi vide supra, *adnot. text. Vulgatæ*, ad vers. 13, 14, 15.

probabilis hujus versiculi videtur ista : Imperfectum ac informe corpus meum, ab ipso nempe formationis ejus exordio, vidisti et cognovisti. Cumque eodem modo omnes homines efformes et cognoscas, ideo in mente, in cognitione tua, tanquam in libro scripsisti omnes, scilicet omnes omnium dierum homines ; descripti sunt dies antequam ullus homo ad eos pervenerit aut in eis existat. — Juxta hebræum : Dies descripti sunt, priusquam ullus eorum (dierum) jam advenerit.

Imperfectum hic significat litteraliter fœtum, embryonem, corpus informe in utero existens ; sensu autem altiore intelligi potest de imperfectione hominis spirituali ac morali, qua ex nobis nihil sumus nisi massa informis : quam tamen divina misericordia respicere dignatur, et gratia sua formare in viros perfectos, et inscribere in libro vitæ.

16. *Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui, Deus : nimis confortatus est principatus eorum.*

17. *Dinumerabo eos, et super arenam multiplicabuntur : exsurrexi, et adhuc sum tecum.*

Transit ad *alteram partem*, de providentia Dei speciali erga justos, quasi diceret : Si providentia tam mirabili complecteris homines omnes, quanto impensius curabis justos ? Magnifice omnino te geris erga eos, quos amicitia tua honorare dignaris : *Mihi autem*, id est, ut scio ac video, *nimis*, valde omnino et supra quam intelligam, honorificati sunt amici tui, Deus, valde omnino auctus est principatus, aucta est excellentia, gloria eorum : sive spectentur in se, sive in multiplicatione sui secundissima.

17. Tunc intuitu prophetico videns non tantum splendorem, sed multitudinem amicorum Dei, obstupescens dicit : *Dinumerabo eos, et super arenam multiplicabuntur : exsurrexi, et adhuc sum tecum.* Innumerabiles eos videt, præsertim in resurrectione gloriosa congregatos : cupiensque ipsis annumerari, imo certa fiducia id sperans, quasi jam inter electos cum Domino staret, exultans exclamat : *Exsurrexi* (hebraice *evigilavi*, nempe ad hanc novam lucem) *et adhuc sum tecum* : id est, resurgam a mortuis et iterum multoque melius quam antea tecum ero, Deus meus. Quæ verba in *Introitu* Missæ de Resurrectione, Christo applicat Ecclesia. Et merito quidem, quia quamvis de alio dicta sint, Christo tamen maxime proprie conveniunt (1).

(1) Qui præferunt expositionem hebraizantium (supra, *Text. adnot. ad vers.* 17), tenent, verba ista non convenire resurrectioni mortuorum, nisi per accommodationem.

18. *Si occideris, Deus, peccatores : viri sanguinum, declinate a me.*

19. *Quia dicitis in cogitatione : Accipient in vanitate civitates tuas.*

Ex iis quæ præcedunt intelligens propheta quam dignum sit et æquum, ut Deus ab omnibus colatur et ametur ; merito excandescit in impios, qui illum contemnunt et pro nihilo habent. O si perdas, inquit, impios, Deus !... Viri sanguinum, id est, improbi quilibet, discedite a me.... Quanto scilicet magis Deum amat, tanto vehementius ab impiorum consortio et actibus abhorret.

Particula *si* hic optativa est ; communiter autem optatio vel imprecatio proprie dicta hic non intelligitur, sed prænuntiatio ruinæ impiorum. Non tamen improbabiliter admittunt quidam, prophetam divino afflatum Spiritu, et ex zelo justitiæ, revera petere peccatorum mortem : ut hi scilicet desinant offendere Deum, et per scandala sua nocere hominibus.

19. *Quia dicitis in cogitatione* : *Accipient in vanitate civitates tuas.* Explicat malitiam impiorum, qui Deo et justis, amicis Dei, semper adversantur. Dicunt enim, corde, odiis et persecutionibus loquentes : Frustra civitates, principatus et bona speratis vel accipitis a Deo vestro : a nobis enim spoliabimini. *Accipient in vanitate*, id est, frustra, *civitates tuas*, illas nempe possessiones et bona quæ tu, Domine, promisisti et dabis eis.

Verum sensum litteralem melius assequi videntur, qui cum Hieronymo sic fere vertunt hunc versum 19 : *Discedant a me... qui nomen tuum, Domine, usurpant ad suam nequitiam occultandam ; qui, dum proferunt labiis nomen tuum, tibi ut hostes adversantur.*

20. *Nonne qui oderunt te, Domine, oderam? et super inimicos tuos tabescebam ?*

21. *Perfecto odio oderam illos : et inimici facti sunt mihi.*

Quia Deo ex toto corde adhæret, ideo cum inimicis Dei, id est, cum impiis, nullum vult habere commercium ; sed eos odio habet et impugnabit implacabiliter : intellige, impugnabit peccata eorum et operationes malas, non personas.

Perfectum odium S. Augustinus refert ad virtutem charitatis, quæ diligit personas, et odit iniquitatem ; sed potest etiam significare odium consummatum, et inimicitiam irreconciliabilem respectu iniquitatis.

22. Proba me, Deus, et scito cor meum : interroga me, et cognosce semitas meas.
23. Et vide si via iniquitatis in me est, et deduc me in via æterna.

Conclusio : rogat Deum, ut illa, quam in spalmo celebravit, omniscientia ac providentia uti dignetur ad suam salutem. Scrutare inquit, Domine, magis magisque, et cognosce cor meum et semitas meas ; ut si forte videas me ad aliquam iniquitatem deflexisse, inde retrahas me, et deducas in via cujus terminus est æterna felicitas.

Scito cor meum, id est, cogitationes, intentiones, affectus et desideria mea ; *et semitas meas*, id est, progressus et actiones. — *Via iniquitatis*, id est, iniquitas quælibet, vel id quod ad iniquitatem ducit, et ad ruinam : cui opponitur *via æterna*, omnis scilicet agendi ratio, omnis actio quæ ad beatam æternitatem pertineat.

Sensus liturgicus.

Psalmum hunc Ecclesia recitat in secundis vesperis Apostolorum, ut celebret, -1) mirabilem Dei in formanda Ecclesia providentiam ; -2) Apostolorum dignitatem ; -3) apostolicum zelum parfectum.

-1) Dei providentiam erga semetipsam celebrat Ecclesia, in hunc fere sensum loquens : Dominus omniscius omnia providit ac misericordissime disposuit, ut me sicut infantem in utero matris formaret : ipse enim Spiritus sanctus Ecclesiam genuit et aluit, etsi per Apostolos.

-2) Apostolicam dignitatem proclamat dicens : *Nimis honorificati sunt amici tui, Deus, nimis confortatus est principatus eorum.*

-3) Apostolicum zelum, eumque humilem et perfectum ostendit, dum exclamat : *Nonne qui oderunt te, Domine, oderam, et super inimicos tuos tabescebam ? Perfecto odio oderam illos...* tu autem *vide si via iniquitatis in me est, et deduc me in via æterna.*

—

PSALMUS CXLVII.

Lauda, Jerusalem, Dominum.

1. Lauda, Jerusalem, Dominum : lauda Deum tuum, Sion.

1. Lauda, Jerusalem, Dominum : lauda Deum tuum, Sion.

2. Quoniam confortavit seras portarum tuarum : benedixit filiis tuis in te.

2. Quoniam corroboravit seras portarum tuarum : et benedixit filiis tuis qui sunt in te.

3. Qui posuit fines tuos pacem : et adipe frumenti satiat te.

3. Ipse est qui posuit tanquam fines tuos ipsam pacem : et qui frumento mundissimo satiat te.

4. Qui emittit eloquium suum terræ : velociter currit sermo ejus.

4. Qui emittit mandata sua ad dispensandas varias tempestates terræ : velociter implentur illa mandata ejus.

5. Qui dat nivem sicut lanam : nebulam sicut cinerem spargit.

5. Qui per mandata hujusmodi dat nivem , grandibus floccis deciduam , sicut lanam : et pruinam densissimam sicut cinerem spargit.

6. Mittit crystallum suam sicut buccellas : ante faciem frigoris ejus quis sustinebit ?

6. Qui etiam mittit glaciem suam sicut buccellas : faciem acerbi frigoris ejus quis sustinebit ?

7. Emittet verbum suum, et liquefaciet ea : flabit spiritus ejus, et fluent aquæ.

7. Et iterum cum voluerit, emittet mandatum suum , et liquefaciet ea omnia : flabit ventus ejus, Auster nempe calidus , et ex resolutis nivibus ac glacie fluent aquæ.

8. Qui annuntiat verbum suum Jacob : justitias et judicia sua Israel.

8. Sic , et meliore modo, providebit populo Israel , ille qui huic populo suo annuntiare dignatus est verbum suum , justitias et judicia legis suæ revelare.

9. Non fecit taliter omni nationi : et judicia sua non manifestavit eis.

9. Non fecit taliter omni nationi : et judicia sua ac mysteria non manifestavit eis.

—

Explicatio.

Argumentum. — Hortatur propheta populum Israel ad laudandum Deum ob multa beneficia, sibi præ aliis nationibus collata. — Quod ad objectum particulare et historicum attinet, non improbabilis est sententia S. Chrysostomi, quam sequuntur græci Patres reliqui, Davidem prophetico intuitu respicere tempora Nehemiæ, quando, protegente Artaxerxe rege, ædificati sunt muri et portæ Jerusalem, pax regnavit in Judæa , et libri sacri verbum Dei continentes opera Esdræ collecti sunt et populo redditi (1).

Sensu autem spirituali ac potiore , ut S. Chrysostomus et

(1) Cf. II Esdr. cap III, seqq.

S. Hieronymus admonent, sermo est de Jerusalem spirituali, id est, de Ecclesia tum terrestri, tum cœlesti.

I. *Beneficia magna Deus contulit civitati Jerusalem*;
II. *Beneficia majora, quam reliquis populis.*

—

1. *Lauda, Jerusalem, Dominum : lauda Deum tuum, Sion.*

2. *Quoniam confortavit seras portarum tuarum : benedixit filiis tuis in te.*

3. *Qui posuit fines tuos pacem : et adipe frumenti satiat te.*

Invitat propheta civitatem sanctam, ut *laudet Dominum Deum suum*, qui nimirum in ea habitat, eamque beneficiis cumulat. — Beneficia autem præstitit imprimis quatuor : 1° civitatem tutissime munivit, 2° cives numero et divitiis auxit, 3° pacem dedit regioni Jerosolymitanæ, et 4° fertilitatem agris, ut producant frumentum optimum.

2. Quod dicit *confortavit seras portarum*, nimirum ita eas firmavit, ut nulla vi expugnari possint : securitatem significat civitatis ab incursibus hostium. — Mystice, *seræ portarum* sunt Ecclesiæ inexpugnabilis fortitudo, divinitus ei contra inferni insultus indita ; sunt etiam gratiæ quibus juvantur fideles, ut portas sensuum suorum a peccato custodiant.

Benedixit filiis tuis in te, mystice designat spiritualem Ecclesiæ fecunditatem, et gratiarum copiam fidelibus concessam.

3. *Posuit fines tuos pacem* : id est, constituit tibi pro finibus ipsam pacem : ita ut nullo modo bellum ad te penetrare possit. — Vel etiam, pacem diffudit per universam regionem tuam usque ad ultimos ejus fines. Hæc interpretatio magis consonat cum hebræo, cujus sensus esse videtur : *Qui facit fines tuos pacificos, tranquillos.*

Sensu spirituali, ut patet, pax tam perfecta magis convenit Ecclesiæ triumphanti quam militanti.

Frumenti adipe satiat te : id est, frumento alioque cibo exquisitissimo abundanter te nutrit, agros tuos summa pace excultos uberrimis fructibus replendo. — *Sensu spirituali* designatur cibus cœlestis sacramentorum, præsertim Eucharistiæ ; imo ipse Christus, *panis vivus*, qui de cœlo descendit, ut Ecclesiam militantem gratia nutriat, et in cœlum ascendit ut Ecclesiam triumphantem gloria satiet. *Satiabor, cum apparuerit gloria tua...* Ps. XVI.

4. *Qui emittit eloquium suum terræ : velociter currit sermo ejus.*

Commemoratis Dei beneficiis erga Jerusalem, transit propheta ad generalem paternæ Dei providentiæ considerationem, quasi diceret : Hisce beneficiis, o Jerusalem, Dominus te post tribulationes tuas consolatur. Ipse enim providentia sua semper paterna et laudanda, ærumnas dispensat et gaudia, sicut frigora hiemis mittit et mox jucundos verni temporis calores. Sic utique benignus Dominus post afflictionem acerbam, suavissimam præstat consolationem tibi præsertim, o Jerusalem, o popule Israel prædilecte, cui præ cæteris nationibus thesaurum verbi sui largitus est.

Istud, *emittit eloquium suum terræ*, sicut infra, *emittet verbum suum et liquefaciet ea*, intelligendum est de verbo divinæ voluntatis, qua gubernat naturam, secundum illud : *Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, quæ faciunt verbum ejus* (Ps. CXLVIII). — Quod additur : *Velociter currit sermo ejus*, significat efficaciam divini mandati, quod in universa natura promptissime impletur : metaphore sumpta a gubernio regis terreni, cujus mandata celerrime usque ad fines imperii deferuntur.

5. *Qui dat nivem sicut lanam : nebulam sicut cinerem spargit.*

6. *Mittit crystallum suam sicut buccellas : ante faciem frigoris ejus quis sustinebit ?*

7. *Emittet verbum suum, et liquefaciet ea : flabit spiritus ejus, et fluent aquæ.*

Dicendo, *qui dat nivem.... nebulam.... crystallum.... frigus....* describit hiemem, quæ respectu Palæstinæ asperrima foret. — *Nix sicut lana* intelligitur, quæ per modum floccorum lanæ densa cadit, vel quæ terram instar densi velleris tegit. — *Nebula*, i. e. pruina, *sparsa sicut cinis*, dici videtur cum respectu ad cinerem quo lugentes capita sua copiose spargebant.

Mittit crystallum suam sicut buccellas : id est, producit frigore glaciem tam crassam, ut fragmenta ejus velut buccellæ panis manu capi possint ; tanta vis frigoris sævit. Propterea additur : *Ante faciem frigoris ejus quis sustinebit ?* qua interrogatione significatur frigus a Deo permitti acerrimum ac fere intolerabile.

At vero, hujusmodi hiemis asperitatem qui induxit Dominus, mox ipsemet eadem facilitate solvit : *Emittet verbum suum*, id est, mandatum ; *et liquefaciet ea*, nempe nivem, pruinam et glaciem. Modus autem quo Deus id faciet, explicatur : *Flabit spiritus ejus*, id est, ventus australis, *et fluent aquæ* antea gelu concretæ.

Descriptio hactenus explicata, comparatio seu similitudo est, cujus applicatio intelligenda relinquitur, et sic suppleri potest : Similiter, post asperas castigationes misericorditer inflictas, mox Dominus consolationes fundit populo suo. Amantissime enim agit erga Israel, quem præ omnibus gentibus diligit : ut data ipsi lex et revelata mysteria ostendunt. — Ultimam hanc duntaxat sententiam per modum conclusionis propheta enuntiat, his versiculis.

8. *Qui annuntiat verbum suum Jacob : justitias et judicia sua Israel.*

9. *Non fecit taliter omni* (ulli) *nationi, et judicia sua non manifestavit eis.*

Voces *verbum*, *justitiæ* et *judicia* Dei, sunt synonyma et designant legem, totamque revelationem, quam Deus, loquens per Moysen et Prophetas, Israeli dare dignatus est ; quæque summa est mirabilium quibus prædilectionem suam demonstravit.

Mystice, respectu Ecclesiæ, eloquium Dei missum terræ intelligunt Patres, tum Verbum incarnatum, tum Evangelii præconium. — Hiemis asperitas et veris suavitas, vicissitudines belli et pacis significant, quæ Ecclesiæ militanti a Deo disponuntur. — Flatus austri, solvens glacies in aquas, significat etiam effectum gratiæ in corde obdurato peccatoris. — Prædilectio Dei erga Israel, longe majorem adumbrat dilectionem Christi erga Sponsam suam Ecclesiam, et filios ejus, quibus sic loquitur : *Jam non dicam vos servos : quia servus nescit quid faciat dominus ejus. Vos autem dixi amicos : quia omnia quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis.* Joan. XV, 15.

Sensus liturgicus.

Psalmus *Lauda Jerusalem* pertinet, 1° ad vesperas festi Corporis Christi, et pretiosi Sanguinis ejus ; 2° ad vesperas Beatæ Mariæ Virginis, cæterarumque Virginum ; 3° item ad vesperas Dedicationis Ecclesiæ.

1° In festo Corporis Christi, hoc psalmo gratiæ aguntur Deo pro universis beneficiis Ecclesiæ collatis, et nominatim pro ineffabili dono Panis eucharistici : *Qui pacem ponit fines Ecclesiæ, frumenti adipe satiat nos Dominus.*

In festo pretiosi Sanguinis, similiter gratias Deo agit Ecclesia pro beneficio redemptionis per sanguinem Christi : in quo reliqua beneficia velut in suo principio continentur. In verbis illis : *Qui posuit fines tuos pacem*, respicere videtur sanguinem Redemptoris, quo pacificata sunt omnia, juxta hæc verba

Pauli : *Quia complacuit per eum* (Christum) *reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis ejus, sive quæ in terris sive quæ in cœlis sunt.* Coloss. I, 20.

2° Ubi Virginum festum agit, Ecclesia sub allegoria sanctæ civitatis celebrat Virginem Matrem, cæterasque Virgines, quas Deus ut mystica sua habitacula singulariter ornavit, munivit et benedictionibus implevit.

Gratias Deo agit, seu potius ipsas Virgines invitat, ut Deo gratias referant de singulari prædilectione, liberalitate ac providentia, qua sponsas suas per hiemem ac tempestates varias deduxit ad torrentes æternæ voluptatis. Peculiari omnino ratione locutus est ad cor earum, eisque arcana sanctitatis suæ aperuit : *Non fecit taliter omni nationi, et judicia sua non manifestavit eis.*

3° In Dedicatione Ecclesiarum, idem psalmus similiter adhibetur ut hymnus Eucharisticus, quo Dei celebrantur beneficia et singularis dilectio erga mysticam Jerusalem, Ecclesiam nempe, virgineam Christi sponsam, novo templo velut imagine figuratam. Se ipsam alloquitur Ecclesia, dicens : Lauda Ecclesia sancta, lauda divinum Sponsum tuum, qui tam amanter te exornat, et nova semper prole novisque incrementis lætificat ; qui te inter omnes viæ ac vitæ hujus varietates custodit ac dirigit per Verbum suum, per Spiritum suum, per eloquia sancta sua : *Non fecit taliter omni nationi.*

—

PSALMUS CXLVIII.

Laudate Dominum de cœlis.

1. Laudate Dominum de cœlis : laudate eum in excelsis.

1. Laudate Dominum, creaturæ cœlestes, quæ versamini in regionibus excelsis. Nimirum,

2. Laudate eum omnes angeli ejus : laudate eum omnes virtutes ejus.

2. Laudate eum omnes angeli ejus : laudate eum omnes cœlestium spirituum exercitus.

3. Laudate eum sol et luna : laudate eum omnes stellæ, et lumen.

3. Laudate eum etiam omnia cœlestia corpora, sol et luna, stellæ et lumen.

4. Laudate eum cœli cœlorum : et aquæ omnes, quæ super cœlos sunt, laudent nomen Domini.

4. Laudate eum ipsi cœli superiores, et aquæ omnes quæ super cœlos sunt, laudent nomen Domini.

5. Quia ipse dixit et facta sunt : ipse mandavit et creata sunt.

5. Quia ipse fecit ea, et quidem verbo suo : dixit, et facta sunt ; mandavit et creata sunt.

6. Statuit ea in æternum, et in sæculum sæculi : præceptum posuit, et non præteribit.

6. Constituit illa cœlestia permanenter : sic decrevit, et decretum ejus perfecte implebitur.

7. Laudate Dominum de terra : dracones, et omnes abyssi.

7. Laudate Dominum creaturæ terrestres : ceti maris et omnes abyssi aquarum ;

8. Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum : quæ faciunt verbum ejus.

8. Et quæ occurrunt in aere : ignis, grando, nix, glacies, venti procellosi : quæ omnia implent verbum ejus.

9. Montes, et omnes colles : ligna fructifera, et omnes cedri.

9. Similiter, montes et omnes colles : arbores fructiferæ et omnes cedri ;

10. Bestiæ et universa pecora : serpentes et volucres pennatæ.

10. Bestiæ silvarum, et domestica pecora, reptilia et volatilia ;

11. Reges terræ et omnes populi : principes et omnes judices terræ.

11. Reges terræ et omnes populi, principes et omnes judices terræ :

12. Juvenes et virgines, senes cum junioribus laudent nomen Domini : quia exaltatum est nomen ejus solius.

12. Juvenes et virgines, senes cum junioribus, laudent nomen Domini : quia nomen ejus solum vere magnum est et laudabile.

13. Confessio ejus super cœlum et terram : et exaltavit cornu populi sui.

13. Gloria ejus cœlum implet et terram : et ipse est qui exaltavit cornu, potentiam nempe et gloriam populi sui Israel.

14. Hymnus omnibus sanctis ejus : filiis Israel, populo appropinquanti sibi.

14. Hymnus itaque præcipue in ore sit omnibus sanctis, Deo dicatis : filiis Israel videlicet, qui populus est Deo propinquius conjunctus.

—

Explicatio.

Argumentum. — Psalmus *Laudate Dominum de cœlis*, sicut duo sequentes, quæ sunt ultima carmina psalterii, laudem Dei ac Domini universorum magnifice celebrant. Tres postremi psalmi, ut ait Bellarminus, qui habent in titulo *alleluia*, invitant omnes res creatas ad laudandum Creatorem. Et quidem in psalmo CXLVIII enumerantur ordine res omnes creatæ, et quasi vocantur ad chorum, ut omnes modo suo

Dei laudes concinant ; in psalmo sequenti, injungitur hominibus, ut ii potissimum Deum laudent, qui potiora ab eo beneficia receperunt ; in postremo, mandatur iisdem hominibus, ut non solum Deum laudent, sed et per omne genus instrumentorum musicorum divinas laudes celebrent.

Hinc patet, tres hosce psalmos esse inter se connexos, et unum continuari cum alio ; quæ causa fortassis est, cur eos Ecclesia in laudibus matutinis, per modum unius soleat decantare.

Ad ordinem quod attinet, Valentia notat, provocari ad laudandum Deum, 1° creaturas omnes generatim, quia receperunt bona naturæ : id est, essentiam, existentiam, proprietates ; 2° homines, ob recepta bona etiam fortunæ ; 3° fideles, ob bona gratiæ ; 4° electos et prædestinatos, ob bona gloriæ.

Psalmum hunc, divini amoris. sanctæque exultationis plenum, maximi semper fecit Ecclesia. Hunc Apollinaris, quarto sæculo scribens, testatur quotidie in aurora decantari consuevisse. Quotidie, inquit, hujus psalmi tuba, per totum mundum, universa quæ in cælo et quæ in terra sunt, ad laudandum et benedicendum Deum provocamus.

I. *Invitatio creaturarum cœlestium. ut Deum laudent.*
II. *Invitatio similis creaturarum in orbe sublunari existentium.*

—

1. *Laudate Dominum de cœlis : laudate eum in excelsis.*

2. *Laudate eum omnes angeli ejus : laudate eum omnes virtutes ejus.*

3. *Laudate eum sol et luna : laudate eum omnes stellœ et lumen.*

Vocantur ad laudandum Deum creaturæ cœlestes, imprimis superiores ac nobiliores.

Laudate Dominum de cœlis : laudate eum in excelsis : sensus tripliciter exponi potest : vel 1° Laudate Dominum qui habitat in cœlis ; vel 2° melius : Laudate Dominum , vos cœlites , qui in excelsis cœlis habitatis ; vel 3° optime : Laudate Dominum , vos omnia cœlestia, omnes creaturæ cœlestes, sive intelligentia præditi sive carentes. — Simili sensu infra dicitur : *Laudate Dominum de terra.*

Notandum est, prophetam, ubi creaturas sanctas aut res inanimes alloquitur, non tam invitare eas ut Deum laudent ; quam jamjam laudantes velut applausu comprobare ; quasi diceret : Laudate sane, prout facitis ; et si fieri possit, magis magisque laudate Dominum : quia dignus est nimis.

2. *Laudate eum omnes angeli ejus..... omnes virtutes ejus.* — Nomine *virtutum* intelliguntur copiæ militares cœlestium spirituum, angelorum legiones atque exercitus, de quibus Daniel, VII, 10 : *Millia millium ministrabant ei ; et decies millies centena millia assistebant ei.*

3. *Laudate eum sol et luna... omnes stellæ et lumen.* Quod dicit, *stellæ et lumen*, id est, 1° juxta hebræum, *stellæ lucidæ* ; vel 2° vi textus Vulgatæ, tum stellæ, tum lumen per spatia diffusum, et a stellis emanans.

4. *Laudate eum cœli cœlorum : et aquæ omnes, quæ super cœlos sunt, laudent nomen Domini.*

5. *Quia ipse dixit et facta sunt : ipse mandavit et creata sunt.*

6. *Statuit ea in æternum, et in sæculum sæculi : præceptum posuit, et non præteribit.*

Non tantum quæ cœlorum ambitu continentur, sed ipsa cœlorum structura et ordo, ad Dei auctoris sui communis laudes concurrere debet.

4. *Laudate eum cœli cœlorum*, id est, cœli altissimi et excellentissimi : quale illud præsertim est, quod ratione luminis ac fulgoris, cœlum empyreum vocatur, et sedes est Beatorum ac thronus gloriæ Dei. De hoc loquimur dum omnes oramus, dicentes : *Pater noster, qui es in cœlis... fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra.* De hoc alibi dicitur : *Cœlum cœli Domino, terram autem dedit filiis hominum* (Ps. CXIII). — Tres scilicet distinguuntur cœli : 1° aereum, ubi sunt volucres cœli ; 2° æthereum seu sidereum, ubi sunt stellæ cœli ; 3° empyreum, ubi est Deus cœli : *Dominus, in cœlo sedes ejus.* Ps X.

Et aquæ omnes quæ super cœlos sunt, laudent nomen Domini. Duplex hic interpretatio datur probabilis. 1° Juxta interpretes multos, præsertim antiquiores, aquæ significantur veræ et naturales, quæ sunt proxime sub cœlo empyreo.

2° Juxta alios, *aquæ super cœlos* dicuntur nubes, quæ super cœlum aereum inferius suspensæ, aquas continent sinu suo. Hæc sententia, quæ passim recentioribus placet, etiam ab Augustino indicatur (1). Et quidem eo censetur probabilior, quod alludere videtur David ad verba Genesis, ubi similiter, saltem longe probabilius, de cœlo aereo seu atmosphæra nostra sermo est : *Fecit Deus firmamentum, divisitque aquas quæ erant sub firmamento, ab his quæ erant super firmamentum* (Gen. I, 7). — Prior tamen interpretatio nequaquam probabilitate

(1) Cf. *Confess.* lib. 13, cap. 32.

subjectiva caret. Admitti enim omnino potest, Davidem putasse, aquas existere super cœlo reservatas ; et significasse sensum hunc, quem Spiritus sanctus corrigere non curaverit, cum esset melius rationi loquendi Hebræorum accommodatus. Porro in hac hypothesi sensus foret hujusmodi : Et aquæ omnes, si quæ in altitudine firmamenti sint, ut nos Hebræi existimamus, laudent nomen Domini.

5. Subjungit rationem cur omnia illa entia Deum laudare debeant : quia videlicet Creator eorum est et conservator omnipotens. *Quia ipse dixit et facta sunt ; ipse mandavit et creata sunt.*

6. *Statuit ea in æternum et in sæculum sæculi...* id est, permanenter constituit creaturas cœlestes, quæ omnes immutabiles sunt, nec in essentia unquam intereunt. Nam angeli immortales sunt ; et ad corpora cœlestia quod spectat, ea non nisi secundum qualitates mutabuntur, sive renovabuntur igne conflagrationis, ut S. Petrus scribit : *Cœli magno impetu transient, elementa vero calore solventur..... novos vero cœlos, et novam terram secundum promissa ipsius exspectamus, in quibus justitia habitat* (II Pet. III, 10, 13). — Hoc enim differunt cœlestia a terrestribus, quod illa nequaquam sicut hæc infima, animalia nempe, plantæ, aliaque corpora sublunaria, vicissitudine aut successioni subjacent. Quemadmodum enim super terram individua omnia sunt successiva, et moriuntur, manentibus tantum speciebus ; ita in cœlestibus omnia simultanea sunt et permanent immutata (1) : imaginem exhibentia vitæ æternæ et immutabilis.

Præceptum posuit, et non præteribit : id est, legem posuit, quæ non erit irrita. Proprietates nimirum ac motus cœlestium corporum ordinavit lege stabili, quæ non violabitur. — Hoc divino statuto non excludi miraculum facile patet : cum miraculum non sit mutatio aut violatio legis naturæ physicæ ; sed tantum derogatio quædam in casu particulari, quam ipse legislatore ab æterno prævidit, et in decreto inclusit.

7. *Laudate Dominum de terra : dracones et omnes abyssi.*

8. *Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum : quæ faciunt verbum ejus.*

9. *Montes et omnes colles : ligna fructifera et omnes cedri.*

(1) Non sensu rigorose scientifico hæc dicuntur, sed vulgari, et quatenus stellæ cœli percipiuntur oculis. Alioquin investigationibus astronomicis compertum est, cœlestia quoque corpora continuis et maximis mutationibus esse obnoxia.

10. *Bestiæ et universa pecora : serpentes et volucres pennatæ.*

Secunda pars : invitat vates creaturas terrestres, illas imprimis quæ ratione sunt destitutæ ; ut tandem ad homines, et quidem ad filios Israel, tanquam ad terminum deveniat.

7. *Laudate Dominum de terra : dracones et omnes abyssi.* — Descendit nunc ad creaturas corruptibiles, atque ad mundum inferiorem. Et quemadmodum omnia superiora revocavit ad cœlum, quæ sedes est angelorum ; sic ad terram, quæ est sedes hominum, omnia inferiora revocare voluit. Enumerationem autem incipit ab iis, quæ sunt in locis terræ declivioribus : nam per *dracones* hic intelliguntur ceti et immanes pisces ; et per abyssos intelliguntur aquarum profunda, præsertim maris, in quibus pisces habitant. — Ab aquarum abysso transit ad aerem, variaque meteora.

8. *Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum : quæ faciunt verbum ejus.* — Nomine ignis intelligitur præcipue ignis fulminum et coruscationum, quæ e nubibus emicant ; deinde etiam elementum igneum generatim, ignis beneficus, qui accenditur ab hominibus in terra, et flamma sua similiter sursum fertur in aera.

Quæ faciunt verbum ejus : nimirum quæ agunt ex mandato ejus semper, etiam tunc, cum malefica vel nociva videntur ; ut cum homo fulmine percellitur, aut grandine vinea, vel procella navis destruitur. Deus enim utitur his rebus ut instrumentis justitiæ aut misericordiæ suæ, ad malos puniendos, vel bonos admonendos ac probandos.

9, 10. *Montes et omnes colles, ligna fructifera et omnes cedri ; bestiæ et universa pecora, serpentes et volucres pennatæ....* Nunc tandem ab aere ad terram revertitur, et enumerat primo partes ipsius eminentiores, *montes et colles* : in quibus subintelliguntur, tum campi patentes et valles, sine quibus montes esse non possunt ; tum metalla, variique thesauri, in montibus reconditi ; tum fontes et flumina, quæ ex montibus profluunt. — Deinde transit ad ea quæ nascuntur e terra, plantas fructiferas et infructiferas ; animantia silvatica et domestica, reptilia et volatilia.... donec deveniat ad creaturas rationales seu homines.

11. *Reges terræ et omnes populi : principes et omnes judices terræ.*

12. *Juvenes et virgines, senes cum junioribus laudent nomen Domini : quia exaltatum est nomen ejus solius.*

13. *Confessio ejus super cœlum et terram : et exaltavit cordu populi sui.*

14. *Hymnus omnibus sanctis ejus : filiis Israel, populo appropinquanti sibi.*

Magnæ invitationis complementum. — Postremo scilicet ad Dei laudem vocat omnes homines, quorum tres differentias enumerat : potestatis, sexus et ætatis. *Reges*, inquit, *et populi*, id est, illi qui imperant, et illi qui parent ; et quoniam qui imperant non sunt ejusdem ordinis omnes, sed alii aliis superiores, addit : *principes*, videlicet supremi, *et omnes judices*, qui a principibus auctoritatem habent. Atque hæc est differentia potestatis. — *Juvenes et virgines*, en differentia sexus ; — *senes cum junioribus*, en differentia ætatis.

Omnes igitur vocat ad laudandum Deum ; et triplicem addit laudandi rationem : 1° excellentiam Dei ; 2° gloriam ejus in cœlo et in terra manifestam ; 3° specialem ejus misericordiam erga populum Israel.

12. *Quia exaltatum est nomen ejus solius* : id est, quia nomen ejus solum excelsum est, neque existit aliud nomen vere sublime et omni laude dignum, nisi nomen Dei, Res enim creatæ quamvis magnæ, si ad magnitudinem Dei comparentur, nihil sunt ; et quidquid magnitudinis et excellentiæ habent, ab illo habent, qui *solus Altissimus* jure nominatur et est.

13. *Confessio ejus super cœlum et terram* : id est, laudis materia, gloria ejus, cœlum implet et terram. — *Et exaltavit cornu populi sui*, id est, auxit mirabiliter potentiam ac gloriam *populi sui* Israel. — Quidam per *cornu populi sui* intelligunt Messiam ; eodem sensu ac in cantico Zachariæ : *Erexit cornu salutis nobis.* At in psalmo non videtur agi de Messia litteraliter, sicut in cantico ; sed tantum mystice et implicite.

14. *Hymnus omnibus sanctis ejus : filiis Israel, populo appropinquanti sibi.* — Conclusio psalmi, qua revertitur ad exhortationem, quasi dicat : Igitur hymnus Deo canendus præcipue convenit omnibus sanctis ejus : id est omnibus Deo dicatis et consecratis : videlicet filiis Israel, qui populus est præ cæteris sanctus, Deoque ipsi per veram ejus cognitionem et fidem, verumque cultum et dilectionem appropinquans. Rectissime autem admonet sanctus Augustinus, hæc non tam dici de filiis Israel secundum carnem, quam de filiis Israel secundum spiritum ; siquidem filii Israel secundum carnem, dura cervice cum essent, Deo non nisi valde imperfecte appropinquabant.

Sensus liturgicus.

Psalmum *Laudate Dominum de cœlis*, sicut et duos sequentes, merito, ut patet, Ecclesia in Laudibus recitat. Scilicet postquam in psalmo LXVI, *Deus misereatur nostri*, mysterium Incarnatio-

nis consideravit, quæ summa est et culmen omnium mirabilium Dei ac beneficiorum ejus erga homines ; postquam, ut ita dicam Ecclesia ad Regem Sponsum suum pervenit ejus velut amplexui inhærens, totam se in laudes ac benedictiones effundit, per tres psalmos quibus coronidem Laudibus imponit.

Itaque in psalmo *Laudate Dominum de cœlis*, divino amore flagrans Ecclesia, creaturas universas, imprimis tamen angelos et sanctos filios suos, qui jam in cœlis sunt, appellat, ut secum laudent ineffabilem illam magnitudinem ac misericordiam ; quippe quæ nunquam satis laudari possint, et cui a creaturarum universitate velut concentus laudationis perpetuæ debeatur.

Laudate, inquit, *Dominum* vestrum, creaturæ cœlestes : vos imprimis , angeli, innumerabilesque exercitus angelorum , omnesque sancti et electi, qui cum angelis in cœlo semper intuemini faciem Patris ; laudate Deum , non tantum hymnos concinendo, sed etiam homines vestris exemplis vestrisque orationibus adjuvando, ut sicut vos in cœlo, ita et ipsi Deum laudent, Deoque serviant in terra.

Laudate eum sol et luna, et stellæ et lumen... annuntiando Dei majestatem, potentiam, sapientiam ac bonitatem... exhibendo hominibus imaginem ac figuram Christi, B. Virginis et omnium Sanctorum ; nec non Capitis Ecclesiæ ejusque corporis et filiorum, qui lucere debent *sicut luminaria in mundo, in medio nationis pravæ atque perversæ.* Phil. II, 15.

Laudate eum cœli cœlorum, cœlum supremum , domus Dei magnifica, quæ nobis sanctissimas portas tuas ostendis , ut intremus ... Laudate eum *aquæ omnes cœlestes* , imaginem exhibentes aquarum gratiæ Dei, et aquarum pœnitentiæ nostræ : quibus mundandæ sunt animæ, ut in cœlum admit mereantur...

Laudate eum, *quoniam ipse dixit et facta sunt...* ipse, verbo potentiæ, verbo misericordiæ omnia creans, omnia renovans , omnia destinans atque elevans per suam gratiam ad vitam æternam... quam vitam æternam suo tempore, prout promisit, infallibiter dabit : *Statuit ea in æternum, et in sæculum sæculi : præceptum posuit et non præteribit.*

Laudate Dominum de terra, abyssi maris, et immanes ceti, non tantum Dei potentiam ac providentiam ostendentes ; sed etiam imaginem exhibentes fœditatis peccati... et abyssorum Dei : i. e. abyssalis justitiæ, sapientiæ ac misericordiæ Dei....

Ignis, grando, nix... Vos fulmina, grandines, aliaque flagella, laudate Dominum terrendo peccatores, probando justos ; — vos montes et plantæ , docendo nos fidem ac fiduciam firmissimam, charitatem ac fecunditatem bonorum operum ; — vos

bestiæ, reptilia, volatilia, docendo nos vitia fugere, virtutesque exercere quarum symbolum exhibetis....

Reges terræ et omnis populi... Vos autem, filii hominum omnes, sive principes sive privati, sive viri sive feminæ, sive senes sive adolescentes : laudate nomen Domini, illudque solum celebrate. Solus enim laudabilis est Dominus, tum propter se, tum propter opera sua sanctissima, in universo mundo splendentia ; tum speciatim propter misericordiam suam ineffabilem erga populum electum et Ecclesiam sanctam suam : *Quia exaltatum est nomen ejus solius... et exaltavit cornu populi sui.*

Quare vos, Ecclesiæ filii, peculiari modo Dominum laudate. Universum quidem hominum genus habet cur Deum laudet : quoniam in ipso vivit, movetur, existit ; sed ii præsertim qui Deo sunt proximi, sanctificati, dedicati, hymnos Deo canere debent, ita vivendo, ut tota eorum vita Deo velut hymnus fiat ac suavissimus concentus : *Hymnus omnibus sanctis ejus, filiis Israel, populo appropinquanti sibi.*

—

PSALMUS CXLIX.

Cantate Domino canticum novum, laus ejus.

1. Cantate Domino canticum novum : laus ejus in ecclesia sanctorum.

1. Cantate Domino canticum novum : laus ejus digne resonet in cœtu sanctorum.

2. Lætetur Israel in eo qui fecit eum : et filii Sion exultent in rege suo.

2. Lætetur populus Israel in eo qui constituit eum ; et filii Sion exultent in divino Rege suo.

3. Laudent nomen ejus in choro : in tympano et psalterio psallant ei.

3. Laudent nomen ejus vocibus concinentes, et tympanum atque psalterium manibus pulsantes.

4. Quia beneplacitum est Domino in populo suo : et exaltabit mansuetos in salutem.

4. Quia singulariter dilexit Dominus populum suum, subditosque humiles exaltabit ad culmen æternæ salutis.

5. Exultabunt sancti in gloria : lætabuntur in cubilibus suis.

5. Ibi exultabunt Sancti ejus in gloria, lætabuntur in loco pacis et quietis æternæ.

6. Exaltationes Dei in gutture eorum : et gladii ancipites in manibus eorum.

6. Ibi laudes Dei in gutture eorum ; simulque gladii ancipites in manibus eorum.

7. Ad faciendam vindictam in nationibus : increpationes in populis.

7. Ut in die novissimo vindictam sumant de universa impiorum multitudine, eisque exprobrent iniquitates suas ;

8. Ad alligandos reges eorum in compedibus : et nobiles eorum in manicis ferreis.

8. Utque alligent reges eorum compedibus, et principes eorum manicis ferreis (conjiciantque in tenebras exteriores).

9. Ut faciant in eis judicium conscriptum : gloria hæc est omnibus sanctis ejus.

9. Et sic peragant illud universale judicium, a Deo præscriptum ac statutum. Quæ gloria judiciaria erit omnibus sanctis Dei.

—

Explicatio.

Argumentum. — Psalmus est adhortatio ad populum christianum, ut novo carmine, singularique modo Deum celebret ; utpote præ cæteris gentibus Deo obstrictus, ob sibi promissam æternam gloriam, et magnificum de hostibus suis triumphum. — Hunc sensum, de populo scilicet christiano, omnes admittunt saltem ut mysticum, et sub allegoria populi judaici, de hostibus suis triumphantis, propositum ; Bellarminus vero eumdem merito litteralem esse opinatur, quam et nos sententiam sequemur.

I. *Singularis laudatio præstanda Deo a sanctis*
II. *Singularis gloria reservata sanctis a Deo.*

—

1. *Cantate Domino canticum novum : laus ejus in ecclesia sanctorum.*

2. *Lætetur Israel in eo qui fecit eum : et filii Sion exultent in rege suo.*

3. *Laudent nomen ejus in choro : in tympano et psalterio psallant ei.*

Eos hic alloquitur David, quos in fine psalmi superioris nominavit, dicens : *Hymnus omnibus sanctis ejus... populo appropinquanti sibi ;* quasi dicat : O vos sancti, filii Israelis novi, qui populus estis Deo propinquans, cantate Domino canticum novum.

Canticum novum, id est, 1° canticum novi artificii, adeoque exquisitum et excellentius. — Vel melius, 2° canticum *novum*, tum ratione novi argumenti, quod est beneficium redemptionis ; tum ratione novi populi, novique cultus a Redemptore Christo instituti. Opponitur autem implicite canticum illud novum cantico veteri, quod erat proprium veteri Testamento ; vel quod ratione tantum creationis concinendum

est a reliquis creaturis, quæ non sunt per Christum renovatæ sicut homo christianus : *In Christo enim Jesu .. nova creatura.* Gal. VI, 15.

Laus ejus in Ecclesia sanctorum : explicatio hemistichii præcedentis, quasi dicat : Cantetur canticum novum, ut laus Deo digna resonet in congregatione sanctorum, quæ est Ecclesia Christi.

2. *Lætetur Israel in eo qui fecit eum....* De Israele novo præsertim sermo est, qui cum amore et gaudio laudare debet Deum, tanquam conditorem suum. Est autem Deus conditor Israelis peculiari ratione, quippe qui non solum secundum naturam, sed etiam secundum gratiam creavit eum ; et sic fecit, non solum ut esset atque existeret ; verum etiam ut esset *Israel*, populus scilicet electus, et constitutus sub Rege Christo. Hinc patet, repetitionem esse prioris istud hemistichion, quod sequitur : *Et filii Sion exultent in rege suo.*

In hebræo dicitur numero multitudinis : *Lætetur Israel in factoribus suis* ; non secus ac in Genesi : *Faciamus hominem ad imaginem et simulitudinem nostram* (Gen. I, 26) ; quod Sanctissimæ Trinitatis mysterium insinuat.

3. *Laudent nomen ejus in choro : in tympano et psalterio psallant ei.* — Ad voces suas adjungant, inquit, instrumenta musica : quo tropologice significatur, hymnos non solum lingua, sed etiam manu, id est vita et moribus esse cantandos. — *Chorus* in sensu psalmi est concentus vocalis, vel genus instrumenti ; *tympanum* est instrumentum percussionis ; *psalterium* denique est cithara decem chordis intenta.

Organa musica Judæis ad Dei laudem usitata, significant, ex mente sancti Chrysostomi, utendum esse ad glorificandum Deum omnibus viribus ac membris. — Insuper concentus musicus, ab Ecclesia in publico cultu adoptatus, symbolum est harmoniæ christianæ, unitatis fidei et charitatis, per quam perfecta consensione et concordia animi inter se et cum Deo conjunguntur.

4. *Quia beneplacitum est Domino in populo suo : et exaltabit mansuetos in salutem.*

5. *Exultabunt sancti in gloria : lætabuntur in cubilibus suis.*

Incipit *secunda pars* : motivum singularis laudis, parata nempe sanctis eximia gloria.

Quia beneplacitum est Domino.... id est, quia complacuit sibi Dominus in populo suo : scilicet singulariter ipsum amat et beneficiis cumulat, atque exaltabit usque ad culmen excellentiæ, quæ est æterna salus. — Exaltabit autem sic *mansue-*

tos : i. e. humiles, mites, patientes instar Christi, exemplaris sui : *Exaltabit mansuetos in salutem.*

5. *Exultabunt sancti in gloria : lætabuntur in cubilibus suis.* Hinc describere incipit futuram illam sanctorum gloriam, quæ in præfata salute continetur. *In gloria, in cubilibus suis...* i e. in mansionibus perfectæ quietis ac pacis, quas in gloriosa domo Dei occupabunt, secundum illud : *In domo Patris mei mansiones multæ sunt* (Joan. XIV, 2). — Erunt, inquit Bellarminus, in cubilibus, ut quiescant, non ut dormiant ; requiescent autem a laboribus, nunquam vero a gaudiis aut a Dei laudibus. Ideo additur : *Exaltationes Dei in gutture eorum.*

6. *Exaltationes Dei in gutture eorum : et gladii ancipites in manibus eorum.*

7. *Ad faciendam vindictam in nationibus : increpationes in populis.*

8. *Ad alligandos reges eorum in compedibus : et nobiles eorum in manicis ferreis.*

9. *Ut faciant in eis judicium conscriptum : gloria hæc est omnibus sanctis ejus.*

Explicat Sanctorum gloriam, quatenus universo mundo spectabilis apparebit in die judicii.

Gladii ancipites in manibus eorum. — Gladii *ancipites*, id est, ex utraque parte acuti et secantes, ponuntur, 1° tanquam symbolum justitiæ vindicativæ, supremæ et ineluctabilis ; adeoque designant potestatem judiciariam, quam Sancti in novissimo die, una cum Christo exercebunt. Licet enim proprie Apostoli et apostolici viri sint judicaturi, tanquam senatores et assessores Judicis, secundum illud : *Quum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes* (Matth. XIX, 28) ; omnes tamen Sancti judicabunt et condemnabunt, tam dæmones quam homines impios, per approbationem sententiæ. *Nescitis quia sancti de hoc mundo judicabunt?* I Cor, VI, 2.

2° *Gladii ancipites* designant verbum Dei, quo justi in hoc sæculo semper armati, vindicant Dei justitiam per pœnitentiam de peccatis ; simulque vincunt inimicos, per victoriam de tentationibus.

3° *Gladii ancipites* designant gladium verbi Dei, quo viri apostolici semper pugnantes, resecant errores mentium et vitia cordium.

7. *Ad faciendam vindictam in nationibus : increpationes in populis.* — Explicatur effectus gladii, seu judiciariæ potestatis Sanctorum : hac utentur, ut in die judicii vindictam sumant de

hostibus Dei et Christi ; ut eis exprobrent iniquitates suas, eis injiciant vincula æterna, et sic judicium exerceant.

8 Illud : *Ad alligandos reges*, egregie consonat cum isto loco Evangelii : *Tunc dixit rex ministris : Ligatis manibus et pedibus ejus, mittite eum in tenebras exteriores : ibi erit fletus et stridor dentium*. Matth. XXII, 13.

9. *Ut faciant in eis judicium conscriptum* : id est, 1° ut faciant magnum illud et universale Judicium, jam olim a Deo præscriptum, decretum, et quasi in columna, inquit Chrysostomus, incisum, ut mutari non possit. — Vel 2° *judicium conscriptum*, id est, scriptum in lege et prophetis ; imo vero, juxta Genebrardum, prædictum ab Enoch olim ante diluvium. Videtur enim David istud ab eo vaticinio repetere, de quo et sanctus Judas in canonica Epistola : *Prophetavit autem et de his septimus ab Adam Enoch, dicens : Ecce venit Dominus in sanctis millibus suis, facere judicium contra omnes, et arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum*. Jud. 14.

Gloria hæc est omnibus sanctis ejus : id est, vel 1° *gloria hæc* judicandi cum Christo mundum et principes ejus, dabitur omnibus justis : primario quidem viris apostolicis ; secundario vero, etiam reliquis electis, quatenus sententiam judicis approbabunt, et ipsa sua sanctitate impios condamnabunt. Vel 2°, *hæc*, nempe hoc judicium, hic dies judicii, *erit omnibus sanctis gloriæ et decori*.

Sensus liturgicus.

In psalmo *Cantate Domino*, pergit Ecclesia universum mundum ad laudandum Deum provocare ; et speciali modo filios suos sanctos alloquens, hortatur et inflammat, ut propter singularia beneficia singulari cantico Dominum celebrent.

Cantate, inquit, *canticum novum* : canticum nempe in terra olim inauditum, quodque de cœlo descendit cum Salvatore Deo, cumque angelis Salvatorem natum celebrantibus. Hi namque dignam Dei laudem, dignumque canticum nos docuerunt : canticum nempe humilitatis et charitatis...

Cantate canticum semper *novum*, instar solis qui quotidie novus exoritur : ut similiter novum in dies fervorem spiret, ad beneficia Dei quotidie nova, novo quotidie amore celebranda.

Hæc laus Deo digna resonet perpetuo in Ecclesia sanctorum.

Lætetur Israel, populus Dei, filii Sion inclyti, filii Dei, lætentur in thesauro suo, in fonte bonorum omnium quem possident, in Christo Jesu, Rege suo... Lætentur semper in Domino, quæcumque occurrat vicissitudo, quæcumque tribulatio : quoniam omne remedium omneque solatium in ipso possident.

Laudent nomen ejus, non cantico tantum, sed etiam *tympano et psalterio*, voce nempe et opere ; ita ut omnia in divinam laudem ac gloriam convertant, et prosperis æque ac adversis Deum glorificent : *Diligentibus enim Deum omnia cooperantur in bonum* (Rom. VIII, 28). — *Sive manducatis sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite* (I Cor. X, 3). — Laudent autem in choro, omnes conjunctim, in unione, in harmonia charitatis.

Quia beneplacitum est Domino in populo suo, ineffabili amore, ineffabili misericordia nos vocans, nos exercens, nos adjuvans : ut secundum exemplum Regis nostri Christi, efficiamur mansueti, patientes, humiles, parvuli, et sic mereamur *exaltari in salutem* et gloriam regni ejus.

O quanta erit illa gloria, quanta exultatio sanctorum, post humiliationes hujus vitæ ! *Exultabunt sancti in gloria*... Non tantum misericordias Domini in æternum cantabunt ; sed ipsius potestatis ac triumphi participes, cum ipso in extremo judicio sedebunt.

Et quoniam in terra, in tempore fidei ac gratiæ, constanter tenuerunt gladium ancipitem verbi Dei ; idcirco in die gloriæ, tenebunt gladium ancipitem justitiæ Dei, simul puniendo impios et vindicando ac collaudando justos.

Gloria hæc est omnibus et solis sanctis ejus. Cantetur ergo *Domino canticum novum, laus ejus in Ecclesia sanctorum*.

—

PSALMUS CL.

Laudate Dominum in sanctis ejus.

1. Laudate Dominum in sanctis ejus : laudate eum in firmamento virtutis ejus.	1. Laudate Dominum in sanctuario suo superno : Dominum, in firmissimo cœlorum throno residentem.
2. Laudate eum in virtutibus ejus : laudate eum secundum multitudinem magnitudinis ejus.	2. Laudate eum ob eximiam potentiam, ob infinitam magnitudinem ejus.
3. Laudate eum in sono tubæ : laudate eum in psalterio et cithara.	3. Laudate eum clangore tubæ, pulsu psalterii et citharæ.
4. Laudate eum in tympano et choro : laudate eum in chordis et organo.	4. Laudate eum consonante tympano et choro, fidibus et organo.

5. Laudate eum in cymbalis bene sonantibus : laudate eum in cymbalis jubilationis : omnis spiritus laudet Dominum.

5. Laudate eum cymbalis, sonitum edentibus magnum, sonitum jubilationis : omnis anima laudet Dominum.

—

Explicatio.

Argumentum. — Invitat propheta populum Dei, ut laudent Dominum cum omnibus musicis intrumentis, atque hoc modo demonstrent ardentissimum affectum suum.

I. *Laudanda Dei majestas in throno cælorum.*
II. *Laus ejus celebranda omni genere instrumentorum.*

—

1. *Laudate Dominum in sanctis ejus : laudate eum in firmamento virtutis ejus.*
2. *Laudate eum in virtutibus ejus : laudate eum secundum multitudinem magnitudinis ejus.*

Quod dicit : *Laudate Dominum in sanctis ejus...* id est, laudate Dominum in sanctuario suo cœlesti habitantem. — *Sancta*, seu sanctuarium intelligi, non terrestre, quod erat in Tabernaculo fœderis ; sed cœleste, quod per illud figurabatur, ex eo patet quod additur : *In firmamento virtutis ejus*, id est, in cœlo, firmissima ejus domo, ubi virtus ejus, omnisque gloria refulget. — Dicendo autem *laudate*, alloquitur non tam angelos et beatos paradisi, quam sanctos Ecclesiæ militantis, sicut in psalmo præcedenti. Peculiari tamen modo invitare videtur ministros sanctuarii, sacerdotes et levitas, qui instrumentis musicis divinum cultum celebrabant.

3. *Laudate eum in virtutibus ejus* : id est, propter *virtutes*, seu omnigenam potentiam quam possidet, et quam exercuit ; seu, propter magna et mirabilia opera quæ fecit. — Alio itaque sensu vox *virtutes* hic usurpatur, ac initio psalmi superioris *Laudate Dominum de cœlis*, ubi *virtutes Dei* significant exercitus angelorum.

Laudate eum secundum multitudinem magnitudinis ejus : id est, propter eximiam magnitudinem ejus. Insinuat autem, proportionem quamdam requiri inter laudum magnificentiam, et majestatem Dei.

3. *Laudate eum in sono tubæ : laudate eum in psalterio et cithara.*

4. *Laudate eum in tympano et choro : laudate eum in chordis et organo.*

5. *Laudate eum in cymbalis bene sonantibus, laudate eum in cymbalis jubilationis : omnis spiritus laudet Dominum.*

Secunda pars, laudandus Deus omni genere instrumentorum. — Etsi pleraque instrumenta hic enumerata, non amplius nisi conjectura cognoscimus, tria tamen genera sicut hodiedum distinguimus : nimirum instrumenta vel tactu, vel flatu, vel percussione sonantia.

De *tympano*, *psalterio* et *choro* in præcedenti psalmo jam dictum est (1).

Tuba erat buccina, sive metallica sive cornea, ut indicatur alibi : *In tubis ductilibus et voce tubæ corneæ*. Ps. XCVII.

Cithara erat, psalterium, plectro vel digitis pulsanda.

Organum inflatione sonabat ; eratque forte fistula, vel instrumentum pluribus fistulis constans.

Cymbalum instrumentum designat percussione tinniens. — Cymbala *bene sonantia*, id est, vehementer sonantia. — Cymbala *jubilationis*, id est, magnum lætumque sonum reddentia ; vel ad jubilandum excitantia.

Omnes spiritus laudet Dominum : id est, vel 1° omne id quod spirat ac vivit ; vel 2° omnis mens, omnis spiritualis substantia, omnis anima rationis particeps. Dei laudes celebret. — Sunt qui putant, hoc verbo *spiritus* prophetam spirituales cordis affectus præcipue respexisse, quasi diceret : Quicumque spirituales estis et secundum spiritum vivitis, laudate Dominum.

Sensus liturgicus.

Psalmo ultimo *ad Laudes*, sermonem suum Ecclesia complet et concludit, hortando Dei servos, ut Dominum laudare conentur tantum quantum dignus est : *Laudate Dominum in sanctis ejus... secundum multitudinem magnitudinis ejus*; adeoque ut omnia adhibeant instrumenta, omnes intendant vires, animæque potentias ad digne colendum Dominum immensæ majestatis. Quo sensu in prosa de Ven. Sacramento cantat Ecclesia : *Quantum potes, tantum aude : quia major omni laude, nec laudare sufficis.*

Itaque varia enumerat instrumenta musica, ut splendorem ac pompam commendet cultus externi : et multo magis, ut doceat cultum internum perfectum, qui externa illa harmonia

(1) Ad vers. 3, pag. 438.

figuratur. Nam varietas instrumentorum varietatem designat, tum virtutum, tum virium, sensuum, ac membrorum nostrorum, quibus Deum colere eique servire debemus.

Tria instrumentorum genera, quæ vel tactu, vel flatu, vel percussione sonant, Deum colendum esse indicant corde, voce et opere. Cithara enim, quæ chordarum vibratione veluti vita ac sensu prædita videtur, et, præ cæteris instrumentis, exprimendis affectibus inservit, symbolum est cordis atque amoris. Psalterium vero decem chordarum, figurat amorem illum perfectum, qui decem mandatorum observationem includit. — Similiter tuba, symbolum est vocis, tympanum operationis, quæ exercitium requirit externarum virium.

Harmonia et concentus musicus insuper figurat unionem et concordiam charitatis, obedientiæ, et consensus conformitatisque perfectæ cum voluntate divina.

Omnibus ergo organis, omnibus modis, omniumque hymnorum concentu, ab intellectualibus creaturis laudandus est Deus : *Omnis spiritus laudet Dominum.* Omnis nempe anima omnibus suis potentiis Domini laudes celebret.

INDEX.

SERIES III.

PSALMI SELECTI.

(*Ordine numerico.*)

PSALM. I. *Beatus vir, qui non abiit* (textus et paraphrasis) 1

Explicatio. 2

Sensus liturgicus 5

II. *Quare fremuerunt gentes.* 6

Explicatio. 7

Sensus liturgicus 12

III. *Domine, quid multiplicati sunt* . . . 13

Explicatio prima 14

Explicatio secunda. 16

Sensus liturgicus 18

IV. *Cum invocarem* 18

Explicatio. 19

Sensus liturgicus 24

V. *Verba mea auribus percipe* 26

Explicatio prima 27

Explicatio secunda. 31

Sensus liturgicus 32

VI. *Domine, ne in furore tuo... miserere* . . 33

Explicatio 34

Sensus liturgicus 37

VII. *Domine, Deus meus, in te speravi* . . . 38

Explicatio 40

Sensus liturgicus 44

Ps. VIII. *Domine Dominus noster* 45
Explicatio prima 46
Explicatio secunda. 49
Explicatio tertia 50
Sensus liturgicus 52
X. *In Domino confido* 53
Explicatio 54
Sensus liturgicus 57
XIV. *Domine, quis habitabit* 57
Explicatio 58
Sensus liturgicus 61
XV. *Conserva me, Domine* 61
Explicatio 63
Sensus liturgicus 67
XVIII. *Cœli enarrant* 68
Explicatio 70
Sensus liturgicus 77
XX. *Domine, in virtute tua* 78
Explicatio 79
Sensus liturgicus 83
XXII. *Dominus regit me* 84
Explicatio 85
Sensus liturgicus 88
XXIII. *Domini est terra* 89
Explicatio. 90
Sensus liturgicus 94
XXIV. *Ad te, Domine, levavi* 95
Explicatio 97
Sensus liturgicus 102
XXVI. *Dominus illuminatio mea* . . . 103
Explicatio 105
Sensus liturgicus 109
XXX. *In te, Domine, speravi* 111
Explicatio prima . . . . . *ib.*
Explicatio secunda 113
Sensus liturgicus 114
XXXII. *Exultate, justi, in Domino* . . . 114
Explicatio 116
Sensus liturgicus 121

Ps. XXXIII. *Benedicam Dominum in omni tempore* . 121
Explicatio 123
Sensus liturgicus 128
XXXIX. *Exspectans exspectavi Dominum* . . 129
Explicatio 131
Sensus liturgicus 137
XL. *Beatus qui intelligit* 138
Explicatio 139
Sensus liturgicus 143
XLI. *Quemadmodum desiderat* 144
Explicatio 145
Sensus liturgicus 150
XLII. *Judica me, Deus* 150
Explicatio 151
Sensus liturgicus 154
XLIV. *Eructavit cor meum verbum bonum* . . 156
Explicatio 157
Sensus liturgicus 169
XLV. *Deus noster refugium et virtus* . . 170
Explicatio 171
Sensus liturgicus 174
XLVI. *Omnes gentes, plaudite manibus* . . 175
Explicatio 176
Sensus liturgicus 179
XLVII. *Magnus Dominus et laudabilis nimis* . 179
Explicatio 181
Sensus liturgicus 185
L. *Miserere mei, Deus, secundum* . . . 186
Explicatio 188
Sensus liturgicus 196
LIII. *Deus, in nomine tuo* 197
Explicatio 198
Sensus liturgicus 200
LX. *Exaudi, Deus, deprecationem meam* . 201
Explicatio 202
Sensus liturgicus 204
LXII. *Deus, Deus meus, ad te de luce* . . 205
Explicatio 206
Sensus liturgicus 210

Ps. LXIII. *Exaudi, Deus, orationem meam cum deprecor* 210
Explicatio 212
Sensus liturgicus 215
LXIV. *Te decet hymnus* 216
Explicatio. 217
Sensus liturgicus 221
LXVI. *Deus misereatur nostri* 222
Explicatio 222
Sensus liturgicus 226
LXXIV. *Confitebimur tibi, Deus*. 226
Explicatio. 227
Sensus liturgicus 230
LXXXIII. *Quam dilecta* 231
Explicatio 232
Sensus liturgicus 236
LXXXVI. *Fundamenta ejus* 237
Explicatio 238
Sensus liturgicus 242
LXXXVII. *Domine Deus salutis meæ*. 245
Explicatio 244
Sensus liturgicus 250
XC. *Qui habitat in adjutorio Altissimi* . . . 250
Explicatio 252
Sensus liturgicus 259
XCII. *Dominus regnavit decorem indutus est* . 260
Explicatio prima 261
Explicatio secunda 264
Sensus liturgicus 265
XCIV. *Venite, exultemus Domino* 266
Explicatio 268
Sensus liturgicus 272
XCV. *Cantate Domino canticum novum, cantate* . 274
Explicatio 275
Sensus liturgicus 279
XCVI. *Dominus regnavit, exultet terra* . . . 281
Explicatio 282
Sensus liturgicus 286

Ps. XCVII. *Cantate Domino canticum novum, quia* . 287
Explicatio 288
Sensus liturgicus 291
XCVIII. *Dominus regnavit, irascantur populi* . 292
Explicatio 293
Sensus liturgicus 297
XCIX. *Jubilate Deo omnis terra, servite* . . 297
Explicatio 298
Sensus liturgicus 300
CIX. *Dixit Dominus.* 300
Explicatio 301
Sensus liturgicus 307
CX. *Confitebor... in consilio justorum* . . 309
Explicatio 310
Sensus liturgicus 314
CXI. *Beatis vir qui timet Dominum.* . . 315
Explicatio 316
Sensus liturgicus 319
CXII. *Laudate pueri.* 321
Explicatio 322
Sensus liturgicus 325
CXIV. *Dilexi, quoniam exaudiet Dominus.* . 326
Explicatio 327
Sensus liturgicus 330
CXV. *Credidi, propter quod locutus sum* . . 330
Explicatio 331
Sensus liturgicus 336
CXVI. *Laudate Dominum, omnes gentes* . . 336
Epxlicatio. 337
Sensus liturgicus 338
CXVIII. *Beati immaculati in via* 338
Explicatio 355
Adnotationes generales 356
Adnotationes particulares . . . 359
Ad Primam. *Beati immaculati* . 339 et 359
Ad Tertiam. *Legem pone* . . 342 et 361
Ad Sextam. *Defecit in salutare* . 346 et 364
Ad Nonam. *Mirabilia* . . . 351 et 367
Sensus liturgicus 371

Ps. CXIX. *Ad Dominum, eum tribularer, clamavi* . 372
Explicatio 372
Sensus liturgicus 375
CXX. *Levavi oculos meos* 376
Explicatio 377
Sensus liturgicus 379
CXXI. *Lætatus sum* 379
Explicatio 380
Sensus liturgicus 384
CXXV. *In convertendo* 385
Explicatio 385
Sensus liturgicus 388
CXXVI. *Nisi Dominus* 388
Explicatio 389
Sensus liturgicus 393
CXXIX. *De profundis* 393
Explicatio 394
Sensus liturgicus 396
CXXXI. *Memento, Domine, David.* . . . 397
Explicatio 398
Sensus liturgicus 405
CXXXIII. *Ecce nunc benedicite Dominum* . . 405
Explicatio 406
Sensus liturgicus 408
CXXXVII. *Confitebor... quoniam audisti* . . . 409
Explicatio 410
Sensus liturgicus 413
CXXXVIII. *Domine, probasti me.* 414
Explicatio 417
Sensus liturgicus 423
CXLVII. *Lauda, Jerusalem, Dominum* . . . 423
Explicatio 424
Sensus liturgicus 427
CXLVIII. *Laudate Dominum de cœlis* . . . 428
Explicatio 429
Sensus liturgicus 434
CXLIX. *Cantate Domino canticum novum, laus ejus.* 436
Explicatio 437
Sensus liturgicus 440
CL. *Laudate Dominum in sanctis ejus* . . 441
Explicatio 442
Sensus liturgicus 443

Ordo Psalmorum alphabeticus.

Ad Dominum, cum tribularer, clamavi. CXIX 372
Ad te, Domine, levavi. XXIV 93
Beati immaculati in via. CXVIII 338
Beatus qui intelligit. XL 138
Beatus vir qui non abiit. I 1
Beatus vir qui timet Dominum. CXI. 315
Benedicam Dominum in omni tempore. XXXIII. 121
Cantate Domino canticum novum, cantate. XCV 274
Cantate Domino canticum novum, laus ejus. CXLIX. . . . 436
Cantate Domino canticum novum, quia mirabilia. XCVII . . . 287
Cœli enarrant. XVIII 68
Confitebimur tibi, Deus. LXXIV 226
Confitebor... in consilio CX . , ... 309
Confitebor... quoniam audisti. CXXXVII 409
Conserva me, Domine. XV 61
Credidi. CXV 330
Cum invocarem. IV 18
De profundis. CXXIX 393
Deus, Deus meus, ad te. LXII 205
Deus, in nomine tuo. LIII 197
Deus misereatur nostri. LXVI 222
Deus noster refugium. XLV 170
Dilexi, quoniam exaudiet. CXIV 326
Dixit Dominus. CIX 300
Domine, Deus meus, in te speravi. VII 38
Domine, Deus salutis meæ. LXXXVII 243
Domine Dominus noster. VIII 45
Domine, in virtute tua. XX 78
Domine, ne in furore tuo... miserere. VI 33
Domine, probasti me. CXXXVIII 414
Domine, quid multiplicati sunt. III 13
Domine, quis habitabit. XIV 57
Domini est terra. XXIII 89
Dominus illuminatio mea. XXVI 103
Dominus regit me. XXII 84
Dominus regnavit, decorem indutus est. XCII. 260
Dominus regnavit, exultet terra. XCVI 281
Dominus regnavit, irascantur populi. XCVIII 292
Ecce nunc benedicite Dominum. CXXXIII. 405
Eructavit cor meum verbum bonum. XLIV 156
Exaudi, Deus, deprecationem meam. LX 201
Exaudi, Deus, orationem meam cum deprecor. LXIII. . . . 210
Exspectans exspectavi Dominum. XXXIX 129
Exultate, justi, in Domino. XXXII 114
Fundamenta ejus in montibus sanctis. LXXXVI 237
In convertendo. CXXV 385
In Domino confido. X 53
In te, Domine, speravi... inclina. XXX 111
Jubilate Deo omnis terra, servite. XCIX 297
Judica me, Deus. XLII 150
Lætatus sum. CXXI 379
Lauda, Jerusalem. CXLVII . . . - 423
Laudate Dominum de cœlis. CXLVIII 428
Laudate Dominum in sanctis ejus. CL 441

Laudate Dominum, omnes gentes. CXVI 336
Laudate, pueri, Dominum. CXII 321
Levavi oculos meos. CXX. 376
Magnus Dominus et laudabilis nimis. XLVII 179
Memento, Domine, David. CXXXI 397
Miserere mei, Deus, secundum. L 186
Nisi Dominus CXXVI 388
Omnes gentes, plaudite manibus. XLVI 175
Quam dilecta tabernacula tua. LXXXIII 231
Quare fremuerunt gentes. II 6
Quemadmodum desiderat cervus. XLI 144
Qui habitat in adjutorio Altissimi. XC 250
Te decet hymnus. LXIV 216
Venite, exultemus Domino. XCIV 266
Verba mea auribus percipe. V. 26

Ordo Psalmorum liturgicus.

In officio Apostolorum.

AD PRIMAS VESPERAS.

CIX. Dixit Dominus 300
CX. Confitebor tibi, Domine... in consilio justorum. . . 309
CXI. Beatus vir qui timet Dominum. 315
CXII. Laudate, pueri, Dominum. 321
CXVI. Laudate Dominum, omnes gentes 336

AD MATUTINUM.

XCIV. Venite, exultemus Domino (1) 266
XVIII. Cœli enarrant gloriam Dei 68
XXXIII. Benedicam Dominum in omni tempore 121
XLIV. Eructavit cor meum verbum bonum. 156
XLVI Omnes gentes, plaudite manibus 175
LX. Exaudi, Deus, deprecationem meam. 201
LXIII. Exaudi, Deus, orationem meam cum deprecor. . . 210
LXXIV. Confitebimur tibi, Deus 226
XCVI. Dominus regnavit, exultet terra 281
XCVIII. Dominus regnavit, irascantur populi 292

AD LAUDES.

XCII. Dominus regnavit, decorem indutus est 260
XCIX. Jubilate Deo omnis terra, servite 297
LXII. Deus, Deus meus, ad te 205
LXVI. Deus misereatur nostri 222
CXLVIII. Laudate Dominum de cœlis 428
CXLIX. Cantate Domino canticum novum, laus ejus . . . 436
CL. Laudate Dominum in sanctis ejus 441

(1) Idem psalmus ponitur in omnibus officiis, ad *Invitatorium.*

AD PRIMAM.

LIII. Deus, in nomine tuo 197
CXVIII. Beati immaculati . . . . . . 339 et 359
» Retribue servo tuo. . . . . . 340 et 360

AD TERTIAM.

» Legem pone mihi . . . . 342 et 361
» Memor esto verbi tui . . . . . . 343 et 362
» Bonitatem fecisti . . . . 344 et 363

AD SEXTAM.

» Defecit in salutare tuum. . . . . 346 et 364
» Quomodo dilexi legem tuam . . . . 348 et 364
» Iniquos odio habui. . . . . . . 349 et 365

AD NONAM.

» Mirabilia testimonia tua. . . . . 351 et 367
» Clamavi in toto corde meo . . . . 352 et 369
» Principes persecuti sunt me . . . . 354 et 370

AD SECUNDAS VESPERAS.

CIX. Dixit Dominus 300
CXII. Laudate pueri 321
CXV. Credidi 330
CXXV. In convertendo 385
CXXXVIII. Domine, probasti me 414

AD COMPLETORIUM.

IV. Cum invocarem 18
XXX. In te, Domine, speravi 111
XC. Qui habitat 250
CXXXIII. Ecce nunc benedicite Dominum (1). 405

In officio SS. Martyrum.

AD UTRASQUE VESPERAS.

Psalmi ut supra, ad primas Vesperas Apostolorum : nisi quod ad secundas Vesperas Martyrum, loco ultimi ponitur :

CXV. Credidi 330

(1) Psalmi *ad Completorium*, nec non recensiti supra *ad Laudes* et *Horas diurnas*, iidem sunt in omnibus officiis de Sanctis ; ideoque infra omittentur.

AD MATUTINUM.

I. Beatus vir qui non abiit 1
II. Quare fremuerunt gentes 6
III. Domine quid multiplicati sunt 13

Pro uno Martyre.

IV. Cum invocarem . . . 18
V. Verba mea 26
VIII. Domine Dominus noster 45
X. In Domino confido . 53
XIV. Domine, quis habitabit 57
XX. Domine, in virtute tua. 78

Pro pluribus Martyribus.

XIV. Domine, quis habitabit 57
XV. Conserva me, Domine 61
XXIII. Domini est terra. . 89
XXXII. Exultate, justi . . 114
XXXIII. Benedicam Dominum. 121
XLV. Deus noster refugium 170

In officio SS. Confessorum.

AD UTRASQUE VESPERAS.

Psalmi ut ad primas Vesperas Apostolorum ; nisi quod ad secundas Vesperas Confessoris Pontificis, loco ultimi ponitur.

CXXXI. Memento, Domine, David 397

AD MATUTINUM.

I. Beatus vir qui non abiit. 1
II. Quare fremuerunt gentes 6
III. Domine, quid multiplicati sunt 13
IV. Cum invocarem 18
V. Verba mea 26
VIII. Domine, Dominus noster 45
XIV. Domine, quis habitabit 57
XX. Domine, in virtute tua 78
XXIII. Domini est terra. 89

In officio B. Mariæ Virginis, nec non reliquarum SS. Virginum et non Virginum.

AD UTRASQUE VESPERAS.

CIX. Dixit Dominus 300
CXII. Laudate pueri 321
CXXI. Lætatus sum 379
CXXVI. Nisi Dominus 388
CXLVII. Lauda, Jerusalem 423

AD MATUTINUM.

VIII. Domine Dominus noster 45
XVIII. Cœli enarrant. 68
XXIII. Domini est terra 89
XLIV. Eructavit cor meum verbum bonum 156
XLV. Deus noster refugium 170
(*Pro sancta Maria* LXXXVI. Fundamenta ejus . . 237
(*Pro reliquis*) XLVII. Magnus Dominus 179
XCV. Cantate Domino canticum novum, cantate . . . 274
XCVI. Dominus regnavit, exultet terra 281
XCVII. Cantate Domino canticum novum, quia mirabilia . . 287

In officio Dedicationis Ecclesiæ.

AD UTRASQUE VESPERAS.

Psalmi ut ad primas Vesperas Apostolorum ; sed loco ultimi :

CXLVII. Lauda, Jerusalem 423

AD MATUTINUM.

XXIII. Domini est terra 89
XLV. Deus noster refugium 170
XLVII. Magnus Dominus 179
LXXXIII. Quam dilecta tabernacula 231
LXXXVI. Fundamenta ejus 237
LXXXVII. Domine Deus salutis meæ 243
XC. Qui habitat in adjutorio Altissimi 250
XCV. Cantate Domino canticum novum, cantate . . . 274
XCVIII. Dominus regnavit, irascantur populi 292

In officio Defunctorum.

AD VESPERAS.

CXIV. Dilexi, quoniam exaudiet 326
CXIX. Ad Dominum, cum tribularer, clamavi 372
CXX. Levavi oculos meos. 376
CXXIX. De profundis 393
CXXXVII. Confitebor tibi, Domine... quoniam audisti . . . 409

AD MATUTINUM.

V. Verba mea auribus percipe 26
VI. Domine, ne in furore tuo 33
VII. Domine Deus meus, in te speravi 38
XXII. Dominus regit me 84
XXIV. Ad te, Domine, levavi 95

XXVI. Dominus illuminatio mea. 103
XXXIX. Exspectans exspectavi Dominum 129
XL. Beatus qui intelligit. 138
XLI. Quemadmodum desiderat cervus 144

AD LAUDES.

L. Miserere mei, Deus, secundum 186
LXIV. Te decet hymnus 216
LXII. Deus, Deus meus, *et reliqui, ut in officio Apostolorum* . 205

Bruxellis, typis M. Closson et Soc. via Sancti Joannis, 26.